Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Officia propria sanctorum ecclesiae cathedralis, civitatis et dioecesis Ruraemundensis

https://hdl.handle.net/1874/313546

57

Vak 80



P. Simmons

West

Breviarium
Romanum.

VAK 80 No. 57.

Breviarium Romanum

EX DECRETO SS. CONCILII TRIDENTINI
RESTITUTUM,

S. PII V. PONTIFICIS MAXIMI
JUSSU EDITUM,

CLEMENTIS VIII. & URBANI VIII.
AUCTORITATE RECOGNITUM.

Pars Æstiva.

Tornaci,
Typis Societatis *S. JOANNIS EVANG.*
DESCLÉE, LEFEBVRE & Soc.
M.DCCC.XVII.

Jus proprietatis vindicabitur.

BIBLIOTHECAE FF. MIN. CONVENTUS VIENNAE

Diligenti revisione peracta omnia cum originalibus concordare reperta sunt.

In quorum fidem, etc. Ex secretaria Sacrorum Rituum Congregationis die x. Februarii, M.DCCC.LXXVII.

Placidus Ralli, S. R. C.
Secretarius.

L. † S.

Edmundus Josephus Dumont,

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA EPISCOPUS TORNACENSIS,

Omnibus has visuris salutem in Domino.

CUUM *pluribus Romanorum Pontificum imprimis vero Clementis VIII. et Urbani VIII. decretis sancitum sit ne quis typographus Breviarium Romanum recudat vel in lucem edat, quin ab Ordinario loci facultas in scriptis accepta sit, et de perfecta novae editionis cum archetypis Romanis exemplaribus concordantia certo constet; hinc est quod Nos dederimus in scriptis licentiam illud imprimendi dilectis filiis* DESCLEE, LEFEBVRE ET SOCIIS. *Postquam autem fuimus legitime informati hujusce novae Breviarii Romani in quatuor partes distributi editionis in-24, ut aiunt, partem tertiam, quam aestivam vocant, juxta probatas editiones Romanas fideliter exaratam, cum suo originali, diligenti facta collatione, in omnibus convenire, excusam approbavimus evulgandique licentiam dedimus, prout per praesentes approbamus ac licentiam damus.*

In quorum fidem hasce subsignavimus, sigilloque nostro ac Secretarii nostri chirographo muniri fecimus, Tornaci, die XVII. Martii anni M.DCCC.LXXVII.

✠ Edmundus Jos. EPŪS TORNACEN.

De Mandato Illmi. ac Rmi. D.D. Episcopi:

L. ✠ S. VICT. DUREZ, *Prosecret.*

EX DECRETORUM REGISTRO

Sacrae Rituum Congregationis

HAEC AD BREVIARIUM ROMANUM ATTINENT.

SACRA Rituum Congregatio declaravit et decrevit, non potuisse post Bullam S. Pii V. de Breviario Romano, neque posse locorum Ordinarios, tam saeculares quam regulares, addere Kalendariis, etiam propriis, Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat quae Breviarii Romani Rubricis, vel Sacrae Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicae licentia conceduntur: neque propria auctoritate, quovis praetextu, mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum; neque extendere concessa Officia de loco ad locum.

Item vetuit et prohibuit celebrari, per totam Civitatem vel Dioecesim, etiam de cujuscumque Ordinarii auctoritate, Festum cum Officio, eo quod in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia; sed tantum in ipsius Sancti Ecclesia titulari, seu ubi asservatur corpus, aut insignis Reliquia, et non alibi.

Insignes autem Reliquias declaravit esse caput, brachium, crus, aut illam partem corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra, et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata.

De Sanctis Episcopis locorum, Martyribus, Civibus, et aliis Festis, de quibus in Kalendario Romano, seu Rubricis Breviarii nihil habetur, uti etiam de Beatis nondum canonizatis: nihil propria, auctoritate constituatur, sed omnino consulatur Sacra Rituum Congregatio.

Decretum quoque nuper editum super electione Sanctorum in Patronos, et impressum, omnino servetur.

Et haec omnia decrevit, statuit, et mandavit, innovando poenas Constitutionis S. Pii V. respective.

Facta demum relatione horum Decretorum SS. D. N. Urbano Papae VIII., ea laudavit et approbavit, atque ab omnibus ubique sub praedictis poenis servari praecepit; nec non in novis Breviariis de mandato Sanctitatis Suae imprimendis apponi jussit.

Loco ✠ Sigilli.

T. TEGRIMIUS, *Episc. Assisien. Secr.*

EJUSDEM PRO SANCTIS AD LIBITUM.

EADEM Sac. Rit. Congreg. habita die 2 Decembris 1673, statuit ex mandato Clementis X. Festa Sanctorum ad libitum in posterum non esse transferenda, si eorum festivitas incidat in diem Dominicam, vel aliquem diem Festorum mobilium, sed tunc illo anno eorum Officia esse omittenda. Quod ipsum postea Innocentius Papa XI. in Congreg habita 24 Ja-

nuarii 1682, generali decreto confirmavit, et extendit insuper etiam ad Octavas et Natalitia Sanctorum, de praecepto in aliqua Religione vel Dioecesi, ex indulto Apostolico recitanda. Ita ut ne quidem dictis Festis vel Octavis Festa ad libitum tunc incidentia possint recitari, sed omitti prorsus debeant.

Permisit tamen, ut festum translatum quod alias eo die celebrandum foret, in alium diem non impeditum transferatur: item ut eodem die omitti possit officium semel per hebdomadam aut mensem recitandum ex indulto Apostolico, ut ita locus sit celebrando Officio ad libitum.

EJUSDEM PRO SANCTIS IN MARTYROLOGIO NON DESCRIPTIS.

OFFICIA Sanctorum ratione Corporis, seu insignis Reliquiae recitanda, ex Decreto Sacrorum Rituum Congregationis 11 Augusti 1691, intelligi debere de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano descriptis, et dummodo constet de identitate Corporis, seu reliquiae insignis illiusmet Sancti qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus: de caeteris autem Sanctis in praedicto Martyrologio non descriptis, aut quibus a Sancta Sede non fuerit specialiter concessum, Officia recitari, et Missas celebrari vetuerunt, non obstante quod ipsorum Corpora, vel insignes Reliquiae in Ecclesiis asserventur, quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis debitam Fidelium venerationem (prout hactenus servatum est) exhibendam esse censuerunt, sed absque Officio et Missa, sub poenis de non satisfaciendo praecepto recitandi Officium, aliisque in Constitutione S. Pii contentis. Die 11 Augusti 1691, et Sanctissimus approbavit die 19 Octobris ejusdem anni 1691.

Loco ✠ Sigilli.

J. VALLEMANUS, *S. R. C. Secr.*

DECRETA GENERALIA CIRCA RUBRICAS.

CUM Sacrorum Rituum Congregationi demisse supplicatum fuerit sequentia dubia declarare:

Primum. An, cum multis Congregationibus, Religionibus, sive Ecclesiis, vel Nationibus concessum sit, a Sancta Sede Apostolica, ut semel, vel pluries in singulis hebdomadis, vel mensibus celebrentur varia Officia per annum, verbi gratia de Sanctissimo Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo Festo duplici, vel semiduplici, liceat ejusmodi Officia facere etiam in diebus sanctae Quadragesimae, Adventus, Vigiliarum, et Quatuor Temporum, etiam si de his diebus nulla sit facta specialis mentio in aliquibus Officiorum concessionibus?

Secundum. An dies impeditus Festo duplici, vel semiduplici pro dictis Officiis recitandis, intelligantur etiam dies, in quibus ponendum est Officium de Festo duplici, vel semiduplici trans-

lato, quemadmodum dicitur responsum fuisse olim a Sacra Congregatione: Quod scilicet Festum duplex vel semiduplex etiam translatum necnon dies Octavae sit dies impeditus respectu talium Officiorum ?

Tertium. An Regulares absque speciali privilegio, sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum possint addere nomen Sancti Fundatoris in Litaniis, et Confiteor, itemque recitare Officia et Missas concessas aliis Religionibus?

Sacrorum Rituum eadem Congregatio ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Card. Colloredo respondit:

Ad primum Negative, *et hujusmodi indulta non habere locum in Feriis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, Vigiliarum, sive cum jejunio sive absque jejunio, nec in Feria secunda Rogationum, nec in illa Feria, in qua secundum Rubricas sit ponendum Officium Dominicae.*

Ad secundum Affirmative.

Ad tertium Negative *in omnibus.*

Et ita declaravit, ac servari voluit. Ac insuper ut Declarationes, seu Decreta praedicta omnibus innotescant, typis ea imprimi mandavit. Die 20 *Martii* 1706.

B. Card. Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

B. Inghirami, *Sac. Rit. Congr. Secr.*

De Anno et Ejus Partibus.

ANNUS menses habet duodecim, hebdomadas duas et quinquaginta, et diem unum; dies vero trecentos sexaginta quinque, et fere sex horas: tanto enim temporis intervallo sol Zodiacum perlustrat. Quater autem sex horae singulis quaternis annis diem constituunt; hinc annus ille intercalaris, Bissextus, vel Bissextilis dicitur.

DE ANNI CORRECTIONE, EJUSQUE NECESSITATE, AC KALENDARIO GREGORIANO.

QUOD dictum est, annum continere trecentos et sexagintaquinque dies, et fere sex horas, intelligendum est, sex horas non esse integras, cum ad earum complementum aliqua minuta deficiant.

Ex quorum minutorum neglectu progressum est, ac si annus ultra dies 365 contineret integras sex horas; et factum est, ut minuta, quae ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint, ut invicem juncta constituerint dies decem: qui causam dederunt, ut Æquinoctium vernum sedem suam mutaverit.

Cui malo occurrens Gregorius XIII. non solum Æquinoctium vernum restituit in pristinam sedem, a qua jam a Concilio Nicaeno, decem circiter diebus in anno correctionis 1582 praecedendo recesserat, quod a Concilio ad xij. Kalendas Aprilis fuerat constitutum, et xiv. Lunam Paschalem suo in loco reposuit: sed viam quoque tradidit et rationem, qua cavetur, ut in posterum et Æquinoctium vernum, et xiv. Luna Paschalis a propriis sedibus nunquam removerentur.

Ut enim Æquinoctium vernum ad xii. Kalendas Aprilis restitueretur, statuit, ut dicti decem dies in mense Octobris ipsius anni 1582, eximerentur, ut post quartam diem Octobris sancto Francisco sacram, sequens dies non esset quinta, sed decima quinta Octobris. Et ita error, qui in praeteritum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correctus.

Ut autem in posterum idem error vitaretur, ne a xii. Kalendas Aprilis Æquinoctium vernum recederet, statuit idem Gregorius, Bissextum quarto quoque anno (uti mos est) continuari debere, praeterquam in centesimis annis; qui quamvis Bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse voluit annum 1600 anno correctionis proximum, post eum tamen qui deinceps consequentur centesimi, non omnes Bissextiles essent, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine Bissexto transigerentur; quartus vero quisque centesi-

mus esset Bissextilis, ita ut anni 1700, 1800, 1900, Bissextiles non sint, anno vero 2000, more consueto dies Bissextus intercaletur, Februario dies 29 continente; idemque ordo intermittendi intercalandique Bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo conservaretur.

QUATUOR TEMPORA.

QUATUOR Tempora celebrantur quarta et sexta Feria ac Sabbato post tertiam Dominicam Adventus, post primam Dominicam Quadragesimae, post Dominicam Pentecostes, post Festum Exaltationis Sanctae Crucis.

NUPTIAE QUANDO CELEBRARI NON POSSINT JUXTA DECRETUM TRIDENTINI CONCILII.

A DOMINICA prima Adventus usque in diem Epiphaniae, et a Feria quarta Cinerum usque in Oct. Paschatis inclusive, sancta Synodus solemnitates Nuptiarum prohibet. In aliis vero temporibus Nuptias solemniter celebrari permittit.

DE CYCLO DECENNOVENNALI AUREI NUMERI.

CYCLUS decennovennalis Aurei numeri est revolutio numeri 19 annorum ab 1 usque ad 19, qua revolutione peracta, iterum ad unitatem reditur. Verbi gratia, anno 1577, numerus cycli decennovennalis, qui dicitur Aureus, est 1; anno sequenti 1578 est 2, et ita deinceps in sequentibus annis, uno semper amplius usque ad 19, qui Aureus numerus cadet in annum 1595, post quem iterum ad unitatem redeundum est, ita ut anno 1596, Aureus numerus sit rursus 1, et anno 1597 sit 2, &c.

Igitur ut Aureus numerus quolibet anno proposito inveniatur, composita est sequens tabella Aureorum numerorum, cujus usus incipit ab anno 1582 inclusive, duratque in perpetuum. Ex ea enim Aureus numerus cujuslibet anni post annum 1582, reperietur hoc modo.

6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	1.	2.	3.	4.	5.

Anno 1582 tribuatur primus numerus tabellae, qui est 6; secundus autem, qui est 7, sequenti anno 1583, et ita deinceps in infinitum; donec ad annum, cujus Aureum numerum quaeris perveniatur; redeundo ad principium tabellae, quotiescumque eam percurreris. Nam numerus, in quem annus propositus cadit, dabit Aureum numerum quaesitum.

De Anno et Ejus Partibus.

ANNUS menses habet duodecim, hebdomadas duas et quinquaginta, et diem unum; dies vero trecentos sexaginta quinque, et fere sex horas: tanto enim temporis intervallo sol Zodiacum perlustrat. Quater autem sex horae singulis quaternis annis diem constituunt; hinc annus ille intercalaris, Bissextus, vel Bissextilis dicitur.

DE ANNI CORRECTIONE, EJUSQUE NECESSITATE, AC KALENDARIO GREGORIANO.

QUOD dictum est, annum continere trecentos et sexagintaquinque dies, et fere sex horas, intelligendum est, sex horas non esse integras, cum ad earum complementum aliqua minuta deficiant.

Ex quorum minutorum neglectu progressum est, ac si annus ultra dies 365 contineret integras sex horas; et factum est, ut minuta, quae ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint, ut invicem juncta constituerint dies decem: qui causam dederunt, ut Æquinoctium vernum sedem suam mutaverit.

Cui malo occurrens Gregorius XIII. non solum Æquinoctium vernum restituit in pristinam sedem, a qua jam a Concilio Nicaeno, decem circiter diebus in anno correctionis 1582 praecedendo recesserat, quod a Concilio ad xij. Kalendas Aprilis fuerat constitutum, et xiv. Lunam Paschalem suo in loco reposuit: sed viam quoque tradidit et rationem, qua cavetur, ut in posterum et Æquinoctium vernum, et xiv. Luna Paschalis a propriis sedibus nunquam removerentur.

Ut enim Æquinoctium vernum ad xii. Kalendas Aprilis restitueretur, statuit, ut dicti decem dies in mense Octobris ipsius anni 1582, eximerentur, ut post quartam diem Octobris sancto Francisco sacram, sequens dies non esset quinta, sed decima quinta Octobris. Et ita error, qui in praeteritum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correctus.

Ut autem in posterum idem error vitaretur, ne a xii. Kalendas Aprilis Æquinoctium vernum recederet, statuit idem Gregorius, Bissextum quarto quoque anno (uti mos est) continuari debere, praeterquam in centesimis annis; qui quamvis Bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse voluit annum 1600 anno correctionis proximum, post eum tamen qui deinceps consequentur centesimi, non omnes Bissextiles essent, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine Bissexto transigerentur; quartus vero quisque centesi-

mus esset Bissextilis, ita ut anni 1700, 1800, 1900, Bissextiles non sint, anno vero 2000, more consueto dies Bissextus intercaletur, Februario dies 29 continente; idemque ordo intermittendi intercalandique Bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo conservaretur.

QUATUOR TEMPORA.

QUATUOR Tempora celebrantur quarta et sexta Feria ac Sabbato post tertiam Dominicam Adventus, post primam Dominicam Quadragesimae, post Dominicam Pentecostes, post Festum Exaltationis Sanctae Crucis.

NUPTIAE QUANDO CELEBRARI NON POSSINT JUXTA DECRETUM TRIDENTINI CONCILII.

A DOMINICA prima Adventus usque in diem Epiphaniae, et a Feria quarta Cinerum usque in Oct. Paschatis inclusive, sancta Synodus solemnitates Nuptiarum prohibet. In aliis vero temporibus Nuptias solemniter celebrari permittit.

DE CYCLO DECENNOVENNALI AUREI NUMERI.

CYCLUS decennovennalis Aurei numeri est revolutio numeri 19 annorum ab 1 usque ad 19, qua revolutione peracta, iterum ad unitatem reditur. Verbi gratia, anno 1577, numerus cycli decennovennalis, qui dicitur Aureus, est 1; anno sequenti 1578 est 2, et ita deinceps in sequentibus annis, uno semper amplius usque ad 19, qui Aureus numerus cadet in annum 1595, post quem iterum ad unitatem redeundum est, ita ut anno 1596, Aureus numerus sit rursus 1, et anno 1597 sit 2, &c.

Igitur ut Aureus numerus quolibet anno proposito inveniatur, composita est sequens tabella Aureorum numerorum, cujus usus incipit ab anno 1582 inclusive, duratque in perpetuum. Ex ea enim Aureus numerus cujuslibet anni post annum 1582, reperietur hoc modo.

6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	1.	2.	3.	4.	5.

Anno 1582 tribuatur primus numerus tabellae, qui est 6; secundus autem, qui est 7, sequenti anno 1583, et ita deinceps in infinitum, donec ad annum, cujus Aureum numerum quaeris perveniatur: redeundo ad principium tabellae, quotiescumque eam percurreris. Nam numerus, in quem annus propositus cadit, dabit Aureum numerum quaesitum.

MODUS BREVIS COGNOSCENDI AUREUM NUMERUM CUJUSQUE ANNI.

NUMERO anni de quo quaeris, adde unicam unitatem 1. Exempli gratia : anno 1833, adde 1 : summam inde conflatam divide per 19, quod superest, erit Aureus numerus ipsius anni : si nihil superest, erit Aureus numerus 19.

DE EPACTIS, ET NOVILUNIIS.

EPACTA nihil aliud est, quam numerus dierum, quibus annus Solaris communis 365, annum communem Lunarem dierum 354 superat : ita ut Epacta primi anni sit 11, cum hoc numero annus Solaris communis Lunarem annum communem excedat; atque adeo sequenti anno Novilunia contingant 11 diebus prius, quam anno primo. Ex quo fit, Epactam secundi anni esse 22, cum eo anno rursum annus Solaris Lunarem annum superet 11 diebus, qui additi ad 11 dies primi anni, efficiunt 22, ac proinde, finito hoc anno, Novilunia contingere 22 diebus prius, quam primo anno : Epactam autem tertii anni esse 3, quia si rursus 11 dies ad 22 adjiciantur, efficietur numerus 33; a quo si rejiciantur 30 dies, qui unam Lunationem Embolismalem constituunt, relinquentur 3, atque ita deinceps. Progrediuntur enim Epactae omnes per continuum augmentum 11 dierum abjectis tamen 30 quando rejici possunt. Solum quando perventum erit ad ultimam Epactam Aureo numero 19 respondentem, quae est 29, adduntur 12, ut abjectis 30, ex composito numero 41, habeatur rursus Epacta 11, ut in principio. Quod ideo fit, ut ultima Lunatio Embolismica, currente Aureo numero 19, sit tantum 29 dierum. Si enim 30 dies contineret, ut aliae sex Lunationes Embolismicae, non redirent Novilunia post 19 annos Solares ad eosdem dies, sed versus calcem mensium prolaberentur, contingerentque uno die tardius quam ante 19 annos. De qua re plura invenies in libro novae rationis restituendi Kalendarii Romani. Sunt autem novemdecim Epactae, quot et Aurei numeri, respondebantque ipsis Aureis numeris ante Kalendarii correctionem eo modo quo in hac tabella dispositae sunt.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ante Kalendarii correctionem.

Aur. num.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.
Epactae.	xi.	xxii.	iii.	xiv.	xxv.	vi.	xvii.	xxviii.
9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.
ix.	xx.	i.	xii.	xxiii.	iv.	xv.	xxvi.	vii.	xviii.	xxix.

Quia vero cyclus decennovennalis Aurei numeri imperfectus est, cum Novilunia post 19 annos Solares non praecise ad eadem loca redeant, ut dictum est, imperfectus etiam

erit hic cyclus 19 Epactarum. Quamobrem ita emendatus est ut in posterum loco Aurei numeri, et dictarum 19 Epactarum, utamur 30 numeris Epactalibus ab 1 usque ad 30 ordine progredientibus, quamvis ultima Epacta, sive quae ordine est trigesima, notata numero non sit, sed signo hoc, * propterea quod nulla Epacta esse possit 30. Variis autem temporibus ex his 30 Epactis respondent decem et novem Aureis numeris variae decem et novem Epactae prout Solaris anni, ac Lunaris aequatio exposcit : quae quidem decem et novem Epactae progrediuntur, ut olim, per eumdem numerum 11, addunturque semper 12 illi Epactae quae respondet Aureo numero 19, ut habeatur sequens Epacta respondens Aureo numero 1, ob rationem paulo ante dictam. Id quod sequens tabella perspicuum faciet, quae continet Aureos numeros, et Epactas inter se respondentes ab anno 1582 post detractionem 10 dierum, usque ad annum 1700 exclusive. Quamvis autem vulgares Epactae mutentur in Martio, re ipsa tamen in principio anni mutandae sunt, una cum Aur. num., in cujus locum hae nostrae Epactae succedunt.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab Idibus Octobris anni correctionis 1582 *(detractis prius decem diebus) usque ad annum* 1700 *exclusive.*

Aur. num.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.
Epactae.	xxvi.	vii.	xviii.	xxix.	x.	xxi.	ii.	xiii.	xxiv.
15.	16.	17.	18.	19.	1.	2.	3.	4.	5.
v.	xvi.	xxvii.	viii.	xix.	i.	xii.	xxiii.	iv.	xv.

Itaque si Epacta quocumque anno proposito invenienda sit, quaerendus est Aureus numerus illius anni in superiori ordine illius tabellae, quae illi tempori, in quo propositus annus continetur, congruit. Mox enim sub Aureo numero in inferiori ordine tabellae reperietur Epacta anni propositi vel certe hoc signum. * Ubi ergo illa Epacta vel signum * in Kalendario inventum fuerit, eo die Novilunium fiet. Invenietur autem Aureus numerus vel ex antecedente canone, vel ex tabella Epactarum proposito tempori congruente, tribuendo primum Aureum numerum illius tabellae illi anno, a quo usus tabellae incipit, et secundum Aureum numerum sequenti anno, &c. Eodem modo reperietur Epacta sine Aureo numero, si prima Epacta tabellae tribuatur illi anno, a quo ejus usus incipit, et secunda Epacta sequenti anno, &c.

Exemplum: Anno correctionis 1582, Aureus numerus est 6; nempe primus primae tabellae, cujus usus incipit ab Idibus Octobris dicti anni 1582, detractis prius x diebus. Erit ergo tunc Epacta xxvi, quae sub Aureo numero 6 collocatur, fietque Novilunium die 27 Octobris, et 26 Novembris, et 25 Decembris. Item anno 1582 jam correcto Aureus numerus

est 7, cui in eadem tabella supposita est Epacta vii. quae toto eo anno in Kalendario Novilunia indicabit: ut in Januario die 24, in Februario die 22, in Martio die 24, &c.

Alia Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab anno 1833 *inclusive, usque ad annum* 1900 *exclusive.*

Aur. num.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.
Epactae.	ix.	xx.	i.	xii.	xxiii.	iv.	xv.	xxvi.
18.	19.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
vii.	xviii.	*	xi.	xxii.	iii.	xiv.	xxv.	vi.	xvii.	xxviii.

Ad tollendam dubitationem de usu hujus novae tabulae Epactarum, ostendemus rem exemplis. Anno 1833 tribuatur Epacta ix, quae sub Aureo numero 10 collocatur: fietque Novilunium 22 Januarii, 20 Februarii, 22 Martii. Item anno 1834 tribuatur Epacta xx sub Aureo numero 11 collocata; quae toto eo anno in Kalendario Novilunia monstrabit: ut in Januario die 11, in Februario die 9, in Martio die 11. Et sic deinceps per ordinem annis progredientibus, redeundo ad principium Tabellae, quotiescumque eam percurreris. Rursus anno 1862, Epacta non signatur numero, sed hoc signo * quod collocatur sub Aureo numero 1, et in Kalendario toto eo anno Novilunia indicabit; nimirum in Januario die 1 et 31, in Martio (nam in Februario nullum tunc Novilunium, cum in eo signum hoc * non reperiatur) die 1 et 31, in Aprili die 29, &c.

Tabella Litterarum Dominicalium ab Idibus Octobris anni correctionis 1582 *(detractis prius decem diebus), usque ad annum* 1700 *exclusive.*

c	b	A g	f	e	d	c b	A	g	f	e d	c	b	A
g f	e	d	c	b A	g	f	e	d c	b	A	g	f e	d

Usus hujus tabellae hic est. Anno correctionis 1582 post Idus Octobris (detractis prius x diebus) tribuatur littera c primae cellulae, et sequenti anno 1583 littera b secundae, et anno 1584 dentur litterae A g tertiae cellulae, et sic deinceps aliis annis ordine aliae cellulae tribuantur, donec ad annum propositum perventum sit, redeundo ad principium tabellae quotiescumque eam percurreris. Nam cellula, in quam annus propositus cadit, dum modo minor sit, quam annus 1700, dabit litteram Dominicalem propositi anni. Quae si unica occurrerit, annus erit communis; si vero duplex, Bissextilis: et tunc superior littera Dominicam diem

ostendet in Kalendario a principio anni usque ad Festum S. Mathiae Apostoli ; inferior autem, ab hoc Festo usque ad finem anni.

Exempli gratia : Sit invenienda littera Dominicalis anno 1587. Numera ab anno 1582 quem tribue primae litterae c, usque ad annum 1587, tribuendo singulis cellulis singulos annos (computando geminas litteras quascumque superiorem et inferiorem, pro una cellula) cadetque annus 1587 in litteram d, quae sextum locum in tabella occupat. Est ergo toto eo anno littera Dominicalis d, annusque communis est, cum littera simplex occurrat. Rursus sit investiganda littera Dominicalis anno 1616; numera ab anno 1582, ut dictum est, usque ad annum 1616, redeundo ad principium tabellae, postquam eam percurreris, perveniesque ad duas hasce litteras c b, septimo loco positas. Est ergo annus ille Bissextilis, cum duplex littera occurrat, superiorque littera c, Dominicam diem indicabit a principio anni illius, usque ad festum S. Mathiae, inferior autem b, in reliqua parte anni.

Alia Tabella Litterarum Dominicalium ab anno 1833 *inclusive, usque ad annum* 1900 *exclusive.*

f	e	d	c b	A	g	f	e d	c	b	A	g f	e	d
c	b A	g	f	e	d c	b	A	g	f e	d	c	b	A g

Usus hujus tabellae talis est. Anno 1833 tribuatur littera f primae cellulae, et sequenti anno 1834 littera e, et sic deinceps caeteris annis ordine aliae cellulae tribuantur, donec ad annum propositum pervenias, redeundo ad principium tabellae, quotiescumque eam percurreris : Nam cellula, in quam annus propositus cadit, dabit litteram Dominicalem propositi anni. Quae si unica occurrerit, annus erit communis ; si vero duplex, Bissextilis, et tunc superior littera Dominicam diem indicabit in Kalendario a principio anni, usque ad festum S. Mathiae Apostoli, inferior autem, ab hoc festo usque ad finem anni.

DE INDICTIONE.

INDICTIO est revolutio 15 annorum ab 1 usque ad 15, qua revolutione peracta, iterum reditur ad unitatem, initiumque sumit quilibet annus hujus cycli a Januario in Bullis Pontificiis. Et quoniam Indictionum frequens usus est in Diplomatibus et scripturis publicis, facile annum Indictionis currentem quolibet anno proposito inveniemus ex sequenti tabella, cujus usus perpetuus est : initium tamen sumit ab anno correctionis 1582.

TABELLA INDICTIONIS AB ANNO CORRECTIONIS 1582.

10.	11.	12.	13.	14.	15.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.

Nam si anno 1582 tribuas primum numerum, qui est 10, et sequenti anno 1583 secundum numerum, qui est 11, et sic deinceps usque ad annum propositum, redeundo ad principium tabellae, quotiescumque eam percurreris, cadet annus propositus in Indictionem, quae quaeritur.

DE FESTIS MOBILIBUS.

QUONIAM ex decreto sacri Concilii Nicaeni Pascha, ex quo reliqua Festa mobilia pendent, celebrari debet die Dominico, qui proxime succedit xiv Lunae primi mensis, (is vero apud Hebraeos, vocatur primus mensis, cujus xiv Luna vel cadit in diem verni Æquinoctii, quod die 21 mensis Martii contingit vel propius ipsum sequitur) efficitur, ut si Epacta cujusvis anni inveniatur, et ab ea in Kalendario notata inter diem octavum Martii inclusive, et quintum Aprilis inclusive (hujus enim Epactae xiv Luna cadit vel in diem Æquinoctii verni, id est, in diem 21 Martii, vel eum propius sequitur) numerentur inclusive deorsum versus dies quatuordecim; proximus dies Dominicus diem hunc xiv sequens (ne cum Judaeis conveniamus, si forte dies xiv Lunae caderet in diem Dominicum) sit dies Paschae.

Exemplum. Anno 1605. Epacta est x et littera Dominicalis b. Et quoniam invenimus Epactam x inter diem 8 Martii, et 5 Aprilis inclusive positam esse e regione diei 21 Martii, a quo inclusive si deorsum versus numerentur 14 dies, inveniemus xiv Lunam die 3 Aprilis, quae est Dominica, cum e regione illius sit littera Dominicalis b. Ne igitur cum Judaeis conveniamus, qui Pascha celebrant die xiv Lunae, sumenda est littera Dominicalis b, quae sequitur xiv Lunam, nempe ea quae e regione diei 10 Aprilis collocatur: atque eo anno Pascha celebrandum erit die 10 Aprilis. Item anno 1604. Epacta est xxix, et duplex littera Dominicalis d, c, cum annus ille sit Bissextilis. Si igitur ab Epacta xxix quae e regione diei 1 Aprilis ponitur inter diem 8 Martii, et 5 Aprilis inclusive, numerentur dies 14 cadet xiv Luna in diem 14 Aprilis. Et quia tunc currit posterior littera Dominicalis, nempe c, quae post diem 14 Aprilis, id est, post xiv Lunam collocata est e regione diei 18 Aprilis, celebrabitur eo anno Pascha die 18 Aprilis.

Caeterum ut facilius omnia Festa mobilia inveniantur, compositae sunt duae sequentes tabulae Paschales, una antiqua, et nova altera. Ex antiqua ita Festa mobilia reperientur. In latere sinistro tabulae accipiatur Epacta currens, et in linea litterarum Dominicalium

sumatur littera Dominicalis currens infra tamen Epactam currentem, ita ut si littera Dominicalis currens reperiatur e regione Epactae currentis, assumenda sit eadem littera Dominicalis proxime inferior. Nam e regione hujus litterae Dominicalis omnia Festa mobilia continentur.

Exemplum. Anno 1606. Epacta est xxi et littera Dominicalis A. Si igitur in tabula antiqua sumatur littera Dominicalis A quae primo infra Epactam xxi occurrit, reperietur e regione hujus litterae Dominica Septuagesimae die 22 Januarii, dies Cinerum 8 Februarii, Pascha 26 Martii, Ascensio Domini 4 Maji, Pentecostes 14 Maji, et Festum Corporis Christi 25 Maji. Dominicae autem inter Pentecosten, et Adventum eo anno erunt 28, et Adventus celebrabitur die 3 Decembris: et sic de caeteris. Item anno 1605. Epacta est x et littera Dominicalis b, quae in tabula reperitur e regione Epactae x. Quare sumenda est alia littera b, quae proxime infra Epactam invenitur, e regione cujus invenies Septuagesimam die 6 Febr., diem Cinerum 23 Febr., Pascha 10 Apr., &c.

Notandum autem est, quod quemadmodum in anno communi, cadente littera Dominicali e regione Epactae in tabula antiqua, sumitur eadem littera proxima infra Epactam, ut diximus: ita quoque in anno Bissextili, si alterutra duarum litterarum Dominicalium tunc currentium e regione Epactae reperiatur, assumendae sunt aliae duae similes litterae proxime inferiores, ut Festa mobilia inveniantur.

Ex tabula vero Paschali nova ita eadem Festa mobilia reperientur. In cellula litterae Dominicalis currentis quaeratur Epacta currens. Nam e directo omnia Festa mobilia deprehendentur. Ut anno 1609 in cellula litterae Dominicalis d, tunc currentis e regione Epactae xxiv quae eodem anno currit, habetur Septuagesima die 15 Februarii, dies Cinerum 4 Martii, Pascha 19 Aprilis, &c.

Sed sive antiqua, sive nova tabula Paschali utamur, invenienda sunt omnia Festa mobilia in annis Bissextilibus per litteram Dominicalem posteriorem, quae nimirum currit post Festum sancti Mathiae Apostoli, ne scilicet ambigamus, utra duarum litterarum pro hoc, aut illo Festo indagando accipienda sit: ita tamen, ut Septuagesimae et diei Cinerum inventae in Januario aut Februario addatur unus dies. Quod ideo fit quia ante diem S. Mathiae currit prior littera Dominicalis, quae in Kalendario posteriorem semper sequitur: post Festum autem S. Mathiae in Februario, licet posterior littera currat, additur tamen tunc dies intercalaris, ita ut dies 24 Februarii dicatur 25, et dies 25 dicatur 26, &c. Quod si dies Cinerum cadat in Martium, nihil addendum est, quia tunc et littera posterior currit, et dies mensis propriis numeris respondent, cum dies intercalaris Februario sit additus. Imo nisi per posteriorem litteram investigarentur, non inveniretur recte Septuagesima in anno Bissextili currente Epacta xxiv vel xxv et littera Dominicali d, c, ut in secundo ac

tertio exemplo perspicuum fiet pro annis 4088, et 3784. Exempli gratia: anno 2096 Bissextili. Epacta erit v et litterae Dominicales A g. Si igitur per posteriorem litteram, quae est g, Festa mobilia investigentur, reperietur Septuagesima die 11 Febr. et dies Cinerum 28 Febr. Si autem addatur unus dies, cadet Septuagesima in diem 12 Febr. quae est Dominica, et dies Cinerum in diem 29 Febr. quae est Feria iv. Pascha autem, et reliqua Festa in eos dies cadent qui in tabula expressi sunt. Item anno 4088 Bissextili Epacta erit xxiv et litterae Dominicales d, c. Si igitur per litteram c, quae posterior est, inquirantur Festa mobilia, invenietur Septuagesima die 21 Febr. et si addatur unus dies, cadet in diem 22 Febr. quae est Dominica. Dies autem Cinerum cadet in diem 10 Martii: quare nihil additur, &c. Rursus anno 3784 Bissextili, Epacta erit xxv et litterae Dominicales d, c. Ergo iterum per posteriorem c, reperietur Septuag. die 21 Februarii, hoc est, addita 1 die, 22. Quod si per priorem litteram d, in utroque horum duorum annorum agendum esset, nihil efficeretur, cum infra Epactas xxiv et xxv littera d indicet Septuages. die 15 Februarii, quod falsum esset cum eo anno posterior littera c, Pascha offerat die 25 Aprilis, ac proinde Septuages. die 22 Februarii celebranda sit, ut liquido constat, si a die Paschae, Dominicae retro numerentur usque ad Septuag.

In priori porro tabula Paschali antiqua reformata, Epactis ad sinistram praeposuimus Aureos numeros eodem ordine, quo ante emendationem Kalendarii collocari solebant, ut ex iis Festa mobilia invenirentur. Hoc autem idcirco a nobis factum est, ut Pascha, caeteraque Festa mobilia, a Concil. Nicaeno usque ad ann. 1582 quilibet indagare possit. Eodem autem prorsus artificio, ex Aureis numeris ita distributis Festa mobilia eruuntur, quo ex Epactis. Sit enim explorandum, exempli causa, quando Festa haec celebrata fuerint anno 1450. Quoniam eo anno Aureus numerus fuit 7 et littera Dominicalis d, si Aureus numerus 7 in sinistro latere accipiatur, et prima littera d, infra eum occurrens, reperietur e regione hujus litterae d, Septuagesima die 1 Februarii, dies Cinerum 18 Februarii, Pascha die 5 Aprilis, &c.

Adventus Domini celebratur semper die Dominico, qui propinquior est festo S. Andreae Apostoli, nempe a die 27 Novembris inclusive, usque ad diem 3 Decembris inclusive, ita ut littera Dominicalis currens, quae reperitur in Kalendario a die 27 Novembris usque ad diem 3 Decembris, indicet Dominicam Adventus. Ut, verbi gratia, si littera Dominicalis est g, Dominica Adventus cadet in diem 2 Decembris; quia ibi est littera g, in Kalendario, &c.

Ad finem tandem tabularum Paschalium apposita est tabula temporaria multorum annorum, e regione quorum omnia Festa mobilia inveniuntur; quae quidem tabula ex tabulis Paschalibus excerpta est, ex quibus infinitae aliae erui possunt pro quibuscumque annis.

TABULA PASCHALIS
ANTIQUA REFORMATA.

Aur. Num.		Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Septuag.	Dies Cinер.	Pascha.	Ascensio.	Pentecost.	Corp. Chr.	D. p. Pent.		Dom. I. Adv.
16		xxiij		Jan.	Febr.	Mar	Apr.	Maji.	Maji.			
5		xxij	d	18	4	22	30	10	21	28	29	Nov.
		xxj	e	19	5	23	1 Maji	11	22	28	30	
13		xx	f	20	6	24	2	12	23	28	1	Dec.
2		xix	g	21	7	25	3	13	24	28	2	
		xviij	A	22	8	26	4	14	25	28	3	
10		xvij	b	23	9	27	5	15	26	27	27	Nov.
		xvj	c	24	10	28	6	16	27	27	28	
18		xv	d	25	11	29	7	17	28	27	29	
7		xiv	e	26	12	30	8	18	29	27	30	
		xiij	f	27	13	31	9	19	30	27	1	Dec
15		xij	g	28	14	1 Ap	10	20	31	27	2	
4		xj	A	29	15	2	11	21	1 Jun.	27	3	
		x	b	30	16	3	12	22	2	26	27	Nov.
12		ix	c	31	17	4	13	23	3	26	28	
1		viij	d	1 Fe	18	5	14	24	4	26	29	
		vij	e	2	19	6	15	25	5	26	30	
9		vj	f	3	20	7	16	26	6	26	1	Dec.
		v	g	4	21	8	17	27	7	26	2	
17		iv	A	5	22	9	18	28	8	26	3	
6		iij	b	6	23	10	19	29	9	25	27	Nov.
		ij	c	7	24	11	20	30	10	25	28	
14		j	d	8	25	12	21	31	11	25	29	
3			e	9	26	13	22	1 Jun.	12	25	30	
		xxix	f	10	27	14	23	2	13	25	1	Dec.
11		xxviij	g	11	28	15	24	3	14	25	2	
		xxvij	A	12	1 Mar.	16	25	4	15	25	3	
19	25	xxvj	b	13	2	17	26	5	16	24	27	Nov.
8	xxv	xxiv	c	14	3	18	27	6	17	24	28	
			d	15	4	19	28	7	18	24	29	
			e	16	5	20	29	8	19	24	30	
			f	17	6	21	30	9	20	24	1	Dec.
			g	18	7	22	31	10	21	24	2	
			A	19	8	23	1 Jun.	11	22	24	3	
			b	20	9	24	2	12	23	23	27	Nov.
			c	21	10	25	3	13	24	23	28	

TABULA PASCHALIS

Litt. Dominic.	Cyclus Epactarum.	Septuag.	Dies Cinerum.
D	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9 8 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. xxv. 25. 24.	18 Jan. 25 Jan. 1 Febr. 8 Febr. 15 Febr.	4 Febr. 11 Febr. 18 Febr. 25 Febr. 4 Mart.
E	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. xxv. 25. 24.	19 Jan. 26 Jan. 2 Febr. 9 Febr. 16 Febr.	5 Febr. 12 Febr. 19 Febr. 26 Febr. 5 Mart.
F	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. * 5. 4. 3 2. 1. 29. 28. 27. 26. xxv. 25. 24.	20 Jan. 27 Jan. 3 Febr. 10 Febr. 17 Febr.	6 Febr. 13 Febr. 20 Febr. 27 Febr. 6 Mart.
G	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. xxv. 25. 24.	21 Jan. 28 Jan. 4 Febr. 11 Febr. 18 Febr.	7 Febr. 14 Febr. 21 Febr. 28 Febr. 7 Mart.
A	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. xxv. 25. 24.	22 Jan. 29 Jan. 5 Febr. 12 Febr. 19 Febr.	8 Febr. 15 Febr. 22 Febr. 1 Mart. 8 Mart.
B	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. xxv. 25. 24.	23 Jan. 30 Jan. 6 Febr. 13 Febr. 20 Febr.	9 Febr. 16 Febr. 23 Febr. 2 Mart. 9 Mart.
C	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. xxv. 25. 24.	24 Jan. 31 Jan. 7 Febr. 14 Febr. 21 Febr.	10 Febr. 17 Febr. 24 Febr. 3 Mart. 10 Mart.

NOVA REFORMATA.

Paschæ.	Ascensio.	Pentec.	Corpus Christi.	D.p. Pent.	Dom. I. Adventus.
22 Mart.	30 Apr.	10 Maji	21 Maji	28	29 Nov.
29 Mart.	7 Maji	17 Maji	28 Maji	27	29
5 Apr.	14 Maji	24 Maji	4 Junii	26	29
12 Apr.	21 Maji	31 Maji	11 Junii	25	29
19 Apr.	28 Maji	7 Junii	18 Junii	24	29
23 Mart.	1 Maji	11 Maji	22 Maji	28	30 Nov.
30 Mart.	8 Maji	18 Maji	29 Maji	27	30
6 Apr.	15 Maji	25 Maji	5 Junii	26	30
13 Apr.	22 Maji	1 Junii	12 Junii	25	30
20 Apr.	29 Maji	8 Junii	19 Junii	24	30
24 Mart.	2 Maji	12 Maji	23 Maji	28	1 Dec.
31 Mart.	9 Maji	19 Maji	30 Maji	27	1
7 Apr.	16 Maji	26 Maji	6 Junii	26	1
14 Apr.	23 Maji	2 Junii	13 Junii	25	1
21 Apr.	30 Maji	9 Junii	20 Junii	24	1
25 Mart.	3 Maji	13 Maji	24 Maji	28	2 Dec.
1 Apr.	10 Maji	20 Maji	31 Maji	27	2
8 Apr.	17 Maji	27 Maji	7 Junii	26	2
15 Apr.	24 Maji	3 Junii	14 Junii	25	2
22 Apr.	31 Maji	10 Junii	21 Junii	24	2
26 Mart.	4 Maji	14 Maji	25 Maji	28	3 Dec.
2 Apr.	11 Maji	21 Maji	1 Junii	27	3
9 Apr.	18 Maji	28 Maji	8 Junii	26	3
16 Apr.	25 Maji	4 Junii	15 Junii	25	3
23 Apr.	1 Junii	11 Junii	22 Junii	24	3
27 Mart.	5 Maji	15 Maji	26 Maji	27	27 Nov.
3 Apr.	12 Maji	22 Maji	2 Junii	26	27
10 Apr.	19 Maji	29 Maji	9 Junii	25	27
17 Apr.	26 Maji	5 Junii	16 Junii	24	27
24 Apr.	2 Junii	12 Junii	23 Junii	23	27
28 Mart.	6 Maji	16 Maji	27 Maji	27	28 Nov.
4 Apr.	13 Maji	23 Maji	3 Junii	26	28
11 Apr.	20 Maji	30 Maji	10 Junii	25	28
18 Apr.	27 Maji	6 Junii	17 Junii	24	28
25 Apr.	3 Junii	13 Junii	24 Junii	23	28

TABELLA TEMPORARIA

Anno D.	Litt. Dom.	Aur. Num.	Epactae	Septuag.	Dies Cinerum.	Pascha.
1876	bA	15	iv	13 Febr.	1 Mart.	16 Apr.
1877	g	16	xv	28 Jan.	14 Febr.	1 Apr.
1878	f	17	xxvj	17 Febr.	6 Mart.	21 Apr.
1879	e	18	viij	9 Febr.	26 Febr.	13 Apr.
1880	d c	19	xviij	25 Jan.	11 Febr.	28 Mart.
1881	b	1		13 Febr.	2 Mart.	17 Apr.
1882	A	2	xj	5 Febr.	22 Febr.	9 Apr.
1883	g	3	xxij	21 Jan.	7 Febr.	25 Mart.
1884	f e	4	iij	10 Febr.	27 Febr.	13 Apr.
1885	d	5	xiv	1 Febr.	18 Febr.	5 Apr.
1886	c	6	xxv	21 Febr.	10 Mart.	25 Apr.
1887	b	7	vj	6 Febr.	23 Febr.	10 Apr.
1888	A g	8	xvij	29 Jan.	15 Febr.	1 Apr.
1889	f	9	xxviij	17 Febr.	6 Mart.	21 Apr.
1890	e	10	ix	2 Febr.	19 Febr.	6 Apr.
1891	d	11	xx	25 Jan.	11 Febr.	29 Mart.
1892	c b	12	j	14 Febr.	2 Mart.	17 Apr.
1893	A	13	xij	29 Jan.	15 Febr.	2 Apr.
1894	g	14	xxiij	21 Jan.	7 Febr.	25 Mart.
1895	f	15	iv	10 Febr.	27 Febr.	14 Apr.
1896	e d	16	xv	2 Febr.	19 Febr.	5 Apr.
1897	c	17	xxvj	14 Febr.	3 Mart.	18 Apr.
1898	b	18	vij	6 Febr.	23 Febr.	10 Apr.
1899	A	19	xviij	29 Jan.	15 Febr.	2 Apr.
1900	g	1	xxix	11 Febr.	28 Febr.	15 Apr.
1901	f	2	x	3 Febr.	20 Febr.	7 Apr.
1902	e	3	xxj	26 Jan.	12 Febr.	30 Mart.
1903	d	4	ij	8 Febr.	25 Febr.	12 Apr.
1904	c b	5	xiij	31 Jan.	17 Febr.	3 Apr.
1905	A	6	xxiv	19 Febr.	8 Mart.	23 Apr.
1906	g	7	v	11 Febr.	28 Febr.	15 Apr.
1907	f	8	xvj	27 Jan.	13 Febr.	31 Mart.
1908	e d	9	xxvij	16 Febr.	4 Mart.	19 Apr.

Anno D.	Ascensio.	Pentec.	Corpus Christi.	Indictio.	D. p. Pent.	Dom. 1. Adventus.
1876	25 Maji.	4 Junii.	15 Junii.	4	25	3 Dec.
1877	10 Maji.	20 Maji.	31 Maji.	5	27	2 Dec.
1878	30 Maji.	9 Junii.	20 Junii.	6	24	1 Dec.
1879	22 Maji.	1 Junii.	12 Junii.	7	25	30 Nov.
1880	6 Maji.	16 Maji.	27 Maji.	8	27	28 Nov.
1881	26 Maji.	5 Junii.	16 Junii.	9	24	27 Nov.
1882	18 Maji.	28 Maji.	8 Junii.	10	26	3 Dec.
1883	3 Maji.	13 Maji.	24 Maji.	11	28	2 Dec.
1884	22 Maji.	1 Junii.	12 Junii.	12	25	30 Nov.
1885	14 Maji.	24 Maji.	4 Junii.	13	26	29 Nov.
1886	3 Junii.	13 Junii.	24 Junii.	14	23	28 Nov.
1887	19 Maji.	29 Maji.	9 Junii.	15	25	27 Nov.
1888	10 Maji.	20 Maji.	31 Maji.	1	27	2 Dec.
1889	30 Maji.	9 Junii.	20 Junii.	2	24	1 Dec.
1890	15 Maji.	25 Maji.	5 Junii.	3	26	30 Nov.
1891	7 Maji.	17 Maji.	28 Maji.	4	27	29 Nov.
1892	26 Maji.	5 Junii.	16 Junii.	5	24	27 Nov.
1893	11 Maji.	21 Maji.	1 Junii.	6	27	3 Dec.
1894	3 Maji.	13 Maji.	24 Maji.	7	28	2 Dec.
1895	23 Maji.	2 Junii.	13 Junii.	8	25	1 Dec.
1896	14 Maji.	24 Maji.	4 Junii.	9	26	29 Nov.
1897	27 Maji.	6 Junii.	17 Junii.	10	24	28 Nov.
1898	19 Maji.	29 Maji.	9 Junii.	11	25	27 Nov.
1899	11 Maji.	21 Maji.	1 Junii.	12	27	3 Dec.
1900	24 Maji.	3 Junii.	14 Junii.	13	25	2 Dec.
1901	16 Maji.	26 Maji.	6 Junii.	14	26	1 Dec.
1902	8 Maji.	18 Maji.	29 Maji.	15	27	30 Nov.
1903	21 Maji.	31 Maji.	11 Junii.	1	25	29 Nov.
1904	12 Maji.	22 Maji.	2 Junii.	2	27	27 Nov.
1905	1 Junii.	11 Junii.	22 Junii.	3	24	3 Dec.
1906	24 Maji.	3 Junii.	14 Junii.	4	25	2 Dec.
1907	9 Maji.	19 Maji.	30 Maji.	5	27	1 Dec.
1908	28 Maji.	7 Junii.	18 Junii.	6	25	29 Nov.

Januarius.

C.P.	L.D.		D.M.	
*	A	Kal.	1	Circumcisio Domini, duplex.
xxix	b	iv	2	Octava S. Stephani, duplex, cum Commemoratione Octavarum.
xxviij	c	iij	3	Octava S. Joannis Apostoli, duplex cum Commem. Octavae SS. Innocentium.
xxvij	d	Prid.	4	Octava SS. Innocentium, duplex.
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniae, semid. cum Comm. S. Telesphori Papae et Martyris.
25. xxv	f	viij	6	Epiphania Domini, duplex.
xxiv	g	vij	7	De Octava Epiphaniae.
xxiij	A	vj	8	De Octava.
xxij	b	v	9	De Octava.
xxj	c	iv	10	De Octava.
xx	d	iij	11	De Octava et Commemoratio S. Hygini Papae et Martyris.
xix	e	Prid.	12	De Octava.
xviij	f	Idib.	13	Octava Epiphaniae, duplex. Dominica. ij. post Epiphaniam, SS. Nominis Jesu duplex.
xvij	g	xix	14	Hilarii Ep. Conf. et Eccl. Doct., duplex, cum Comm. S. Felicis Presb. et Mart.
xvj	A	xviij	15	Pauli primi Eremitae Conf., duplex, cum Commemoratione S. Mauri Abbatis.
xv	b	xvij	16	Marcelli Papae et Mart., semiduplex.
xiv	c	xvj	17	Antonii Abbatis, duplex.
xiij	d	xv	18	Cathedra S. Petri Romae, duplex, et Comm. S. Priscae Virginis et Martyris.
xij	e	xiv	19	Canuti Regis et Martyris, semiduplex ad libitum, cum Commemoratione SS. Marii, Marthae, Audifacis et Abachum, Martyrum.
xj	f	xiij	20	Fabiani et Sebastiani Mart., duplex.
x	g	xij	21	Agnetis Virginis et Martyris, duplex.
ix	A	xj	22	Vincentii et Anastasii Mart., semiduplex.
viij	b	x	23	Raymundi de Pennafort Confessoris, semiduplex, cum Commemoratione S. Emerentianae Virginis et Martyris.
vij	c	ix	24	Timothei Episcopi et Martyris, duplex.
vj	d	viij	25	Conversio S. Pauli Apost., duplex.
v	e	vij	26	Polycarpi Episcopi et Martyris, duplex.
iv	f	vj	27	Joannis Chrysostomi Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
iij	g	v	28	Agnetis, secundo.
ij	A	iv	29	Francisci Salesii Episcopi et Confessoris, duplex.
j	b	iij	30	Martinae Virg. et Mart., semiduplex.
	c	Prid.	31	Petri Nolasci Confessoris, duplex.

Februarius.

C. R.	L. D.	D. M.	
xxix	d	Kal.	1 Ignatii Episc. et Mart., duplex.
xxviij	e	iv	2 Purificatio B. M. V. duplex.
xxvij	f	iij	3 Blasii Episcopi et Martyris.
25. xxvj	g	Prid.	4 Andreae Corsini Episc. Confess., duplex.
xxv. xxiv	A	Non.	5 Agathae Virginis et Martyris, duplex.
xxiij	b	viij	6 Titi Episcopi et Confessoris, duplex, cum Commemoratione S. Dorotheae Virginis et Martyris.
xxij	c	vij	7 Romualdi Abbatis, duplex.
xxj	d	vj	8 Joannis de Matha Confessoris, duplex.
xx	e	v	9 Apolloniae Virginis et Martyris.
xix	f	iv	10 Scholasticae Virginis, duplex.
xviij	g	iij	11
xvij	A	Prid.	12
xvj	b	Idib.	13
xv	c	xvj	14 Valentini Presbyteri et Martyris.
xiv	d	xv	15 Faustini et Jovitae Martyrum.
xiij	e	xiv	16
xij	f	xiij	17
xj	g	xij	18 Simeonis Episcopi et Martyris.
x	A	xj	19
ix	b	x	20
viij	c	ix	21
vij	d	viij	22 Cathedra S. Petri Antiochiae, dupl.
vj	e	vij	23 Petri Damiani Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex, cum Commemoratione Vigiliae.
v	f	vj	24 Mathiae Apostoli, duplex.
iv	g	v	25
iij	A	iv	26
ij	b	iij	27
j	c	Prid.	28

In anno bissextili Februarius est dierum 29, et Festum S. Mathiae celebratur 25 Februarii, et bis dicitur Sexto Kalendas, id est die 24 et die 25; et Littera Dominicalis, quae assumpta fuit in mense Januario, mutatur in praecedentem, ut, si in Januario Littera Dominicalis fuerit **A**, mutatur in praecedentem, quae est **g**, etc., et Littera **f** bis servit 24 et 25.

C. E.	L. D.	D. M.	
	d	Kal. 1	
xxix	e	vj 2	
xxviij	f	v 3	
xxvij	g	iv 4	Casimiri Conf., semiduplex et Commem. S. Lucii Papae et Martyris.
xxvj	A	iij 5	
25. xxv	b	Prid. 6	
xxiv	c	Non. 7	Thomae de Aquino Confessoris et Eccl. Doct., duplex et Comm. SS. Perpetuae et Felicitatis Martyrum.
xxiij	d	viij 8	Joannis de Deo Confessoris, duplex.
xxij	e	vij 9	Franciscae Viduae Romanae, duplex.
xxj	f	vj 10	Quadraginta Martyrum, semiduplex.
xx	g	v 11	
xix	A	iv 12	Gregorii Papae Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
xviij	b	iij 13	
xvij	c	Prid. 14	
xvj	d	Idib. 15	
xv	e	xvij 16	
xiv	f	xvj 17	Patritii Episcopi et Confessoris, duplex.
xiij	g	xv 18	
xij	A	xiv 19	Joseph Sponsi Beatae Mariae Virginis Confessoris, duplex.
xj	b	xiij 20	
x	c	xij 21	Benedicti Abbatis, duplex.
ix	d	xj 22	
viij	e	x 23	
vij	f	ix 24	
vj	g	viij 25	Annuntiatio B. Mariae Virginis, dupl. * Feria vi. post Dominicam Passionis, Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis, duplex.
v	A	vij 26	
iv	b	vj 27	
iij	c	v 28	
ij	d	iv 29	
j	e	iij 30	
	f	Prid. 31	

Aprilis.

C.E.	L.D.	D.M.	
xxix	g Kal.	1	
xxviij	A iv	2	Francisci de Paula Confessoris, duplex.
xxvij	b iij	3	
25. xxvj	c Prid.	4	Isidori Episcopi Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
xxv.xxiv	d Non.	5	Vincentii Ferrerii Confessoris, duplex.
xxiij	e viij	6	
xxij	f vij	7	
xxj	g vj	8	
xx	A v	9	
xix	b iv	10	
xviij	c iij	11	Leonis Papae, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
xvij	d Prid.	12	
xvj	e Idib.	13	Hermenegildi Martyris, semiduplex.
xv	f xviij	14	Tiburtii, Valeriani, et Maximi Mart.
xiv	g xvij	15	
xiij	A xvj	16	
xij	b xv	17	Aniceti Papae et Martyris.
xj	c xiv	18	
x	d xiij	19	
ix	e xij	20	
viij	f xj	21	Anselmi Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
vij	g x	22	Soteris et Caji PP. et MM., semiduplex.
vj	A ix	23	Georgii Martyris, semiduplex.
v	b viij	24	Fidelis a Sigmaringa Martyris, duplex.
iv	c vij	25	Marci Evangelistae duplex.
iij	d vj	26	Cleti et Marcellini Pontificum et Martyrum, semiduplex.
ij	e v	27	
j	f iv	28	Pauli a Cruce, Confessoris, duplex. Commemoratio S. Vitalis Martyris.
	g iij	29	Petri Martyris, duplex.
xxix	A Prid.	30	Catharinae Senensis Virginis, duplex. Dominica iij. post Pascha, Festum Patrocinii S. Joseph, duplex.

C.R.	L.D.	D.M.	
xxviij	b	Kal. 1	Philippi et Jacobi Apostol., duplex.
xxvij	c	vj 2	Athanasii Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
xxvj	d	v 3	Inventio S. Crucis, duplex, et Comm. SS. Alexandri, etc. Martyrum, ac Juvenalis Episcopi et Confessoris.
25. xxv	e	iv 4	Monicae Viduae, duplex.
xxiv	f	iij 5	Pii V. Papae et Confessoris, duplex.
xxiij	g	Prid. 6	Joannis ante Port. Latin., duplex.
xxij	A	Non. 7	Stanislai Episcopi et Martyris, duplex.
xxj	b	viij 8	Apparitio S. Michaelis Archang., duplex.
xx	c	vij 9	Gregorii Nazianzeni, Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
xix	d	vj 10	Antonini Episc. Confess., duplex, cum Comm. SS. Gordiani et Epimachi, MM.
xviij	e	v 11	
xvij	f	iv 12	Nerei, Achillei, Domitillae Virginis, atque Pancratii Martyrum, semiduplex.
xvj	g	iij 13	
xv	A	Prid. 14	Bonifacii Martyris.
xiv	b	Idib. 15	
xiij	c	xvij 16	Ubaldi Episcopi et Confess., semiduplex.
xij	d	xvj 17	Paschalis Baylon Confessoris, duplex.
xj	e	xv 18	Venantii Martyris, duplex.
x	f	xiv 19	Petri Coelestini Papae et Confess., duplex, cum Comm. S. Pudentianae Virginis.
ix	g	xiij 20	Bernardini Senensis Confessoris, semid.
viij	A	xij 21	
vij	b	xj 22	
vj	c	x 23	
v	d	ix 24	
iv	e	viij 25	Gregorii VII. Papae et Confess., duplex, cum Comm. S. Urbani Papae et Mart.
iij	f	vij 26	Philippi Nerii Confessoris, duplex, cum Comm. S. Eleutherii Papae et Martyris.
ij	g	vj 27	Mariae Magdalenae de Pazzis Virginis, semiduplex, cum Commem. S. Joannis Papae et Martyris.
j	A	v 28	
	b	iv 29	
xxix	c	iij 30	Felicis Papae et Martyris.
xxviij	d	Prid. 31	Angelae Mericiae Virginis, duplex. Commemoratio S. Petronillae Virginis.

* Feria vj. post Octavam SS. Corporis Christi, SS. Cordis Jesu, duplex.

Junius

C.E.	L.D.		D.M.	
xxvij	e	Kal.	1	
25. xxvj	f	iv	2	Marcellini, Petri atque Erasmi Martyr.
xxv. xxiv.	g	iij	3	
xxiij	A	Prid.	4	Francisci Caracciolo Confess., duplex.
xxij	b	Non.	5	Bonifacii Episcopi et Martyris, duplex.
xxj	c	viij	6	Norberti Episcopi et Confess, duplex.
xx	d	vij	7	
xix	e	vj	8	
xviij	f	v	9	Primi et Feliciani Martyrum.
xvij	g	iv	10	Margaritae Viduae Reginae Scotiae, semiduplex.
xvj	A	iij	11	Barnabae Apostoli, duplex.
xv	b	Prid.	12	Joannis a S. Facundo Confess., duplex. Comm. SS. Basilidis, etc. Martyrum.
xiv	c	Idib.	13	Antonii de Padua Confessoris, duplex.
xiij	d	xviij	14	Basilii Magni Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
xij	e	xvij	15	Viti, Modesti atque Crescentiae, Martyr.
xj	f	xvj	16	
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	Marci et Marcelliani Martyrum.
viij	b	xiij	19	Julianae de Falconeriis Virginis, duplex. Commemorat. SS. Gervasii et Protasii Martyrum.
vij	c	xij	20	Silverii Papae et Martyris.
vj	d	xj	21	Aloysii Gonzagae Confessoris, duplex.
v	e	x	22	Paulini Episcopi et Confessoris.
iv	f	ix	23	Vigilia.
iij	g	viij	24	Nativitas S. Joannis Bapt., duplex.
ij	A	vij	25	Gulielmi Abbatis, dupl. Comm. Octavae.
i	b	vj	26	Joannis et Pauli Martyrum, dupl. Commemoratio Octavae.
	c	v	27	De Octava Nativitatis S. Joannis.
xxix	d	iv	28	Leonis II. Papae et Confess., semiduplex. Commemoratio Octavae et Vigiliae.
xxviij	e	iij	29	Petri et Pauli Apostolorum, dupl.
xxvij	f	Prid.	30	Commemoratio S. Pauli Apostoli, dupl. cum Commemorat. S. Petri et Octavae S. Joannis.

C.E.	L.D.		D.M.	
				Dominica j. Julii, Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., duplex.
xxvj	g	Kal.	1	Octava S. Joannis Baptistae, duplex, cum Commemoratione Octavae Apostolorum.
25. xxv	A	vj	2	Visitatio B.M.V., duplex, cum Comm. SS. Processi et Martiniani Martyrum.
xxiv	b	v	3	De Octava SS. Apost., semiduplex.
xxiij	c	iv	4	De Octava, semiduplex.
xxij	d	iij	5	De Octava, semiduplex.
xxj	e	Prid.	6	Octava Apostol. Petri et Pauli, duplex.
xx	f	Non.	7	
xix	g	viij	8	Elisabeth Reginae Portug. Vid., semid.
xviij	A	vij	9	
xvij	b	vj	10	Septem Fratrum et SS. Rufinae ac Secundae Martyrum, semiduplex.
xvj	c	v	11	Pii I. Papae et Martyris.
xv	d	iv	12	Joannis Gualberti Abbatis, duplex, et Comm. SS. Naboris et Felicis Martyr.
xiv	e	iij	13	Anacleti Papae et Martyris, semiduplex.
xiij	f	Prid.	14	Bonaventurae Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
xij	g	Idib.	15	Henrici Imperatoris, Confess., semidupl.
xj	A	xvij	16	B.M.V. de Monte Carmelo, duplex.
x	b	xvj	17	Alexii Confessoris, semiduplex.
ix	c	xv	18	Camilli de Lellis Confess., duplex. Commemoratio S. Symphorosae et septem filiorum, Martyrum.
viij	d	xiv	19	Vincentii a Paulo Confessoris, duplex.
vij	e	xiij	20	Hieronymi Æmiliani Confessoris, duplex, cum Commemoratione S. Margaritae Virginis et Martyris.
vj	f	xij	21	Praxedis Virginis.
v	g	xj	22	Mariae Magdalenae, duplex.
iv	A	x	23	Apollinaris Episcopi et Martyris, duplex, cum Commemoratione S. Liborii Episcopi et Confessoris.
iij	b	ix	24	Vigilia et Comm. S. Christinae Virginis et Martyris.
ij	c	viij	25	Jacobi Apostoli, duplex. Commemoratio S. Christophori Martyris.
j	d	vij	26	Annae Matris B.M.V., duplex.
	e	vj	27	Pantaleonis Martyris.
xxix	f	v	28	Nazarii, Celsi et Victoris Martyrum, ac Innocentii Papae et Confess. semid.
xxviij	g	iv	29	Marthae Virginis, semiduplex. Comm. SS. Felicis, Simplicii, etc. Martyrum.
xxvij	A	iij	30	Abdon et Sennen Martyrum.
25. xxvj	b	Prid.	31	Ignatii Confessoris, duplex.

C.E.	L.D.		D M.	
xxv. xxiv	c	Kal.	1	PETRI AD VINCULA duplex, et Comm. SS Machabeorum Martyrum.
xxiij	d	iv	2	Alphonsi Mariae de Ligorio Ep. Conf. et Ecclesiae Doctoris, duplex. Commem. S. Stephani Papae et Martyris.
xxij	e	iij	3	Inventio S. Stephani Protomart., semid.
xxj	f	Prid.	4	Dominici Confessoris, duplex.
xx	g	Non.	5	DEDICATIO S. MARIAE AD NIVES, dupl
xix	A	viij	6	TRANSFIGURATIO DOMINI, duplex. Comm. S. Xysti, Papae et Martyris.
xviij	b	vij	7	Cajetani Thienaei Confess., duplex, cum Comm. S. Donati Episcopi et Mart.
xvij	c	vj	8	Cyriaci, Largi et Smaragdi Mart., semid.
xvj	d	v	9	Vigilia. Comm. S. Romani Martyris.
xv	e	iv	10	LAURENTII MARTYRIS, duplex.
xiv	f	iij	11	De Octava. semid., Comm. SS. Tiburtii et Susannae Martyrum.
xiij	g	Prid.	12	Clarae Virg. duplex. cum Comm. Octavae
xij	A	Idib.	13	De Octava, cum Comm. SS. Hippolyti et Cassiani Martyrum.
xj	b	xix	14	De Octava Comm. Vigil. et S. Eusebii C
x	c	xviij	15	ASSUMPTIO B.M.V., duplex. * Dom. infra Octavam Assumpt. S. Joachim Confessoris, duplex.
ix	d	xvij	16	Hyacinthi Conf., dupl. Comm. Octavae Assumptionis et S. Laurentii.
viij	e	xvj	17	Octava S. Laurentii, duplex. Commemor. Octavae Assumptionis.
vij	f	xv	18	De Octava. Comm. S. Agapiti Martyris.
vj	g	xiv	19	De Octava.
v	A	xiij	20	Bernardi Abbatis et Ecclesiae Doctoris, duplex. Commemoratio Octavae.
iv	b	xij	21	Joannae Franciscae, dupl. Comm. Oct.
iij	c	xj	22	Octava Assumpt. B. M. V., dupl. Comm. SS. Timothei, etc. Martyrum.
ij	d	x	23	Philippi Benitii Confessoris, duplex. Commemoratio Vigiliae.
j	e	ix	24	BARTHOLOMAEI APOST. dupl. (Rom. 25.)
	f	viij	25	Ludovici Regis Confessoris, semiduplex. (Romae 26.)
xxix	g	vij	26	Zephyrini Papae et Martyris.
xxviij	A	vj	27	Josephi Calasanctii Confessoris, duplex.
xxvij	b	v	28	Augustini Episcopi, Confessoris et Eccl. Doct., dupl. Comm. S. Hermetis Mart
xxvj	c	iv	29	DECOLLATIO S. JOANNIS BAPT., duplex. Commem. S. Sabinae Martyris.
25. xxv	d	iij	30	Rosae Virginis Limanae, duplex. Comm. SS. Felicis, etc. Martyrum.
xxiv	e	Prid.	31	Raymundi Nonnati Confessoris, duplex.

C.E.	L.D.		D.M.	
xxiij	f	Kal.	1	Ægidii Abbatis, et Comm. SS. duodecim Fratrum Martyrum.
xxij	g	iij	2	Stephani Regis Confessoris, semiduplex.
xxj	A	vi	3	
xx	b	Prid.	4	
xix	c	Non.	5	Laurentii Justiniani Episc. Conf., semid.
xviij	d	viij	6	
xvij	e	vij	7	
xvj	f	vi	8	NATIVITAS B. M. V., duplex, cum Commemoratione S. Adriani Martyris. * Dominica infra Octavam Nativitatis SS. Nominis B. M., duplex.
xv	g	v	9	De Octava. Comm. S. Gorgonii Mart.
xiv	A	vi	10	Nicolai de Tolentino Confessoris, duplex, cum Commemoratione Octavae.
xiij	b	iij	11	De Octava. Comm. SS. Proti, etc. Mart.
xij	c	Prid.	12	De Octava.
xj	d	Idib.	13	De Octava.
x	e	xviij	14	EXALTATIO S. CRUCIS, duplex, cum Commemoratione Octavae Nativitatis.
ix	f	xvij	15	Octava Nativitatis B. Mariae, duplex, cum Comm. S. Nicomedis Martyris. * Dom. iij. Septembris Septem Dolorum B. M. V. duplex.
viij	g	xvj	16	Cornelii et Cypriani Pontificum et Mart., semid. Comm. S. Euphemiae, etc.
vij	A	xv	17	Impressio Stigmat. S. Francisci, duplex.
vj	b	xiv	18	Josephi a Cupertino Confessoris, duplex.
v	c	xiij	19	Januarii Episcopi et Sociorum Martyrum, duplex.
iv	d	xij	20	Eustachii et Sociorum Martyrum, dupl., et Commemoratio Vigiliae.
iij	e	xj	21	MATTHAEI APOSTOLI ET EVANG., dupl.
ij	f	x	22	Thomae a Villanova Episcopi Confess., duplex, cum Commemoratione S. Mauritii et Sociorum Martyrum.
j	g	ix	23	Lini Papae et Mart., semiduplex. Commemoratio S. Theclae Virginis et Mart.
*	A	viij	24	B. M. V. DE MERCEDE, duplex.
xxix	b	vij	25	
xxviij	c	vj	26	Cypriani et Justinae Martyrum.
xxvij	d	v	27	Cosmae et Damiani Martyrum, semid.
xxvj	e	iv	28	Wenceslai Ducis et Martyris, semid.
xxv. xxiv	f	iij	29	DEDICATIO S. MICHAELIS ARCH., duplex.
xxiij	g	Prid.	30	Hieronymi Presbyteri, et Ecclesiae Doctoris, duplex.

C.E.	L.	D.	D.M.	
				Dominica j. Octobris SS. Rosarii B. M.V., duplex.
xxij	A	Kal.	1	Remigii Episcopi et Confessoris, semid ad libitum vel simplex de praecepto.
xxj	b	vj	2	Angelorum Custodum, duplex.
xx	c	v	3	
xix	d	iv	4	Francisci Confessoris, duplex.
xviij	e	iij	5	Placidi et Sociorum Martyrum.
xvij	f	Prid.	6	Brunonis Confessoris, duplex.
xvj	g	Non.	7	Marci Papae et Confessoris. Commemoratio SS. Sergii etc. Martyrum.
xv	A	viij	8	Birgittae Viduae, duplex.
xiv	b	vij	9	Dionysii, etc. Martyrum, semiduplex.
xiij	c	vj	10	Francisci Borgia Confessoris, semid.
xij	d	v	11	
xj	e	iv	12	
x	f	iij	13	Eduardi Regis Confessoris, semiduplex.
ix	g	Prid.	14	Callisti Papae et Martyris, duplex.
viij	A	Idib.	15	Teresiae Virginis, duplex.
vij	b	xvij	16	
vj	c	xvj	17	Hedwigis Viduae, semiduplex.
v	d	xv	18	Lucae Evangelistae duplex.
iv	e	xiv	19	Petri de Alcantara Confessoris, duplex.
iij	f	xiij	20	Joannis Cantii Confessoris, duplex.
ij	g	xij	21	Hilarionis Abbatis. Commemoratio SS. Ursulae et Sociarum Virginum et Martyrum.
j	A	xj	22	
	b	x	23	
xxix	c	ix	24	
xxviij	d	viij	25	Chrysanthi et Dariae Martyrum.
xxvij	e	vij	26	Evaristi Papae et Martyris.
xxvj	f	vj	27	Vigilia.
xxv	g	v	28	Simonis et Judae Apostolorum dup.
xxiv	A	iv	29	
xxiij	b	iij	30	
xxij	c	Prid.	31	Vigilia.

C.E.	L.D.	D.M.	
xxj	d	Kal.	1 Festum Omnium Sanctorum, duplex.
xx	e	iv	2 Commemoratio omnium fidelium Defunctorum, duplex, et de Octava omnium Sanctorum.
xix	f	iij	3 De Octava.
xviij	g	Prid.	4 Caroli Episcopi Confessoris, duplex, cum Commemoratione Octavae et SS. Vitalis et Agricolae Martyrum.
xvij	A	Non.	5 De Octava.
xvj	b	viij	6 De Octava.
xv	c	vij	7 De Octava.
xiv	d	vj	8 Octava Omnium Sanctorum, duplex. Commemoratio SS. Quatuor Coronatorum Martyrum.
xiij	e	v	9 Dedicatio Basilicae SS. Salvatoris, dupl., et Comm. S. Theodori Martyris.
xij	f	iv	10 Andreae Avellini Confessoris, duplex, et Comm. S. Tryphonis, etc. Martyrum.
xj	g	iij	11 Martini Episcopi et Confessoris, duplex, et Commem. S. Mennae Martyris.
x	A	Prid.	12 Martini Papae et Martyris, semiduplex.
ix	b	Idib.	13 Didaci Confessoris, semiduplex.
viij	c	xviij	14
vij	d	xvij	15 Gertrudis Virginis, duplex.
vj	e	xvj	16
v	f	xv	17 Gregorii Thaumaturgi Episcopi, Confessoris, semiduplex.
iv	g	xiv	18 Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli, duplex.
iij	A	xiij	19 Elisabeth Viduae, duplex. Commemoratio S. Pontiani Papae et Martyris.
ij	b	xij	20 Felicis de Valois Confessoris, duplex.
j	c	xj	21 Praesentatio B.M.V., duplex.
*	d	x	22 Caeciliae Virginis et Martyris, duplex.
xxix	e	ix	23 Clementis Papae et Martyris, duplex, cum Commem. S. Felicitatis Martyris.
xxviij	f	viij	24 Joannis a Cruce Confessoris, duplex, cum Commem. S. Chrysogoni Martyris.
xxvij	g	vij	25 Catharinae Virginis et Martyris, duplex.
25. xxvj	A	vj	26 Petri Alexandrini Episcopi et Martyris.
xxv. xxiv	b	v	27
xxiij	c	iv	28
xxij	d	iij	29 Vigilia, et Commemoratio S. Saturnini Martyris.
xxj	e	Prid.	30 Andreae Apostoli, duplex.

December.

C.E	L.D.	D.M.	
xx	f	Kal.	1
xix	g	iv	2 Bibianae Virginis et Martyris, semid.
xviij	A	iij	3 Francisci Xaverii Confessoris, duplex.
xvij	b	Prid.	4 Petri Chrysologi Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex. Comm. S. Barbarae Virginis et Martyris.
xvj	c	Non.	5 Sabbae Abbatis, Commemoratio.
xv	d	viij	6 Nicolai Episcopi et Confessoris, duplex.
xiv	e	vij	7 Ambrosii Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
xiij	f	vj	8 Immac. Conceptio B. M. V., duplex.
xij	g	v	9 De Octava.
xj	A	iv	10 De Octava et Commemoratio Feriae et S. Melchiadis.
x	b	iij	11 Damasi Papae et Confessoris, semiduplex. Commemoratio Octavae et Feriae.
ix	c	Prid.	12 De Octava.
viij	d	Idib.	13 Luciae Virginis et Martyris, duplex. Commemoratio Octavae et Feriae.
vij	e	xix	14 De Octava.
vj	f	xviij	15 Octava Immaculatae Conceptionis, dupl. Commemoratio Feriae.
v	g	xvij	16 Eusebii Episcopi et Martyris, semidupl.
iv	A	xvj	17
iij	b	xv	18
ij	c	xiv	19
j	d	xiij	20 Vigilia.
*	e	xij	21 Thomae Apostoli, duplex.
xxix	f	xj	22
xxviij	g	x	23
xxvij	A	ix	24 Vigilia.
xxvj	b	viij	25 Nativitas D. N. J. C., duplex.
25. xxv	c	vij	26 Stephani Protomartyris, duplex. Commemoratio Octavae.
xxiv	d	vj	27 Joannis Apostoli et Evangelistae, duplex, cum Commem. Octavarum.
xxiij	e	v	28 SS. Innocentium, duplex, cum Commemoratione Octavarum.
xxij	f	iv	29 Thomae Cantuariensis Episc. et Mart., semiduplex. Commem. Octavarum.
xxj	g	iij	30 De Dominica infra Oct. Nativ. vel de Octava, cum Commem. aliarum Octav.
19. xx	A	Prid.	31 Silvestri Papae et Confessoris, duplex, cum Commemoratione Octavarum.

Haec Epacta 19 nigra nunquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum Aureo num. xix.

Duae Tabellae

EX RUBRICIS GENERALIBUS EXCERPTAE,

In quarum prima statim videri poterit, de quo celebrandum erit Officium, si plura eodem die Festa occurrant.

In secunda vero, quomodo Officium praecedens concurrat in Vesperis cum Officio sequentis diei.

Ex utraque Tabella hoc ordine reperietur quod quaeritur.

PRIMUM inveniatur numerus positus in quadrangulo illo, in quo Festa, de quibus est controversia, sibi invicem occurrunt: deinde legatur Regula juxta dictum numerum descripta, et ex ea clare videbitur quid sit agendum.

Exempli gratia: Quadrangulus, in quo sibi invicem occurrunt Duplex primae Classis, et Dominica primae Classis, erit qui est in angulo superiori primae Tabellae, in quo signatus est numerus 1, quia si ad eum tam Duplex, quam Dominica praedicta ex eorum locis recto tramite pergerent, in eo sibi invicem occurrerent. Regula autem juxta dictum numerum apposita sic habet: 1. Translatio de primo, Officium de secundo. Id est, Duplex primae Classis praedictum transferatur, et Officium fiat de Dominica primae Classis, quia cum in his regulis dicitur, de primo seu praecedenti, intelligitur de Festo in superiori parte Tabellae apposito, ut Duplex praedictum; cum de secundo vel sequenti, de Festo in inferiori parte sub numeris apposito, ut Dominica praedicta.

In aliquibus autem quadrangulis nullus appositus est numerus, vel quia nullus occursus, neque concursus esse potest, vel quia in propriis locis adnotatur in Breviario quid sit agendum.

Scire tamen oportet, quae sint Duplicia primae et secundae Classis et majora per annum, et quae Dominicae et Feriae majores dicantur.

DUPLICIA PRIMAE CLASSIS

In quibus nulla fit Commemoratio quorumcumque Festorum occurrentium, nisi prout supra in Rubricis.

Nativitas Domini.
Epiphania Domini.
Pascha Resurrectionis, cum tribus antecedentibus et duobus sequentibus diebus.
Ascensio Domini.
Pentecostes, cum duobus sequentibus diebus.
Festum Corporis Christi.
Assumptio B. Mariae Virginis.
Nativitas sancti Joannis Baptistae.
Festum sancti Joseph Sponsi B. Mariae Virginis.
Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli.
Festum Omnium Sanctorum.
Dedicatio propriae Ecclesiae.
Patronus vel Titulus Ecclesiae.

DUPLICIA
SECUNDAE CLASSIS,
In quibus de Simplicibus fit Commemoratio in Laudibus tantum.

Circumcisio Domini.
Festum SS. Nominis Jesu.
Festum SS. Trinitatis.
Festum pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.
Purificatio
Annuntiatio
Visitatio
Nativitas
Conceptio
} B. V. Mariae.
Dedicatio S. Michaelis Archangeli.
Natalitia undecim Apostolorum.
Festa Evangelistarum.
Festum sancti Stephani Protomartyris.
SS. Innocentium Martyrum.
Festum S. Laurentii, Mart.
Festum Patrocinii S. Joseph.
Inventio sanctae Crucis.

DOMINICAE MAJORES
dividuntur in duas Classes.

DOMINICAE I. CLASSIS
quae nunquam omittuntur:

Prima Adventus.
Prima Quadragesimae.
Passionis.
Palmarum.
Paschae.
In Albis.
Pentecostes.
Trinitatis.

DOMINICAE II. CLASSIS
Quae non omittuntur, nisi occurrente Patrono vel Titulari Ecclesiae, et ejusdem Dedicatione: et tunc de eis fit semper Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus;

Secunda
Tertia
Quarta
} Adventus
Septuagesimae.
Dominicae Sexagesimae.
Quinquagesimae.
Secunda
Tertia
Quarta
} Quadragesimae.

DUPLICIA MAJORA
PER ANNUM
Quae aliis Duplicibus minoribus praeferuntur:

Transfiguratio Domini.
Exaltatio sanctae Crucis.
SS. Cordis D. N. J. C.
Duo Festa VII. Dolorum.
Commem. B. M. V. de Monte Carmelo.
B. M. V. ad Nives.
Festum SS. Nominis B. M. V.
Festum B. M. V. de Mercede.
Solemnitas SS. Rosarii.
Praesentatio B. M. V.
Apparitio S. Michaelis Arch.
Decollatio S. Joan. Baptistae.
Cathedra S. Petri utraque.
Festum ejusdem ad vincula.
Conversio S. Pauli.
Festum S. Joannis ante Portam Latinam.
S. Barnabae Apostoli.
S. Joachim Patris B. M. V. Confessoris.
S. Annae Matris B. M. V.
Patronorum minus principalium.

FERIAE MAJORES,
de quibus semper fit Commemoratio:

Adventus.
Quadragesimae.
Quatuor Temporum.
Secunda Rogationum.

SI OCCURRAT EODEM DIE

Duplex 1. classis, et	6	4	0	6	2	4	6	2	2	8	4	4	1
Duplex 2. classis,	4	4	0	4	2	4	6	2	8	1	4	1	1
Duplex per annum,	4	4	0	4	2	1	4	8	1	1	4	1	1
Dies infra Octavam,	4	4	0	4	3	3	7	3	5	5	3	3	3
Dies Octavae,	4	4	0	4	2	7	4	2	3	3	4	3	3
Semiduplex,	4	4	0	4	8	1	4	1	1	1	1	1	1
Simplex,	3	3	3	0	3	3	3	3	3	5	3	3	3
Sancta Maria in Sabbato,	5	5	0	4	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Feria major,	6	0	6	4	3	3	3	3	3	3	0	0	0
Vigilia,	0	5	6	4	3	3	3	3	3	5	0	0	0
	Vigilia.	Feria major.	Sancta Maria in Sabbato.	Simplex.	Semiduplex.	Dies Octavae.	Dies infra Octavam.	Duplex per annum.	Duplex 2. classis.	Duplex 1. classis.	Dominica per annum.	Dominica 2. classis.	Dominica 1. classis.

1 Translatio de primo, Officium de secundo.

2 Officium de primo, translatio de secundo.

3 Commemoratio de primo, Officium de secundo.

4 Officium de primo, Commemoratio de secundo.

5 Nihil de primo, Officium de secundo.

6 Officium de primo, nihil de secundo.

7 Officium de digniori, Commemoratio de minus digno.

8 Officium de digniori, translatio de minus digno.

Notandum, quod Duplex quodcumque, etiam Patroni, et Tituli Ecclesiae, vel Dedicationis ejusdem, occurrens in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, in die Circumcisionis, in die Octava Epiphaniae, in Feria quarta Cinerum, ac in tota majori Hebdomada, et infra Octavas Paschae et Pentecostes, in Ascensione Domini, in Festo Corporis Christi, in Festo Assumpt. B. V., et Omnium Sanctorum, transfertur.

Infra Octavam Epiphaniae fit tantum de Patrono, vel Titulari Ecclesiae et ejusdem Dedicatione, cum Commemoratione Octavae : alia Festa transferuntur post Octavam.

Infra Oct. Corporis Christi, Semiduplex transfertur, neque fit de Duplici translato, et de ea, quocumque adveniente Duplici, fit Commemoratio.

Infra illas Octavas, in quibus fit de Festis occurrentibus, Semiduplex occurrens in Dominica, transfertur in proxime sequentem diem : quae si fuerit impedita alio simili Festo, transfertur post Octavam.

De Oct. Nativitatis Domini, Epiphaniae, et Corporis Christi, semper fit Commem., quocumque Festo in illis occurr.

De aliis Octavis, quae non sunt in Kalendario, nihil fit a Feria quarta Cinerum usque ad Dominicam in Albis, et a Vigilia Pentecostes usque ad Festum Trinitatis inclusive, et a die 17 Decembris usque ad Epiphaniam.

Dies Octavae nunquam transfertur ; ideo quamquam Nativitas S. Joannis Baptistae occurrens in die Corporis Christi, transferatur in diem sequentem : non tamen transfertur Octava, sed de ea fit tantum Commemoratio in Officio de Octava Corporis Christi.

Si occurrat, ut Patronus, vel Titulus Ecclesiae descriptus sit eodem die in Kalendario cum aliis Sanctis, in ea Ecclesia fit tantum de Patrono, vel Titulari, absque commemoratione aliorum. Qui si in dicto Kalendario descripti sint sub Officio Duplici, vel Semiduplici, transferuntur in primam diem simili Officio non impeditam; et de eis fiat Officium Semiduplex, nisi tamen sint de majoribus Festis, quia tunc de translato quoque fiet Officium Duplex, ac si proprio die celebraretur. Si vero in Kalendario omnes sint tamquam Festum Simplex, de illis nihil fit.

De Feriis Adventus et Quadragesimae, quando de eis non fit Officium, fit Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus cujuscumque Festi : de Quatuor Temporibus, et Feria secunda Rogationum, ac Vigiliis, in Laudibus tantum. Si vero aliqua Vigilia occurrat in Adventu, Quadragesima, et Quatuor Temporibus, vel in diebus Festorum Duplicium primae Classis, sive Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis Ecclesiae, de ea nihil fit, nec etiam in Laudibus.

QUANDO CONCURRIT

	Dominica quacumque.	Duplici primae classis.	Duplici secundae classis.	Patrono seu Titulo Ecclesiae.	Duplici per annum majore.	Duplici per annum minore.	Semiduplici.	Simplici.	Die Octavae.	Die infra Octavam.	Sancta Maria in Sabbato.
Dom. maj. seu 1. et 2. clas., cum	0	4	3	4	4	3	3	3	3	3	0
Dom. minor, seu per annum,	0	4	3	4	4	3	3	1	1	1	0
Duplex primae classis,	2	2	4	2	4	4	4	0	4	6	4
Duplex secundae classis,	4	4	4	4	4	4	4	3	6	3	4
Patronus, seu Titulus Eccl.,	2	2	4	2	4	4	4	0	4	0	4
Duplex per annum majus,	4	4	4	4	4	4	6	1	3	1	4
Duplex per annum minus,	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	4
Semiduplex,	4	5	3	4	5	3	3	1	1	1	5
Dies Octavae,	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	4
Dies infra Octavam,	0	0	3	4	5	3	3	1	1	1	5

1 Totum de sequenti, nihil de praecedenti.

2 Totum de praecedenti, nihil de sequenti.

3 Totum de sequenti, Commemoratio de praecedenti.

4 Totum de praecedenti, Commemoratio de sequenti.

5 Capitulum de sequenti, Commemoratio de praecedenti.

6 Totum de digniori, Commemoratio de minus digno.

Simplex, et S. Maria in Sabbato, Feria, et Vigilia non concurrunt.

Notandum, quod in primis Vesperis diei Octavae Ascensionis et Corporis Christi, totum Officium fit de Octava, cum Commemoratione praecedentis Festi Duplicis, nisi fuerit Festum solemne principale, vel primae vel secundae Classis, quia tunc de Festo fieret Officium, et Commem. de Oct.

In secundis Vesperis diei Octavae Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, et Corporis Christi, de sequenti Duplici fit tantum Commemoratio, nisi illud fuerit primae, vel secundae Classis, seu Patronus, vel Titulus, aut Dedicatio Ecclesiae: quia tunc de Festo fieret Officium, et de Octava Commemoratio. Et similiter die Octava Corporis Christi in secundis Vesperis concurrente cum die Octava sancti Joannis Baptistae, Vesperae erunt de Octava Corporis Christi cum Commemoratione Octavae S. Joannis.

In secundis Vesperis Duplicis secundae Classis non fit Commemoratio de die infra Octavam, nisi quando de ea fieri debeat Officium die sequenti.

Cum plures fiunt Commemorationes, servetur hic ordo. De Duplici, de Dominica, de Semiduplici, de die infra Oct. de Fer. majori, seu Vigilia, de S. Maria in Sabb., de Simplici.

Absolutiones et Benedictiones

DICENDAE ANTE LECTIONES IN OFFICIO NOVEM ET TRIUM LECTIONUM.

IN I. NOCTURNO, et pro ii. et v. Feria.

Absolutio.

EXAUDI, Dómine Jesu Christe, preces servórum tuórum, et miserére nobis: qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas in saecula saeculórum. ℟. Amen.

Benedictiones.

1. Benedictióne perpétua benedícat nos Pater aetérnus. ℟. Amen.

2. Unigénitus Dei Filius, nos benedícere et adjuváre dignétur.

3. Spíritus Sancti grátia illúminet sensus et corda nostra.

IN II. NOCTURNO, et pro iii. et vi. Feria

Absolutio.

IPSIUS píetas et misericórdia nos ádjuvet, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculórum. ℟. Amen.

Benedictiones.

4. Deus Pater omnípotens sit nobis propítius et clemens. ℟. Amen.

5. Christus perpétuae det nobis gáudia vitae.

6. Ignem sui amóris accéndat Deus in córdibus nostris.

IN III. NOCTURNO, et pro Feria iv. et Sabbato.

Absolutio,

A VINCULIS peccatórum nostrórum absólvat nos omnípotens et misércors Dóminus. ℟. Amen.

Benedictiones.

7. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

8. Divínum auxílium máneat semper nobíscum.

9. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex Angelórum.

Si Officium fit de Sancto novem Lectionum, octava Benedictio erit:

Cujus festum cólimus, ipse (vel ipsa) intercédat pro nobis ad Dóminum.

Quando sunt plures, dicitur

Quorum vel quarum) festum cólimus, ipsi vel ipsae intercédant pro nobis ad Dóminum.

Si Officium fit de S. Maria, viii. Benedictio erit:

Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dñum.

Si in ultima Lectione legendum sit aliud Evangelium cum Homilia, nona Benedictio erit:

Per evangélica dicta deleántur nostra delícta.

In Officio trium Lectionum dicuntur Absolutiones et Benedictiones praedictae ordine superius in Rubricis generalibus, et in I. Dominica de Adventu descripto: et in eo, quando non legitur Homilia cum Evangelio, et Benedictiones sumendae sunt ex tertio Nocturno, prima Benedictio dicitur:

1. Ille nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat.
2. Divínum auxílium.
3. Ad societátem.

In Off. iii. Lect., quando legitur Hom. cum Evang., prima Benedictio erit:

1. Evangélica léctio.
2. Divínum auxílium.
3. Ad societátem.

Si Officium fit de Sancto trium Lectionum, prima Benedictio erit:

1. Ille nos benedícat qui sine fine vivit et regnat.
2. Cujus vel Quorum.
3. Ad societátem.

In Officio de S. Maria in Sabbato, Absolutio et Benedictiones quae ibidem ponuntur.

Oratio

DICENDA ANTE DIVINUM OFFICIUM.

APERI, Dómine, os meum ad benedicéndum nomen sanctum tuum: munda quoque cor meum ab ómnibus vanis, pervérsis et aliénis cogitatiónibus: intelléctum illúmina, affléctum inflámma, ut digne, atténte ac devóte hoc Officium recitáre váleam, et exaudíri mérear ante conspéctum divínae Majestátis tuae. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Dómine, in unióne illíus divínae intentiónis qua ipse in terris laudes Deo persolvísti, has tibi Horas persólvo.

Oratio

DICENDA POST DIVINUM OFFICIUM.

Orationem sequentem devote post Officium recitantibus, Leo Papa X. defectus et culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas indulsit : et dicitur flexis genibus.

SACROSANCTAE et indivíduae Trinitáti, crucifíxi Dómini nostri Jesu Christi humanitáti, beatíssimae et gloriosíssimae sempérque vírginis Maríae fecúndae integritáti, et ómnium Sanctórum universitáti, sit sempitérna laus, honor, virtus et glória, ab omni creatúra, nobísque remíssio ómnium peccatórum per infínita saecula saeculórum. ℟. Amen.

℣. Beáta víscera Maríae Vírginis, quae portavérunt aetérni Patris Fílium. ℟. Et beáta úbera quae lactavérunt Christum Dóminum.

Pater noster. Ave, María.

Psalterium.

In conspectu angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Psalterium

DISPOSITUM

PER HEBDOMADAM

CUM ORDINARIO OFFICII DE TEMPORE.

PARS ÆSTIVA.

DOMINICA

AD MATUTINUM.

Ante Matutinum, et omnes Horas, praeterquam ad Completorium, dicitur secreto:

PATER noster, qui es in coelis, sanctificétur nomen tuum. Advéniat regnum tuum. Fiat volúntas tua, sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie. Et dimitte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Et ne nos indúcas in tentatiónem: sed líbera nos a malo. Amen.

AVE María, grátia plena, Dñus tecum: benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui Jesus. Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

In principio Matutini, et Primae, ac in fine Completorii, dicitur etiam Symbolum Apostolorum.

CREDO in Deum, Patrem omnipoténtem, Creatórem coeli et terrae. Et in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dñum nostrum, qui concéptus est de Spíritu Sancto, natus ex María Vírgine, passus sub Póntio Piláto, crucifíxus,

mórtuus, et sepúltus : descéndit ad ínferos: tértia die resurréxit a mórtuis : ascéndit ad coelos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis : inde ventúrus est judicáre vivos et mórtuos. Credo in Spíritum Sanctum, Sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórũ communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam aetérnam. Amen.

Deinde clara voce dicitur: ℣. DOMINE, lábia mea apéries. ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dñe, ad adjuvándum me festina.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto : Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in saecula saeculórum. Amen. Allelúia.

Sic dicitur Allelúia, ad omnes Horas per Annum.

Invitatorium sequens dicitur ab Octava Pentecostes usque ad Adventum.

Invitatorium. **Adorémus Dóminum,** * **Qui fecit nos.**

Repetitur : **Adorémus Dóminum, qui fecit nos.**

Psalmus xciv.

GENITE, exultémus Dño, jubilémus Deo salutári nostro : praeoccupémus fáciem ejus in confessióne, et in psalmis jubilémus ei.

Adorémus Dóminum, qui fecit nos.

Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos: quóniam non repéllet Dñus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terrae, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Qui fecit nos.

Quóniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus ejus: veníte, adorémus, et procidámus ante Deum : plorémus coram Dño, qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster : nos autem pópulus ejus, et oves páscuae ejus.

Adorémus Dóminum, qui fecit nos.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto : ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt et vidérunt ópera mea.

Qui fecit nos.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, et dixi : Semper hi errant corde : ipsi vero non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in ira mea, si introíbunt in réquiem meam.

Adorémus Dóminum, qui fecit nos.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto: Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in saecula saeculórum. Amen.

Qui fecit nos.

Adorémus Dóminum, qui fecit nos.

Sequens Hymnus dicitur ab Octava Pentecostes usque ad Dominicam proximiorem Kalendis Octobris.

Hymnus.

DOCTE surgéntes vigilémus omnes,
Semper in psalmis meditémur, atque
Voce concórdi Dómino canámus
Dúlciter hymnos;
Ut pio Regi páriter canéntes,
Cum suis Sanctis mereámur aulam
Ingredi coeli, simul et perénnem
Dúcere vitam.
Praestet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Per Annum, Antiphona.

Servíte Dómino.

Asteriscus * notat pausam cantus in choro.

Psalmus i.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestilentiae non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo:

Et fólium ejus non défluet: * et ómnia quaecúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem própjicit ventus a fácie terrae.

Ideo non resúrgent ímpii in judício: * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum: * et iter impiórum períbit.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui Sancto:

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in saecula saeculórum. Amen.

Hic versus Glória semper dicitur in fine omnium Psalmorum nisi aliter notetur.

Psalmus ii.

QUARE fremuérunt Gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terrae, et príncipes convenérunt in unum, * advérsus Dóminum et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum: * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in coelis, irridébit eos: * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praecéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes haereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terrae.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas figuli confríges eos.

Et nunc reges intelligite: * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Psalmus iii.

DOMINE, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimae meae: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dñe, suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum: * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peecatórum contrivísti.

Dómini est salus: * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Psalmus vi.

DOMINE, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum: * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde: * sed tu, Dómine, úsquequo?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui:* in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum : * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me omnes, qui operámini iniquitátē : * quóniam exaudívit Dñus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant, et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei:* convertántur, et erubéscant valde velóciter.

Per Annum, Añ. Servíte Dómino in timóre, et exultáte ei cum tremóre.

Añ. Deus judex justus.

Psalmus vii.

DOMINE Deus meus, in te sperávi : * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, et líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam,* dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud,* si est iníquitas in mánibus meis :

Si réddidi retribuéntibus mihi mala,* décidam mérito ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam, et comprehéndat, et concúlcet in terra vitam meam,* et glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exúrge, Dñe, in ira tua: * et exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exúrge, Dómine Deus meus, in praecépto quod mandásti : * et synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere : * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me, Dómine, secúndum justítiam meam, * et secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, et díriges justum, * scrutans corda et renes Deus.

Justum adjutórium meum a Dómino,* qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus, fortis, et pátiens : * numquid irascitur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit : * arcum suum teténdit, et parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis, * sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam : * concépit dolórem, et péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, et effódit eum: * et incidit in fóveam, quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus: * et in vérticem ipsíus iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dño secúndum justítiã ejus: * et psallam nómini Dñi altíssimi.

Psalmus viii.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Quóniã eleváta est magnificéntia tua, * super coelos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quae tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus ? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : insuper et pécora campi.

Vólucres coeli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dñe Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Psalmus ix.

CONFITEBOR tibi, Dñe, in toto corde meo : * narrábo ómnia mirabilia tua.

Laetábor et exultábo in te : * psallam nómini tuo, Altíssime.

In converténdo inimícum meum retrórsum: * infirmabúntur, et períbunt a fácie tua.

Quóniam fecísti judícium meum et causam meam : * sedísti super thronum qui júdicas justítiam.

Increpásti Gentes, et périit ímpius : * nomen eórum delésti in aetérnum, et in saeculum saeculi.

Inimici defecérunt frámeae in finem: * et civitátes eórum destruxísti.

Périit memória eórum cum sonitu : * et Dóminus in aetérnum pérmanet.

Parávit in judício thronum suum : * et ipse judicábit orbem terrae in aequitáte, judicábit pópulos in justítia.

Et factus est Dñus refúgium páuperi : * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et sperent in te, qui novérunt nomen tuum : *

quóniam non dereliquísti quaeréntes te, Dómine.

Psállite Dño, qui hábitat in Sion : * annuntiáte inter Gentes stúdia ejus :

Quóniam requírens sánguinem eórum recordátus est : * non est oblítus clamórem páuperum.

Miserére mei, Dómine: * vide humilitátem meam de inimícis meis.

Qui exáltas me de portis mortis, * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis filiae Sion.

Exultábo in salutári tuo:* infíxae sunt Gentes in intéritu, quem fecérunt.

In láqueo isto, quem abscondérunt, * comprehénsus est pes eórum.

Cognoscétur Dñus judícia fáciens : * in opéribus mánuum suárum comprehénsus est peccátor.

Convertántur peccatóres in infernũ, * omnes Gentes quae obliviscúntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit páuperis : * patiéntia páuperum non períbit in finem.

Exúrge, Dñe, non confortétur homo : * judicéntur Gentes in conspéctu tuo.

Constítue, Dómine, legislatórem super eos : * ut sciant Gentes quóniam hómines sunt.

Ut quid, Dómine, recessísti longe, * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum supérbit ímpius, incénditur pauper : * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimae suae : * et iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor . * secúndum multitúdinem irae suae non quaeret.

Non est Deus in conspéctu ejus : * inquinátae sunt viae illíus in omni témpore.

Auferúntur judícia tua a fácie ejus : * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo:* Non movébor a generatióne in generatiónem sine malo.

Cujus maledictióne os plenum est, et amaritúdine, et dolo : * sub lingua ejus labor et dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occúltis, * ut interfíciat innocéntem.

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * insidiátur in abscóndito, quasi leo in spelúnca sua.

Insidiátur ut rápiat páuperem : * rápere páuperem, dum áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum, * inclinábit se, et cadet cum dominátus fúerit páuperum.

Dixit enim in corde suo: Oblítus est Deus: * avértit fáciem suam, ne vídeat in finem.

Exúrge, Dómine Deus, exaltétur manus tua: * ne obliviscáris páuperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde suo: Non requíret.

Vides quóniam tu labórem et dolórem consideras: * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus est pauper: * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris et malígni: * quaerétur peccátum illíus, et non inveniétur.

Dóminus regnábit in aetérnum, et in saeculum saeculi: * peribitis Gentes de terra illíus.

Desidérium páuperum exaudívit Dóminus: * praeparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

Judicáre pupíllo et húmili, * ut non appónat ultra magnificáre se homo super terram.

Psalmus x.

IN Dómino confído: quómodo dícitis ánimae meae: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quae perfecísti, destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dñus in templo sancto suo, * Dóminus in coelo sedes ejus:

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * pálpebrae ejus interrogant filios hóminum.

Dñus interrogat justum et ímpium: * qui autem diligit iniquitátem odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias diléxit: * aequitátem vidit vultus ejus.

Per Annum, Añ. Deus judex justus, fortis, et longánimis: numquid irascétur per síngulos dies?

Añ. Tu Dómine.

Psalmus xi.

SALVUM me fac, Dñe, quóniam defécit sanctus: * quóniam diminútae sunt veritátes a fíliis hóminum.

Vana locúti sunt unusquísque ad próximum suum: * lábia dolósa, in corde et corde locúti sunt.

Dispérdat Dóminus univérsa lábia dolósa, * et linguam magníloquam.

Qui dixérunt: Linguam nostram magnificábimus,

lábia nostra a nobis sunt, * quis noster Dóminus est?

Propter misériam ínopũ, et gémitum páuperum * nunc exúrgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári : * fiduciáliter agam in eo :

Elóquia Dómini, elóquia casta: * argéntum igne examinátum, probátum terrae purgátum séptuplum.

Tu, Dñe, servábis nos : et custódies nos * a generatióne hac in aetérnum.

In circúitu ímpii ámbulant : * secúndum altitúdinem tuam multiplicásti fílios hóminum.

Psalmus xii.

USQUEQUO, Dñe, obliviscéris me in finem? * Usquequo avértis fáciem tuam a me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Usquequo exaltábitur inimícus meus super me? * réspice, et exáudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte : * nequándo dicat inimícus meus : Praeválui advérsus eum.

Qui tríbulant me, exultábunt si motus fúero : * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exultábit cor meum in salutári tuo : cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi : * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Psalmus xiii.

DIXIT insípiens in corde suo : * Non est Deus.

Corrúpti sunt, et abominábiles facti sunt in stúdiis suis : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Dñus de coelo prospéxit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Sepúlchrum patens est guttur eórum : linguis suis dolóse agébant, * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Quorum os maledictióne et amaritúdine plenum est : * velóces pedes eórum ad effundéndum sánguinem.

Contrítio et infelícitas in viis eórum, et viam pacis non cognovérunt : * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognóscent omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam sicut escam panis?

Dóminum non invocavérunt, * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dñus in generatióne justa est, consílium ínopis confudístis : * quóniam Dóminus spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutáre Israël ? * cum avérterit Dóminus captivitátem plebis suae, exultábit Jacob, et laetábitur Israël.

Psalmus xiv.

DOMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo ? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo ?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit haec, * non movébitur in aetérnum.

Per Annum, Añ. Tu, Dómine, servábis nos, et custódies nos.

℣. Memor fui nocte nóminis tui, Dómine. ℟. Et custodívi legem tuam.

Post Versículum cujuslibet Nocturni dicitur Pater noster secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutio.

EXAUDI, Dñe Jesu Christe, preces servórum tuórum, et miserére nobis, qui cum Patre et Spíritu Sancto, vivis et regnas in saecula saeculórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere.

Benedictio. Benedictióne perpétua benedícat nos Pater aetérnus. ℟. Amen.

Deinde leguntur Lectiones cum Responsoriis, ut in Proprio de Tempore assignantur.

Pro secunda Lectione.

Bened. Unigénitus Dei Fílius nos benedícere et adjuváre dignétur. ℟. Amen.

Pro tertia Lectione.

Bened. Spíritus Sancti grátia illúminet sensus et corda nostra. ℟. Amen.

IN II. NOCTURNO.

Per Annum, Añ. Bonórum meórum.

Psalmus xv.

CONSERVA me, Dñe, quóniam sperávi in te. * Dixi Dño : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus,* mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátae sunt infirmitátes eórum: * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars haereditátis meae, et cálicis mei : * tu es, qui restítues haereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in praecláris : * étenim haereditas mea praeclára est mihi.

Benedícam Dñum, qui tríbuit mihi intellectum : * insuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc laetátum est cor meum, et exultávit lingua mea : * insuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno: * nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitae, adimplébis me laetítia cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Per Annum, Añ. Bonórum meórum non índiges, in te sperávi, consérva me, Dómine.

Añ. Propter verba.

Psalmus xvi.

EXAUDI, Dómine, justítiam meam : * inténde deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam,* non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meum pródeat : *óculi tui vídeant aequitátes.

Probásti cor meum, et visitásti nocte : * igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum : * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis : * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus : * inclína aurem tuam mihi, et exáudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperántes in te.

A resisténtibus déxterae tuae custódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me : * a fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimã meam circumdedérunt, ádipem

suum conclusérunt : * os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me : * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad praedam : * et sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exúrge, Dómine, praeveni eum, et supplánta eum : * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manus tuae.

Dñe, a paucis de terra dívide eos in vita eórum : * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis : * et dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo : * satiábor cum apparúerit glória tua.

Per Annum, Antiphona. Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Aña. Diligam te.

Et non repetitur in Psalmo : quod semper fit, quando Antiphona incipit a primo Versu Psalmi, et Psalmus tunc incipitur ab eo verbo, in quo desinit Antiphona, sive integra dicatur, sive tantum inchoata, si tamen eadem sint verba, et continuetur Antiphona cum Psalmo.

Psalmus xvii.

DILIGAM te, Dñe, fortitúdo mea : * Dñus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus.

Deus meus adjútor meus, * et sperábo in eum.

Protéctor meus, et cornu salútis meae, * et susceptor meus.

Laudans invocábo Dóminum : * et ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis : * et torrénte iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inférni circumdedérunt me : * praeoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum, * et ad Deum meum clamávi :

Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam : * et clamor meus in conspéctu ejus, introívit in aures ejus.

Commóta est, et contrémuit terra : * fundaménta móntium conturbáta sunt, et commóta sunt, quóniam irátus est eis.

Ascéndit fumus in ira ejus : et ignis a fácie ejus exársit : * carbónes succénsi sunt ab eo.

Inclinávit coelos, et descéndit : * et calígo sub pédibus ejus.

Et ascéndit super Chérubim, et volávit: * volávit super pennas ventórum.

Et pósuit ténebras latíbulum suum, in circúitu ejus tabernáculum ejus: * tenebrósa aqua in núbibus áeris.

Prae fulgóre in conspéctu ejus nubes transiérunt,* grando et carbónes ignis.

Et intónuit de coelo Dóminus, et Altíssimus dedit vocem suam: * grando et carbónes ignis.

Et misit sagíttas suas, et dissipávit eos: * fúlgura multiplicávit, et conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * et revelàta sunt fundaménta orbis terrárum.

Ab increpatióne tua, Dómine, * ab inspiratióne spíritus irae tuae.

Misit de summo, et accépit me: * et assúmpsit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, et ab iis qui odérunt me: * quóniam confortáti sunt super me.

Praevenérunt me in die afflictiónis meae: * et factus est Dñus protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem: * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dñus secúndum justítiam meam,* et secúndum puritátem mánuum meárum retríbuet mihi:

Quia custodívi vias Dñi,* nec ímpie gessi a Deo meo.

Quóniam ómnia judícia ejus in conspéctu meo: * et justítias ejus non répuli a me.

Et ero immaculátus cum eo ℣* et observábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndum justítiam meam: * et secúndum puritátem mánuum meárum in conspéctu oculórum ejus.

Cum sancto sanctus eris,* et cum viro innocénte innocens eris:

Et cum elécto eléctus eris: * et cum pervérso pervertéris.

Quóniam tu pópulũ húmilẽ salvum fácies: * et óculos superbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam, Dómine: * Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar a tentatióne,* et in Deo meo transgrédiar murum.

Deus meus impollúta via ejus: elóquia Dómini igne examináta: * protéctor est ómnium sperántium in se.

Quóniam quis Deus praeter Dñum? * aut quis Deus praeter Deum nostrum?

Deus qui praecínxit me virtúte: * et pósuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos tamquam cervórum, * et super excélsa státuens me.

Qui docet manus meas ad praelium : * et posuísti, ut arcum aereum, bráchia mea.

Et dedísti mihi protectiónem salútis tuae : * et déxtera tua suscépit me :

Et disciplína tua corréxit me in finem: * et disciplína tua ipsa me docébit.

Dilatásti gressus meos subtus me : * et non sunt infirmáta vestígia mea :

Pérsequar inimícos meos, et comprehéndam illos:* et non convértar, donec defíciant.

Confríngam illos, nec póterunt stare : * cadent subtus pedes meos.

Et praecinxísti me virtúte ad bellum:* et supplantásti insurgéntes in me subtus me.

Et inimícos meos dedísti mihi dorsum,* et odiéntes me disperdidísti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret, ad Dóminum:* nec exaudívit eos.

Et commínuam eos, ut púlverem ante fáciem venti : * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli : * constítues me in caput Géntium.

Pópulus, quem non cognóvi, servívit mihi:* in auditu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti sunt mihi, * fílii aliéni inveteráti sunt, et claudicavérunt a sémitis suis.

Vivit Dóminus, et benedíctus Deus meus, * et exaltétur Deus salútis meae.

Deus, qui das vindictas mihi, et subdis pópulos sub me,* liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me : * a viro iníquo erípies me.

Proptérea confitébor tibi in natiónibus, Dómine : * et nómini tuo psalmum dicam.

Magníficans salútes Regis ejus, et fáciens misericórdiam christo suo David,* et sémini ejus usque in saeculum.

Per Annum, Ana. Díligam te, Dómine, virtus mea.

℣. Quóniam tu illúminas lucérnam meam, Dómine. ℟. Deus meus, illúmina ténebras meas.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutio.

IPSIUS piétas et misericórdia nos ádjuvet, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere.

Bened. Deus Pater omnípotens sit nobis propítius et clemens. ℟. Amen.

Pro quinta Lectione.

Bened. Christus perpétuae det nobis gáudia vitae. ℟. Amen.

Pro sexta Lectione.

Bened. Ignem sui amóris accéndat Deus in córdibus nostris. ℟. Amen.

IN III. NOCTURNO.

Per Annum, Ána. Non sunt loquélae.

Psalmus xviii.

OELI enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélae, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terrae verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo coelo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas : * testimónium Dñi fidéle, sapiéntiam praestans párvulis.

Justítiae Dómini rectae, laetificántes corda : * praecéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in saeculum saeculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint dominánti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

Per Annum, Ána. Non sunt loquélae, neque sermónes, quorum non audiántur voces eórum.

Ána. Exáudiat.

Psalmus xix.

EXAUDIAT te Dñus in die tribulatiónis : * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto : * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui : * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum: * et omne consílium tuum confírmet.

Laetábimur in salutári tuo: * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dñus omnes petitiónes tuas: * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dñus Christum suum.

Exáudiet illum de coelo sancto suo: * in potentátibus salus déxterae ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis: * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt: * nos autem surréximus, et erécti sumus.

Dñe, salvum fac regem: * et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Per Annum, Ana. Exáudiat te Dóminus, in die tribulatiónis.

Antiphona. Dómine.

Psalmus xx.

DOMINE, in virtúte tua laetábitur rex: * et super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei: * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te: * et tribuísti ei longitúdinem diérum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in saeculum saeculi: * laetificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dño: * et in misericórdia Altíssimi, non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes: * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala: * cogitavérunt consília, quae non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis praeparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Per Annum, Ana. Dómine, in virtúte tua laetábitur rex.

℣. Exaltáre, Dómine, in virtúte tua. ℟. Cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutio.

A VINCULIS peccatórum nostrórum absólvat nos omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere.

Bened. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

Pro octava Lectione.

Bened. Divínum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

Pro nona Lectione.

Bened. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex Angelórum. ℟. Amen.

Sequens Hymnus semper dicitur post ultimam Lectionem in omnibus Dominicis et Festis tantum : in feriali Officio non dicitur, sed ejus loco ponitur nonum aut tertium Responsorium.

Hymnus.

SS. Ambrosii et Augustini.

TE Deum laudámus : te Dóminum confitémur :

Te aetérnum Patrem omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, tibi Coeli, et univérsae Potestátes,

Tibi Chérubim et Séraphim, incessábili voce proclámant :

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt coeli et terra majestátis glóriae tuae.

Te gloriósus Apostolórum chorus,

Te Prophetárum laudábilis número,

Te Mártyrum candidátus laudat exércitus.

Te per orbem terrárum sancta confitétur Ecclésia,

Patrem imménsae majestátis,

Venerándum tuum verum et únicum Fílium,

Sanctum quoque Paráclitum Spíritum.

Tu Rex glóriae, Christe.

Tu Patris sempitérnus es Fílius.

Tu, ad liberándum suscepturus hóminem, non horruísti Vírginis úterum.

Tu, devícto mortis acúleo, aperuísti credéntibus regna coelórum.

Tu ad déxteram Dei sedes, in glória Patris.

Judex créderis esse ventúrus.

Te ergo quaesumus, tuis fámulis súbveni: quos pretióso sánguine redemísti.

Ætérna fac cum sanctis tuis in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic haereditáti tuae.

Et rege eos, et extólle illos usque in aetérnum.

Per singulos dies benedícimus te.

Et laudámus nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Dignáre, Dñe, die isto sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri, Dómine: miserére nostri.

Fiat misericórdia tua, Dñe, super nos, quemádmodum sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi: non confúndar in aetérnum.

AD LAUDES.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in saecula saeculórum. Amen. Allelúia.

Ab Octava Pentecostes usque ad Adventum.

Añia. Allelúia.

Psalmus xcii.

DOMINUS regnávit, decórem indútus est: * indútus est Dóminus fortitúdinem, et praecínxit se.

Etenim firmávit orbem terrae, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc: * a saeculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine: * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * a vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris, * mirábilis in altis Dñus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo, Dñe, in longitúdinem diérum.

Psalmus xcix.

JUBILATE Deo omnis terra: * servíte Dómino in laetítia.

Introíte in conspéctu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus: * ipse fecit nos, et non ipsi nos:

Pópulus ejus, et oves páscuae ejus: * introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis: confitémini illi.

Laudáte nomen ejus: quóniam suávis est Dóminus, in aetérnum misericórdia ejus, * et usque in generatiónem et generatiónem véritas ejus.

Psalmus lxii.

DEUS, Deus meus, ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta, et ínvia, et inaquósa: * sic in sancto appárui tibi, ut vidérem

virtútem tuam, et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas : * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea : * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea : * et lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditábor in te : * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo, adhaesit ánima mea post te : * me suscépit déxtera tua.

Ipsi vero in vanum quaesiérunt ánimam meam, introíbunt in inferióra terrae:* tradéntur in manus gládii, partes súlpium erunt.

Rex vero laetábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo : * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus lxvi.

DEUS misereátur nostri, et benedícat nobis : * illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam : * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus : * confiteántur tibi pópuli omnes.

Laeténtur et exúltent gentes : * quóniam júdicas pópulos in aequitáte, et gentes in terra dirigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus : confiteántur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus : * et métuant eum omnes fines terrae.

Glória Patri, etc.

Per Annum, Ańa. Alleluia, allelúia.

Antiphona. Tres púeri.

Canticum trium puerorum. *Danielis* iii. *e.*

BENEDICITE ómnia ópera Dómini Dño: * laudáte et superexaltáte eum in saecula.

Benedícite Angeli Dómini Dño : * benedícite coeli Dómino.

Benedícite aquae omnes, quae super coelos sunt, Dómino:*benedícite omnes virtútes Dómini Dómino.

Benedícite sol et luna Dómino:* benedícite stellae coeli Dómino.

Benedícite omnis imber et ros Dómino : * benedícite omnes spíritus Dei Dómino.

Benedícite ignis et aestus Dómino:* benedícite frigus et aestus Dómino.

Benedícite rores et pruína Dómino : * benedícite gelu et frigus Dómino.

Benedícite glácies et nives Dómino : * benedícite noctes et dies Dómino.

Benedícite lux et ténebrae Dómino : * benedícite fúlgura et nubes Dómino.

Benedícat terra Dóminum : * laudet et superexáltet eum in saecula.

Benedícite montes et colles Dómino : * benedícite univérsa germinántia in terra Dómino.

Benedícite fontes Dómino : * benedícite mária et flúmina Dómino.

Benedícite cete et ómnia, quae movéntur in aquis, Dómino : * benedícite omnes vólucres coeli Dómino.

Benedícite omnes béstiae et pécora Dómino : * benedícite fílii hóminum Dómino.

Benedícat Israël Dóminum : * laudet et superexáltet eum in saecula.

Benedícite sacerdótes Dómini Dómino : * benedícite servi Dómini Dómino.

Benedícite spíritus, et ánimae justórum Dño : * benedícite sancti, et húmiles corde Dómino.

Benedícite Anania, Azaría, Misaël Dómino : * laudáte et superexaltáte eum in saecula.

Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu : * laudémus et superexaltémus eum in saecula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto coeli : * et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in saecula.

Hic non dicitur Glória Patri, neque Amen; in aliis Canticis dicuntur.

Per Annum, Añа. Tres púeri jussu regis in fornácem missi sunt, non timéntes flammam ignis, dicéntes: Benedíctus Deus.

Antiphona. Allelúia.

Psalmus cxlviii.

LAUDATE Dñum de coelis : * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus : * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol et luna : * laudáte eum omnes stellae, et lumen.

Laudáte eum coeli coelórum : * et aquae omnes, quae super coelos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in aetérnum, et in saeculum saeculi : * praecéptum pósuit, et non praeteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum : * quae fáciunt verbum ejus.

Montes, et omnes colles:* ligna fructífera, et omnes cedri :

Béstiae, et univérsa pécora : * serpéntes, et vólucres pennátae :

Reges terrae, et omnes pópuli : * príncipes, et omnes júdices terrae.

Júvenes, et vírgines : senes cum junióribus laudent nomen Dómini : * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super coelum et terram : * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus : * fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

Hic non dic. Glória Patri.

Psalmus cxlix.

CANTATE Dño cánticum novum : * laus ejus in Ecclésia sanctórum.

Laetétur Israël in eo, qui fecit eum : * et fílii Sion exúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympano, et psaltério psallant ei :

Quia beneplácitū est Dño in pópulo suo : * et exaltábit mansuétos in salútem.

Exultábunt sancti in glória : * laetabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gúture eórum : * et gládii ancípites in mánibus eórum :

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus : * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus : * et nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum : * glória haec est ómnibus sanctis ejus.

Hic non dic. Glória Patri.

Psalmus cl.

LAUDATE Dñum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinē magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono túbae : * laudáte eum in psaltério, et cíthara.

Laudáte eum in tympano, et choro : * laudáte eum in chordis, et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus : laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Glória Patri, etc.

Per Annum, Añ. Allelúia, allelúia, allelúia.

Sequens Capitulum dicitur in Dominicis, a Dominica tertia post Pentecosten usque ad Adventum.

Capitulum. *Apoc.* vii. *c.*

BENEDICTIO, et cláritas, et sapiéntia, et gratiárum áctio, honor, virtus, et fortitúdo Deo nostro in saecula saeculórum. Amen. ℟. Deo grátias.

Sic respondetur in fine omnium Capitulorum.

Hymnus.

ECCE jam noctis tenuátur umbra,
Lux et aurórae rútilans corúscat :
Súpplices rerum Dóminum canóra
Voce precémur.
Utreosculpae miserátus, omnem
Pellat angórem, tríbuat salútem,
Donet et nobis bona sempitérnae
Múnera pacis.
Praestet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem.
Glória mundum.
Amen.

Per Annum, ℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et praecínxit se virtúte.

Canticum Zachariae.
Luc. i. *g.*

BENEDICTUS Dñus Deus Israël, * quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis suae :
Et eréxit cornu salútis nobis : * in domo David púeri sui.
Sicut locútus est per os sanctórum, * qui a saeculo sunt, prophetárum ejus :
Salútem ex inimícis nostris, * et de manu ómnium, qui odérunt nos :
Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris : * et memorári testaménti sui sancti.
Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis :
Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.
In sanctitáte, et justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.
Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis : * praeíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus :
Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus : * in remissiónem peccatórum eórum :
Per víscera misericórdiae Dei nostri : * in quibus visitávit nos, óriens ex alto :
Illumináre his, qui in ténebris, et in umbra mortis sedent : * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.
Glória Patri, etc.

Deinde dicitur Antiphona et Oratio propria, et post eam, si occurrat eo die aliquod Festum Simplex, fit de eo Commemoratio. Postremo (si id tempus requirit) fiunt Commemorationes de S. Maria, de S. Joseph, de Apostolis, et de Patrono Ecclesiae in ordine aliarum Commemo-

rationum secundum illius dignitatem, et ultimo loco de Pace, ut infra in Vesperis Sabbati.

In fine, si discedendum sit a Chóro, dicitur Antiphona Salve Regína, ut habetur infra post Completorium.

DOMINICA

AD PRIMAM.

Pater noster. Ave María. Credo. ℣. Deus, in adjutórium, ut supra. 18.

Hymnus.

JAM lucis orto sídere
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refraenans témperet,
Ne litis horror ínsonet :
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia :
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.

Ut, cum dies abscésserit,
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne saeculum. Ámen.

In Dominicis per Annum, Antiphona. Allelúia.

Psalmus liii.

DEUS in nómine tuo salvum me fac : * et in virtúte tua júdica me.

Deus, exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me, et fortes quaesiérunt ánimam meam : * et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me : * et Dóminus suscéptor est ánimae meae.

Avérte mala inimícis meis : * et in veritáte tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi, * et confitébor nómini tuo, Dómine : quóniam bonum est :

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me : * et super inimícos meos despéxit óculus meus.

Sequens Psalmus Confitémini Dómino, dicitur tantum in Dominicis, quando fit Officium de Dominica ut in Psalterio.

Psalmus cxvii.

CONFITEMINI Dño quóniam bonus : * quóniam in saeculum misericórdia ejus.

Dicat nunc Israël quóniam bonus : * quóniam in saeculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron : * quóniam in saeculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum : * quóniam in saeculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum : * et exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor: * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor: * et ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino, * quam confídere in hómine :

Bonum est speráre in Dómino, * quam speráre in princípibus.

Omnes Gentes circuiérunt me : * te in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me : * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, et exarsérunt sicut ignis in spinis: * et in nómine Dñi quia ultus sum in eos.

Impúlsus evérsus sum ut cáderem : * et Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus : * et factus est mihi in salútem.

Vox exultatiónis, et salútis * in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem : déxtera Dómini exaltávit me, * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vivam : * et narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dóminus : * et morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas justítiae, ingréssus in eas confitébor Dño : * haec porta Dómini, justi intrábunt in eam.

Confitébor tibi quóniam exaudísti me : * et factus es mihi in salútem.

Lápidem, quem reprobavérunt aedificántes : * hic factus est in caput ánguli.

A Dómino factum est istud : * et est mirábile in óculis nostris.

Haec est dies, quam fecit Dóminus : * exultémus, et laetémur in ea.

O Dómine, salvum me fac, o Dómine, bene prosperáre : * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini : * Deus Dóminus, et illúxit nobis.

Constitúite diem solémnem in condénsis, * usque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, et confitébor tibi : * Deus meus es tu, et exaltábo te.

Confitébor tibi quóniam exaudísti me : * et factus es mihi in salútem.

Confitémini Dómino quóniam bonus : * quóniam in saeculum misericórdia ejus.

Psalmus cxviii.

BEATI immaculáti in via : * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti, qui scrutántur testimónia ejus : * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandásti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigántur viae meae, * ad custodiéndas justificatiónes tuas.

Tunc non confúndar, * cum perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis : * in eo quod dídici judícia justítiae tuae.

Justificatiónes tuas custódiam: * non me derelínquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam ? * in custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te : * ne repéllas me a mandátis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua : * ut non peccem tibi.

Benedíctus es, Dómine: * doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis, * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor : * et considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor: * non oblivíscar sermónes tuos.

RETRIBUE servo tuo, vivífica me : * et custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos : * et considerábo mirabília de lege tua.

Incola ego sum in terra: * non abscóndas a me mandáta tua.

Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas, * in omni témpore.

Increpásti supérbos : * maledícti qui declínant a mandátis tuis.

Aufer a me oppróbrium, et contémptum : * quia testimónia tua exquisívi.

Etenim sedérunt príncipes, et advérsum me loquebántur: * servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis.

Nam et testimónia tua meditátio mea est: * et consílium meum justificatiónes tuae.

Adhaesit paviménto ánima mea : * vivífica me secúndum verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, et exaudísti me : * doce me justificatiónes tuas.

Viam justificatiónum tuárum ínstrue me : * et exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea prae taedio : * confírma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove a me : * et de lege tua miserére mei.

Viam veritátis elégi: * judícia tua non sum oblítus.

Adhaesi testimóniis tuis, Dómine : * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, * cum dilatásti cor meum.

Sequens Symbolum dicitur in Dominicis tantum, quando fit Officium de Dominica ut in Psalterio, et in Festo SS. Trinitatis.

Symbolum S. Athanasii.

QUICUMQUE vult salvus esse, * ante ómnia opus est ut téneat cathólicam fidem.

Quam nisi quisque íntegram inviolatámque serváverit, * absque dúbio in aetérnum períbit.

Fides autem cathólica haec est : * ut unum Deum in Trinitáte, et Trinitátem in unitáte venerémur.

Neque confundéntes persónas, * neque substántiam separántes.

Alia est enim persóna Patris, ália Fílii, * ália Spíritus Sancti.

Sed Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti una est divínitas : * aequális glória, coaetérna majéstas.

Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus Sanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus Sanctus.

Imménsus Pater, imménsus Fílius, * imménsus Spíritus Sanctus.

Aetérnus Pater, aetérnus Fílius, * aetérnus Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres aetérni, * sed unus aetérnus.

Sicut non tres increáti, nec tres imménsi, * sed unus increátus, et unus imménsus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipoténtes, * sed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres Dii * sed unus est Deus.

Ita Dñus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres Dómini; * sed unus est Dóminus.

Quia, sicut singillátim unamquámque persónam Deum ac Dóminum confitéri Christiána veritáte compéllimur : * ita tres Deos aut Dóminos dicere

Cathólica Religióne prohibémur.

Pater a nullo est factus: * nec creátus, nec génitus.

Fílius a Patre solo est : * non factus, nec creátus, sed génitus.

Spíritus Sanctus a Patre et Fílio : * non factus, nec creátus, nec génitus, sed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres : unus Fílius, non tres Fílii : * unus Spíritus Sanctus, non tres Spíritus Sancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut postérius, nihil majus aut minus ; * sed totae tres persónae coaetérnae sibi sunt, et coaequáles.

Ita ut per ómnia, sicut jam supra dictum est, * et únitas in Trinitáte, et Trínitas in unitáte veneránda sit.

Qui vult ergo salvus esse, * ita de Trinitáte séntiat.

Sed necessárium est ad aetérnam salútem, * ut incarnatiónem quoque Dñi nostri Jesu Christi fidéliter credat.

Est ergo fides recta, ut credámus et confiteámur, * quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Fílius, Deus et homo est.

Deus est ex substántia Patris ante saecula génitus : * et homo est ex substántia matris in saeculo natus.

Perféctus Deus, perféctus homo : * ex ánima rationáli, et humána carne subsístens.

Æquális Patri secúndum divinitátem : * minor Patre secúndum humanitátem.

Qui, licet Deus sit et homo, * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversióne divinitátis in carnem ; * sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omníno non confusióne substántiae : * sed unitáte persónae.

Nam sicut ánima rationális et caro unus est homo : * ita Deus et homo unus est Christus.

Qui passus est pro salúte nostra : descéndit ad ínferos : * tértia die resurréxit a mórtuis.

Ascéndit ad coelos, sedet ad déxteră Dei Patris omnipoténtis: * inde ventúrus est judicáre vivos et mórtuos.

Ad cujus advéntum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis: * et reddítúri sunt de factis própriis ratiónem.

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam aetérnam : * qui vero mala, in ignem aetérnum.

Haec est fides cathólica, * quam nisi quisque fidéliter firmitérque credíderit, salvus esse non póterit.

Glória Patri, etc.

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. 1 *Tim.* i. *d.*

REGI saeculórum immortáli et invisíbili, soli Deo honor et glória in saecula saeculórum. Amen. ℟. Deo grátias.

℟. br. Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Et repetitur: Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis. ℣. Qui sedes ad déxteram Patris. ℟. Miserére nobis. ℣. Glória Patri, et Fílio, et Spíritui Sancto. ℟. Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis.

℣. Exúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

Sequentes Preces non dicuntur in Duplicibus nec infra Octav.: sed tunc dicto ℟. brevi, dicitur Dóminus vobíscum, et Oratio Dómine, Deus omnípotens, ut infra.

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum, secreto usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam aetérnam. Amen.

℣. Et ego ad te, Dñe, clamávi. ℟. Et mane orátio mea praevéniet te.

℣. Repleátur os meum laude. ℟. Ut cantem glóriam tuam, tota die magnitúdinem tuam.

℣. Dómine, avérte fáciem tuam a peccátis meis. ℟. Et omnes iniquitátes meas dele.

℣. Cor mundum crea in me, Deus. ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

℣. Ne projícias me a fácie tua. ℟. Et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

℣. Redde mihi laetítiam salutáris tui. ℟. Et spíritu principáli confírma me.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit coelum et terram.

Deinde Hebdomadarius facit confessionem.

CONFITEOR Deo omnipoténti, beátae Maríae semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístae, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, ómnibus Sanctis, et vobis, fratres: quia peccávi nimis cogitatióne, verbo et ópere: mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos fratres,

oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Chorus respondet:

MISEREATUR tui omnípotens Deus, et dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam aetérnam.

℟. Amen.

Deinde repetit confessionem, et ubi dicitur vobis fratres, et vos fratres, dicatur tibi Pater, et te Pater.

Facta confessione a Choro, Hebdomadarius dicit:

MISEREATUR vestri omnípotens Deus, et dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam aetérnam.

℟. Amen.

INDULGENTIAM, absolutiónem et remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dñus.

℟. Amen.

Et prosequitur: ℣. Dignáre, Dómine, die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre.

℣. Miserére nostri, Dñe. ℟. Miserére nostri.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

℣. Dñe, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DOMINE, Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecísti, tua nos hódie salva virtúte: ut in hac die ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per Dñum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia saecula saeculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium. Et quando dicenda est Prima de B. M., praeponitur Lectioni Martyrologii. Postea Hebdomadarius dicit: ℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors sanctórum ejus.

Et absolute sine Orémus,

Oratio.

SANCTA María, et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári et salvári, qui vivit et regnat in saecula saeculórum. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína.

Et dic. ter; ultimo additur Glória Patri. Sicut erat.

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Réspice in servos tuos, Dñe, et in ópera tua, et dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos, et opus mánuum nostrárum dírige.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Orémus. Oratio.

DIRIGERE et sanctificáre, régere et gubernáre dignáre, Dñe Deus, Rex coeli et terrae hódie corda et córpora nostra, sensus, sermónes et actus nostros in lege tua, et in opéribus mandatórum tuórum, ut hic, et in aetérnum, te auxiliánte, salvi et líberi esse mereámur, Salvátor mundi: Qui vivis et regnas in saecula saeculórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere.

Bened. Dies et actus nostros in sua pace dispónat Dñus omnipotens. ℟. Amen.

Ad Absolutionem Capituli in Dominicis et Feriis per Annum, ab Octava Pentecostes usque ad Adventum exclusive.

Lectio brevis. 2 *Thess.* iii.

DOMINUS autem dírigat corda et córpora nostra in caritáte Dei, et patiéntia Christi. Tu autem, Dñe, miserére nobis. ℟. Deo grátias.

Post Lectionem brevem dicitur ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Benedícite. ℟. Deus. Bened. Dóminus nos benedícat, et ab omni malo deféndat, et ad vitam perdúcat aetérnam; et Fidélium ánimae per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

IN FERIALI OFFICIO AD PRIMAM.

Pater noster. Ave María. Credo. ℣. Deus, in adjutórium, ut supra. 28

Hymnus.

JAM lucis orto sídere
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refraenans témperet,
Ne litis horror ínsonet:
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia:

Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.

Ut, cum dies abcésserit,
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

Per Annum, Añ. Beáti qui ámbulant.

Psalmus liii.

DEUS, in nómine tuo salvum me fac: * et in virtúte tua júdica me.

Deus exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me, et fortes quaesiérunt ánimam meam: * et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me: * et Dóminus suscéptor est ánimae meae.

Avérte mala inimícis meis: * et in veritáte tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi, * et confitébor nómini tuo, Dómine: quóniam bonum est:

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me: * et super inimícos meos despéxit óculus meus.

Post Psal. Deus in nómine loco Psalmi Confitémini, dicitur unus ex infrascriptis Psalmis secundum Ferias distinctis. Sabba o autem dicuntur tantum tres Psalmi sicut in Festis.

FERIA SECUNDA.

Psalmus xxiii.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus: * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * et super flúmina praeparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino: * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Haec est generátio quaeréntium eum, * quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles: * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in praelio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles: * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae.

FERIA TERTIA.

Psalmus xxiv.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam : * Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei : * étenim univérsi, qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácue.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi : * et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, et doce me : * quia tu es Deus salvátor meus, et te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * et misericordiárum tuárum, quae a saeculo sunt.

Delícta juventútis meae, * et ignorántias meas ne memíneris.

Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu : * propter bonitátem tuam, Dñe.

Dulcis et rectus Dñus : * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício : * docébit mites vias suas.

Univérsae viae Dómini, misericórdia et véritas, * requiréntibus testaméntum ejus et testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dñe, propitiáberis peccáto meo : * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum ? * legem státuit ei in via, quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur : * et semen ejus haereditábit terram.

Firmaméntum est Dñus timéntibus eum : * et testaméntum ipsíus ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum : * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, et miserére mei : * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátae sunt : * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam et labórem meum : * et dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos quóniam multiplicáti sunt : * et ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, et érue me : * non erubéscam, quóniam sperávi in te.

Innocéntes et recti adhaesérunt mihi : * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israël, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

FERIA QUARTA.

Psalmus xxv.

JUDICA me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréssus

sum : * et in Dño sperans non infirmábor.

Proba me, Dómine, et tenta me : * ure renes meos et cor meum.

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est : * et complácui in veritáte tua.

Non sedi cum concílio vanitátis : * et cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium : * et cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas : * et circúmdabo altáre tuum, Dñe :

Ut áudiam vocem laudis, * et enárrem univérsa mirabília tua.

Dómine, diléxi decórem domus tuae, * et locum habitatiónis glóriae tuae.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, * et cum viris sánguinum vitam meam :

In quorum mánibus iniquitátes sunt : * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréssus sum : * rédime me, et miserére mei.

Pes meus stetit in diréćto : * in ecclésiis benedícam te, Dómine.

FERIA QUINTA.

Psalmus xxii.

DOMINUS regit me, et nihil mihi déerit : * in loco páscuae ibi me collocávit.

Super aquam refećtiónis educávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiae, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbrae mortis, non timébo mala : * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus : * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéćtu meo mensam, * advérsus eos, qui tribulant me.

Impinguásti in óleo caput meum : * et calix meus inébrians quam praeclárus est !

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitae meae :

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

FERIA SEXTA.

Psalmus xxi

DEUS, Deus meus, réspice in me : quare me dereliquísti ? * longe a salúte mea verba delićtórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, et non exáudies : * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * Laus Israël.

In te speravérunt patres nostri : * speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt : * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, et non homo : * oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me : * locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum : * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre : * spes mea ab ubéribus matris meae. In te projéctus sum ex útero :

De ventre matris meae Deus meus es tu, * ne discésseris a me :

Quóniam tribulátio próxima est : * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi : * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens, et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum : * et dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit fáucibus meis : * et in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniã circumdedérunt me canes multi : * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas et pedes meos : * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me : * divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum a me : * ad defensiónem meam cónspice.

Erue a frámea, Deus, ánimam meam : * et de manu canis únicam meam :

Salva me ex ore leónis : * et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis : * in médio ecclésiae laudábo te.

Qui timétis Dñum, laudáte eum : * univérsum semen Jacob, glorificáte eum :

Tímeat eum omne semen Israël : * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis :

Nec avértit fáciem suam a me : * et cum clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in eccléSia magna : * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, et saturabúntur : et laudábunt Dñum qui requírunt eum : * vivent corda eórum in saeculum saeculi.

Reminiscéntur, et converténtur ad Dóminum * univérsi fines terrae :

Et adorábunt in conspéctu ejus* univérsae famíliae Géntium.

Quóniam Dómini est regnum: * et ipse dominábitur Géntium.

Manducavérunt, et adoravérunt omnes pingues terrae : * in conspéctu ejus cadent omnes, qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur, Dñe, generátio ventúra: * et annuntiábunt coeli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Sabbato nihil additur, ut supra in Rubrica. 31.

Dein, die, Psalmus cxviii.

BEATI immaculáti in via * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti, qui scrutántur testimónia ejus : * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandásti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigántur viae meae * ad custodiéndas justificatiónes tuas.

Tunc non confúndar, * cum perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis: * in eo quod didici judícia justítiae tuae.

Justificatiónes tuas custódiam : * non me derelínquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam? * in custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te : * ne repéllas me a mandátis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua : * ut non peccem tibi.

Benedíctus es, Dñe: * doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis, * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor : * et considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor: * non oblíviscar sermónes tuos.

RETRIBUE servo tuo, vivifica me : * et custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos : * et considerábo mirabília de lege tua.

Incola ego sum in terra: * non abscóndas a me mandáta tua.

Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas, * in omni témpore.

Increpásti supérbos : * maledícti qui declínant a mandátis tuis.

Aufer a me oppróbrium et contémptum : * quia testimónia tua exquisívi.

Etenim sedérunt príncipes, et advérsum me loquebántur: * servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis.

Nam et testimónia tua meditátio mea est: * et consílium meum justificatiónes tuae.

Adhaesit paviménto ánima mea : * vivífica me secúndum verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, et exaudísti me : * doce me justificatiónes tuas.

Viam justificatiónum tuárum ínstrue me : * et exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea prae taedio : * confírma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove a me : * et de lege tua miserére mei.

Viam veritátis elégi: * judícia tua non sum oblítus.

Adhaesi testimóniis tuis, Dñe: * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, * cum dilatásti cor meum.

Per Annum, Antiphona. Beáti qui ámbulant in lege tua, Dómine.

Capitulum. *Zach.* viii. *d.*

PACEM et veritátem dilígite, ait Dóminus omnípotens. ℟. Deo grátias.

℟. br. Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Et repetitur: Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis. ℣. Qui sedes ad déxteram Patris. ℟. Miserére nobis. ℣. Glória Patri, et Fílio, et Spíritui Sancto. ℟. Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis.

℣ Exúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum, secreto.

℣. Carnis resurrectiónẽ. ℟. Vitam aetérnam. Amen.

℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi. ℟. Et mane orátio mea praevéniet te.

℣. Repleátur os meum laude. ℟. Ut cantem glóriam tuam, tota die magnitúdinem tuam.

℣. Dómine, avérte fáciem tuam a peccátis meis. ℟. Et omnes iniquitátes meas dele.

℣. Cor mundum crea in me, Deus. ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

℣. Ne projícias me a fácie tua. ℟. Et Spíritum Sanctum tuum ne áuferas a me.

℣. Redde mihi laetítiam salutáris tui. ℟. Et spíritu principáli confírma me.

Quando ad Laudes non sunt dictae Preces feriales

statim dicitur: Adjutórium nostrum, et Confíteor Deo, ut infra.

Quando autem ad Laudes dictae sunt Preces feriales inferius positae post Laudes Feriae secundae, tunc ad Primam praedictae Preces et sequentes dicuntur flexis genibus.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

℣. Eripe me de operántibus iniquitátem. ℟. Et de viris sánguinum salva me.

℣. Sic psalmum dicam nómini tuo in saeculum saeculi. ℟. Ut reddam vota mea de die in diem.

℣. Exáudi nos, Deus, salutáris noster. ℟. Spes ómnium fínium terrae, et in mari longe.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festina.

℣. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortális. ℟. Miserére nobis.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino. ℟. Et ómnia, quae intra me sunt, nómini sancto ejus.

℣. Bénedic, ánima mea, Dño. ℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus.

℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis. ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas.

℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam. ℟. Qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus.

℣. Qui replet in bonis desidérium tuum. ℟. Renovábitur, ut áquilae, juvéntus tua.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit coelum et terram.

Deinde Hebdomadarius facit confessionem:

CONFITEOR Deo omnipoténti, beátae Mariae semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístae, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, ómnibus Sanctis, et vobis, fratres: quia peccávi nimis cogitatióne, verbo, et ópere: mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos, fratres, oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Chorus respondet:

MISEREATUR tui omnípotens Deus, et dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam aetérnam. ℟. Amen.

Deinde repetit confessionem : et ubi dicitur vobis fratres, et vos fratres, dicatur tibi pater, et te pater.

Facta confessione a Choro, Hebdomadarius dicit :

℣. MISEREATUR vestri omnípotens Deus, et dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam aetérnam. ℟. Amen.

℣. INDULGENTIAM, absolutiónem, et remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dñus. ℟. Amen.

Et prosequitur ℣. Dignáre, Dñe, die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre.

℣. Miserére nostri, Dñe. ℟. Miserére nostri.

℣. Fiat misericórdia tua, Dñe, super nos. ℟. Quemádmodũ sperávimus in te.

℣. Dñe, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DOMINE Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecísti : tua nos hódie salva virtúte, ut in hac die ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes, et ópera. Per Dñum nostrum Jesum Christum Filium tuum : qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia saecula saeculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium. Et quando dicenda est Prima de beata Maria, praeponitur Lectioni Martyrologii.

Postea Hebdomadarius dicit ℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors Sanctórum ejus.

Et absolute sine Orémus,

Oratio.

SANCTA María, et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum : ut nos mereámur ab eo adjuvári et salvári qui vivit et regnat in saecula saeculórum. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dñe, ad adjuvándum me festína.

Et dicitur ter : ultimo additur Glória Patri. Sicut erat.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Réspice in servos tuos, Dñe, et in ópera tua, et dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dñi Dei nostri super nos, et ópera mánuum hostrárum dírige super nos, et opus mánuum nostrárum dírige.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Orémus. Oratio.

DIRIGERE et sanctificáre, régere et gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex coeli et terrae, hódie corda et córpora nostra, sensus, sermónes, et actus nostros in lege tua, et in opéribus mandatórum tuórum, ut hic, et in aetérnum, te auxiliánte, salvi et líberi esse mereámur, Salvátor mundi : Qui vivis et regnas in saecula saeculórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere.

Benedictio. Dies et actus nostros in sua pace dispónat Dóminus omnípotens. ℟. Amen.

Ad Absolutionem Capituli in Dominicis et Feriis per Annum, ab Octava Pentecostes usque ad Adventũ exclusive.

Lectio brevis.

2 *Thessalon.* iii. *b.*

DOMINUS autem dírigat corda et córpora nostra in charitáte Dei, et patiéntia Christi. Tu autem, Dómine, miserére nobis. ℟. Deo grátias.

Post Lectionem brevem dicitur ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dñi. ℟. Qui fecit coelum et terram. ℣. Benedícite. ℟. Deus.

Bened. Dñus nos benedícat, et ab omni malo deféndat, et ad vitam perdúcat aetérnam : et Fidélium ánimae per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

IN FESTIS per annum.

Post Psalmum **Deus, in nómine tuo,** dicitur tantum Psalmus **Beáti immaculáti** et **Retribue. 35.**

Deinde Ánа competens, et reliqua, ut supra in Dominica. **28.** Sed in Duplicibus, et infra Octavas non dicuntur Preces. Dicto **Benedicámus Dómino,** dicitur Prima de B. Maria, si dicenda est; postea legitur Martyrologium in Choro. Deinde dicitur ℣. **Pretiósa** cum reliquis, ut supra. **38.**

Ad Absolutionem Capituli in Festis dicitur Capitulum Nonae.

AD TERTIAM.

Pater noster. Ave María. Deus, in adjutórium.

Hymnus.

NUNC Sancte nobis Spíritus,
Unum Patri cum Filio,

Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.
Os, lingua, mens, sensus, vigor,
Confessiónem pérsonent,
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.
Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

In Dominicis per Annum, Aña. **Allelúia.**

In feriali Officio per Annum, Antiphona. **Deduc me.**

℣. Psalm. s.

LEGEM pone mihi, Dómine, viam justificatiónum tuárum : * et exquíram eam semper.

Da mihi intelléctum, et scrutábor legem tuam : * et custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum : * quia ipsam vólui.

Inclína cor meum in testimónia tua : * et non in avarítiam.

Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem : * in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquium tuum, * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum quod suspicátus sum : * quia judícia tua jucúnda.

Ecce concupívi mandáta tua : * in aequitáte tua vivífica me.

Et véniat super me misericórdia tua, Dómine : * salutáre tuum secúndum elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum : * quia sperávi in sermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque : * quia in judíciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuam semper : * in saeculum et in saeculum saeculi.

Et ambulábam in latitúdine : * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar in testimóniis tuis in conspéctu regum : * et non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quae diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua, quae diléxi : * et exercébar in justificatiónibus tuis.

MEMOR esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedísti.

Haec me consoláta est in humilitáte mea : * quia elóquium tuum vivificávit me.

Supérbi iníque agébant usquequáque : * a lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum a saeculo, Dñe : * et consolátus sum.

Deféctio ténuit me,* pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant justificatiónes tuae,* in loco peregrinatiónis meae.

Memor fui nocte nóminis tui, Dómine :* et custodívi legem tuam.

Haec facta est mihi:* quia justificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea, Dómine,* dixi custodíre legem tuam.

Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo:* miserére mei secúndum elóquium tuum.

Cogitávi vias meas :* et convérti pedes meos in testimónia tua.

Parátus sum, et non sum turbátus :* ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumpléxi sunt me :* et legem tuam non sum oblítus.

Média nocte surgébam ad confiténdum tibi,* super judícia justificatiónis tuae.

Párticeps ego sum ómnium timéntium te :* et custodiéntium mandáta tua.

Misericórdia tua, Dñe, plena est terra :* justificatiónes tuas doce me.

BONITATEM fecísti cum servo tuo, Dómine,* secúndum verbum tuum.

Bonitátem, et disciplínam, et sciéntiam doce me :* quia mandátis tuis crédidi.

Priúsquam humiliárer ego delíqui :* propterea elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu :* et in bonitáte tua doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum:* ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum :* ego vero legem tuam meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliásti me :* ut discam justificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui,* super míllia auri et argénti.

Manus tuae fecérunt me, et plasmavérunt me :* da mihi intelléctum, et discam mandáta tua.

Qui timent te vidébunt me, et laetabúntur :* quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi, Dómine, quia aequitas judícia tua :* et in veritáte tua humiliásti me.

Fiat misericórdia tua ut consolétur me,* secúndum elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuae, et vivam :* quia lex tua meditátio mea est.

Confundántur supérbi, quia injúste iniquitátem fecérunt in me :* ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te: * et qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, * ut non confúndar.

Añ. Allelúia, allelúia, allelúia.

Sequens Capitulum, et alia in aliis Horis, dicuntur in Dominicis, a tertia post Pentecosten usque ad Adventum. Responsoria brevia etiam eodem tempore: similiter et quae sequuntur in feriali Officio.

Capitulum. 1 *Joan.* iv. *c.*

DEUS cáritas est: et qui manet in caritáte, in Deo manet, et Deus in eo.

℟. br. Inclína cor meum, Deus, * In testimónia tua. Inclína. ℣. Avérte óculos meos, ne vídeant vanitátem: in via tua vivífica me. ℟. In testimónia tua. Glória Patri. Inclína cor.

℣. Ego dixi, Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

In feriali Officio per Annum, Añ. Deduc me, Dñe, in sémitam mandatórum tuórum.

Capitulum. *Jerem.* xvii. *c.*

SANA me, Dómine, et sanábor: salvum me fac, et salvus ero: quóniam laus mea tu es.

℟. br. Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana. ℣. Ego dixi, Dñe, miserére mei. ℟. Quia peccávi. Glória Patri. Sana.

℣. Adjútor meus esto, ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus salutáris meus.

Quando ad Matutinum dictae sunt Preces, ad Tertiam, Sextam et Nonam flexis genibus dicitur:

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

℣. Exúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio conveniens.

AD SEXTAM.

Pater noster. Ave María. Deus in adjutórium. 18.

Hymnus.

RECTOR potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane illúminas,
Et ígnibus merídiem.

Extíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum,
Verámque pacem córdium.
Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne saeculum. Amen.

In Dominicis per Annum, Añia. **Allelúia.**

In feriali Officio per Annum, Antiphona. **Adjuva me.**

Psalmus.

EFECIT in salutáre tuum ánima mea : * et in verbum tuum supersperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicéntes : Quando consoláberis me ?

Quia factus sum sicut uter in pruína : * justificatiónes tuas non sum oblítus,

Quot sunt dies servi tui : * quando fácies de persequéntibus me judícium ?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes : * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas : * iníque persecúti sunt me, ádjuva me.

Paulo minus consummavérunt me in terra : * ego autem non dereliqui mandáta tua.

Secúndum misericórdiam tuam vivífica me : * et custódiam testimónia oris tui.

In aetérnum, Dómine, * verbum tuum pérmanet in coelo.

In generatiónem et generatiónem véritas tua : * fundásti terram, et pérmanet.

Ordinatióne tua persevérat dies * : quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quod lex tua meditátio mea est : * tunc forte periíssem in humilitáte mea.

In aetérnum non oblíviscar justificatiónes tuas : * quia in ipsis vivificásti me.

Tuus sum ego, salvum me fac : * quóniam justificatiónes tuas exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me : * testimónia tua intelléxi.

Omnis consummatiónis vidi finem : * latum mandátum tuum nimis.

QUOMODO diléxi legem tuam, Dómine ? * tota die meditátio mea est.

Super inimícos meos prudéntem me fecísti mandáto tuo : * quia in aetérnum mihi est.

Super omnes docéntes me intelléxi : * quia testimónia tua meditátio mea est.

Super senes intelléxi : * quia mandáta tua quaesívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos : * ut custódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi : * quia tu legem posuísti mihi.

Quam dúlcia fáucibus meis elóquia tua, * super mel ori meo !

A mandátis tuis intellexi: * proptérea odívi omnem viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum, * et lumen sémitis meis.

Jurávi, et státui * custodíre judícia justítiae tuae.

Humiliátus sum usquequáque, Dómine; * vivífica me secúndum verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dñe: * et judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper: * et legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres láqueum mihi: * et de mandátis tuis non errávi.

Haereditáte acquisívi testimónia tua in aetérnum: * quia exultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciéndas justificatiónes tuas in aetérnum, * propter retributiónem.

INIQUOS ódio hábui: * et legem tuam diléxi.

Adjútor et suscéptor meus es tu: * et in verbum tuum supersperávi.

Declináte a me malígni: * et scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secúndum elóquium tuum, et vivam: * et non confúndas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, et salvus ero: * et meditábor in justificatiónibus tuis semper.

Sprevísti omnes discedéntes a judíciis tuis: * quia injústa cogitátio eórum.

Praevaricántes reputávi omnes peccatóres terrae: * ídeo diléxi testimónia tua.

Confige timóre tuo carnes meas: * a judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium et justítiam: * non tradas me calumniántibus me.

Súscipe servum tuum in bonum: * non calumniéntur me supérbi.

Oculi mei defecérunt in salutáre tuum: * et in elóquium justítiae tuae.

Fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam: * et justificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego: * da mihi intellectum, ut sciam testimónia tua.

Tempus faciéndi, Dómine: * dissipavérunt legem tuam.

Ideo diléxi mandáta tua, * super aurum et topázion.

Proptérea ad ómnia mandáta tua dirigébar: * omnem viam iniquam ódio hábui.

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. *Galat.* vi.

ALTER altérius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi.

℟. br. In aetérnum, Dñe, * Pérmanet verbum tuum. In aetérnum. ℣. In saeculum saeculi véritas tua. ℟. Pérmanet. Glória Patri. In aetérnum.

℣. Dñus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuae ibi me collocávit.

In feriali Officio per Annum, Añia. Adjuva me, et salvus ero, Dómine.

Capitulum. Alter altérius.

℟. br. Benedícam Dóminum, * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus ejus in ore meo. ℟. In omni. Glória Patri. Benedícam.

℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuae ibi me collocávit.

Quando ad Matutinum dictae sunt Preces, flexis genibus dicitur:

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

℣. Exúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Pater noster. Ave María. Deus, in adjutórium. 18.

Hymnus.

RERUM Deus, tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnae témpora
Successíbus detérminans:
Largíre lumen véspere,
Quo vita nusquam décidat,
Sed praemium mortis sacrae
Perénnis instet glória.
Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne saeculum. Amen.

In Dominicis per Annum, Añia. Allelúia.

In feriali Officio per Annum, Añia. Aspice in me.

Psalmus.

IRABILIA testimónia tua: * ídeo scrutáta est ea ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat: * et intellectum dat párvulis.

Os meum apérui, et attráxi spíritum: * quia mandáta tua desiderábam.

Aspice in me, et miserére mei, * secúndum judícium diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dírige secúndum elóquium tuum : * et non dominétur mei omnis injustítia.

Rédime me a calúmniis hóminum : * ut custódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum : * et doce me justificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei : * quia non custodiérunt legem tuam.

Justus es, Dómine : * et rectum judícium tuum.

Mandásti justítiam testimónia tua : * et veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus : * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum veheménter : * et servus tuus diléxit illud.

Adolescéntulus sum ego, et contémptus : * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Justítia tua, justítia in aetérnum : * et lex tua véritas.

Tribulátio et angústia invenérunt me : * mandáta tua meditátio mea est.

Æquitas testimónia tua in aetérnum : * intellléctum da mihi, et vivam.

CLAMAVI in toto corde meo, exáudi me, Dómine : * justificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me fac : * ut custódiam mandáta tua.

Praevéni in maturitáte, et clamávi : * quia in verba tua supersperávi.

Praevenérunt óculi mei ad te dilúculo : * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi secúndum misericórdiam tuam, Dómine : * et secúndum judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt persequéntes me iniquitáti : * a lege autem tua longe facti sunt.

Prope es tu, Dómine : * et omnes viae tuae véritas.

Initio cognóvi de testimóniis tuis : * quia in aetérnum fundásti ea.

Vide humilitátem meam, et éripe me : * quia legem tuam non sum oblítus.

Júdica judícium meum, et rédime me : * propter elóquium tuum vivífica me.

Longe a peccatóribus salus : * quia justificatiónes tuas non exquisiérunt.

Misericórdiae tuae multae, Dómine : * secúndum judícium tuum vivífica me.

Multi qui persequúntur me, et tríbulant me : * a testimóniis tuis non declinávi.

Vidi praevaricántes, et tabescébam : * quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua diléxi, Dómine : * in misericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum, véritas : * in aetérnum ómnia judícia justítiae tuae.

PRINCIPES persecúti sunt me gratis : * et a verbis tuis formidávit cor meum.

Laetábor ego super elóquia tua : * sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, et abominátus sum : * legem autem tuam diléxi.

Sépties in die laudem dixi tibi, * super judícia justítiae tuae.

Pax multa diligéntibus legem tuam : * et non est illis scándalum.

Expectábam salutáre tuum, Dómine : * et mandáta tua diléxi.

Custodívit ánima mea testimónia tua : * et diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, et testimónia tua : * quia omnes viae meae in conspéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conspéctu tuo, Dómine: * juxta elóquium tuum da mihi intellléctum.

Intret postulátio mea in conspéctu tuo : * secúndum elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cum docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum : * quia ómnia mandáta tua aequitas.

Fiat manus tua ut salvet me : * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuum, Dómine: * et lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, et laudábit te : * et judícia tua adjuvábunt me.

Errávi, sicut ovis quae périit: * quaere servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

Antiphona. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. 1 *Cor.* vi. *d.*

EMPTI enim estis prétio magno. Glorificáte et portáte Deum in córpore vestro.

℟. br. Clamávi in toto corde meo, * Exáudi me, Dñe. Clamávi. ℣. Justificatiónes tuas requíram. Exáudi. Glória Patri. Clamávi. ℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

In feriali Officio per Annum, Añia. Aspice in me, et miserére mei, Dómine.

Capit. Empti enim estis.

℟. br. Rédime me, Dómine, * Et miserére mei. Rédime. ℣. Pes enim meus stetit in via recta. ℟. Et miserére. Glória. Rédime. ℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Quando ad Matutinum dictae sunt Preces, flexis genibus dicitur :

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

℣. Exúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio conveniens.

Vesperae in Dominica, et in Feriis habentur inferius post Laudes Sabbati.

FERIA SECUNDA

AD MATUTINUM.

Pater noster. Ave María. Credo.

℣. Dómine, lábia mea apéries, ut supra. 2.

Invit. Veníte, * Exultémus Dómino.

Psalm. Jubilémus Deo salutári nostro, ut supra. 2.

Hymnus.

SOMNO refóctis ártubus,
Spreto cubíli, súrgimus :
Nobis, Pater, canéntibus
Adésse te depóscimus.

Te lingua primum cóncinat
Te mentis ardor ámbiat :
Ut áctuum sequéntium
Tu, Sancte, sis exórdium.

Cedant tenébrae lúmini,
Et nox diúrno síderi :
Ut culpa, quam nox íntulit,
Lucis labáscat múnere.

Precámur ídem súpplices,
Noxas ut omnes ámputes,
Et ore te canéntium,
Laudéris omni témpore.

Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne saeculum. Amen.

Invitatoria per Ferias dicuntur in feriali Officio ad Octava Pentecostes usque ad Adventum. Hymni vero tam ad Matutinum, quam ad Laudes et Vesperas, e Antiphonae Nocturnorum ut infra.

Ańa. Dóminus defénsor.

Psalmus xxvi.

DOMINUS illumináti o mea, et salus mea, * quem timébo?

Dóminus protéctor vitae meae : * a quo trepidábo?

Dum appropiant super me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt, et cecidérunt.

Si consístant advérsum me castra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsum me praelium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii a Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitae meae :

Ut vídeam voluptátem Dómini, * et vísitem templum ejus.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo : * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me : * et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, et immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis : * cantábo, et psalmum dicam Dómino.

Exáudi, Dómine, vocem meam, qua clamávi ad te : * miserére mei, et exáudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea : * fáciem tuam, Dñe, requíram.

Ne avértas fáciem tuam a me : * ne declínes in ira a servo tuo.

Adjútor meus esto : * ne derelínquas me, neque despícias me, Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus, et mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua : * et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me : * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age : * et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

Psalmus xxvii.

AD te, Dñe, clamábo ; Deus meus, ne síleas a me : * nequándo táceas a me, et assimilábor descendéntibus in lacum.

Exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meae dum oro ad te : * dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus : * et cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Qui loquúntur pacem cum próximo suo, * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secúndum ópera eórum, * et secúndum nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndū ópera mánuum eórum tríbue illis : * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dñi, et in ópera mánuum ejus * déstrues illos, et non aedificábis eos.

Benedíctus Dóminus : * quóniam exaudivit vocem deprecatiónis meae.

Dóminus adjútor meus, et protéctor meus : * in ipso

Pro Confessore non Pontifice.

℟. iv. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis et a seductóribus tutávit illum, Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

℟. v. Amávit eum Dóminus et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum, Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

℟. vj. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam ℟. v. Dilexísti justitiam, et odísti iniquitátem: Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Pro Virgine.

℟. vj. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus Afferéntur tibi in lætitia et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, prósperе procéde, et regna. Afferéntur. Glória Patri, Afferéntur.

Pro non Virgine.

℟. vj. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

erelíquit eum. Et.

℟. v. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine : Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lapide pretióso. Et.

℟. vj. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dominus pane vitæ et intelléctus ; et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória Patri. Et.

Pro pluribus Martyribus.

℟. iv. Sancti tui, Dómine, mirábile consecuti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut invenirénur illæsi in aquis válidis. Terra appáruit árida, et in mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et tor-

ad supplícia. Ut.

℟. vj. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos : et in témpore erit respéctus illórum Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confidunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

Pro Confessore Pontifice.

℟. iv. Invéni David servum meum ; óleo sancto meo unxi eum : Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo ; et filius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

℟. v. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltavi eléctum de plebe mea : Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

sperávit cor meum, et adjútus sum.

Et reflóruit caro mea : * et ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suae, * et protéctor salvatiónum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic haereditáti tuae : * et rege eos, et extólle illos usque in aetérnum.

Ant. Dóminus defénsor vitae meae.

Antiphona. Adoráte.

Psalmus xxviii.

AFFERTE Dómino, filii Dei : * afférte Dómino fílios arietum

Afférte Dño glóriam et honórem, afférte Dño glóriam nómini ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas, Deus majestátis intónuit: * Dñus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte : * vox Dñi in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros : * et confrínget Dóminus cedros Líbani :

Et comminuet eas tamquam vítulum Líbani : * et diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis : * vox Dómini concutiéntis desértum: et commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini praeparántis cervos, et revelábit condénsa : * et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit: * et sedébit Dóminus Rex in aetérnum.

Dñus virtútem pópulo suo dabit : * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Psalmus xxix.

EXALTABO te, Dñe, quóniam suscepísti me : * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * et sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam : * salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus : * et confitémini memóriae sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus : * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus : * et ad matutínum laetítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non movébor in aetérnum.

Dómine, in voluntáte tua, * praestitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam a me, * et factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo : * et ad Deum meum deprecábor.

Quae utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem ?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam ?

Audívit Dóminus, et misértus est mei : * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi : * conscidísti saccum meum, et circumdedísti me laetitia :

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar : * Dómine Deus meus, in aetérnum confitébor tibi.

Ant. Adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

Ant. In tua justítia.

Psalmus xxx.

IN te, Dómine, sperávi, non confúndar in aetérnum : * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem : et in domum refúgii, * ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea, et refúgium meum es tu : * et propter nomen tuum dedúces me, et enútries me.

Edúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt mihi : * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas commendo spíritum meum : * redemísti me, Dómine Deus veritátis.

Odísti observántes vanitátes, * supervácue.

Ego autem in Dómino sperávi : * exultábo, et laetábor in misericórdia tua.

Quóniam respexísti humilitátem meam, * salvásti de necessitátibus ánimam meam.

Nec conclusísti me in mánibus inimíci : * statuísti in loco spatióso pedes meos.

Miserére mei, Dómine, quóniam tríbulor : * conturbátus est in ira óculus meus, ánima mea, et venter meus :

Quóniam defécit in dolóre vita mea : * et anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea : * et ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium et vicínis meis valde : * et timor notis meis.

Qui vidébant me, foras fugérunt a me : * oblivióni datus sum, tamquam mórtuus a corde.

Factus sum tamquam vas pérditum : * quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu.

In eo dum convenírent simul advérsum me, * accípere ánimam meam consiliáti sunt.

Ego autem in te sperávi, Dómine : * dixi : Deus meus es tu : in mánibus tuis sortes meae.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * et a persequéntibus me.

Illústra fáciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericórdia tua: * Dñe, non confúndar, quóniam invocávi te.

Erubéscant ímpii, et deducántur in infernum: * muta fiant lábia dolósa.

Quae loquúntur advérsus justum iniquitátem, * in supérbia, et in abusióne.

Quam magna multitúdo dulcédinis tuae, Dómine, * quam abscondísti timéntibus te!

Perfecísti eis, qui sperant in te, * in conspéctu filiórum hóminum.

Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuae * a conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo * a contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus: * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte munita.

Ego autem dixi in excéssu mentis meae: * Projéctus sum a fácie oculórum tuórum.

Ideo exaudísti vocem oratiónis meae, * dum clamárem ad te.

Dilígite Dñum, omnes sancti ejus: * quóniam veritátem requíret Dóminus, et retríbuet abundánter faciéntibus supérbiam.

Virílliter ágite, et confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in Dómino.

Psalmus xxxi.

BEATI, quorum remíssae sunt iniquitátes: * et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: * convérsus sum in aerúmna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cógnitum tibi feci: * et injustítiam meam non abscóndi.

Dixi: Confitébor advérsum me injustitiam meam Dómino: * et tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum a tribulatióne, quae circúmdedit me: * exultátio mea érue me a circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, et ínstruam te in via hac, qua gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus, * quibus non est intellécтus.

In camo et fraeno maxíllas eórum constrínge, * qui non appréximant ad te.

Multa flagélla peccatóris, * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Laetámini in Dómino, et exultáte justi, * et gloriámini omnes recti corde.

Añs. In tua justítia libera me, Dómine.

Añs. Rectos decet.

Psalmus xxxii.

EXULTATE justi in Dño : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dño in cíthara : * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum : * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * et ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam et judícium : * misericórdia Dómini plena est terra.

Verbo Dómini coeli firmáti sunt : * et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesáuris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Dóminus díssipat consília géntium : * réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in aetérnum manet : * cogitatiónes cordis ejus in generatióne et generatiónē.

Beáta gens, cujus est Dóminus, Deus ejus : * pópulus, quem elégit in haereditátem sibi.

De coelo respéxit Dñus : * vidit omnes fílios hóminum.

De praeparáto habitáculo suo * respéxit super omnes, qui hábitant terram.

Qui finxit singillátim corda eórum : * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem : * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suae.

Fallax equus ad salútem : * in abundántia autem virtútis suae non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Ut éruat a morte ánimas eórum : * et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dñum : * quóniam adjútor et protéctor noster est.

Quia in eo laetábitur cor nostrum : * et in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos : * quemádmodum sperávimus in te.

Psalmus xxxiii.

BENEDICAM Dñum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et laetántur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini : * et fácies vestrae non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dñus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dñum, omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me : * timórem Dñi docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos ?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquire pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dñi super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multae tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Ańa. Rectos decet collaudátio.

Antiphona. Expúgna.

Psalmus xxxiv.

JUDICA, Dómine, nocéntes me : * expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma et scutum : * et exúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam, et conclúde advérsus eos, qui persequúntur me: * dic ánimae meae: Salus tua ego sum.

Confundántur et revereántur, * quaeréntes ánimam meam.

Avertántur retrórsum, et confundántur * cogitántes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti: * et Angelus Dñi coárctans eos.

Fiat via illórum ténebrae et lúbricum: * et Angelus Dómini pérsequens eos.

Quóniam gratis abscondérunt mihi intéritum láquei sui: * supervácue exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus, quem ignórat: et cáptio, quam abscóndit, apprehéndat eum: * et in láqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultábit in Dómino: * et delectábitur super salutári suo.

Omnia ossa mea dicent: * Dómine, quis símilis tibi?

Eripiens ínopem de manu fortiórum ejus: * egénum et páuperem a diripiéntibus eum.

Surgéntes testes iníqui, * quae ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis: * sterilitátem ánimae meae.

Ego autem cum mihi molésti essent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam: * et orátio mea in sinu meo convertétur.

Quasi próximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacébam: * quasi lugens et contristátus, sic humiliábar.

Et advérsum me laetáti sunt et convenérunt: * congregáta sunt super me flagélla, et ignorávi.

Dissipáti sunt, nec compúncti, tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne: * frenduérunt super me déntibus suis.

Dómine, quando respícies? * restítue ánimam meam a malignitáte eórum, a leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in ecclésia magna, * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergáudeant mihi qui adversántur mihi iníque: * qui odérunt me gratis et ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacífice loquebántur: * et in iracúndia terrae loquéntes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum: * dixérunt: Euge, euge, vidérunt óculi nostri.

Vidísti, Dómine, ne síleas: * Dómine, ne discédas a me.

Exúrge et intónde judício meo : * Deus meus, et Dóminus meus in causam meam.

Júdica me secúndum justítiam tuam, Dómine Deus meus, * et non supergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus suis : Euge, euge, ánimae nostrae : * nec dicant : Devorávimus eum.

Erubéscant, et revereántur simul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confusióne et reveréntia * qui magna loquúntur super me.

Exúltent et laeténtur qui volunt justítiam meam : * et dicant semper : Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur justítiam tuam, * tota die laudem tuam.

Psalmus xxxv.

DIXIT injústus ut delínquat in semetípso : * non est timor Dei ante óculos ejus.

Quóniam dolóse egit in conspéctu ejus : * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas, et dolus : * nóluit intellígere ut bene ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo : * ástitit omni viae non bonae, malítiam autem non odívit.

Dómine, in coelo misericórdia tua : * et véritas tua usque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei : * judícia tua abyssus multa.

Hómines, et juménta salvábis, Dñe : * quemádmodum multiplicásti misericórdiam tuam, Deus.

Fílii autem hóminum, * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domus tuae : * et torrénte voluptátis tuae potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitae : * et in lúmine tuo vidébimus lumen.

Praeténde misericórdiam tuam sciéntibus te, * et justítiam tuam his, qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes superbiae : * et manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitátem : * expúlsi sunt, nec potuérunt stare.

Ańa. Expúgna impugnántes me.

Antiphona. Revéla.

Psalmus xxxvi.

NOLI aemulári in malignántibus : * neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Quóniam tamquam foenum velóciter arescent : * et quemádmodum ólera herbárum cito décident.

Spera in Dómino, et fac bonitátem : * et inhábita terram, et pascéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino : * et dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam et spera in eo : * et ipse fáciet.

Et edúcet quasi lumen justítiam tuam : et judícium tuum tamquam meridiem : * súbditus esto Dómino, et ora eum.

Noli aemulári in eo, qui prosperátur in via sua : * in hómine faciénte injustítias.

Désine ab ira, et derelínque furórem : * noli aemulári ut malignéris.

Quóniam qui malignántur, exterminabúntur : * sustinéntes autem Dóminum, ipsi haereditábunt terram.

Et adhuc pusíllum, et non erit peccátor : * et quaeres locum ejus, et non invénies.

Mansuéti autem haereditábunt terram : * et delectabúntur in multitúdine pacis.

Observábit peccátor justum : * et stridébit super eum déntibus suis.

Dóminus autem irridébit eum : * quóniam próspicit quod véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres : * intendérunt arcum suum,

Ut dejíciant páuperem et ínopem : * ut trucident rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum : * et arcus eórum confringátur.

Mélius est módicum justo, * super divítias peccatórum multas.

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur : * confírmat autem justos Dóminus.

Novit Dñus dies immaculatórum : * et haeréditas eórum in aetérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo, et in diébus famis saturabúntur : * quia peccatóres períbunt.

Inimici vero Dñi mox ut honorificáti fúerint et exaltáti : * deficiéntes, quemádmodum fumus deficient.

Mutuábitur peccátor, et non solvet : * justus autem miserétur et tríbuet.

Quia benedicéntes ei haereditábunt terram : * maledicéntes autem ei disperíbunt.

Apud Dóminum gressus hóminis dirigéntur : * et viam ejus volet.

Cum ecciderit, non collidétur : * quia Dñus suppónit manum suam.

Júnior fui, étenim sénui : * et non vidi justum derelíctum, nec semen ejus quaerens panem.

Tota die miserétur et cómmodat : * et semen illíus in benedictióne erit.

Declína a malo, et fac bonum : * et inhábita in saeculum saeculi.

Quia Dóminus amat judícium, et non derelínquet sanctos suos: * in aetérnum conservabúntur.

Injústi puniéntur: * et semen impiórum períbit.

Justi autem haereditábunt terram: * et inhabitábunt in saeculum saeculi super eam.

Os justi meditábitur sapiéntiam, * et lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus: * et non supplantabúntur gressus ejus.

Considerat peccátor justum: * et quaerit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus: * nec damnábit eum, cum judicábitur illi.

Expécta Dñum, et custódi viam ejus: et exaltábit te ut haereditáte cápias terram: * cum períerint peccatóres vidébis.

Vidi impium superexaltátum, * et elevátum sicut cedros Líbani.

Et transívi, et ecce non erat: * et quaesívi eum, et non est invéntus locus ejus.

Custódi innocéntiam, et vide aequitátem: * quóniam sunt relíquiae hómini pacífico.

Injústi autem disperíbunt simul: * relíquiae impiórum interíbunt.

Salus autem justórum a Dómino: * et protéctor eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dñus et liberábit eos: * et éruet eos a peccatóribus, et salvábit eos: quia speravérunt in eo.

Psalmus xxxvii.

DOMINE, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagíttae tuae infíxae sunt mihi: * et confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea a fácie irae tuae: * non est pax óssibus meis a fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meae supergréssae sunt caput meum: * et sicut onus grave gravátae sunt super me.

Putruérunt, et corrúptae sunt cicatríces meae, * a fácie insipiéntiae meae.

Miser factus sum, et curvátus sum usque in finem: * tota die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus: * et non est sánitas in carne mea.

Afflictus sum, et humiliátus sum nimis: * rugiébam a gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum: * et gémitus meus a te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, dereliquit me virtus mea : * et lumen oculórum meórum, et ipsum non est mecum.

Amíci mei, et próximi mei * advérsum me appropinquavérunt, et stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longe stetérunt: * et vim faciébant qui quaerébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes:* et dolos tota die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam : * et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens:* et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi : * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei:* et dum commoventur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum:* et dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo : * et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, et confirmáti sunt super me : * et multiplicáti sunt qui odérunt me iníque.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi : * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dñe Deus meus : * ne discésseris a me.

Inténde in adjutórium meum,* Dómine Deus salútis meae.

Añ. Revéla Dño viam tuam.

Per Ann. ℣. Dñe, in coelo misericórdia tua. ℟. Et véritas tua usque ad nubes.

Prouno Mart. ℣. Glória et honóre coronásti eum, Dñe. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Pro pluribus Martyribus, ℣. Laetámini in Dño, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Pro Confessore Pontifice et non Pontifice, ℣. Amávit eum Dñus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Pro una Sancta, ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

AD LAUDES.

℣. Deus in adjutórium meum inténde, ut supra. 18.

Antiphona. Miserére.

Psalmus l.

MISERERE mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónũ tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta et occúlta sapiéntiae tuae manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et laetítiam : * et exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi laetítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meae : * et exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion : * ut aedificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiae, oblatiónes, et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ána. Miserére mei, Deus. Antiphona. Intéllige.

Psalmus v.

VERBA mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meae, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dñe, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes

omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus:* ego autem in multitúdine misericórdiae tuae.

Introíbo in domum tuam : * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua:* propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos : * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et laeténtur omnes, qui sperant in te,* in aetérnum exultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum : * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonae voluntátis tuae * coronásti nos.

Ána. Intéllige clamórem meum, Dómine.

Ána. Deus Deus meus, ad te de luce vígilo.

Psal. idem ut supra. 18.

Antiph. Convérsus est.

Cantic. Isaiae Prophetae. *Cap.* xii.

CONFITEBOR tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi : * convérsus est furor tuus et consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus, * fiduciáliter agam, et non timébo :

Quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris:* et dicétis in illa die : Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus :

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus : * mementóte quóniam excélsum est nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit : * annuntiáte hoc in univérsa terra.

Exúlta, et lauda habitátio Sion : * quia magnus in médio tui sanctus Israël.

Ána. Convérsus est furor tuus, Dómine, et consolátus es me.

Ána. Laudáte Dñum de coelis.

Psal. idem ut supra. 20.

Capitulum sequens dicit. in feriali Officio, ab Oct. Pentec. usque ad Advent.

Capitulum. *Rom.* xiii. *d.*

NOX praecéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera

tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus.

SPLENDOR Patérnae glóriae,
De luce lucem próferens,
Lux lucis, et fons lúminis,
Diem dies illúminans:
Verúsque sol illábere,
Micans nitóre pérpeti:
Jubárque Sancti Spíritus
Infúnde nostris sénsibus.
Votis vocémus et Patrem,
Patrem poténtis grátiae,
Patrem perénnis glóriae,
Culpam reléget lúbricam.
Confírmet actus strénuos,
Dentes retúndat ínvidi,
Casus secúndet ásperos:
Agénda recte dírigat.
Mentem gubérnet et regat,
Sit pura nobis cástitas:
Fides calére férveat,
Fraudis venéna nésciat.
Christúsque nobis sit cibus,
Potúsque noster sit fides:
Laeti bibámus sóbriam
Profusiónem Spíritus.
Laetus dies hic tránseat:
Pudor sit ut dilúculum:
Fides velut meridies:
Crepúsculum mens nésciat.
Auróra lucem próvehit,
Cum luce nobis pródeat
In Patre totus Filius,
Et totus in Verbo Pater.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Filio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

Per Annum, ℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exultávimus, et delectáti sumus.

Ad Bened. Ánt. Benedíctus ✠ Dñus Deus Israël.

In Feriis Vigiliarum quae jejunantur, post Antiphonam ad Benedict. dicuntur sequentes Preces flexis genibus; aliis temporibus non dicuntur.

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster totum dicitur clara voce.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Ego dixi, Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

℣. Convértere, Dómine, úsquequo. ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent.

℣. Dómine, salvum fac regem. ℟. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic

haereditáti tuae. ℟. Et rege eos, et extólle illos usque in aetérnum.

℣. Meménto congregatiónis tuae. ℟. Quam possédísti ab inítio.

℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem aetérnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

℣. Pro frátribus nostris absséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te.

℣. Pro afflíctis et captívis. ℟. Líbera eos, Deus Israël, ex ómnibus tribulatiónibus suis.

℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Deinde dic. Psalmus cxxix.

DE profúndis clamávi ad te, Dñe : * Dómine, exáudi vocem meam:

Fiant aures tuae intendéntes, * in vocem deprecatiónis meae.

Si iniquitátes observáveris, Dñe : * Dómine, quis sustinébit ?

Quia apud te propitiátio est: * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dñum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri, etc.

Finito Psalmo, dicitur

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

℣. Exúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Deinde dicitur Oratio propria.

Et quando in feriali Officio fiunt commemorationes communes de S. Maria, de S. Joseph, de Apostolis, et de Pace, ante eas tam in Laudibus quam in Vesperis fit sequens commemoratio de Cruce.

Añ. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Orémus. Oratio.

PERPETUA nos, quaesumus Dómine, pace custódi : quos per lignum sanctae Crucis redímere dignátus es.

Quae commem. de Cruce fit etiam, quando non dicuntur Preces, in feriali tantum Officio.

FERIA TERTIA

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Jubilémus Deo, * Salutári nostro.

Psalmus. Veníte. 2.

Hymnus.

CONSORS Patérni lúminis,
Lux ipse lucis, et dies :
Noctem canéndo rúmpimus,
Assíste postulántibus.

Aufer ténebras méntium,
Fuga catérvas daemonum,
Expélle somnoléntiam,
Ne pigritántes óbruat.

Sic, Christe, nobis ómnibus
Indúlgeas credéntibus,
Ut prosit exorántibus,
Quod praecinéntes psállimus.

Praesta, Pater píssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne saeculum. Amen.

Ána. Ut non delínquam.

Psalmus xxxviii.

DIXI : Custódiam vias meas : * ut non delínquam in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam, * cum consisteret peccátor advérsum me.

Obmútui, et humiliátus sum, et sílui a bonis : * et dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me : * et in meditatióne mea exardéscet ignis.

Locútus sum in lingua mea : * notum fac mihi, Dómine, finem meum,

Et númerum diérum meórum quis est : * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos : * et substántia mea tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérsa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránsit homo : * sed et frustra conturbátur.

Thesaurízat : * et ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quae est expectátio mea? nonne Dñus? * et substántia mea apud te est.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me: * oppróbrium insipiénti dedísti me.

Obmútui, et non apérui os meum, quóniam tu fecísti : * ámove a me plagas tuas.

A fortitúdine manus tuae ego defeci in increpatiónibus : * propter iniquitátem corripuísti hóminem.

Et tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus : * verúmtamen vane conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam, Dómine, et deprecatiónem meam : * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas : quóniam ádvena ego sum apud te, et peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer priúsquam ábeam, * et ámplius non ero.

Psalmus xxxix.

EXPECTANS expectávi Dóminum, * et inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas : * et edúxit me de lacu misériae, et de luto faecis.

Et státuit super petram pedes meos : * et diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi et timébunt : * et sperábunt in Dño.

Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus : * et non respéxit in vanitátes et insánias falsas.

Multa fecísti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua : * et cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi et locútus sum : * multiplicáti sunt super número.

Sacrifícium et oblatiónem noluísti : * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum et pro peccáto non postulásti : * tunc dixi : Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me ut fácerem voluntátem tuam : * Deus meus vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiã tuam in ecclésia magna, * ecce lábia mea non prohibébo : Dómine, tu scísti.

Justítiam tuam non abscóndi in corde meo : * veritátem tuam et salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam et veritátem tuam * a concílio multo.

Tu autem, Dñe, ne longe fácias miseratiónes tuas a me : * misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniã circumdedérunt me mala, quorum non est número : * comprehendérunt me iniquitátes meae, et non pótui ut vidérem.

Multiplicátae sunt super capíllos cápitis mei : * et cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me : * Dómine, ad adjuvándum me réspice.

Confundántur et revereántur simul, qui quaerunt

ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertántur retrórsum, et revereántur, * qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusiónem suam, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exúltent, et laeténtur super te omnes quaeréntes te : * et dicant semper : Magnificétur Dñus : qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum, et pauper: * Dóminus sollícitus est mei.

Adjútor meus, et protéctor meus tu es : * Deus meus, ne tardáveris.

Ánt. Ut non delínquam in lingua mea.

Antiphona. Sana.

Psalmus xl.

BEATUS, qui intélligit super egénum et páuperem : * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra: * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miserére mei : * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi:* quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur, * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, * et loquebátur in idípsum.

Advérsum me susurrábant omnes inimíci mei: * advérsum me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsum me : * Numquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meae, in quo sperávi : * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dñe, miserére mei, et resúscita me : * et retríbuam eis.

In hoc cognóvi, quóniam voluísti me: * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti: * et confirmásti me in conspéctu tuo in aetérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israël a saeculo, et usque in saeculum : * fiat, fiat.

Psalmus xli.

QUEMADMODUM desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum : *

quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymae meae panes die ac nocte: * dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus?

Haec recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam: * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis et confessiónis: * sonus epulántis.

Quare tristis es, ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est: * propterea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam: * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitae meae, * dicam Deo: Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei * et quare contristátus incédo, dum affligit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi, qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies: Ubi est Deus tuus? * quare tristis es, ánima mea, et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Añ. Sana, Dñe, ánimam meam, quia peccávi tibi.

Antiphona. Eructávit.

Psalmus xliii.

DEUS, áuribus nostris audívimus: * patres nostri annuntiavérunt nobis.

Opus, quod operátus es in diébus eórum, * et in diébus antíquis.

Manus tua Gentes dispérdidit, et plantásti eos: * afflixisti pópulos, et expulísti eos.

Nec enim in gládio suo possedérunt terram, * et bráchium eórum non salvávit eos:

Sed déxtera tua, et bráchium tuum, et illuminátio vultus tui: * quóniam complacuísti in eis.

Tu es ipse Rex meus et Deus meus: * qui mandas salútes Jacob.

In te inimícos nostros ventilábimus cornu, * et in nómine tuo spernémus insurgéntes in nobis.

Non enim in arcu meo sperábo : * et gládius meus non salvábit me.

Salvásti enim nos de afflígéntibus nos : * et odiéntes nos confudísti.

In Deo laudábimur tota die : * et in nómine tuo confitébimur in saeculum.

Nunc autem repulísti et confudísti nos : * et non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris.

Avertísti nos retrórsum post inimícos nostros : * et qui odérunt nos, diripiébant sibi.

Dedísti nos tamquam oves escárum : * et in Géntibus dispersísti nos.

Vendidísti pópulum tuum sine prétio : * et non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Posuísti nos oppróbrium vicínis nostris, * subsannatiónem et derísum his, qui sunt in circúitu nostro.

Posuísti nos in similitúdinem géntibus: * commotiónem cápitis in pópulis.

Tota die verecúndia mea contra me est, * et confúsio faciéi meae coopéruit me.

A voce exprobrántis, et obloquéntis: * a fácie inimíci, et persequéntis.

Haec ómnia venérunt super nos, nec oblíti sumus te : * et iníque non égimus in testaménto tuo.

Et non recéssit retro cor nostrum : * et declinásti sémitas nostras a via tua :

Quóniam humiliásti nos in loco afflictiónis, * et coopéruit nos umbra mortis.

Si obliti sumus nomen Dei nostri, * et si expándimus manus nostras ad deum aliénum :

Nonne Deus requíret ista ? * ipse enim novit abscóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur tota die : * aestimáti sumus sicut oves occisiónis.

Exúrge, quare obdórmis, Dómine ? * exúrge, et ne repéllas in finem.

Quare fáciem tuam avértis, * oblivísceris inópiae nostrae, et tribulatiónis nostrae ?

Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra: * conglutinátus est in terra venter noster.

Exúrge, Dómine, ádjuva nos : * et rédime nos propter nomen tuum.

Psalmus xliv.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribae, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma prae fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : * propterea benedíxit te Deus in aetérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum,* potentíssime.

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna,

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justitiam :* et dedúcet te mirabiliter déxtera tua.

Sagíttae tuae acútae, pópuli sub te cadent,* in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo laetítiae prae consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te filiae regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi filia, et vide, et inclína aurem tuam: * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dñus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et filiae Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus flliae Regis ab intus,* in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi virgines post eam : * próximae ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in laetítia et exultatióne : * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constitues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in aetérnum : * et in saeculum saeculi.

Ant. Eructávit cor meum verbum bonum.

Antiphona. Adjútor.

Psalmus xlv.

DEUS noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quae invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátae sunt aquae eórum:* conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus laetíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus, in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátae sunt Gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dñi, quae pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terrae.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in Géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob

Psalmus xlvi.

OMNES Gentes pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis: * et Gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis haereditátem suam: * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo : * et Dóminus in voce tubae.

Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terrae Deus : * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super Gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham : * quóniam dii fortes terrae veheménter eleváti sunt.

Ańa. Adjútor in tribulatiónibus.

Antiphona. Magnus Dóminus.

Psalmus xlvii.

MAGNUS Dóminus, et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne universae terrae mons Sion, * látera Aquilónis, civitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terrae congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis, * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in aetérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam,* in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae : * justítia plena est déxtera tua.

Laetétur mons Sion, et exúltent filiae Judae,* propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in aetérnum, et in saeculum saeculi:* ipse reget nos in saecula.

Psalmus xlviii.

AUDITE haec, omnes Gentes : * áuribus percípite omnes, qui habitátis orbem :

Quique terrígenae, et fílii hóminum : * simul in unum dives et pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam : * et meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam : * apériam in psaltério propositiónem meam.

Cur timébo in die mala?* iníquitas calcánei mei circúmdabit me :

Qui confídunt in virtúte sua : *et in multitúdine divitiárum suárum gloriántur.

Frater non rédimit, rédimet homo:* non dabit Deo placatiónem suam.

Et prétium redemptiónis ánimae suae : * et laborábit in aetérnum, et vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, cum víderit sapiéntes moriéntes:* simul insípiens,et stultus períbunt.

Et relínquent aliénis divítias suas: * et sepúlchra eórum domus illórum in aetérnum.

Tabernácula eórum in progénie, et progénie:* vocavérunt nómina sua in terris suis.

Et homo, cum in honóre esset, non intelléxit : * comparátus est juméntis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Haec via illórum scándalum ipsis : * et póstea in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inférno pósiti sunt : * mors depáscet nos.

Et dominabúntur eórum justi in matutino:* et auxílium eórum veteráscet in inférno a glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cum accéperit me.

Ne timúeris, cum dives factus fúerit homo:* et cum multiplicáta fúerit glória domus ejus.

Quóniam cum interíerit, non sumet ómnia : * neque

descéndet cum eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vita ipsíus benedicétur: * confitébitur tibi cum beneféceris ei.

Introíbit usque in progénies patrum suórum: * et usque in aetérnum non vidébit lumen.

Homo, cum in honóre esset, non intelléxit: * comparátus est juméntis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Ant. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis.

Ant. Deus deórum.

Psalmus xlix.

DEUS deórum Dñus locútus est: * et vocávit terram,

A solis ortu usque ad occásum: * ex Sion spécies decóris ejus.

Deus maniféste véniet: * Deus noster et non silébit.

Ignis in conspéctu ejus exardéscet: * et in circúitu ejus tempéstas válida.

Advocábit coelum desúrsum: * et terram discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos ejus: * qui órdinant testaméntum ejus super sacrifícia.

Et annuntiábunt coeli justítiam ejus: * quóniam Deus judex est.

Audi pópulus meus, et loquar: Israël, et testificábor tibi: * Deus Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te: * holocáusta autem tua in conspéctu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos: * neque de grégibus tuis hircos.

Quóniam meae sunt omnes ferae silvárum, * juménta in móntibus et boves.

Cognóvi ómnia volatília coeli: * et pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dícam tibi: * meus est enim orbis terrae, et plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum? * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrifícium laudis: * et redde Altíssimo vota tua.

Et invóca me in die tribulatiónis: * éruam te, et honorificábis me.

Peccatóri autem dixit Deus: * Quare tu enárras justítias meas, et assúmis testaméntum meum per os tuum?

Tu vero odisti disciplínam: * et projecisti sermónes meos retrórsum:

Si vidébas furem, currébas cum eo: * et cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítia: * et lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsus fratrem tuum loquebáris, et advérsus fílium matris tuae ponébas scándalum : * haec fecísti, et tácui.

Existimásti iníque quod ero tui símilis : * árguam te, et státuam contra fáciem tuam.

Intellígite haec qui oblivíscimini Deum : * nequándo rápiat, et non sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me : * et illic iter, quo osténdam illi salutáre Dei.

Psalmus li.

QUID gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte?

Tota die injustítiam cogitávit lingua tua : * sicut novácula acúta fecísti dolum.

Dilexísti malítiam super benignitátem: * iniquitátem magis quam loqui aequitátem.

Dilexísti ómnia verba praecipitatiónis, * lingua dolósa.

Proptérea Deus déstruet te in finem, * evéllet te, et emigrábit te de tabernáculo tuo : et radícem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt justi, et timébunt, et super eum ridébunt, et dicent : * Ecce homo, qui non pósuit Deum adjutórem suum :

Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum : * et praeváluit in vanitáte sua.

Ego autem, sicut oliva fructífera in domo Dei, * sperávi in misericórdia Dei in aetérnum: et in saeculum saeculi.

Confitébor tibi in saeculum, quia fecísti : * et expectábo nomen tuum, quóniam bonum est in conspéctu sanctórum tuórum.

Ańa. Deus deórum Dóminus locútus est.

Per Annum, ℣. Immola Deo sacrifícium laudis. ℟. Et redde Altíssimo vota tua.

Pro uno Martyre, ℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Pro pluribus Martyribus, ℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in laetítia.

Pro Confessore Pontifice, ℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Pro Confessore non Pontifice, ℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Pro una Sancta, ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

AD LAUDES.

Antiphona. Dele, Dómine, * iniquitátem meam. Psalmus Miserére, ut supra. 59.

Añ. Salutáre.

Psalmus xlii.

JUDICA me, Deus, et discérne causam meam de gente non sancta, * ab hómine iniquo, et dolóso érue me.

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea : * quare me repulísti? et quare tristis incédo, dum affligit me inimícus?

Emítte lucem tuam et veritátem tuam : * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei: * ad Deum, qui laetíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus Deus meus : * quare tristis es ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Añ. Salutáre vultus mei, et Deus meus.

Añ. Ad te de luce * vígilo, Deus.

Ps. Deus, Deus meus. 19.

Antiphona. Cunctis diébus.

Canticum Ezechiae *Isaiae* xxxviii. *b.*

EGO dixi : In dimídio diérum meórum * vadam ad portas ínferi.

Quaesívi resíduum annórum meórum : * dixi : Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium.

Non aspíciam hóminem ultra, * et habitatórem quiétis.

Generátio mea ablàta est, et convolúta est a me, * quasi tabernáculum pastórum.

Praecísa est velut a texénte, vita mea : dum adhuc ordírer, succidit me : * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad mane, * quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea :

De mane usque ad vésperam fínies me: * sicut pullus hirúndinis sic clamábo, meditábor ut colúmba :

Attenuáti sunt óculi mei, * suspiciéntes in excélsum :

Dómine, vim pátior, respónde pro me. * Quid dicam, aut quid respondébit mihi, cum ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimae meae.

Dómine, si sic vivitur, et in tálibus vita spíritus mei, corrípies me, et vivificábis me. * Ecce in pace amaritúdo mea amarissima :

Tu autem eruísti ánimam meam ut non períret : * projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te : * non expectábunt qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi, sicut et ego hódie : * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, salvum me fac, * et psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitae nostrae in domo Dómini.

Ańa. Cunctis diébus vitae nostrae salvos nos fac, Dñe.

Ańa. Omnes Angeli * ejus, laudáte Dñum de coelis.

Psalm. Laudáte Dóminum de coelis. 20.

Capitulum. *Rom.* xiii. *d.*

NOX praecéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus.

ALES diéi núntius
Lucem propínquam praecínit :
Nos excitátor méntium
Jam Christus ad vitam vocat.

Auférte, clamat, léctulos,
Ægro sopóre désides :
Castíque, recti, ac sóbrii
Vigiláte, jam sum próximus.

Jesum ciámus vócibus,
Flentes, precántes, sóbrii :
Inténta supplicátio
Dormíre cor mundum vetat.

Tu, Christe, somnum díscute :
Tu rumpe noctis víncula :
Tu solve peccátum vetus,
Novúmque lumen íngere.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito
Nunc et per omne saeculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exultávimus, et delectáti sumus.

Ad Bened. Ańa. Eréxit nobis * Dñus cornu salútis in domo David púeri sui.

Preces quando dic. habentur supra in Feria ii. 62.

FERIA QUARTA
AD MATUTINUM.

Invit. In manu tua, Dómine, * Omnes fines terrae.

Psalmus. Venite. 2.

Hymnus.

RERUM Creátor óptime,
Rectórque noster, áspice :
Nos a quiéte nóxia
Mersos sopóre líbera :

Te, sancte Christe, póscimus,
Ignósce culpis ómnibus :
Ad confiténdum súrgimus,
Morásque noctis rúmpimus.

Mentes manúsque tóllimus,
Prophéta sicut nóctibus
Nobis geréndum praecipit,
Paulúsque gestis cénsuit.
Vides malum, quod fécimus :
Occúlta nostra pándimus :
Preces geméntes fúndimus,
Dimítte quod peccávimus.
Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saeculum. Amen.
Ańa. Avértit Dóminus.

Psalmus liii.

DIXIT insípiens in corde suo : * Non est Deus.

Corrúpti sunt, et abominábiles facti sunt in iniquitátibus : * non est qui fáciat bonum.

Deus de coelo prospéxit super fílios hóminum : * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis ?

Deum non invocavérunt : * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent : * confúsi sunt, quóniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israël ? * cum convérterit Deus captivitátem plebis suae, exultábit Jacob, et laetábitur Israël.

Psalmus liv.

EXAUDI, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam : * inténde mihi, et exáudi me.

Contristátus sum in exercitatióne mea : * et conturbátus sum a voce inimíci, et a tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes : * et in ira molésti erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me : * et formído mortis cécidit super me.

Timor et tremor venérunt super me : * et contexérunt me ténebrae :

Et dixi : Quis dabit mihi pennas sicut colúmbae, * et volábo, et requiéscam ?

Ecce elongávi fúgiens : * et mansi in solitúdine.

Expectábã eum, qui salvum me fecit * a pusillanimitáte spíritus, et tempestáte.

Praecípita, Dñe, divide linguas eórum : * quóniam vidi iniquitátem, et contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas : * et labor in médio ejus, et injustítia.

Et non defécit de platéis ejus * usúra, et dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixísset mihi, * sustinuíssem útique.

Et si is, qui óderat me, super me magna locútus fuísset : * abscondíssem me fórsitan ab eo.

Tu vero, homo unánimis, * dux meus, et notus meus :

Qui simul mecum dulces capiébas cibos : * in domo Dei ambulávimus cum consénsu.

Véniat mors super illos: * et descéndant in inférnum vivéntes :

Quóniam nequítiae in habitáculis eórum : * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi: * et Dñus salvábit me.

Véspere, et mane, et merídie narrábo et annuntiábo : * et exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his, qui appropínquant mihi : * quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, et humiliábit illos, * qui est ante saecula.

Non enim est illis commutátio, et non timuérunt Deum : * exténdit manum suam in retribuéndo.

Contaminavérunt testaméntum ejus, divísi sunt ab ira vultus ejus : * et appropinquávit cor illíus.

Mollíti sunt sermónes ejus super óleum : * et ipsi sunt jácula.

Jacta super Dñum curam tuam, et ipse te enútriet : * non dabit in aetérnum fluctuatiónem justo.

Tu vero, Deus, dedúces eos, * in púteum intéritus.

Viri sánguinum, et dolósi non dimidiábunt dies suos : * ego autem sperábo in te, Dómine.

Ańa. Avértit Dóminus captivitátem plebis suae.

Ańa. Quóniam.

Psalmus lv.

MISERERE mei, Deus, quóniam conculcávit me homo : * tota die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei tota die : * quóniam multi bellántes advérsum me.

Ab altitúdine diéi timébo : * ego vero in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi : * non timébo quid fáciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabántur : * advérsum me omnes cogitatiónes eórum, in malum.

Inhabitábunt et abscóndent : * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo

salvos fácies illos : * in ira pópulos confrínges.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi : * posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo,

Sicut et in promissióne tua : * tunc converténtur inimíci mei retrórsum :

In quacúmque die invocávero te : * ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo sermónem : * in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua, * quae reddam, laudatiónes tibi.

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, et pedes meos de lapsu : * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Psalmus lvi.

MISERERE mei, Deus, miserére mei : * quóniam in te confídit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum sperábo, * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum Altíssimum : * Deum qui benefécit mihi.

Misit de coelo, et liberávit me : * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam, * et erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum : dormívi conturbátus.

Fílii hóminum dentes eórum arma et sagíttae : * et lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super coelos, Deus : * et in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis : * et incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam : * et incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum : * cantábo, et psalmum dicam.

Exúrge glória mea, exúrge psaltérium et cíthara : * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine : * et psalmum dicam tibi in géntibus :

Quóniam magnificáta est usque ad coelos misericórdia tua, * et usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super coelos, Deus : * et super omnem terram glória tua.

Añ. Quóniam in te confídit ánima mea.

Añ. Justa judicáte.

Psalmus lvii.

SI vere útique justítiam loquímini : * recta judicáte fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini : * in terra

injustítias manus vestrae concínnant.

Alienáti sunt peccatóres a vulva, erravérunt ab útero: * locúti sunt falsa.

'Furor illis secúndũ similitúdinem serpéntis: * sicut áspidis surdae, et obturántis aures suas,

Quae non exáudiet vocem incantántium: * et venéfici incantántis sapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum: * molas leónum confríngat Dñus.

Ad níhilum devénient tamquam aqua decúrrens: * inténdit arcum suum donec infirméntur.

Sicut cera, quae fluit, auferéntur: * supercécidit ignis, et non vidérunt solem.

Priúsquam intellígerent spinae vestrae rhamnum: * sicut vivéntes, sic in ira absórbet eos.

Laetábitur justus cum víderit vindíctam: * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

Et dicet homo: Si útique est fructus justo: * útique est Deus júdicans eos in terra.

Psalmus lviii.

ERIPE me de inimícis meis, Deus meus: * et ab insurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem: * et de viris sánguinum salva me.

Quia ecce cepérunt ánimam meam: * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine: * sine iniquitáte cucúrri, et diréxi.

Exúrge in occúrsum meum, et vide: * et tu, Dñe Deus virtútum, Deus Israël,

Inténde ad visitándas omnes gentes: * non miseréaris ómnibus, qui operántur iniquitátem.

Converténtur ad vésperam: et famem patiéntur ut canes, * et circuíbunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore suo, et gládius in lábiis eórum: * quóniam quis audívit?

Et tu, Dómine, deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te custódiam, quia Deus susceptor meus es: * Deus meus, misericórdia ejus praevéniet me.

Deus osténdet mihi super inimícos meos, ne occídas eos: * nequándo obliviscántur pópuli mei.

Dispérge illos in virtúte tua: * et depóne eos, protéctor meus, Dómine:

Delíctum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum: * et comprehendántur in supérbia sua.

Et de execratióne et mendácio annuntiabúntur in

consummatióne : * in ira consummatiónis, et non erunt.

Et scient quia Deus dominábitur Jacob : * et finium terrae.

Converténtur ad vésperam, et famem patiéntur ut canes : * et circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergéntur ad manducándum : * si vero non fúerint saturáti, et murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam : * et exultábo mane misericórdiam tuam.

Quia factus es suscéptor meus, * et refúgium meum, in die tribulatiónis meae.

Adjútor meus tibi psallam, quia Deus suscéptor meus es : * Deus meus, misericórdia mea.

Ant. Justa judicáte fílii hóminum.

Ant. Da nobis.

Psalmus lix.

DEUS, repulísti nos, et destruxísti nos : * irátus es, et misértus es nobis.

Commovísti terram, et conturbásti eam : * sana contritiónes ejus, quia commóta est.

Ostendísti pópulo tuo dura : * potásti nos vino compunctiónis.

Dedísti metuéntibus te significatiónem : * ut fúgiant a fácie arcus :

Ut liberéntur dilécti tui : * salvum fac déxtera tua, et exáudi me.

Deus locútus est in sancto suo : * Laetábor, et partíbor Síchimam : et convállem tabernaculórum metíbor.

Meus est Gálaad, et meus est Manásses : * et Ephraïm fortitúdo cápitis mei.

Juda rex meus : * Moab olla spei meae.

In Idumaeam exténdam calceaméntum meum : * mihi alienígenae súbditi sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam ? * quis dedúcet me usque in Idumaeam ?

Nonne tu, Deus, qui repulísti nos : * et non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris ?

Da nobis auxílium de tribulatióne : * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem : * et ipse ad níhilum dedúcet tribulántes nos.

Psalmus lx.

EXAUDI, Deus, deprecatiónem meam : * inténde oratióni meae.

A finibus terrae ad te clamávi : * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea : * turris fortitúdinis a fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in saecula : * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónẽ meam : * dedísti haereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies : * annos ejus usque in diem generatiónis et generatiónis.

Pérmanet in aetérnum in conspéctu Dei : * misericórdiam et veritátem ejus quis requíret ?

Sic psalmum dicam nómini tuo in saeculum saeculi : * ut reddam vota mea de die in diem.

Ańa. Da nobis, Dómine, auxílium de tribulatióne.

Ańa. Nonne Deo.

Psalmus lxi.

NONNE Deo subjécta erit ánima mea ? * ab ipso enim salutáre meum.

Nam et ipse Deus meus, et salutáris meus : * suscéptor meus, non movébor ámplius.

Quoúsque irrúitis in hóminem ? * interfícitis univérsi vos : tamquam paríeti inclináto et macériae depúlsae ?

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere, cucúrri in siti : * ore suo benedicébant, et corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subjécta esto ánima mea : * quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus, et salvátor meus : * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo salutáre meum, et glória mea : * Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est.

Speráte in eo omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra : * Deus adjútor noster in aetérnum.

Verúmtamen vani fílii hóminum, mendáces fílii hóminum in statéris : * ut decípiant ipsi de vanitáte in idípsum.

Nolíte speráre in iniquitáte, et rapínas nolíte concupíscere : * divítiae si áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus est Deus, duo haec audívi, quia potéstas Dei est, et tibi, Dómine, misericórdia : * quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

Psalmus lxiii.

EXAUDI, Deus, oratiónem meam cum déprecor : * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium : * a multitúdine operántium iniquitátẽ.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : * intendérunt arcum rem amáram,

ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt : * firmavérunt sibi sermónē nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos : * dixérunt : Quis vidébit eos ?

Scrutáti sunt iniquitátes : * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum : * et exaltábitur Deus.

Sagíttae parvulórum factae sunt plagae eórum : * et infirmátae sunt contra eos linguae eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : * et timuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei : * et facta ejus intellexérunt.

Laetábitur justus in Dño, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Añа. Nonne Deo subjécta erit ánima mea ?

Añа. Benedícite.

Psalmus lxv.

JUBILATE Deo omnis terra, psalmum dícite nómini ejus : * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo quam terribília sunt ópera tua, Dómine ! * in multitúdine virtútis tuae mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, et psallat tibi : * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte, et vidéte ópera Dei : * terríbilis in consíliis super fílios hóminum.

Qui convértit mare in áridam, in flúmine pertransíbunt pede : * ibi laetábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte sua in aetérnum, óculi ejus super Gentes respíciunt : * qui exásperant non exaltántur in semetípsis.

Benedícite Gentes Deum nostrum : * et auditam fácite vocem laudis ejus,

Qui pósuit ánimam meam ad vitam : * et non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probásti nos, Deus : * igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueum, posuísti tribulatiónes in dorso nostro : * imposuísti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem et aquam : * et eduxísti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocáustis : * reddam tibi vota mea, quae distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meum, * in tribulatióne mea.

Holocáusta medulláta ófferam tibi cum incénso aríetum : * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimae meae.

Ad ipsum ore meo clamávi,* et exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si aspéxi in corde meo,* non exáudiet Dóminus.

Proptérea exaudívit Deus,* et atténdit voci deprecatiónis meae.

Benedíctus Deus,* qui non amóvit oratiónem meam, et misericórdiam suam a me.

Psalmus lxvii.

EXURGAT Deus, et dissipéntur inimíci ejus,* et fúgiant qui odérunt eum, a fácie ejus.

Sicut déficit fumus, déficiant:* sicut fluit cera a fácie ignis, sic péreant peccatóres a fácie Dei.

Et justi epuléntur, et exúltent in conspéctu Dei:* et delecténtur in laetítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus:* iter fácite ei, qui ascéndit super occásum: Dóminus nomen illi.

Exultáte in conspéctu ejus,* turbabúntur a fácie ejus, patris orphanórum, et júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo:* Deus qui inhabitáre facit unius moris in domo:

Qui edúcit vinctos in fortitúdine,* similiter eos, qui exásperant, qui hábitant in sepúlchris.

Deus, cum egrederéris in conspéctu pópuli tui,* cum pertransíres in desérto:

Terra mota est, étenim coeli distillavérunt a fácie Dei Sinaï,* a fácie Dei Israël.

Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, haereditáti tuae:* et infirmáta est, tu vero perfecísti eam.

Animália tua habitábunt in ea:* parásti in dulcédine tua páuperi, Deus.

Dóminus dabit verbum evangelizántibus,* virtúte multa.

Rex virtútum dilécti dilécti:* et speciéi domus dividere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros, pennae colúmbae deargentátae,* et posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

Dum discérnit coeléstis reges super eam, nive dealbabúntur in Selmon:* mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulátus, mons pinguis:* ut quid suspicámini montes coagulátos?

Mons, in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo:* étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia laetántium:* Dóminus in eis in Sina in Sancto.

Ascendísti in altum, cepísti captivitátem:* accepísti dona in homínibus:

Etenim non credéntes,* inhabitáre Dñum Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie : * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciéndi : * et Dñi Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confrínget cápita inimicórum suórum : * vérticem capílli perambulántium in delíctis suis.

Dixit Dóminus : Ex Basan convértam, * convértam in profúndum maris :

Ut intingátur pes tuus in sánguine : * lingua canum tuórum ex inimícis, ab ipso.

Vidérunt ingréssus tuos, Deus, * ingréssus Dei mei: Regis mei qui est in Sancto.

Praevenérunt príncipes conjúncti psalléntibus, * in médio juvenculárum tympanistriárum.

In ecclésiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israël.

Ibi Bénjamin adolescéntulus, * in mentis excéssu.

Príncipes Juda, duces eórum : * príncipes Zábulon, príncipes Néphtali.

Manda, Deus, virtúti tuae : * confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem, * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis, congregátio taurórum in vaccis populórum: * ut exclúdant eos, qui probáti sunt argénto.

Díssipa gentes, quae bella volunt : vénient legáti ex Ægypto : * Æthiópia praeveníet manus ejus Deo.

Regna terrae, cantáte Deo : * psállite Dómino :

Psállite Deo, qui ascéndit super coelum coeli, * ad Oriéntem.

Ecce dabit voci suae vocem virtútis, date glóriam Deo super Israël, * magnificéntia ejus, et virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suae, * benedíctus Deus.

Aña. Benedícite, Gentes, Deum nostrum.

Per Annum, ℣. Deus, vitam meam annuntiávi tibi. ℟. Posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Pro uno Martyre, ℣ Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Pro pluribus Martyribus, ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dñum est merces eórum.

Pro Conf. Pont. ℣. Tu es sacérdos in aetérnum. ℟. Secúndum órdinem Melchísedech.

Pro Confes. non Pontif. ℣. Lex Dei ejus in corde

ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus.

Pro una Sancta, ℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD LAUDES.

Ant. Amplius lava me, Dñe, ab injustítia mea.

Psalm. Miserére, ut supra. 59.

Antiphona. Te decet.

Psalmus lxiv.

E decet hymnus, Deus, in Sion : * et tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exáudi oratiónem meam: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum praevaluérunt super nos : * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus, quem elegísti, et assumpsísti : * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuae : * sanctum est templum tuum, mirábile in aequitáte.

Exáudi nos, Deus, salutáris noster, * spes ómnium finium terrae, et in mari longe.

Praeparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia : * qui contúrbas profúndum maris sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, et timébunt qui hábitant términos a signis tuis : * éxitus matutíni, et véspere delectábis.

Visitásti terram et inebriásti eam : * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum : * quóniam ita est praeparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus : * in stillicídiis ejus laetábitur gérminans.

Benedíces corónae anni benignitátis tuae: * et campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti : * et exultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, et valles abundábunt fruménto : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Te decet hymnus, Deus, in Sion.

Ant. Lábia mea * laudábunt te in vita mea, Deus meus.

Psalm. Deus, Deus meus, ut supra. 19.

Ant. Dóminus judicábit.

Canticum Annae.

1 *Reg.* ii.

EXULTAVIT cor meum in Dómino, * et exaltátum est cornu meum in Deo meo :

Dilatátum est os meum super inimícos meos : * quia laetáta sum in salutári tuo.

Non est sanctus, ut est Dñus : neque enim est álius extra te, * et non est fortis sicut Deus noster.

Nolíte multiplicáre loqui sublímia, * gloriántes :

Recédant vétera de ore vestro: quia Deus scientiárum, Dóminus est, * et ipsi praeparántur cogitatiónes.

Arcus fórtium superátus est, * et infirmi accíncti sunt róbore.

Repléti prius, pro pánibus se locavérunt : * et famélici saturáti sunt,

Donec stérilis péperit plúrimos : * et quae multos habébat filios, infirmáta est.

Dóminus mortíficat et vivíficat, * dedúcit ad ínferos et redúcit.

Dñus páuperem facit et ditat, * humíliat et súblevat.

Súscitat de púlvere egénum, * et de stércore élevat páuperem :

Ut sédeat cum princípibus, * et sólium glóriae téneat.

Dómini enim sunt cárdines terrae, * et pósuit super eos orbem.

Pedes sanctórum suórum servábit, et ímpii in ténebris conticéscent: * quia non in fortitúdine sua roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adversárii ejus : * et super ipsos in coelis tonábit :

Dóminus judicábit fines terrae, et dabit impérium Regi suo, * et sublimábit cornu Christi sui.

Añ. Dóminus judicábit fines terrae.

Añ. Coeli coelórum * laudáte Deum.

Psalm. Laudáte Dóminum de coelis. 20.

Capitulum. *Rom.* xiii. *d.*

NOX praecéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus.

NOX et ténebrae et núbila,
Confúsa mundi et túrbida :
Lux intrat, albéscit polus :
Christus venit, discédite.

Calígo terrae scínditur
Percússa solis spículo,
Rebúsque jam color redit,
Vultu niténtis síderis.

Te, Christe, solum nóvimus :
Te mente pura et símplici,
Flendo et canéndo quaesumus,
Inténde nostris sénsibus.

Sunt multa fucis íllita,
Quae luce purgéntur tua :
Tu vera lux coeléstium
Vultu seréno illúmina.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exultávimus, et delectáti sumus.

Ad Bened. Ańa. De manu ómnium, * qui odérunt nos, líbera nos, Dómine.

Preces quando dic., habentur supra in Feria ii. 62.

FERIA QUINTA
AD MATUTINUM.

Invitator. Dóminum qui fecit nos, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

DOX atra rerum cóntegit
Terrae colóres ómnium :
Nos confiténtes póscimus
Te, juste judex córdium.

Ut áuferas piácula,
Sordésque mentis ábluas:
Donésque, Christe, grátiam,
Ut arceántur crímina.

Mens ecce torpet ímpia,
Quam culpa mordet nóxia :
Obscúra gestit tóllere,
Et te, Redémptor, quaerere.

Repélle tu calíginem,
Intrínsecus quam máxime,
Ut in beáto gáudeat
Se collocári lúmine.

Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

Ańa. Dómine Deus.

Psalmus lxviii.

SALVUM me fac, Deus : * quóniam intravérunt aquae usque ad ánimam meam.

Infíxus sum in limo profúndi : * et non est substántia.

Veni in altitúdinem maris : * et tempéstas demérsit me.

Laborávi clamans, raucae factae sunt fauces meae : * defecérunt óculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capíllos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei injúste : * quae non rápui, tunc exsolvébam.

Deus, tu scis insipiéntiam meam : * et delícta mea a te non sunt abscóndita.

Non erubéscant in me qui expéctant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur super me * qui quaerunt te, Deus Israël.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium : * opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum frátribus meis, * et peregrínus fíliis matris meae.

Quóniam zelus domus tuae comédit me : * et oppróbria exprobrántium tibi, cecidérunt super me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam : * et factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestiméntum meum cilícium : * et factus sum illis in parábolam.

Advérsum me loquebántur qui sedébant in porta : * et in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego vero oratiónem meam ad te, Dómine : * tempus benepláciti, Deus.

In multitúdine misericórdiae tuae exáudi me, * in veritáte salútis tuae :

Éripe me de luto, ut non infigar : * líbera me ab iis, qui odérunt me, et de profúndis aquárum.

Non me demérgat tempéstas aquae, neque absórbeat me profúndum : * neque úrgeat super me púteus os suum.

Exáudi me, Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua : * secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

Et ne avértas fáciem tuam a púero tuo : * quóniam tríbulor, velóciter exáudi me.

Inténde ánimae meae, et líbera eam : * propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropérium meum, et confusiónem meam, * et reveréntiam meam.

In conspéctu tuo sunt omnes qui tríbulant me, * impropérium expectávit cor meum, et misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit : * et qui consolarétur, et non invéni.

Et dedérunt in escam meam fel : * et in siti mea potaverunt me acéto.

Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, * et in retributiónes, et in scándalum.

Obscuréntur óculi eórum ne vídeant : * et dorsum eórum semper incúrva.

Effúnde super eos iram tuam : * et furor irae tuae comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum desérta : * et in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt : * et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum : * et non intrent in justítiam tuam.

Deleántur de libro vivéntium : * et cum justis non scribántur.

Ego sum pauper et dolens : * salus tua, Deus, suscépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico : * et magnificábo eum in laude :

Et placébit Deo super vítulum novéllum : * córnua producéntem et úngulas.

Vídeant páuperes et laeténtur : * quaerite Deum, et vivet ánima vestra :

Quóniam exaudívit páuperes Dñus : * et vinctos suos non despéxit.

Laudent illum coeli et terra,* mare, et ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam fáciet Sion : * et aedificabúntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi,* et hacreditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus possidébit eam,* et qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Psalmus lxix.

DEUS, in adjutórium meum inténde : * Dñe, ad adjuvándum me festína.

Confundántur, et revereántur,* qui quaerunt ánimam meam :

Avertántur retrórsum, et erubéscant,* qui volunt mihi mala :

Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exúltent et laeténtur in te omnes qui quaerunt te,* et dicant semper : Magnificétur Dóminus: qui díligunt salutáre tuum.

Ego vero egénus, et pauper sum:* Deus, ádjuva me.

Adjútor meus, et liberátor meus es tu : * Dómine, ne moréris.

Añ. Dómine Deus, in adjutórium meum inténde.

Añ. Esto mihi.

Psalmus lxx.

IN te, Dómine, sperávi, non confúndar in aetérnum : * in justítia tua líbera me, et éripe me.

Inclína ad me aurem tuam,* et salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, et in locum munítum: * ut salvum me fácias,

Quóniam firmaméntum meum,* et refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * et de manu contra legem agéntis et iníqui :

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine : * Dómine, spes mea a juventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero : * de ventre matris meae tu es protéctor meus :

In te cantátio mea semper : * tamquam prodígium factus sum multis: et tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam : * tota die magnitúdinē tuam.

Ne projícias me in témpore senectútis: * cum defécerit virtus mea, ne derelínquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi : * et qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum,

Dicéntes: Deus derelíquit eum, persequímini, et comprehéndite eum: * quia non est qui erípiat.

Deus, ne elongéris a me:* Deus meus, in auxílium meum réspice.

Confundántur, et defíciant detrahéntes ánimae meae : * operiántur confusióne, et pudóre qui quaerunt mala mihi.

Ego autem semper sperábo : * et adjíciam super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiábit justítiam tuam : * tota die salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini : * Dómine, memorábor justítiae tuae solíus.

Deus, docuísti me a juventúte mea : * et usque nunc pronuntiábo mirabília tua.

Et usque in senéctam et sénium : * Deus, ne derelínquas me,

Donec annúntiem bráchium tuum * generatióni omni, quae ventúra est :

Poténtiam tuam, et justítiam tuam, Deus, usque in altíssima, quae fecísti magnália : * Deus, quis símilis tibi?

Quantas ostendísti mihi tribulatiónes multas, et malas : et convérsus vivificásti me : * et de abyssis terrae íterum reduxísti me :

Multiplicásti magnificéntiam tuam : * et convérsus consolátus es me.

Nam et ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam : * Deus, psallam tibi in cithara, sanctus Israël.

Exultábunt lábia mea cum cantávero tibi : * et ánima mea, quam redemísti.

Sed et lingua mea tota die meditábitur justítiam tuam : * cum confúsi et revériti fúerint qui quaerunt mala mihi.

Psalmus lxxi.

DEUS, judícium tuum regi da : * et justítiam tuam fílio regis :

Judicáre pópulum tuum in justítia, * et páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo : * et colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, et salvos fáciet fílios páuperum : * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, et ante lunam, * in generatióne et generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus : * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, et abundántia pacis: * donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare : * et a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes : * et inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et ínsulae múnera ófferent : * reges

Arabum et Saba dona addúcent :

Et adorábunt eum omnes reges terrae : * omnes Gentes sérvient ei :

Quia liberábit páuperem a poténte : * et páuperem, cui non erat adjútor.

Parcet páuperi et ínopi : * et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum : * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, et dábitur ei de auro Arábiae, et adorábunt de ipso semper : * tota die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus : * et florébunt de civitáte sicut foenum terrae.

Sit nomen ejus benedíctum in saecula : * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terrae : * omnes Gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dñus Deus Israël, * qui facit mirabília solus :

Et benedíctũ nomen majestátis ejus in aetérnum : * et replébitur majestáte ejus omnis terra : fiat, fiat.

Ant. Esto mihi, Dñe, in Deum protectórem.

Antiphona. Liberásti virgam.

Psalmus lxxii.

QUAM bonus Israël Deus * his, qui recto sunt corde!

Mei autem pene moti sunt pedes : * pene effúsi sunt gressus mei.

Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórum videns.

Quia non est respéctus morti eórum : * et firmaméntum in plaga eórum.

In labóre hóminum non sunt, * et cum homínibus non flagellabúntur :

Ideo ténuit eos supérbia, * opérti sunt iniquitáte et impietáte sua.

Pródiit quasi ex ádipe iníquitas eórum : * transiérunt in affléctum cordis.

Cogitavérunt, et locúti sunt nequítiam : * iniquitátem in excélso locúti sunt.

Posuérunt in coelum os suum : * et lingua eórum transívit in terra.

Ideo convertétur pópulus meus hic : * et dies pleni inveniéntur in eis.

Et dixérunt : Quómodo scit Deus, * et si est sciéntia in excélso?

Ecce ipsi peccatóres, et abundántes in saeculo, * obtinuérunt divítias.

Et dixi : Ergo sine causa justificávi cor meum, * et lavi inter innocéntes manus meas :

Et fui flagellátus tota die, * et castigátio mea in matutínis.

Si dicébam: Narrábo sic: * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Existimábā ut cognóscerem hoc, * labor est ante me:

Donec intrem in sanctuárium Dei: * et intélligam in novíssimis eórum.

Verúmtamen propter dolos posuísti eis: * dejecísti eos dum allevaréntur.

Quómodo facti sunt in desolatiónem, súbito defecérunt: * periérunt propter iniquitátem suam.

Velut sómnium surgéntium, Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.

Quia inflammátum est cor meum, et renes mei commutáti sunt: * et ego ad níhilum redáctus sum, et nescívi.

Ut juméntum factus sum apud te: * et ego semper tecum.

Tenuísti manum déxteram meam: et in voluntáte tua deduxísti me, * et cum glória suscepísti me.

Quid enim mihi est in coelo? * et a te quid vólui super terram?

Defécit caro mea, et cor meum: * Deus cordis mei, et pars mea Deus in aetérnum.

Quia ecce, qui elóngant se a te, períbunt: * perdidísti omnes, qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhaerére Deo bonum est: * pónere in Dño Deo spem meam:

Ut annúntiem omnes praedicatiónes tuas, * in portis fíliae Sion.

Psalmus lxxiii.

UT quid, Deus, repulísti in finem: * irátus est furor tuus super oves páscuae tuae?

Memor esto congregatiónis tuae, * quam possedísti ab initio.

Redemísti virgam haereditátis tuae: * mons Sion, in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias córum in finem: * quanta malignátus est inimícus in sancto!

Et gloriáti sunt qui odérunt te: * in médio solemnitátis tuae.

Posuérunt signa sua, signa: * et non cognovérunt sicut in éxitu super summum.

Quasi in silva lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idípsum: * in secúri et áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni Sanctuárium tuum: * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul: * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vídimus, jam non est prophéta: * et nos non cognóscet ámplius.

Usquequo, Deus, improperábit inimícus: * irritat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avértis manum tuam, et déxteram tuam, * de médio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante saecula: * operátus est salútem in médio terrae.

Tu confirmásti in virtúte tua mare: * contribulásti cápita dracónum in aquis.

Tu confregísti cápita dracónis: * dedísti eum escam pópulis Æthíopum.

Tu dirupísti fontes, et torréntes: * tu siccásti flúvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox: * tu fabricátus es auróram et solem.

Tu fecísti omnes términos terrae: * aestátem et ver tu plasmásti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Dñe: * et pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi, * et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum: * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terrae dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus: * pauper et inops laudábunt nomen tuum.

Exúrge, Deus, júdica causam tuam: * memor esto improperiórum tuórum, eórum quae ab insipiénte sunt tota die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum: * superbia eórum, qui te odérunt, ascéndit semper.

Ant. Liberásti virgam haereditátis tuae.

Ant. Et invocábimus.

Psalmus lxxiv.

CONFITEBIMUR tibi, Deus: * confitébimur, et invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua: * cum accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra, et omnes qui hábitant in ea: * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis: Nolíte iníque ágere: * et delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu:

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum: * nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque a desértis móntibus: * quóniam Deus judex est.

Hunc humíliat, et hunc exáltat: * quia calix in manu Dñi vini meri plenus misto.

Et inclinávit ex hoc in hoc : verúmtamen faex ejus non est exinanita : * bibent omnes peccatóres terrae.

Ego autem annuntiábo in saeculum : * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam : * et exaltabúntur córnua justi.

Psalmus lxxv.

NOTUS in Judaea Deus : * in Israël magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus : * et habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, et bellum.

Illúminans tu mirabíliter a móntibus aetérnis : * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum : * et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, et quis resístet tibi? * ex tunc ira tua.

De coelo audítum fecísti judícium : * terra trémuit et quiévit,

Cum exúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terrae.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi : * et relíquiae cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, et réddite Dño Deo vestro : * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera.

Terríbili et ei qui aufert spíritum príncipum, * terríbili apud reges terrae.

Añа. Et invocábimus nomen tuum, Dómine.

Añа. Tu es Deus.

Psalmus lxxvi.

VOCE mea ad Dñum clamávi : * voce mea ad Deum, et inténdit mihi.

In die tribulatiónis meae Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum : * et non sum decéptus.

Rénuit consolári ánima mea, * memor fui Dei, et delectátus sum, et exercitátus sum : et defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei : * turbátus sum, et non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos: * et annos aetérnos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo, * et exercitábar, et scopébam spíritum meum.

Numquid in aetérnum projíciet Deus : * aut non appónet ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscíndet, * a generatióne in generatiónem?

Aut obliviscétur miseréri Deus? * aut continébit in ira sua misericórdias suas?

Et dixi: Nunc coepi: * haec mutátio dexterae Excélsi.

Memor fui óperum Dómini: * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum,

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis: * et in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus, in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam fecísti in pópulis virtútem tuam: * redemísti in bráchio tuo pópulum tuum, filios Jacob, et Joseph.

Vidérunt te aquae, Deus, vidérunt te aquae: * et timuérunt, et turbátae sunt abyssi.

Multitúdo sónitus aquárum: * vocem dedérunt nubes.

Etenim sagíttae tuae tránseunt: * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruscatiónes tuae orbi terrae: * commóta est, et contrémuit terra.

In mari via tua, et sémitae tuae in aquis multis: * et vestígia tua non cognoscéntur.

Deduxísti sicut oves pópulum tuum, * in manu Móysi et Aaron.

Psalmus lxxvii.

ATTENDITE pópule meus legem meam: * inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum: * loquar propositiónes ab inítio.

Quanta audívimus et cognóvimus ea: * et patres nostri narravérunt nobis.

Non sunt occultáta a fíliis eórum, * in generatióne áltera.

Narrántes laudes Dómini, et virtútes ejus, * et mirabília ejus quae fecit.

Et suscitávit testimónium in Jacob: * et legem pósuit in Israël.

Quanta mandávit pátribus nostris nota fácere ea fíliis suis: * ut cognóscat generátio áltera.

Fílii qui nascéntur, et exúrgent, * et narrábunt fíliis suis,

Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscántur óperum Dei: * et mandáta ejus exquírant.

Ne fiant sicut patres eórum: * generátio prava et exásperans.

Generátio, quae non diréxit cor suum: * et non est créditus cum Deo spíritus ejus.

Fílii Ephrem intendéntes et mitténtes arcum: * conversi sunt in die belli.

Non custodiérunt testaméntum Dei : * et in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et obliti sunt benefactórum ejus, * et mirabílium ejus quae osténdit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægypti, * in campo Táneos.

Interrúpit mare, et perdúxit eos: * et státuit aquas quasi in utre.

Et dedúxit eos in nube diéi : * et tota nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo : * et adaquávit eos velut in abysso multa.

Et edúxit aquam de petra : * et dedúxit tamquam flúmina aquas.

Et apposuérunt adhuc peccáre ei : * in iram excitavérunt Excélsum in inaquóso.

Et tentavérunt Deum in córdibus suis : * ut péterent escas animábus suis.

Et male locúti sunt de Deo : * dixérunt : Numquid póterit Deus paráre mensam in desérto ?

Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquae, * et torréntes inundavérunt.

Numquid et panem póterit dare, * aut paráre mensam pópulo suo ?

Ideo audívit Dóminus, et dístulit : * et ignis accénsus est in Jacob, et ira ascéndit in Israël :

Quia non credidérunt in Deo, * nec speravérunt in salutári ejus :

Et mandávit núbibus désuper, * et jánuas coeli apéruit.

Et pluit illis manna ad manducándum, * et panem coeli dedit eis.

Panem Angelórum manducávit homo : * cibária misit eis in abundántia.

Tránstulit Austrum de coelo : * et indúxit in virtúte sua Africum.

Et pluit super eos sicut púlverem carnes : * et sicut arénam maris volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio castrórum eórum : * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt et saturáti sunt nimis, et desidérium eórum áttulit eis : * non sunt fraudáti a desidério suo.

Adhuc escae eórum erant in ore ipsórum : * et ira Dei ascéndit super eos.

Et occídit pingues eórum, * et eléctos Israël impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc : * et non credidérunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum : * et anni eórum cum festinatióne.

Cum occíderet eos, quaerébant eum : * et revertebántur, et dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti sunt quia Deus adjútor est eórum : * et Deus excélsus redémptor eórum est.

Et dilexérunt eum in ore suo, * et lingua sua mentíti sunt ei :

Cor autem eórum non erat rectum cum eo : * nec fidéles hábiti sunt in testaménto ejus.

Ipse autem est miséricors, et propítius fiet peccátis eórum : * et non dispérdet eos.

Et abundávit ut avérteret iram suam : * et non accéndit omnem iram suam:

Et recordátus est quia caro sunt : * spíritus vadens, et non rédiens.

Quóties exacerbavérunt eum in deserto, * in iram concitavérunt eum in inaquóso ?

Et convérsi sunt, et tentavérunt Deum : * et sanctum Israël exacerbavérunt.

Non sunt recordáti manus ejus, * die qua redémit eos de manu tribulántis,

Sicut pósuit in Ægypto signa sua, * et prodígia sua in campo Táneos.

Et convértit in sánguinem flúmina eórum, * et imbres eórum, ne bíberent.

Misit in eos coenomyiam, et comédit eos : * et ranam, et dispérdidit eos.

Et dedit aerúgini fructus eórum : * et labóres eórum locústae.

Et occídit in grándine víneas eórum : * et moros eórum in pruína.

Et trádidit grándini juménta eórum : * et possessiónem eórum igni.

Misit in eos iram indignatiónis suae : * indignatiónem, et iram, et tribulatiónem : immissiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitae irae suae, non pepércit a morte animábus eórum : * et juménta eórum in morte conclúsit.

Et percússit omne primogénitum in terra Ægypti: * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

Et ábstulit sicut oves pópulum suum : * et perdúxit eos tamquam gregem in desérto.

Et dedúxit eos in spe, et non timuérunt : * et inimícos eórum opéruit mare.

Et indúxit eos in montem sanctificatiónis suae, * montem, quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit a fácie eórum Gentes : * et sorte divísit eis terram in funículo distributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Israël.

Et tentavérunt, et exacerbavérunt Deum excélsum: * et testimónia ejus non custodiérunt.

Et avertérunt se, et non servavérunt pactum : * quemádmodum patres eórum, convérsi sunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus suis : * et in sculptílibus suis ad aemulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus, et sprevit: * et ad níhilum redégit valde Israël.

Et répulit tabernáculum Silo,* tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórum : * et pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum : * et haereditátem suam sprevit.

Júvenes eórum comédit ignis : * et vírgines eórum non sunt lamentátae.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt : * et víduae eórum non plorabántur.

Et excitátus est tamquam dórmiens Dñus,* tamquam potens crapulátus a vino.

Et percússit inimícos suos in posterióra: * oppróbrium sempitérnum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joseph: * et tribum Ephraïm non elégit :

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem diléxit.

Et aedificávit sicut unicórnium sanctifícium suum in terra,* quam fundávit in saecula.

Et elégit David servum suum, et sústulit eum de grégibus óvium : * de post foetántes accépit eum,

Páscere Jacob servum suum,* et Israël haereditátem suam :

Et pavit eos in innocéntia cordis sui : * et in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos.

Añ. Tu es Deus, qui facis mirabília.

Añ. Propítius esto.

Psalmus lxxviii.

DEUS, venérunt Gentes in haereditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum : * posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt morticína servórum tuórum, escas volatílibus coeli : * carnes sanctórum tuórum béstiis terrae.

Effudérunt sánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúsalem : * et non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium vicínis nostris : * subsannátio et illúsio his, qui in circúitu nostro sunt.

Usquequo, Dómine, irascéris in finem : * accendétur velut ignis zelus tuus ?

Effúnde iram tuam in Gentes, quae te non novérunt : * et in regna, quae nomen tuum non invocavérunt :

Quia comedérunt Jacob:* et locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum, cito anticípent nos miseri-córdiae tuae:* quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: * et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum:

Ne forte dicant in Géntibus: Ubi est Deus eórum? * et innotéscat in natiónibus coram óculis nostris.

Ultio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est: * intróeat in conspéctu tuo gémitus compeditórum.

Secúndũ magnitúdinem bráchii tui, * pósside fílios mortificatórum.

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: * impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi, Dñe.

Nos autem pópulus tuus, et oves páscuae tuae,* confitébimur tibi in saeculum:

In generatiónem et generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

Psalmus lxxix.

QUI regis Israël, inténde: * qui dedúcis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Chérubim, * manifestáre coram Ephraïm, Bénjamin, et Manásse.

Excita poténtiam tuam, et veni, * ut salvos fácias nos.

Deus, convérte nos: * et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Dómine Deus virtútum, * quoúsque irascéris super oratiónem servi tui?

Cibábis nos pane lacrymárum: * et potum dabis nobis in lácrymis in mensúra?

Posuísti nos in contradictiónem vicínis nostris: * et inimici nostri subsannavérunt nos.

Deus virtútum convérte nos: * et osténde fáciem tuam: et salvi érimus.

Víneam de Ægypto transtulísti: * ejecísti Gentes, et plantásti eam.

Dux itíneris fuísti in conspéctu ejus: * plantásti radices ejus, et implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus: * et arbústa ejus cedros Dei.

Exténdit pálmites suos usque ad mare: * et usque ad flumen propágines ejus.

Ut quid destruxísti macériam ejus:* et vindémiant eam omnes, qui praetergrediúntur viam?

Exterminávit eam aper de silva: * et singulàris ferus depástus est eam.

Deus virtútum convértere: * réspice de coelo, et vide, et vísita víneam istam.

Et pérfice eam, quam plantávit déxtera tua : * et super fílium hóminis, quem confirmásti tibi.

Incénsa igni, et suffóssa * ab increpatióne vultus tui períbunt.

Fiat manus tua super virum déxterae tuae : * et super fílium hóminis, quem confirmásti tibi.

Et non discédimus a te, vivificábis nos : * et nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum, convérte nos : * et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Ańa. Propítius esto peccátis nostris, Dómine.

Per Annum, V. Gaudébunt lábia mea, cum cantávero tibi. R7. Et ánima mea, quam redemísti.

Pro uno Martyre, V. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. R7. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Pro pluribus Martyribus, V. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. R7. Et gloriámini omnes recti corde.

Pro Confessore Pontifice et non Pontifice, V. Amávit eum Dñus, et ornávit eum. R7. Stolam glóriae índuit eum.

Pro una Sancta, V. Spécie tua et pulchritúdine tua. R7. Inténde, próspere procéde, et regna.

AD LAUDES.

Antiphona. Tibi soli peccávi, * Dómine, miserére mei.

Psalm. Miserére. 59.

Antiphona. Dómine.

Psalmus lxxxix.

DOMINE, refúgium factus es nobis : * a generatióne in generatiónem.

Priúsquam montes fíerent, aut formarétur terra, et orbis : * a saeculo et usque in saeculum tu es Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem : * et dixísti : Convertímini, fílii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tamquam dies hestérna, quae praetériit,

Et custódia in nocte, * quae pro níhilo habéntur, eórum anni erunt.

Mane sicut herba tránseat, mane flóreat, et tránseat : * véspere décidat, indúret, et aréscat.

Quia defécimus in ira tua, * et in furóre tuo turbáti sumus.

Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo : * saeculum nostrum in illuminatióne vultus tui.

Quóniam omnes dies nostri defecérunt: * et in ira tua defécimus.

Anni nostri sicut aránea meditabúntur : * dies annórum nostrórum in ipsis, septuagínta anni.

Si autem in potentátibus octogínta anni : * et ámplius eórum, labor et dolor.

Quóniã supervénit mansuetúdo : * et corripiémur.

Quis novit potestátem irae tuae : * et prae timóre tuo iram tuam dinumeráre ?

Déxteram tuam sic notam fac : * et erudítos corde in sapiéntia.

Convértere, Dñe, úsquequo ? * et deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus mane misericórdia tua : * et exultávimus, et delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

Laetáti sumus pro diébus, quibus nos humiliásti : * annis, quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, et in ópera tua : * et dírige fílios eórum.

Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos : * et opus mánuum nostrárum dírige.

Ańa. Dómine, refúgium factus es nobis.

Ańa. In matutínis * meditábor in te.

Psalmus. Deus, Deus meus. 18.

Ańa. Cantémus.

Canticum Moysis.
Exod. xv.

CANTEMUS Dño : glorióse enim magnificátus est, * equum et ascensórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem :

Iste Deus meus, et glorificábo eum : * Deus patris mei, et exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor, omnípotens nomen ejus. * Currus Pharaónis et exércitum ejus projécit in mare :

Eléćti príncipes ejus submérsi sunt in mari Rubro. * Abyssi operuérunt eos, descendérunt in profúndum quasi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine : déxtera tua, Dómine, percússit inimícum. * Et in multitúdine glóriae tuae deposuísti adversários tuos :

Misísti iram tuam, quae devorávit eos sicut stipulam. * Et in spíritu furóris tui congregátae sunt aquae :

Stetit unda fluens, * congregátae sunt abyssi in médio mari.

Dixit inimícus : Pérsequar, et comprehéndam, * dívidam spólia, implébitur ánima mea :

Evaginábo gládium meum, * interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, et opéruit eos mare : * submérsi sunt quasi plumbum in aquis veheméntibus.

Quis símilis tui in fórtibus, Dómine? * quis símilis tui, magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendísti manum tuam, et devorávit eos terra. * Dux fuísti in misericórdia tua pópulo quem redemísti :

Et portásti eum in fortitúdine tua, * ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, et iráti sunt : * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom, robústos Moab obtínuit tremor : * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído et pavor, * in magnitúdine bráchii tui :

Fiant immóbiles quasi lapis, donec pertránseat pópulus tuus, Dñe, * donec pertránseat pópulus tuus iste, quem possedísti.

Introdúces eos, et plantábis in monte haereditátis tuae, * firmíssimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine :

Sanctuárium tuum, Dñe, quod firmavérunt manus tuae. * Dóminus regnábit in aetérnum et ultra.

Ingréssus est enim eques Phárao cum cúrribus et equítibus ejus in mare : * et redúxit super eos Dñus aquas maris :

Fílii autem Israël ambulavérunt per siccum * in médio ejus.

Ańa. Cantémus Dómino glorióse.

Ańa. In sanctis ejus laudáte Deum.

Psalmus. Laudáte Dóminum de coelis. 20.

Capitulum. *Rom.* xiii. *d.*

NOX praecéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus.

LUX ecce surgit áurea,
Pallens facéssat caecitas,
Quae nosmet in praeceps diu
Erróre traxit dévio.

Haec lux serénũ cónferat,
Purósque nos praestet sibi;
Nihil loquámur súbdolum,
Volvámus obscúrum nihil.

Sic tota decúrrat dies,
Ne lingua mendax, ne manus
Oculive peccent lúbrici,
Ne noxa corpus ínquinet.

Speculátor adstat désuper,
Qui nos diébus ómnibus,
Actúsque nostros próspicit
A luce prima in vésperum.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exultávimus, et delectáti sumus.

Ad Benedictus, Añ. In sanctitáte serviámus Dño, et liberábit nos ab inimícis nostris.

Preces, quando dicendae sunt, habentur supra in Feria ii. 62.

FERIA SEXTA
AD MATUTINUM.

Invit. Adorémus Dóminum, Quóniam ipse fecit nos.

Ps. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

TU Trinitátis Unitas,
Orbem poténter quae regis,
Atténde laudis cánticum
Quod excubántes psállimus.

Nam léctulo consúrgimus
Noctis quiéto témpore,
Ut flagitémus ómnium
A te medélam vúlnerum.

Quo fraude quidquid daemonum
In nóctibus delíquimus,
Abstérgat illud coelitus
Tuae potéstas glóriae.

Ne corpus adstet sórdidũ,
Nec torpor instet córdium,
Ne críminis contágio
Tepéscat ardor spíritus.

Ob hoc, Redémptor, quaesumus,
Reple tuo nos lúmine,
Per quod diérum círculis
Nullis ruámus áctibus.

Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

Antiphona. Exultáte.

Psalmus lxxx.

EXULTATE Deo adjutóri nostro: * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, et date tympanum: * psaltérium jucúndum cum cithara.

Buccináte in Neoménia tuba, * in insígni die solemnitátis vestrae:

Quia praecéptum in Israël est: * et judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cum exíret de terra Ægypti: * linguam, quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus: * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, et liberávi te: * exaudívi te in abscóndito tempestátis: probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi pópulus meus, et contestábor te: * Israël si audíeris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti : * diláta os tuum, et implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam : * et Israël non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndum desidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me : * Israël si in viis meis ambulásset :

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem : * et super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei : * et erit tempus eórum in saecula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti : * et de petra, melle saturávit eos.

Psalmus lxxxi.

DEUS stetit in synagóga deórum : * in médio autem deos dijúdicat.

Usquequo judicátis iniquitátem : * et fácies peccatórum súmitis ?

Judicáte egéno, et pupíllo : * húmilem et páuperem justificáte.

Erípite páuperem : * et egénum de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant : * movebúntur ómnia fundaménta terrae.

Ego dixi : Dii estis, * et fílii Excélsi omnes.

Vos autem sicut hómines moriémini : * et sicut unus de princípibus cadétis.

Surge, Deus, júdica terram : * quóniam tu haereditábis in ómnibus Géntibus.

Ańa. Exultáte Deo adjutóri nostro.

Ańa. Tu solus.

Psalmus lxxxii.

DEUS, quis símilis erit tibi ? * ne táceas, neque compescáris, Deus :

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt : * et qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium : * et cogitavérunt advérsus sanctos tuos.

Dixérunt : Veníte, et disperdámus eos de gente : * et non memorétur nomen Israël ultra.

Quóniam cogitavérunt unanímiter : * simul advérsum te testaméntum disposuérunt, tabernácula Idumaeórum et Ismahelítae :

Moab, et Agaréni, Gebal, et Ammon, et Amalec : * alienígenae cum habitántibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis : * facti sunt in adjutórium fíliis Lot.

Fac illis sicut Mádian, et Sísarae : * sicut Jabin in torrénte Cisson.

Disperiérunt in Endor : * facti sunt ut stercus terræ.

Pone príncipes eórũ sicut Oreb, et Zeb, * et Zébee, et Sálmana :

Ómnes príncipes eórum: * qui dixérunt : Hæreditáte possideámus Sanctuárium Dei.

Deus meus, pone illos ut rotam : * et sicut stípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis, qui combúrit silvam : * et sicut flamma combúrens montes :

Ita persequéris illos in tempestáte tua : * et in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomínia: * et quærent nomen tuum, Dómine.

Erubéscant, et conturbéntur in sæculum sæculi : * et confundántur, et péreant.

Et cognóscant quia nomen tibi Dóminus : * tu solus Altíssimus in omni terra.

Psalmus lxxxiii.

QUAM dilécta tabernácula tua, Dñe virtútum : * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum : * rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam et veritátem díligit Deus : * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Ańa. Tu solus Altíssimus super omnem terram.

Ańa. Benedixísti.

Psalmus lxxxiv.

BENEDIXISTI, Dómine, terram tuam: * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuae : * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam : * avertísti ab ira indignatiónis tuae.

Convérte nos, Deus salutáris noster : * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in aetérnum irascéris nobis ? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem ?

Deus, tu convérsus vivificábis nos : * et plebs tua laetábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam : * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus : * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos : * et in eos, qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsius : * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia, et véritas obviavérunt sibi : * justítia, et pax osculátae sunt.

Véritas de terra orta est: * et justítia de coelo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem : * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit : * et ponet in via gressus suos.

Psalmus lxxxv.

INCLINA, Dómine, aurem tuam, et exáudi me : * quóniam inops, et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum : * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: * laetífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis : * et multae misericórdiae ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dñe, oratiónē meam : * et inténde voci deprecatiónis meae.

In die tribulatiónis meae clamávi ad te : * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis, Dómine: * et non est secúndum ópera tua.

Omnes Gentes quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te, Dñe : * et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília : * tu es Deus solus.

Deduc me, Dñe, in via tua, et ingrédiar in veritáte

tua : * laetétur cor meum ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in aetérnum :

Quia misericórdia tua magna est super me : * et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quaesiérunt ánimam meam : * et non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine Deus miserátor et miséricors, * pátiens, et multae misericórdiae, et verax,

Réspice in me, et miserére mei, * da impérium tuum púero tuo : et salvum fac fílium ancíllae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, et confundántur : * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, et consolátus es me.

Ána. Benedixísti, Dómine, terram tuam.

Antiphona. Fundaménta ejus.

Psalmus lxxxvi.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : * díligit Dñus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenae, et Tyrus, et pópulus Æthiopũ, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut laetántium ómnium * habitátio est in te.

Psalmus lxxxvii.

DOMINE Deus salútis meae : * in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea : * inclína aurem tuam ad precem meam :

Quia repléta est malis ánima mea : * et vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum : * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulnerati dormiéntes in sepúlchris, quorum non es memor ámplius : * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri : * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus : * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar: * óculi mei languérunt prae inópia.

Clamávi ad te, Dómine, tota die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília: * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlchro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua: * et justítia tua in terra oblivióni?

Et ego ad te, Dómine, clamávi: * et mane orátio mea praevéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratiónem meam: * avértis fáciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in labóribus a juventúte mea: * exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt irae tuae: * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die: * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum, et próximum: * et notos meos a miséria.

Añ. Fundaménta ejus in móntibus sanctis.

Antiphona. Benedíctus.

Psalmus lxxxviii.

MISERICORDIAS Dómini, * in aetérnum cantábo.

In generatiónem et generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

Quóniam dixísti: In aetérnum misericórdia aedificábitur in coelis: * praeparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testaméntum eléctis meis, jurávi David servo meo? * usque in aetérnum praeparábo semen tuum.

Et aedificábo in generatiónem, et generatiónem * sedem tuam.

Confitebúntur coeli mirabília tua, Dómine: * étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus aequábitur Dómino: * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus, qui glorificátur in consílio sanctórum: * magnus et terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt.

Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es, Dómine, et véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris: * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, supérbum: * in bráchio virtútis tuae dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt coeli, et tua est terra, orbem terræ et plenitúdinem ejus tu fundásti: * aquilónē,et mare tu creásti.

Thabor et Hermon in nómine tuo exultábunt:* tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, et exaltétur déxtera tua : * justítia et judícium praeparátio sedis tuae.

Misericórdia et véritas, praecédent fáciem tuam : * beátus pópulus, qui scit jubilatiónem.

Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt,et in nómine tuo exultábunt tota die:* et in justítia tua exaltabúntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es : * et in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra : * et sancti Israël regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, et dixísti : * Pósui adjutórium in poténte : et exaltávi eléctum de plebe mea.

Invéni David servum meum: * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei : * et bráchium meum confortábit eum.

Nihil proficiet inimícus in eo, * et fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam a fácie ipsíus inimícos ejus : * et odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea, et misericórdia mea cum ipso : * et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus : * et in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me : Pater meus es tu : * Deus meus, et suscéptor salútis meae :

Et ego primogénitum ponam illum * excélsum prae régibus terrae.

In aetérnum servábo illi misericórdiam meam : * et testaméntum meum fidéle ipsi.

Et ponam in saeculum saeculi semen ejus : * et thronum ejus sicut dies coeli.

Si autem derelíquerint fílii ejus legem meam : * et in judíciis meis non ambuláverint :

Si justítias meas profanáverint : * et mandáta mea non custodíerint :

Visitábo in virga iniquitátes eórum : * et in verbéribus peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispérgam ab eo :* neque nocébo in veritáte mea :

Neque profanábo testaméntum meum : * et quae procédunt de lábiis meis non fáciam irríta.

Semel jurávi in sancto meo, si David méntiar : *

semen ejus in aetérnum manébit.

Et thronus ejus sicut sol in conspéctu meo,* et sicut luna perfécta in aetérnum: et testis in coelo fidélis.

Tu vero repulísti et despexísti: * distulísti Christum tuum.

Evertísti testaméntum servi tui: * profanásti in terra sanctuárium ejus.

Destruxísti omnes sepes ejus: * posuísti firmaméntum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeúntes viam: * factus est oppróbrium vicínis suis.

Exaltásti déxteram deprimentium eum: * laetificásti omnes inimícos ejus.

Avertísti adjutórium gládii ejus: * et non es auxiliátus ei in bello.

Destruxísti eum ab emundatióne: * et sedem ejus in terram collisísti.

Minorásti dies témporis ejus: * perfudísti eum confusióne.

Usquequo, Dómine, avértis in finem: * exardéscet sicut ignis ira tua?

Memoráre quae mea substántia: * numquid enim vane constituísti omnes fílios hóminum?

Quis est homo, qui vivet, et non vidébit mortem: * éruet ánimam suam de manu ínferi?

Ubi sunt misericórdiae tuae antíquae, Dómine, * sicut jurásti David in veritáte tua?

Memor esto, Dómine, oppróbrii servórum tuórum * (quod continui in sinu meo) multárum Géntium.

Quod exprobravérunt inimíci tui, Dómine,* quod exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedíctus Dóminus in aetérnum: * fiat, fiat.

Psalmus xciii.

DEUS ultiónum Dóminus: * Deus ultiónum líbere egit.

Exaltáre qui júdicas terram: * redde retributiónem supérbis.

Usquequo peccatóres, Dómine,* úsquequo peccatóres gloriabúntur:

Effabúntur, et loquéntur iniquitátem: * loquéntur omnes, qui operántur injustítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt:* et haereditátem tuam vexavérunt.

Víduam, et ádvenam interfecérunt: * et pupillos occidérunt.

Et dixérunt: Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite insipiéntes in pópulo:* et stulti aliquándo sápite.

Qui plantávit aurem, non áudiet? * aut qui finxit óculum, non considerat?

Qui córripit Gentes, non árguet: * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine: * et de lege tua docúeris eum.

Ut mítiges ei a diébus malis: * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam: * et hæreditátem suam non derelínquet.

Quoadúsque justítia convertátur in judícium: * et qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consúrget mihi advérsus malignántes? * aut quis stabit mecum advérsus operántes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adjúvit me: * paulo minus habitásset in inférno ánima mea.

Si dicébam: Motus est pes meus: * misericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo: * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis: * qui fingis labórem in præcépto?

Captábunt in ánimam justi: * et sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus est mihi Dñus in refúgium: * et Deus meus in adjutórium spei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum: et in malítia eórum dispérdet eos: * dispérdet illos Dóminus Deus noster.

Ańa. Benedíctus Dóminus in aetérnum.

Ańa. Cantáte.

Psalmus xcv.

CANTATE Dómino cánticum novum: * cantáte Dño omnis terra.

Cantáte Dño, et benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dñus, et laudábilis nimis: * terribilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium daemónia: * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriae Géntium, afférte Dño glóriam et honórem: * afférte Dño glóriam nómini ejus.

Tóllite héstias, et introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra: * dícite

in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terrae qui non commovébitur : * judicábit pópulos in aequitáte.

Laeténtur coeli, et exúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quae in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dñi, quia venit: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrae in aequitáte,* et pópulos in veritáte sua.

Psalmus xcvi.

DOMINUS regnávit, exúltet terra : * laeténtur ínsulae multae.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praccédet,* et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terrae : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dñi : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt coeli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes,qui adórant sculptilia : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et laetáta est Sion.

Et exultavérunt fíliae Judae, * propter judícia tua, Dómine ;

Quóniam tu Dñus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dñum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde laetítia.

Laetámini justi in Dómino : * et confitémini memóriae sanctificatiónis ejus.

Ana. Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus.

Per Annum, ℣. Intret orátio mea in conspéctu tuo, Dñe. ℟. Inclína aurem tuam ad precem meam.

Pro uno Martyre, ℣. Posuísti, Dñe, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Pro pluribus Martyribus, ℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et deleéténtur in laetítia.

Pro Confessor. Pontif. ℣. Elegit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Pro Conf. non Pont. ℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Pro una Sancta, ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

AD LAUDES.

Ańa. Spíritu principáli confírma cor meum, Deus.
Psalm. Miserére. 59.
Ańa. In veritáte.

Psalmus cxlii.

DOMINE, exáudi oratiónem meam : áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua : * exáudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo : * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos saeculi : * et anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis : * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi :

Velóciter exáudi me, Dómine : * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam a me : * et símilis ero descendéntibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericórdiam tuam : * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem : * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dñe, ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dñe, vivificábis me, in aequitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam : * et in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes, qui tríbulant ánimam meam : * quóniam ego servus tuus sum.

Ańa. In veritáte tua exáudi me, Dómine.
Ańa. Illúmina, Dñe, vultum tuum super nos.
Ps. Deus, Deus meus. 18.
Ańa. Dómine.

Canticum Habacuc.
Cap. iii.

DOMINE, audívi auditiónem tuam, * et tímui.

Dñe, opus tuum * in médio annórum vivifica illud.

In médio annórum notum fácies : * cum irátus fúeris, misericórdiae recordáberis.

Deus ab Austro véniet,* et sanctus de monte Pharan :

Opéruit coelos glória ejus : * et laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit:* córnua in mánibus ejus :

Ibi abscóndita est fortitúdo ejus : * ante fáciem ejus ibit mors.

Et egrediétur diábolus ante pedes ejus.* Stetit, et mensus est terram.

Aspéxit, et dissólvit Gentes : * et contríti sunt montes saeculi.

Incurváti sunt colles mundi,* ab itinéribus aeternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiae, * turbabúntur pelles terrae Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es, Dñe? * aut in flumínibus furor tuus? vel in mari indignátio tua?

Qui ascéndes super equos tuos : * et quadrígae tuae salvátio.

Súscitans suscitábis arcum tuum : * juraménta tríbubus, quae locútus es :

Flúvios scindes terrae : vidérunt te, et doluérunt montes : * gurges aquárum tránsiit.

Dedit abyssus vocem suam : * altitúdo manus suas levávit.

Sol, et luna stetérunt in habitáculo suo,* in luce sagittárum tuárum, ibunt in splendóre fulgurántis hastae tuae.

In frémitu conculcábis terram : * in furóre obstupefácies Gentes.

Egréssus es in salútem pópuli tui:* in salútem cum Christo tuo :

Percussísti caput de domo impii : * denudásti fundaméntum ejus usque ad collum.

Maledixísti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus,* veniéntibus ut turbo ad dispergéndum me.

Exultátio eórum * sicut ejus, qui dévorat páuperem in abscóndito.

Viam fecísti in mari equis tuis,* in luto aquárum multárum.

Audívi, et conturbátus est venter meus : * a voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * et subter me scáteat.

Ut requiéscam in die tribulatiónis : * ut ascéndam ad pópulum accínctum nostrum.

Ficus enim non florébit : * et non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívae : * et arva non áfferent cibum.

Abscindétur de ovíli pecus : * et non erit arméntu in praesépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo : * et exultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus fortitúdo mea: * et ponet pedes meos quasi cervórum.

Et super excélsa mea dedúcet me victor * in psalmis canéntem.

Ańa. Dómine, audívi auditum tuum, et tímui.

Ańa. In tympano * et choro, in chordis et órgano laudáte Deum.

Psalm. Laudáte Dñum de coelis. 20.

Capitulum. *Rom.* xiii. *d.*

DOX praecéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus.

ÆTERNA coeli glória,
Beáta spes mortálium,
Summi Tonántis Unice,
Castaeque proles Vírginis;
Da déxterã surgéntibus,
Exúrgat ut mens sóbria,
Flagrans et in laudem Dei
Grates repéndat débitas.
Ortus refúlget lúcifer,
Praeítque solem núntius:
Cadunt tenébrae nóctium:
Lux sancta nos illúminet:
Manénsque nostris sénsibus,
Noctem repéllat saeculi,
Omníque fine témporis
Purgáta servet péctora.
Quaesíta jam primum fides
In corde radíces agat,
Secúnda spes congáudeat,
Qua major extat cáritas.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

V. Repléti sumus mane misericórdia tua. R. Exultávimus, et delectáti sumus.

Ad Benedictus, Ańa. Per víscera * misericórdiae Dei nostri visitávit nos óriens ex alto.

Preces, quando dicendae sunt, habentur supra in Feria ii. 62.

SABBATO

AD MATUTINUM.

Invit. Dóminum Deum nostrum * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

SUMMAE Parens clemméntiae,
Mundi regis qui máchinam,
Unius et substántiae,
Trinúsque persónis Deus:
Nostros pius cum cánticis
Fletus benígne súscipe:
Ut corde puro sórdium
Te perfruámur lárgius.
Lumbos, jecúrque mórbidum
Flammis adúre cóngruis,
Accincti ut artus éxcubent
Luxu remóto péssimo.

Quicúmque ut horas nóctium
Nunc concinéndo rúmpimus,
Ditémur omnes áffatim
Donis beátae pátriae.
Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne saeculum. Amen.
Ańa. Quia mirabília.

Psalmus xcvii.

ANTATE Dómino cánticum novum : * quia mirabilia fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspéctu géntium revelávit justitiam suam.

Recordátus est misericórdiae suae, * et veritátis suae dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terrae * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, et exultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubae córneae.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini : * moveátur mare, et plenitúdo ejus : orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt a conspéctu Dñi : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in aequitáte.

Psalmus xcviii.

DOMINUS regnávit, irascántur pópuli : * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus : * et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno : quóniam terríbile, et sanctum est : * et honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes : * judícium et justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dñum Deum nostrum, et adoráte scabéllum pedum ejus : * quóniam sanctum est.

Móyses et Aaron in sacerdótibus ejus : * et Sámuel inter eos, qui ínvocant nomen ejus :

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * et praecéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos : * Deus, tu propítius fuísti eis, et ulciscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus : * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Ańa. Quia mirabília fecit Dóminus.

Sequens Antiphona et Psalmus **Jubiláte.** hic praetermittitur, quando dicitur in Laudibus, ut in Sabbatis in quibus fit Officium de S. Maria, et ejus loco dicitur Antiphona et Psalmus **Bonum est confitéri Dómino,** ut infra.

Ańa. Jubiláte.

Psalmus xcix.

JUBILATE Deo omnis terra : * servíte Dómino in laetítia.

Introíte in conspéctu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus : * ipse fecit nos, et non ipsi nos :

Pópulus ejus, et oves páscuae ejus: * introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis : confitémini illi.

Laudáte nomen ejus : quóniam suávis est Dñus, in aetérnum misericórdia ejus, * et usque in generatiónem et generatiónem véritas ejus.

Vel Psalmus xci.

BONUM est confitéri Dómino : * et psállere nómini tuo, Altíssime.

Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam : * et veritátem tuam per noctem.

In decachórdo psaltério: * cum cántico, in cíthara.

Quia delectásti me, Dómine, in factúra tua : * et in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine ! * nimis profúndae factae sunt cogitatiónes tuae :

Vir insípiens non cognóscet : * et stultus non intélliget haec.

Cum exórti fúerint peccatóres sicut foenum : * et apparúerint omnes, qui operántur iniquitátem :

Ut intéreant in saeculum saeculi : * tu autem Altíssimus in aetérnum, Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt : * et dispergéntur omnes, qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum: * et senéctus mea in misericórdia úberi.

Et despéxit óculus meus inimícos meos : * et in insurgéntibus in me malignántibus audíet auris mea.

Justus, ut palma florébit : * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dñi, * in átriis domus Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senécta úberi: * et bene patiéntes erunt, ut annúntient :

Quóniam rectus Dñus Deus noster : * et non est iníquitas in eo.

Psalmus c.

MISERICORDIAM, et judícium * cantábo tibi, Dómine :

Psallam, et intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domus meae.

Non proponébam ante óculos meos rem injústam: * faciéntes praevaricatiónes odívi.

Non adhaesit mihi cor pravum : * declinántem a me malígnum non cognoscébam.

Detrahéntem secréto próximo suo, * hunc persequébar.

Supérbo óculo, et insatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terrae ut sédeant mecum : * ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domus meae qui facit supérbiam : * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conspéctu oculórum meórum.

In matutino interficiébã omnes peccatóres terrae : * ut dispérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

Ãña. Jubiláte Deo omnis terra.

Vel Ãña. Bonum est confitéri Dómino.

Ãña. Clamor meus.

Psalmus ci.

DOMINE, exáudi oratiónem meam : * et clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam a me : * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exáudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei : * et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut foenum, et áruit cor meum : * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitus mei * adhaesit os meum carni meae.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis : * factus sum sicut nyćticorax in domicílio.

Vigilávi, * et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei : * et qui laudábant me advérsum me jurábant.

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * et

potum meum cum fletu miscébam.

A fácie irae et indignatiónis tuae : * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt : * et ego sicut foenum árui.

Tu autem, Dómine, in aetérnum pérmanes : * et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Tu exúrgens miseréberis Sion : * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus : * et terrae ejus miserebúntur.

Et timébunt Gentes nomen tuum, Dñe, * et omnes reges terrae glóriam tuam.

Quia aedificávit Dóminus Sion : * et vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium : * et non sprevit precem eórum.

Scribántur haec in generatióne áltera : * et pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum :

Quia prospéxit de excélso sancto suo : * Dóminus de coelo in terram aspéxit :

Ut audíret gémitus compeditórum : * ut sólveret fílios interemptórum :

Ut annúntient in Sion nomen Dómini : * et laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum, * et reges ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suae : * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : * in generatiónem et generatiónem anni tui.

Initio tu, Dñe, terram fundásti : * et ópera mánuum tuárum sunt coeli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes : * et omnes sicut vestiméntum veteráscent.

Et sicut opertórium mutábis eos, et mutabúntur : * tu autem idem ipse es, et anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt : * et semen eórum in saeculum dirigétur.

Psalmus ciii.

BENEDIC ánima mea Dómino : * et ómnia, quae intra me sunt, nómini sancto ejus :

Bénedic ánima mea Dómino : * et noli oblivísci omnes retributiónes ejus :

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis : * qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam : * qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum : * renovábitur ut áquilae juvéntus tua :

Fáciens misericórdias Dóminus : * et judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas . fecit vias suas Móysi, * fíliis Israël voluntátes suas.

Miserátor, et miséricors Dóminus : * longánimis, et multum miséricors.

Non in perpétuum irascétur: * neque in aetérnum comminábitur.

Non secúndum peccáta nostra fecit nobis : * neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis.

Quóniam secúndum altitúdinem coeli a terra : * corroborávit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantum distat ortus ab occidénte : * longe fecit a nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, misértus est Dóminus timéntibus se : * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus : * homo, sicut foenum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorébit.

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, et non subsístet : * et non cognóscet ámplius locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab aetérno,* et usque in aetérnum super timéntes eum.

Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testaméntum ejus :

Et mémores sunt mandatórum ipsíus,* ad faciéndum ea.

Dñus in coelo parávit sedem suam: * et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino omnes Angeli ejus : * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dño omnes virtútes ejus: * minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dño ómnia ópera ejus : * in omni loco dominatiónis ejus, benedic ánima mea Dómino.

Aña. Clamor meus ad te véniat, Deus.

Aña. Bénedic.

Psalmus ciii.

BENEDIC ánima mea Dómino : * Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.

Confessiónem, et decórem induísti : * amíctus lúmine sicut vestiménto :

Exténdens coelum sicut pellem : * qui tegis aquis superióra ejus.

Qui ponis nubem ascénsum tuum : * qui ámbulas super pennas ventórum.

Qui facis ángelos tuos, spíritus : * et minístros tuos ignem uréntem.

Qui fundásti terram super stabilitátem suam: * non inclinábitur in saeculum sacculi.

Abyssus, sicut vestiméntum amíctus ejus : * super montes stabunt aquae.

Ab increpatióne tua fúgient : * a voce tonítrui tui formidábunt.

Ascéndunt montes: et descéndunt campi * in locum, quem fundásti eis.

Términum posuísti, quem non transgrediéntur : * neque converténtur operíre terram.

Qui emíttis fontes in convállibus : * inter médium móntium pertransíbunt aquae.

Potábunt omnes béstiae agri: * exspectábunt ónagri in siti sua.

Super ea vólucres coeli habitábunt : * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis : * de fructu óperum tuórum satiábitur terra :

Prodúcens foenum juméntis, * et herbam servitúti hóminum :

Ut edúcas panem de terra : * et vinum laetíficet cor hóminis :

Ut exhílaret fáciem in óleo: * et panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi, et cedri Líbani, quas plantávit : * illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum : * montes excélsi cervis : petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora: * sol cognóvit occásū suum.

Posuísti ténebras, et fácta est nox : * in ipsa pertransíbunt omnes béstiae silvae.

Cátuli leónum rugiéntes, ut rápiant, * et quaerant a Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregáti sunt : * et in cubílibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum : * et ad operatiónem suam usque ad vésperum.

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dñe! * ómnia in sapiéntia fecísti : impléta est terra possessióne tua.

Hoc mare magnum, et spatiósum mánibus : * illic reptília, quorum non est número.

Animália pusílla cum magnis : * illic naves pertransíbunt.

Draco iste, quem formásti ad illudéndum ei : * ómnia a te expéctant ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent : * aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciem, turbabúntur : * áuferes spíritum eórum, et defícient, et in púlverem suum reverténtur.

Emíttes spíritum tuum, et creabúntur : * et renovábis fáciem terrae.

Sit glória Dómini in saeculum : * laetábitur Dóminus in opéribus suis :

Qui réspicit terram, et facit eam trémere: * qui tangit montes, et fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea : * psallam Deo meo quámdiu sum.

Jucúndum sit ei elóquium meum : * ego vero delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres a terra, et iníqui ita ut non sint: * bénedic ánima mea Dño.

Psalmus civ.

CONFITEMINI Dómino, et invocáte nomen ejus : * annuntiáte inter Gentes ópera ejus.

Cantáte ei, et psállite ei: * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus : * laetétur cor quaeréntium Dóminum.

Quaerite Dóminum, et confirmámini : * quaerite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus, quae fecit : * prodígia ejus, et judícia oris ejus.

Semen Abraham, servi ejus : * fílii Jacob, elécti ejus.

Ipse Dóminus Deus noster : * in univérsa terra judícia ejus.

Memor fuit in saeculum testaménti sui: * verbi, quod mandávit in mille generatiónes :

Quod dispósuit ad Abraham, * et juraménti sui ad Isaac :

Et státuit illud Jacob in praecéptum : * et Israël in testaméntum aetérnum :

Dicens : tibi dabo terram Chánaan, * funículum haereditátis vestrae.

Cum essent número brevi, * paucíssimi et íncolae ejus :

Et pertransiérunt de gente in gentem, * et de regno ad pópulum álterum.

Non relíquit hóminem nocére eis : * et corrípuit pro eis reges.

Nolíte tángere christos meos: * et in prophétis meis nolíte malignári.

Et vocávit famem super terram : * et omne firmaméntum panis contrívit.

Misit ante eos virum : * in servum venúmdatus est Joseph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum pertránsiit ánimam ejus, * donec veníret verbum ejus.

Elóquium Dómini inflammávit eum : * misit rex, et solvit eum ; princeps populórum, et dimísit eum.

Constítuit eum dóminum domus suae : * et príncipem omnis possessiónis suae :

Ut erudíret príncipes ejus sicut semetípsum : * et senes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Israël in Ægyptum : * et Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum suum veheménter : * et firmávit eum super inimícos ejus.

Convértit cor eórum ut odírent pópulum ejus : * et dolum fácerent in servos ejus.

Misit Móysen servum suum : * Aaron, quem elégit ipsum.

Pósuit in eis verba signórum suórum, * et prodigiórum in terra Cham.

Misit ténebras, et obscurávit : * et non exacerbávit sermónes suos.

Convértit aquas eórum in sánguinem : * et occídit pisces eórum.

Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit, et venit coenomyía : * et cínifes in ómnibus fínibus eórum.

Pósuit plúvias eórum grándinem : * ignem comburéntem in terra ipsórum.

Et percússit víneas eórum, et ficúlneas eórum : * et contrívit lignum fínium eórum.

Dixit, et venit locústa, et bruchus, * cujus non erat número :

Et comédit omne foenum in terra eórum : * et comédit omnem fructum terrae eórum.

Et percússit omne primogénitum in terra eórum : * primítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto et auro : * et non erat in tríbubus eórum infírmus.

Laetáta est Ægyptus in profectióne eórum : * quia incúbuit timor eórum super eos.

Expándit nubem in protectiónem eórum, * et ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, et venit cotúrnix : * et pane coeli saturávit eos.

Dirúpit petram, et fluxérunt aquae : * abiérunt in sicco flúmina;

Quóniã memor fuit verbi sancti sui, * quod hábuit ad Abraham púerum suum.

Et edúxit pópulum suum in exultatióne, * et eléctos suos in laetítia.

Et dedit illis regiónes Géntium : * et labóres populórum possedérunt :

Ut custódiant justificatiónes ejus, * et legem ejus requírant.

Ańa. Bénedic ánima mea Dómino.

Ańa. Vísita nos.

Psalmus cv.

CONFITEMINI Dómino quóniam bonus : * quóniam in saeculum misericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

Beáti qui custódiunt judícium, * et fáciunt justítiam in omni témpore.

Meménto nostri, Dñe, in beneplácito pópuli tui : * vísita nos in salutári tuo :

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad laetándum in laetítia gentis tuae : * ut laudéris cum haereditáte tua.

Peccávimus cum pátribus nostris : * injúste égimus, iniquitátem fécimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua : * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiae tuae.

Et irritavérunt ascendéntes in mare, * Mare rubrum.

Et salvávit eos propter nomen suum : * ut notam fáceret poténtiam suam.

Et increpuit Mare rubrum, et exsiccátum est : * et dedúxit eos in abyssis sicut in desérto.

Et salvávit eos de manu odiéntium : * et redémit eos de manu inimíci.

Et opéruit aqua tribulántes eos : * unus ex eis non remánsit.

Et credidérunt verbis ejus : * et laudavérunt laudem ejus.

Cito fecérunt, obliti sunt óperum ejus : * et non sustinuérunt consílium ejus.

Et concupiérunt concupiscéntiã in desérto : * et tentavérunt Deum in inaquóso.

Et dedit eis petitiónem ipsórum : * et misit saturitátem in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móysen in castris : * Aaron sanctum Dómini.

Apérta est terra, et deglutívit Dathan : * et opéruit super congregatiónem Abíron.

Et exársit ignis in synagóga eórum : * flamma combússit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb : * et adoravérunt scúlptile.

Et mutavérunt glóriam suam * in similitúdinem vítuli comedéntis foenum.

Obliti sunt Deum, qui salvávit eos, * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terra Cham : terribília in Mari rubro.

Et dixit ut dispérderet eos : * si non Móyses eléctus ejus stetísset in confractióne in conspéctu ejus :

Ut avérteret iram ejus, ne dispérderet eos : * et pro nihilo habuérunt terram desiderábilem :

Non credidérunt verbo ejus, et murmuravérunt in tabernáculis suis : * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum suam super eos : * ut prostérneret eos in desérto :

Et ut dejíceret semen eórum in natiónibus : * et dispérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti sunt Beélphegor : * et comedérunt sacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis : * et multiplicáta est in eis ruína.

Et stetit Phínees, et placávit: * et cessávit quassátio.

Et reputátum est ei in justítiam, * in generatiónem et generatiónem usque in sempitérnum.

Et irritavérunt eum ad Aquas contradictiónis : * et vexátus est Móyses propter eos : quia exacerbavérunt spíritum ejus.

Et distínxit in lábiis suis : * non disperdidérunt gentes, quas dixit Dóminus illis.

Et commísti sunt inter gentes, et didicérunt ópera eórum : et serviérunt sculptílibus eórum : * et factum est illis in scándalum.

Et immolavérunt fílios suos, * et fílias suas daemóniis.

Et effudérunt sánguinem innocéntem : * sánguinem filiórum suórum et filiárum suárum, quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.

Et infécta est terra in sanguínibus, et contamináta est in opéribus eórum : * et fornicáti sunt in adinventiónibus suis.

Et irátus est furóre Dóminus in pópulum suum: * et abominátus est haereditátem suam.

Et trádidit eos in manus géntium : * et dominati sunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, et humiliáti sunt sub mánibus eórum: * saepe liberávit eos.

Ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo : * et humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit cum tribularéntur : * et audívit oratiónem eórum.

Et memor fuit testaménti sui : * et poenítuit eum secúndum multitúdinem misericórdiae suae.

Et dedit eos in misericórdias * in conspéctu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac, Dómine Deus noster : * et cóngrega nos de Natiónibus :

Ut confiteámur nómini sancto tuo : * et gloriémur in laude tua.

Benedíctus Dñus Deus Israël a saeculo et usque in saeculum : * et dicet omnis pópulus : Fiat, fiat.

Psalmus cvi.

CONFITEMINI Dómino quóniam bonus : * quóniam in saeculum misericórdia ejus.

Dicant qui redémpti sunt a Dómino, quos redémit de manu inimíci : * et de regiónibus congregávit eos:

A solis ortu, et occásu : * ab aquilóne, et mari.

Erravérunt in solitúdine in inaquóso : * viam civitátis habitáculi non invenérunt,

Esuriéntes, et sitiéntes: * ánima eórum in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur: * et de necessitátibus eórum erípuit eos.

Et dedúxit eos in viam rectam: * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteántur Dño misericórdiae ejus: * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Quia satiávit ánimam inánem: * et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Sedéntes in ténebris, et umbra mortis: * vinctos in mendicitáte, et ferro.

Quia exacerbavérunt elóquia Dei: * et consílium Altíssimi irritavérunt.

Et humiliátum est in labóribus cor eórum: * infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur: * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Et edúxit eos de ténebris, et umbra mortis: * et víncula eórum disrúpit.

Confiteántur Dño misericórdiae ejus: * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Quia contrívit portas aereas: * et vectes férreos confrégit.

Suscépit eos de via iniquitátis eórum: * propter injustítias enim suas humiliáti sunt.

Omnem escam abominánta est ánima eórum: * et appropinquavérunt usque ad portas mortis.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur: * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Misit verbum suum, et sanávit eos: * et erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteántur Dño misericórdiae ejus: * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Et sacrifícent sacrifícium laudis: * et annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui descéndunt mare in návibus, * faciéntes operatiónem in aquis multis.

Ipsi vidérunt ópera Dómini, * et mirabília ejus in profúndo.

Dixit, et stetit spíritus procéllae: * et exaltáti sunt fluctus ejus.

Ascéndunt usque ad coelos, et descéndunt usque ad abyssos: * ánima eórum in malis tabescébat.

Turbáti sunt, et moti sunt sicut ébrius: * et omnis sapiéntia eórum devoráta est.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur, * et de necessitátibus eórum edúxit eos.

Et státuit procéllam ejus in auram: * et siluérunt fluctus ejus.

Et laetáti sunt quia siluérunt: * et dedúxit eos in portum voluntátis eórum.

Confiteántur Dño misericórdiae ejus : * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Et exáltent eum in ecclésia plebis : * et in cáthedra seniórum laudent eum.

Pósuit flúmina in desértum : * et éxitus aquárum in sitim.

Terram fructíferam in salsúginem,* a malítia inhabitántium in ea.

Pósuit desértũ in stagna aquárum : * et terram sine aqua in éxitus aquárum.

Et collocávit illic esuriéntes : * et constituérunt civitátem habitatiónis.

Et seminavérunt agros, et plantavérunt víneas: * et fecérunt fructum nativitátis.

Et benedíxit eis, et multiplicáti sunt nimis : * et juménta eórum non minorávit.

Et pauci facti sunt : * et vexáti sunt a tribulatióne malórum, et dolóre.

Effúsa est contémptio super príncipes : * et errare fecit eos in ínvio, et non in via.

Et adjúvit páuperem de inópia : * et pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti, et laetabúntur: * et omnis iniquitas oppilábit os suum.

Quis sápiens et custódiet haec? * et intélliget misericórdias Dómini?

Ańa. Vísita nos, Dñe, in salutári tuo.

Ańa. Confitébor Dño.

Psalmus cvii.

PARATUM cor meum, Deus, parátum cor meum : * cantábo, et psallam in glória mea.

Exúrge glória mea, exúrge psaltérium, et cithara : * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine : * et psallam tibi in natiónibus.

Quia magna est super coelos misericórdia tua : * et usque ad nubes véritas tua :

Exaltáre super coelos, Deus, et super omnem terram glória tua:* ut liberéntur dilécti tui.

Salvum fac déxtera tua, et exáudi me : * Deus locútus est in sancto suo :

Exultábo, et dividam Síchimam,* et convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus est Gálaad, et meus est Manásses: * et Ephraïm suscéptio cápitis mei.

Juda rex meus : * Moab lebes spei meae.

In Idumaeam exténdam calceaméntũ meum : * mihi alienígenae amíci facti sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumaeam?

Nonne tu, Deus, qui repulísti nos,* et non exíbis, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne : * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem : * et ipse ad níhilum dedúcet inimícos nostros.

Psalmus cviii.

DEUS, laudem meam ne tacúeris : * quia ós peccatóris, et os dolósi super me apértum est.

Locúti sunt advérsum me lingua dolósa, et sermónibus ódii circumdedérunt me : * et expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me diligerent : detrahébant mihi : * ego autem orábam.

Et posuérunt advérsum me mala pro bonis : * et ódium pro dilectióne mea.

Constítue super eum peccatórem : * et diábolus stet a dextris ejus.

Cum judicátur, éxeat condemnátus : * et orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci : * et episcopátum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani : * et uxor ejus vídua.

Nutántes transferántur fílii ejus, et mendicent : * et ejiciántur de habitatiónibus suis.

Scrutétur foenerátor omnem substántiam ejus : * et dirípiant alièni labóres ejus.

Non sit illi adjútor : * nec sit qui misereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum : * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conspéctu Dñi : * et peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dñum semper, et dispéreat de terra memória eórum : * pro eo quod non est recordátus fácere misericórdiam.

Et persecútus est hóminem ínopem, et mendícum, * et compúnctum corde mortificáre.

Et diléxit maledictiónem, et véniet ei : * et nóluit benedictiónem, et elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem sicut vestiméntum, * et intrávit sicut aqua in interióra ejus, et sicut óleum in óssibus ejus.

Fiat ei sicut vestiméntum, quo operítur : * et sicut zona, qua semper praecíngitur.

Hoc opus eórum, qui détrahunt mihi apud Dóminum : * et qui loquúntur mala advérsus ánimam meam.

Et tu, Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum : * quia suávis est misericórdia tua.

Líbera me, quia egénus, et pauper ego sum : * et cor meum conturbátum est intra me.

Sicut umbra cum declínat, ablátus sum : * et excússus sum sicut locústae.

Génua mea infirmáta sunt a jejúnio : * et caro mea immutáta est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis : * vidérunt me, et movérunt cápita sua.

Adjuva me, Dñe Deus meus : * salvum me fac secúndum misericórdiã tuam.

Et sciant quia manus tua haec : * et tu, Dómine, fecísti eam.

Maledícent illi, et tu benedíces : * qui insúrgunt in me, confundántur : servus autem tuus laetábitur.

Induántur qui détrahunt mihi, pudóre : * et operiántur sicut diplóide confusióne sua.

Confitébor Dño nimis in ore meo : * et in médio multórum laudábo eum.

Quia ástitit a dextris páuperis, * ut salvam fáceret a persequéntibus ánimam meam.

Ańa. Confitébor Dómino nimis in ore meo.

Per Annum, ℣. Dñe, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Pro Beata Maria, ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in aetérnum.

AD LAUDES.

Ańa. Benígne fac * in bona voluntáte tua, Dñe.

Psalm. Miserére. 59.

Ańa. Bonum est.

Psalmus xci.

BONUM est confitéri Dño : * et psállere nómini tuo, Altíssime.

Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam : * et veritátem tuam per noctem.

In decachórdo, psaltério : * cum cántico, in cíthara.

Quia delectásti me, Dñe, in factúra tua : * et in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dñe! * nimis profúndae factae sunt cogitatiónes tuae :

Vir insípiens non cognóscet : * et stultus non intélliget haec.

Cum exórti fúerint peccatóres sicut foenum : * et apparúerint omnes, qui operántur iniquitátem :

Ut intéreant in saeculum saeculi : * tu autem Altíssimus in aetérnum, Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui, Dñe, quóniam ecce inimici tui períbunt : * et dispergéntur omnes, qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum : * et senéctus mea in misericórdia úberi.

Et despéxit óculus meus inimícos meos : * et in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea;

Justus, ut palma florébit : * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dñi, * in átriis domus Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senécta úberi : * et bene patiéntes erunt, ut annúntient :

Quóniam rectus Dóminus Deus noster : * et non est iníquitas in eo.

Ant. Bonum est confitéri Dómino.

Ant. Métuant Dñum * omnes fines terrae.

Ps. Deus, Deus meus, 18.

Antiphona. Date magnitúdinem.

Canticum Moysis.
Deut. xxxii.

AUDITE coeli quae loquor, * áudiat terra verba oris mei.

Concréscat ut plúvia doctrína mea, * fluat ut ros elóquium meum,

Quasi imber super herbam, et quasi stillae super grámina. * Quia nomen Dómini invocábo :

Date magnificéntiam Deo nostro. * Dei perfécta sunt ópera, et omnes viae ejus judícia :

Deus fidélis, et absque ulla iniquitáte, justus et rectus. * Peccavérunt ei, et non fílii ejus in sórdibus :

Generátio prava atque pervérsa. * Haeccine reddis Dómino pópule stulte et insípiens?

Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, et fecit, et creávit te ?

Meménto diérum antiquórum, * cógita generatiónes síngulas :

Intérroga patrem tuum, et annuntiábit tibi : * majóres tuos, et dicent tibi.

Quando dividébat Altíssimus Gentes : * quando separábat fílios Adam,

Constítuit términos populórum * juxta número rum filiórum Israël.

Pars autem Dñi, pópulus ejus : * Jacob funículus haereditátis ejus.

Invénit eum in terra desérta, * in loco horróris, et vastae solitúdinis :

Circumdúxit eum, et dócuit : * et custodívit quasi pupíllam óculi sui.

Sicut áquila próvocans ad volándum pullos suos, * et super eos vólitans,

Expándit alas suas, et assúmpsit eum, * atque portávit in húmeris suis.

Dóminus solus dux ejus fuit : * et non erat cum eo deus aliénus.

Constítuit eum super excélsam terram : * ut coméderet fructus agrórum,

Ut súgeret mel de petra, * oleúmque de saxo duríssimo :

Butyrum de arménto, et lac de óvibus * cum ádipe

agnórum, et aríetum filiórum Basan :

Et hircos cum medúlla tritici, * et sánguinem uvae bíberet meracíssimum.

Incrassátus est diléctus, et recalcitrávit : * incrassátus, impinguátus, dilatátus,

Derelíquit Deum factórem suum, * et recéssit a Deo salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis, * et in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

Immolavérunt daemóniis, et non Deo, * diis, quos ignorábant :

Novi recentésque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum, qui te génuit dereliquísti, * et oblítus es Dómini creatóris tui.

Vidit Dñus, et ad iracúndiam concitátus est : * quia provocavérunt eum fílii sui et fíliae.

Et ait : Abscóndam fáciem meam ab eis, * et considerábo novíssima eórum :

Generátio enim pervérsa est, * et infidéles fílii.

Ipsi me provocavérunt in eo, qui non erat Deus, * et irritavérunt in vanitátibus suis :

Et ego provocábo eos in eo, qui non est pópulus, * et in gente stulta irritábo illos.

Ignis succénsus est in furóre meo, * et ardébit usque ad inférni novíssima :

Devorabítque terram cum gérmine suo, * et móntium fundaménta combúret.

Congregábo super eos mala, * et sagíttas meas complébo in eis.

Consuméntur fame, * et devorábunt eos aves morsu amaríssimo :

Dentes bestiárum immíttam in eos, * cum furóre trahéntium super terram, atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládius, et intus pavor, * júvenem simul ac vírginem, lacténtem cum hómine sene.

Dixi: Ubinam sunt? * cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum distuli : * ne forte superbírent hostes eórum.

Et dícerent : Manus nostra excélsa, et non Dñus, * fecit haec ómnia.

Gens absque consílio est, et sine prudéntia. * Utinam sáperent, et intellígerent, ac novíssima providérent.

Quómodo persequátur unus mille, * et duo fugent decem míllia?

Nonne ídeo, quia Deus suus véndidit eos, * et Dñus conclúsit illos?

Non enim est Deus noster ut dii eórum : * et inimíci nostri sunt júdices.

De vínea Sodomórum, vínea eórum,* et de suburbánis Gomórrhae :

Uva eórum uva fellis,* et botri amaríssimi.

Fel dracónum vinum eórum,* et venénum áspidum insanábile.

Nonne haec cóndita sunt apud me,* et signáta in thesáuris meis ?

Mea est últio, et ego retríbuam in témpore,* ut labátur pes eórum :

Juxta est dies perditiónis, * et adésse festínant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum suum, * et in servis suis miserébitur :

Vidébit quod infirmáta sit manus,* et clausi quoque defecérunt, residuique consúmpti sunt.

Et dicet : Ubi sunt dii eórum,* in quibus habébant fidúciam ?

De quorum víctimis comedébant ádipes,* et bibébant vinum libáminum :

Surgant, et opituléntur vobis, * et in necessitáte vos prótegant.

Vidéte quod ego sim solus,* et non sit álius Deus praeter me :

Ego occídam, et ego vívere fáciam:* percútiam, et ego sanábo, et non est qui de manu mea possit erúere.

Levábo ad coelum manum meam, et dicam :* Vivo ego in aetérnum.

Si acúero ut fúlgur gládium meum, * et arripúerit judícium manus mea :

Reddam ultiónem hóstibus meis,* et his, qui odérunt me retríbuam.

Inebriábo sagíttas meas sánguine,* et gládius meus devorábit carnes.

De cruóre occisórum,* et de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte gentes pópulum ejus,* quia sánguinem servórũ suórum ulciscétur :

Et vindíctam retríbuet in hostes eórum,* et propítius erit terrae pópuli sui.

Ańa. Date magnitúdinem Deo nostro.

Ańa. In cymbalis benesonántibus laudáte Deum.

Psalm. Laudáte Dóminum de coelis. 20.

Capitulum. *Rom.* xiii.

NOX praecéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus.

AURORA jam spargit polum :
Terris dies illábitur :
Lucis resúltat spículum :
Discédat omne lúbricum.

Phantásma noctis éxulet:
Mentis reátus córruat :
Quidquid tenébris hórridum
Nox áttulit culpae, cadat.

Ut mane, quod nos últimum
Hic deprecámur cérnui,
Cum luce nobis éffluat,
Hoc dum canóre cóncrepat.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exultávimus, et delectáti sumus.

Ad Benedictus. Ańa. Illumináre, Dñe, * his qui in ténebris sedent, et dírige pedes nostros in viam pacis, Deus Israël.

Preces, quando dicendae sunt, habentur supra in Feria ii. 62.

DOMINICA
AD VESPERAS.

Pater noster. Ave Maria. ℣. Deus in adjutórium. Ańa. Dixit Dóminus.

Psalmus cix.

DIXIT Dñus Dño meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuae emíttet Dóminus ex Sion: * dominare in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuae in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non poenitébit eum : * Tu es sacérdos in aetérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dñus a dextris tuis, * confrégit in die irae suae reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Ańa. Dixit Dóminus Dño meo : Sede a dextris meis.

Antiphona. Fidélia.

Psalmus cxi.

CONFITEBOR tibi, Dñe, in toto corde meo : * in consilio justórũ, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dñus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in saeculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis haereditátem géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : confirmáta in saeculum saeculi, * facta in veritáte et aequitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in aetérnum testaméntũ suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiae timor Dómini.

Intellectus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in saeculum saeculi.

Ańa. Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in saeculum saeculi.

Antiphona. In mandátis.

Psalmus cxi.

BEATUS vir, qui timet Dñum : * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória et divítiae in domo ejus : * et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis : * miséricors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, dispónet sermónes suos in judício : * quia in aetérnum non commovébitur.

In memória aetérna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus : * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus : justítia ejus manet in saeculum saeculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, déntibus suis fremet et tabéscet : * desidérium peccatórum períbit.

Ańa. In mandátis ejus cupit nimis.

Ańa. Sit nomen Dómini.

Psalmus cxii.

LAUDATE púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super coelos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in coelo et in terra ?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum laetántem.

Ańa. Sit nomen Dómini benedíctum in saecula.

Ańa. Nos qui vívimus.

Psalmus cxiii.

IN éxitu Israël de Ægypto, * domus Jacob de pópulo bárbaro :

Facta est Judæa sanctificátio ejus, * Israël potéstas ejus.

Mare vidit, et fugit : * Jordánis convérsus est retrórsum.

Montes exultavérunt ut aríetes: * et colles sicut agni óvium.

Quid est tibi mare quod fugísti : * et tu Jordánis, quia convérsus es retrórsum?

Montes exultástis sicut aríetes, * et colles sicut agni óvium.

A fácie Dómini mota est terra, * a fácie Dei Jacob.

Qui convértit petram in stagna aquárum, * et rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis : * sed nómini tuo da glóriam.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : * nequándo dicant Gentes : Ubi est Deus eórum?

Deus autem noster in coelo: * ómnia quaecúmque vóluit, fecit.

Simulácra géntium argéntum, et aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquéntur: * óculos habent, et non vidébunt.

Aures habent, et non áudient : * nares habent, et non odorábunt.

Manus habent, et non palpábunt : pedes habent, et non ambulábunt : * non clamábunt in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea : * et omnes qui confídunt in eis.

Domus Israël sperávit in Dómino : * adjútor eórum et protéctor eórum est.

Domus Aaron sperávit in Dómino : * adjútor eórum et protéctor eórum est.

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino : * adjútor eórum et protéctor eórum est.

Dóminus memor fuit nostri : * et benedíxit nobis :

Benedíxit dómui Israël: * benedíxit dómui Aaron.

Benedíxit ómnibus, qui timent Dóminum, * pusíllis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos : * super vos, et super fílios vestros.

Benedícti vos a Dómino, * qui fecit coelum, et terram.

Coelum coeli Dómino : * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine: * neque omnes, qui descéndunt in infernum.

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

Ana. Nos qui vivimus, benedícimus Dómino.

Capitulum. 2 *Cor.* i.

BENEDICTUS Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus.

LUCIS Creátor óptime Lucem diérum próferens,
Primórdiis lucis novae,
Mundi parans originem.
Qui mane junctum vésperi
Diem vocári praecipis,
Illábitur tetrum chaos,
Audi preces cum flétibus.
Ne mens graváta crímine,
Vitae sit exul múnere,
Dum nil perénne cógitat,
Seséque culpis illigat.
Coeléste pulset óstium :
Vitále tollat praemium :
Vitémus omne nóxium :
Purgémus omne péssimum.
Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne saeculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Praedictus Hymnus cum suo Versu dicitur a Dominica tertia post Pentec. usque ad Adventum. Capit. vero praedictum dicitur in eisdem Dominicis. Dicitur etiam in feriali Officio ab Octava Pentecostes usque ad Adventum. Similiter et Versus.

Antíphonae autem cum Psalmis semper dicuntur ut supra, quando fit Offic. de Dominica.

Canticum
Beatae Mariae Virginis.
Luc. i. *e.*

MAGNIFICAT * ánima mea Dóminum :
Et exultávit spíritus meus * in Deo salutári meo.
Quia respéxit humilitátem ancíllae suae : * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.
Quia fecit mihi magna qui potens est : * et sanctum nomen ejus.
Et misericórdia ejus a progénie in progénies * timéntibus eum.
Fecit poténtiam in bráchio suo : * dispérsit supérbos mente cordis sui.
Depósuit poténtes de sede, * et exaltávit húmiles.
Esuriéntes implévit bonis : * et dívites dimísit inánes.
Suscépit Israël púerum suum, * recordátus misericórdiae suae.
Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, et sémini ejus in saecula.
Glória Patri, et Fílio, etc.

Deinde dicitur Antiphona et Oratio propria.

FERIA SECUNDA
AD VESPERAS.

Antiphona. Inclinávit.

Psalmus cxiv.

DILEXI, quóniam exáudiet Dñus * vocem oratiónis meae.

Quia inclinávit aurem suam mihi : * et in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis : * et perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem et dolórem invéni : * et nomen Dómini invocávi.

O Dñe, líbera ánimam meam : * miséricors Dñus, et justus, et Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus:* humiliátus sum, et liberávit me.

Convértere ánima mea in réquiem tuam : * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte : * óculos meos a lácrymis, pedes meos a lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Aña. Inclinávit Dóminus aurem suam mihi.

Antiphona. Crédidi.

Psalmus cxv.

CREDIDI, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo:* Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dño, * pro ómnibus, quae retríbuit mihi ?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dño reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dñi mors sanctórum ejus :

O Dómine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllae tuae.

Dirupísti vincula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Aña. Crédidi, propter quod locútus sum.

Antiphona. Laudáte.

Psalmus cxvi.

LAUDATE Dóminum omnes Gentes: * laudáte eum omnes pópuli :

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in aetérnum.

Aña. Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Antiphona. Clamávi.

Psalmus cxix.

AD Dñum cum tribulárer clamávi : * et exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis, * et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagíttae poténtis acútae, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est: habitávi cum habitántibus Cedar: * multum íncola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Ańa. Clamávi, et exaudívit me.

Antíphona. Unde véniet.

Psalmus cxx.

LEVAVI óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dómino, * qui fecit coelum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum: * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israël.

Dñus custódit te, Dóminus protéctio tua, * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te: * neque luna per nóctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxitum tuum: * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

Ańa. Unde véniet auxílium mihi.

Capitulum. 2 *Cor.* i.

BENEDICTUS Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus.

IMMENSE coeli Cónditor,
Qui mixta ne confúnderent,
Aquae fluénta dívidens,
Coelum dedísti límitem.

Firmans locum coeléstibus,
Simúlque terrae rívulis:
Ut unda flammas témperet,
Terrae solum ne díssipent.

Infúnde nunc, piíssime,
Donum perénnis grátiae:
Fraudis novae ne cásibus
Nos error átterat vetus.

Lucem fides adáugeat:
Sic lúminis jubar ferat:
Haec vana cuncta próterat:
Hanc falsa nulla cómprimant.

Praesta, Pater piíssime,
Patrique compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magníficat. Ánt. Magníficat * ánima mea Dóminum, quia respéxit Deus humilitátem meam.

In Feriis Vigiliarum quae jejunantur, post Antíphonam ad Magníf. dicuntur sequentes Preces flexis genibus, si dicendae sint.

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, totum dicitur clara voce.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Ego dixi, Dñe, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

℣. Convértere, Dómine, úsquequo. ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent.

℣. Dómine, salvum fac Regem. ℟. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic haereditáti tuae. ℟. Et rege eos, et extólle illos usque in aetérnum.

℣. Meménto congregatiónis tuae. ℟. Quam possedísti ab initio.

℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem aetérnam dona eis, Dñe, et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

℣. Pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, speréntes in te.

℣. Pro afflíctis et captívis. ℟. Líbera eos, Deus Israël, ex ómnibus tribulatiónibus suis.

℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Psalmus l.

QISERERE mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum,* dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta, et occúlta sapiéntiae tuae manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et laetítiam: * et exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi laetítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas:* et impii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meae : * et exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dñe, in bona voluntáte tua Sion : * ut aedificéntur muri Jerúsalē.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiae, oblatiónes, et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Glória Patri, et Filio, etc.

Finito Psalmo, dicitur :

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

℣. Exúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio, quando propria non assignatur, dicitur de Dominica praecedenti ut habetur in Proprio de Tempore.

Añae cum Psalmis semper dic. ad Vesp. in Offic. fer. ut hic in Psalt.: Hymni vero ab Oct. Pentec. usque ad Advent. Añа autem ad Magnif. eodem tempore.

FERIA TERTIA

AD VESPERAS.

Añа. In domum Dómini.

Psalmus cxxi.

AETATUS sum in his, quae dicta sunt mihi : * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quae aedificátur ut cívitas : * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dñi : * testimónium Israël ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quae ad pacem sunt Jerúsalem : * et abundántia diligéntibus te :

Fiat pax in virtúte tua : * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et próximos meos, * loquébar pacem de te :

Propter domum Dñi Dei nostri, * quaesívi bona tibi.

Añ. In domum Dómini laetántes íbimus.

Antiphona. Qui hábitas.

Psalmus cxxii.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in coelis.

Ecce sicut óculi servórum, * in mánibus dominórum suórum,

Sicut óculi ancíllae in mánibus dóminae suae : * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum donec misereátur nostri.

Miserére nostri, Dómine, miserére nostri: * quia multum repléti sumus despectióne :

Quia multum repléta est ánima nostra: * oppróbrium abundántibus, et despéctio supérbis.

Añ. Qui hábitas in coelis, miserére nobis.

Antiphona. Adjutórium.

Psalmus cxxiii.

NISI quia Dñus erat in nobis, dicat nunc Israël : * nisi quia Dóminus erat in nobis,

Cum exúrgerent hómines in nos, * forte vivos deglutíssent nos :

Cum irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuísset nos.

Torréntem pertransívit ánima nostra : * fórsitan pertransísset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erépta est * de láqueo venántium :

Láqueus contrítus est, * et nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit coelum et terram.

Añ. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

Antiphona. Benefac.

Psalmus cxxiv.

QUI confídunt in Dómino, sicut mons Sion : * non commovébitur

in aetérnum, qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus: * et Dóminus in circúitu pópuli sui, ex hoc nunc et usque in saeculum.

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum: * ut non exténdant justi ad iniquitátem manus suas.

Bénefac, Dñe, bonis, * et rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes, addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem : * pax super Israël.

Añ. Bénefac, Dómine, bonis, et rectis corde.

Antiphona. Facti sumus.

Psalmus cxxv.

IN converténdo Dñus captivitátem Sion : * facti sumus sicut consoláti :

Tunc replétum est gáudio os nostrum : * et lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter Gentes : * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : * facti sumus laetántes.

Convérte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in Austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portántes manípulos suos.

Antiphona. Facti sumus sicut consoláti.

Capitulum. 2 *Cor.* i.

BENEDICTUS Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totius consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus.

TELLURIS alme Cónditor,
Mundi solum qui séparans,
Pulsis aquae moléstiis,
Terram dedísti immóbilem:
Ut germen aptum próferens,
Fulvis decóra flóribus,
Foecúnda fructu sisteret,
Pastúmque gratum rédderet.
Mentis perústae vúlnera
Munda viróre grátiae :
Ut facta fletu díluat,
Motúsque pravos átterat.
Jussis tuis obtémperet :
Nullis malis appróximet :
Bonis repléri gáudeat,
Et mortis ictum nésciat
Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat, Ańa. Exúltet * spíritus meus in Deo salutári meo.

Preces si dicendae sint habentur supra in Vesperis Feriae ii. 62.

FERIA QUARTA
AD VESPERAS.

Ańa. Non confundétur.

Psalmus cxxvi.

NISI Dñus aedificáverit domum, * in vanum laborávérunt qui aedíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vigilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit dilécti̇s suis somnum: * ecce haeréditas Dómini fílii : merces, fructus ventris.

Sicut sagíttae in manu poténtis * ita filii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis: * non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Ańa. Non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Antiphona. Beáti.

Psalmus cxxvii.

BEATI omnes, qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis : * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuae.

Filii tui sicut novéllae olivárum, * in circúitu mensae tuae.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dñus ex Sion : * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitae tuae.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israël.

Ańa. Beáti omnes qui timent Dóminum.

Antiphona. Saepe.

Psalmus cxxviii.

SAEPE expugnavérunt me a juventúte mea, * dicat nunc Israël.

Saepe expugnavérunt me a juventúte mea : * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres : * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus concídit cervíces peccatórum: * confundántur, et convertántur retrórsum omnes, qui odérunt Sion.

Fiant sicut foenum tectórum : * quod priúsquam evellátur, exáruit :

De quo non implévit manum suam qui metit, * et

sinum suum qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui praeteríbant : Benedíctio Dñi super vos : * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Ańa. Saepe expugnavérunt me a juventúte mea.

Ańa. De profúndis.

Psalmus cxxix.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine : * Dñe, exáudi vocem meam :

Fiant aures tuae intendéntes, * in vocem deprecatiónis meae.

Si iniquitátes observáveris, Dómine: * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ańa. De profúndis clamávi ad te, Dómine.

Antiphona. Speret.

Psalmus cxxx.

DOMINE, non est exaltátum cor meum : * neque eláti sunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis : * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam: * sed exaltávi ánimam meam :

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israël in Dño, * ex hoc nunc et usque in saeculum.

Antiphona. Speret Israël in Dómino.

Capitulum. 2 *Cor.* i.

BENEDICTUS Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus.

CAELÌ Deus sanctíssime,
Qui lúcidas mundi plagas
Candóre pingis ígneo,
Augens decóro lúmine.

Quarto die qui flámmeam
Dum solis accéndis rotam,
Lunae minístras órdinem,
Vagósque cursus síderum.

Ut nóctibus, vel lúmini
Diremptiónis términum,
Primórdiis et ménsium
Signum dares notíssimum.

Expélle noctem córdium:
Abstérge sordes méntium :
Resólve culpae vínculum :
Evérte moles críminum.

Praesta, Pater piíssime, Patríque compar Unice, Cum Spíritu Paráclito Regnans per omne saeculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magníficat, Ánta. Respéxit Dñus * humilitátem meam, et fecit in me magna, qui potens est.

Preces quando dicendae sunt, habentur supra in Vesperis Feriae ii. 139.

FERIA QUINTA

AD VESPERAS.

Antíphona. Et omnis.

Psalmus cxxxi.

MEMENTO, Dómine, David, * et omnis mansuetúdinis ejus :

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob :

Si introfero in tabernáculum domus meae, * si ascéndero in lectum strati mei :

Si dédero somnum óculis meis, * et pálpebris meis dormitatiónem :

Et réquiem tempóribus meis : donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata : * invénimus eam in campis silvae.

Introíbimus in tabernáculum ejus : * adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam, * tu et arca sanctificatiónis tuae.

Sacerdótes tui induántur justítiam : * et sancti tui exúltent.

Propter David servum tuum, * non avértas fáciem Christi tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, et non frustrábitur eam : * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testaméntum meum, * et testimónia mea haec quae docébo eos :

Et fílii eórum usque in saeculum, * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion : * elégit eam in habitatiónem sibi.

Haec réquies mea in saeculum saeculi : * hic habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam : * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári : * et sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David. * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne : * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Ánta. Et omnis mansuetúdinis ejus.

Antíphona. Ecce.

Psalmus cxxxii.

ECCE quam bonum, et quam jucúndum * habitáre fratres in unum :

Sicut unguéntum in cápite, * quod descéndit in barbam, barbam Aaron,

Quod descéndit in oram vestiménti ejus : * sicut ros Hermon, qui descéndit in montem Sion.

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, * et vitam usque in saeculum.

Ańa. Ecce quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum.

Antiphona. Omnia.

Psalmus cxxxiv.

LAUDATE nomen Dómini, * laudáte servi Dóminum.

Qui statis in domo Dómini * in átriis domus Dei nostri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus : * psállite nómini ejus, quóniam suáve.

Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus * Israël in possessiónem sibi.

Quia ego cognóvi quod magnus est Dóminus, * et Deus noster prae ómnibus diis.

Omnia quaecúmque vóluit, Dñus fecit in coelo, et in terra, * in mari, et in ómnibus abyssis.

Edúcens nubes ab extrémo terrae : * fúlgura in plúviam fécit.

Qui producit ventos de thesáuris suis: * qui percússit primogénita Ægypti ab hómine usque ad pecus.

Et misit signa, et prodígia in médio tui Ægypte: * in Pharaónem, et in omnes servos ejus.

Qui percússit gentes multas : * et occídit reges fortes :

Sehon regem Amorrhaeórum, et Og regem Basan, * et ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hacreditátem, * haereditátem Israël pópulo suo.

Dñe, nomen tuum in aetérnum : * Dñe, memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Quia judicábit Dóminus pópulum suum : * et in servis suis deprecábitur.

Simulácra Géntium argéntum, et aurum: * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquúntur : * óculos habent, et non vidébunt.

Aures habent, et non áudient : * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea : * et omnes, qui confídunt in eis.

Domus Israël benedícite Dómino : * domus Aaron benedícite Dómino.

Domus Levi benedícite Dómino : * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedíctus Dóminus ex Sion,* qui hábitat in Jerúsalem.

Ant. Omnia quaecúmque vóluit, Dóminus fecit.

Antiphona. Quóniam in aetérnum.

Psalmus cxxxv.

CONFITEMINI Dómino, quóniam bonus : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Confitémini Deo deórũ: * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui facit mirabília magna solus : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui fecit coelos in intelléctu : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui firmávit terram super aquas : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui fecit luminária magna : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Solem in potestátem diéi : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Lunam, et stellas in potestátem noctis : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui percússit Ægyptum cum primogénitis eórum : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui edúxit Israël de médio eórum : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

In manu poténti, et bráchio excélso : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui divísit Mare rubrum in divisiónes : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Et edúxit Israël per médium ejus: * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Et excússit Pharaónem, et virtútem ejus in Mari rubro : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui tradúxit pópulum suum per desértum : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui percússit reges magnos : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Et occídit reges fortes : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Sehon regem Amorrhaeórum : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Et Og regem Basan : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Et dedit terram eórum haereditátem : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Haereditátem Israël servo suo: * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Quia in humilitáte nostra memor fuit nostri : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Et redémit nos ab inimícis nostris : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui dat escam omni carni : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Confitémini Deo coeli : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Ańa. Quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Ańa. Hymnum cantáte.

Psalmus cxxxvi.

SUPER flúmina Babylónis, illic sédimus et flévimus : * cum recordarémur Sion :

In salícibus in médio ejus, * suspéndimus órgana nostra.

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum :

Et qui abduxérunt nos:* Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini * in terra aliéna ?

Si oblítus fúero tui Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea.

Adhaereat lingua mea fáucibus meis,* si non meminero tui :

Si non proposúero Jerúsalem,* in princípio laetítiae meae.

Memor esto, Dñe, filiórũ Edom, * in die Jerúsalem :

Qui dicunt : Exinaníte, exinaníte * usque ad fundaméntum in ea.

Fília Babylónis mísera:* beátus, qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuísti nobis.

Beátus, qui tenébit,* et allídet párvulos tuos ad petram.

Ańa. Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Capitulum. 2 *Cor.* i.

BENEDICTUS Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus.

QUAGNAE Deus poténtiae,
Qui fértili natos aqua
Partim relínquis gúrgiti,
Partim levas in áera.

Demérsa lymphis ímprimens,
Subvécta coelis érigens :
Ut stirpe ab una pródita,
Divérsa répleant loca.

Largíre cunctis sérvulis,
Quos mundat unda sánguinis,

Nescíre lapsus críminum,
Nec ferre mortis taedium.
Ut culpa nullum déprimat :
Nullum efferat jactántia :
Elísa mens ne cóncidat :
Eláta mens ne córruat.
Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magníficat, Ánt. Fac, Deus, poténtiam * in bráchio tuo : dispérde supérbos, et exálta húmiles.

Preces, quando dicendae sunt, habentur supra in Vesperis Feriae ii. 139.

FERIA SEXTA

AD VESPERAS.

Antíphona. In conspéctu.

Psalmus cxxxvii.

CONFITEBOR tibi, Dómine, in toto corde meo : * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi : * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me : * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dñe, omnes reges terrae : * quia audiérunt ómnia verba oris tui :

Et cantent in viis Dñi : * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dñus, et humília réspicit : * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me : * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : * Dómine, misericórdia tua in saeculum : ópera mánuum tuárum ne despícias.

Ánt. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus.

Antíphona. Dómine.

Psalmus cxxxviii.

DOMINE, probásti me, et cognovísti me : * tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longe : * sémitam meam, et funículum meum investigásti.

Et omnes vias meas praevidísti : * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovísti ómnia novíssima, et

antíqua : * tu formásti me, et posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me : * confortáta est, et non pótero ad eam.

Quo ibo a spíritu tuo? * et quo a fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in coelum, tu illic es: * si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * et habitávero in extrémis maris:

Etenim illuc manus tua dedúcet me: * et tenébit me déxtera tua.

Et dixi : Fórsitan ténebrae conculcábunt me : * et nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebrae non obscurabúntur a te, et nox sicut dies illuminábitur : * sicut ténebrae ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos : * suscepísti me de útero matris meae.

Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es : * mirabília ópera tua, et ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum a te, quod fecísti in occúlto: * et substántia mea in inferióribus terrae.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui, et in libro tuo omnes scribéntur: * dies formabúntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui. Deus : * nimis confortátus est princípátus eórum.

Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur : * exurréxi, et adhuc sum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres : * viri sánguinum declináte a me :

Quia dícitis in cogitatióne : * accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam : * et super inimícos tuos tabescébam?

Perfécto ódio óderam illos : * et inimíci facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum : * intérroga me, et cognósce sémitas meas.

Et vide, si via iniquitátis in me est: * et deduc me in via aetérna.

Ańa. Dómine, probásti me, et cognovísti me.

Antiph. A viro iníquo.

Psalmus cxxxix.

ERIPE me, Dómine, ab hómine malo : * a viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde : * tota die constituébant praelia.

Acuérunt linguas suas sicut serpéntis : * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris : * et ab

homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos : * abscondérunt supérbi láqueum mihi.

Et funes extendérunt in láqueum: * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino : Deus meus es tu : * exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meae.

Dómine, Dómine, virtus salútis meae : * obumbrásti super caput meum in die belli :

Ne tradas me, Dómine, a desidério meo peccatóri: * cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne forte exalténtur.

Caput circúitus eórum: * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes, in ignem dejícies eos: * in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra : * virum injústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis: * et vindíctam páuperum.

Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo : * et habitábunt recti cum vultu tuo.

Ańa. A viro iníquo líbera me, Dómine.

Antiphona. Dómine.

Psalmus cxl.

DOMINE, clamávi ad te, exáudi me : * inténde voci meae, cum clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo: * elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Pone, Dómine, custódiam ori meo : * et óstium circumstántiae lábiis meis.

Non declines cor meum in verba malítiae, * ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem : * et non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, et increpábit me : * óleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

Quóniam adhuc et orátio mea in beneplácitis eórum: * absórpti sunt juncti petrae júdices eórum.

Audient verba mea quóniam potuérunt: * sicut crassitúdo terrae erúpta est super terram.

Dissipáta sunt ossa nostra secus infernum : * quia ad te, Dómine, Dñe, óculi mei: in te sperávi, non áuferas ánimam meam.

Custódi me a láqueo quem statuérunt mihi: * et a scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres : * singuláriter sum ego donec tránseam.

Ána. Dómine, clamávi ad te, exáudi me.

Antiphona. Pórtio mea.

Psalmus cxli.

VOCE mea ad Dóminum clamávi : * voce mea ad Dóminum deprecátus sum :

Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam, * et tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spíritum meum, * et tu cognovísti sémitas meas.

In via hac, qua ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, et vidébam : * et non erat qui cognósceret me.

Périit fuga a me, * et non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine, * dixi : Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam : * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me a persequéntibus me : * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam ad confiténdu nómini tuo : * me expéctant justi, donec retríbuas mihi.

Ána. Pórtio mea, Dómine, sit in terra vivéntium.

Capitulum. 2 *Cor.* i.

BENEDICTUS Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totius consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus.

HOMINIS supérne Cónditor,
Qui cuncta solus órdinans,
Humum jubes prodúcere
Reptántis et ferae genus :

Et magna rerum córpora,
Dictu jubéntis vívida,
Per témporum certas vices
Obtemperáre sérvulis.

Repélle, quod cupídinis
Ciénte vi nos ímpetit,
Aut móribus se súggerit,
Aut áctibus se intérserit.

Da gaudiórum praemia,
Da gratiárum múnera :
Dissólve litis víncula :
Adstrínge pacis foedera.

Praesta, Pater pissime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat, Ána. Depósuit poténtes, * sanctos persequéntes : et exaltávit húmiles, Christum confiténtes.

Preces, quando dicendae sunt, habentur supra in Vesperis Feriae ii. 139.

SABBATO
AD VESPERAS.

Antiphona. Benedíctus.

Psalmus cxliii.

BENEDICTUS Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad praelium, * et dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, et refúgium meum : * susceptor meus, et liberátor meus :

Protéctor meus, et in ipso sperávi : * qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine, quid est homo, quia innotuísti ei ? * aut filius hóminis, quia réputas eum ?

Homo vanitáti símilis fáctus est : * dies ejus sicut umbra praetéreunt.

Dómine, inclína coelos tuos, et descénde : * tange montes, et fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónem, et dissipábis eos : * emítte sagíttas tuas, et conturbábis eos :

Emítte manum tuam de alto, éripe me, et líbera me de aquis multis : * de manu filiórum alienórum.

Quorum os locútum est vanitátem : * et déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Deus, cánticum novum cantábo tibi : * in psaltério decachórdo psallam tibi.

Qui das salútem régibus : * qui redemísti David servum tuum de gládio malígno : éripe me.

Et érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum est vanitátem : * et déxtera eórum, déxtera iniquitátis :

Quorum fílii, sicut novéllae plantatiónes * in juventúte sua.

Fíliae eórum compósitae : * circumornátae ut similitúdo templi.

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud.

Oves eórum fetósae, abundántes in egréssibus suis : * boves eórum crassae.

Non est ruína macériae, neque tránsitus : * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum, cui haec sunt : * beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

Ant. Benedíctus Dóminus Deus meus.

Ant. Per síngulos dies.

Psalmus cxliv.

EXALTABO te, Deus meus Rex : * et benedícam nómini tuo in saeculum, et in saeculũ saeculi.

Per síngulos dies benedícam tibi : * et laudábo nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magnus Dóminus et laudábilis nimis : * et magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio et generátio laudábit ópera tua : * et poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriae sanctitátis tuae loquéntur : * et mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent : * et magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiae suavitátis tuae eructábunt : * et justítia tua exultábunt.

Miserátor et miséricors Dóminus : * pátiens, et multum miséricors.

Suávis Dóminus univérsis : * et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi, Dñe, ómnia ópera tua : * et sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent : * et poténtiam tuam loquéntur :

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam : * et glóriam magnificéntiae regni tui.

Regnum tuum regnum ómnium saeculórum : * et dominátio tua in omni generatióne et generatiónem.

Fidélis Dñus in ómnibus verbis suis : * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt : * et érigit omnes elisos.

Oculi ómnium in te sperant, Dómine : * et tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam : * et imples omne ánimal benedictióne.

Justus Dóminus in ómnibus viis suis : * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Prope est Dñus ómnibus invocántibus eum : * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet, * et deprecatiónem eórum exáudiet : et salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligéntes se : * et omnes peccatóres dispérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum : * et benedícat omnis caro nómini sancto ejus in saeculum, et in saeculum saeculi.

Añ. Per síngulos dies benedícam te, Dómine.

Antiphona. Laudábo.

Psalmus cxlv.

LAUDA ánima mea Dóminum, laudábo Dñum in vita mea : * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus : * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, et revertétur in terram suam : * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cujus Deus Jacob

adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus : * qui fecit coelum et terram, mare, et ómnia, quae in eis sunt.

Qui custódit veritátem in saeculum, facit judícium injúriam patiéntibus : * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compeditos : * Dóminus illúminat caecos.

Dóminus érigit elísos,* Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, pupíllum et víduam suscípiet : * et vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dñus in saecula, Deus tuus Sion, * in generatiónem et generatiónem.

Añia. Laudábo Deum meum in vita mea.

Antiphona. Deo nostro.

Psalmus cxlvi.

LAUDATE Dóminum quóniam bonus est psalmus : * Deo nostro sit jucúnda, decóraque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus: * dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde : * et álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum:* et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dñus noster, et magna virtus ejus: * et sapiéntiae ejus non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dñus : * humíllians autem peccatóres usque ad terram.

Praecínite Dómino in confessióne : * psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit coelum núbibus : * et parat terrae plúviam.

Qui producit in móntibus foenum : * et herbam servitúti hóminum.

Qui dat juméntis escam ipsórum : * et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátē habébit : * nec in tíbiis viri beneplácitū erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Añia. Deo nostro jucúnda sit laudátio.

Antiphona. Lauda.

Psalmus cxlvii.

LAUDA Jerúsalem Dóminum : * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terrae: * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cinerem spargit,

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante

fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquae.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Antiphona. Lauda Jerúsalem Dóminum.

Capitulum. *Rom.* xi. *d.*

ALTITUDO divitiárum sapiéntiae et sciéntiae Dei : quam incomprehensíbilia sunt judícia ejus, et investigábiles viae ejus!

Hymnus.

JAM sol recédit ígneus :
Tu lux perénnis, Unitas,
Nostris, beáta Trínitas,
Infúnde lumen córdibus.

Te mane laudum cármine,
Te deprecámur véspere;
Dignéris ut te súpplices
Laudémus inter coelites.

Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, Sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Saeclum per omne glória.
Amen.

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine.
℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Capitulum O altitúdo, dicitur in Vesperis Sabbati ab Oct. Pentecostes usque ad Adventum cum Hymno et Versusequenti. Antiphona ad Magnificat dicitur prout assignatur infra in Proprio de Tempore. Post Annam dicit. Oratio propria.

Deinde fiunt sequentes Commem. communes, seu Suffragia Sanctorum quae dic. etiam ad Laudes.

COMMEMORATIO DE CRUCE

In fer. tantum Offic., etiam quando non dic. preces.

AD VESP. ET LAUDES.

Ánn. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Orémus. Oratio.

PERPETUA nos, quaesumus, Dñe, pace custódi: quos per lignum sanctae Crucis redímere dignátus es.

COMMEMORATIONES COMMUNES

Sive Suffragia Sanctorum.

DE S. MARIA,

quando non dicitur ejus Officium Parvum.

AD VESP. ET LAUDES.

Ánn. Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora

pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiónem.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus. Oratio.

CONCEDE nos fámulos tuos, quaesumus Dñe Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére, et gloriósa beátae Mariae semper Vírginis intercessióne, a praesénti liberári tristítia, et aetérna pérfrui laetítia.

DE S. JOSEPH.

AD VESPERAS.

Ant. Ecce fidélis servus et prudens, quem constítuit Dñus super famíliam suam.

℣. Glória et divítiae in domo ejus. ℟. Et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

AD LAUDES.

Ant. Ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta ut putabátur fílius Joseph.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Orémus. Oratio.

DEUS, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimae Genitrícis tuae sponsum elígere dignátus es : praesta quaesumus ; ut, quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in coelis.

DE APOSTOLIS.

AD VESPERAS.

Ant. Petrus Apóstolus, et Paulus Doctor Géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

AD LAUDES.

Ant. Gloriósi príncipes terrae, quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terrae verba eórum.

Orémus. Oratio.

DEUS, cujus déxtera beátũ Petrum ambulántem in flúctibus, ne mergerétur, eréxit, et coapóstolum ejus Paulum tértio naufragántem, de profúndo pélagi liberávit: exáudi nos propítius, et concéde, ut ambórum méritis, aeternitátis glóriam consequámur.

DE PATRONO

VEL TITULARI ECCLESIAE

fiat Commemoratio consueta ante, vel post Commem. praedictas, pro dignitate illius, et ultimo loco:

DE PACE.

AD VESP. ET LAUDES.

Ańa. Da pacem, Dómine, in diébus nostris, quia non est álius, qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster.

℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

Orémus. Oratio.

DEUS, a quo sancta desidéria, recta consília et justa sunt ópera : da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla. Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

℣. Fidélium ánimae per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. **Amen.**

Deinde dicitur secreto **Pater noster.**

Sic terminatur Officium, ubi alia non sequatur Hora, ut dicitur in Rubrica de Oratione Dominica. Dictae Commemorationes seu Suffragia, dicuntur ab Octava Pentec. usque ad Advent. exceptis Duplicibus, et infra Octavas.

Quando dicitur Officium Beatae Mariae, non fit alia Commemoratio de ea.

In feriali Officio ante Commemoratiónes de S. Maria, et de Apostolis, primo fit Commem. de Cruce, quae habetur supra.

AD COMPLETORIUM.

Lector incipit:

℣. Jube, domne, benedícere.

Bened. Noctem quiétam, et finem perfectum concédat nobis Dóminus omnípotens. ℟. **Amen.**

Lectio brevis.

1 *Petr.* v. *c.*

FRATRES, Sóbrii estóte et vigiláte: quia adversárius vester diábolus, tamquam leo rúgiens, circuit quaerens quem dévoret : cui resístite fortes in fide. Tu autem, Dñe, miserére nobis. ℟. Deo grátias.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. **Qui fecit coelum et terram.**

Pater noster dicitur totum secreto.

Deinde Hebdomadarius facit Confessionem.

CONFITEOR Deo omnipoténti, beátae Maríae semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístae, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, ómnibus Sanctis, et vobis, fratres, quia peccávi nimis cogitatióne, verbo et

ópere : mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnẽ Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos, fratres, oráre pro me ad Dñum Deum nostrum.

Chorus respondet :

MISEREATUR tui omnípotens Deus, et dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam aetérnam. ℟. Amen.

Deinde repetit Confessionem, et ubi dicitur vobis fratres, et vos fratres, dic. tibi Pater, et te Pater.

Facta Confessione a Choro, Hebdomadarius dicit :

MISEREATUR vestri omnípotens Deus, et dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam aetérnam. ℟. Amen.

INDULGENTIAM, absolutiónem et remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Et facta Absolut. dic. ℣.

CONVERTE nos Deus, salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dñe, ad adjuvándum me festína.

Glória Patri. Sicut erat. Antiphona. Miserére.

Psalmus iv.

EUM invocáremexaudívit me Deus justítiae meae : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quaeritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quae dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiae, et speráte in Dómino. * Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona ?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dñe : * dedísti laetítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam ;

Quóniam tu, Dómine, singulariter in spe * constituísti me.

Psalmus xxx.

IN te, Dómine, sperávi, non confúndar in aetérnum : * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem : et in domum refúgii , * ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea, et refúgium meum es tu : * et propter nomen tuum dedúces me , et enútries me.

Edúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt mihi : * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas commendo spíritum meum: * redemísti me, Dómine Deus veritátis.

Psalmus xc.

QUI hábitat in adjutório Altíssimi * in protectióne Dei coeli commorábitur.

Dicet Dño : Suscéptor meus es tu, et refúgium meum : * Deus meus sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * et a verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi : * et sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus : * non timébis a timóre nocturno,

A sagitta volánte in die, a negótio perambulánte in ténebris : * ab incúrsu, et daemónio meridiáno.

Cadent a látere tuo mille, et decem míllia a dextris tuis : * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis : * et retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es, Dómine, spes mea: * altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum : * et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te: * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te : * ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem, et basilíscum ambulábis : * et conculcábis leónem et draconem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum : * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, et ego exáudiam eum : * cum ipso sum in tribulatióne: erípiam eum et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum : * et osténdam illi salutáre meum.

Psalmus cxxxiii.

ECCE nunc benedícite Dñum, * omnes servi Dómini :

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri,

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta,* et benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion,* qui fecit coelum et terram.

Ańa. Miserére mihi, Dómine, et exáudi oratiónem meam.

Hymnus.

TE lucis ante términum,
Rerum Creátor póscimus,
Ut pro tua cleméntia
Sis praesul et custódia.
Procul recédant sómnia,
Et nóctium phantásmata;
Hostémque nostrum cómprime,
Ne polluántur córpora.
Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

Capitulum. *Jerem.* xiv. *b.*

TU autem in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos : ne derelínquas nos, Dñe Deus noster. ℟. Deo grátias.

℟. br. In manus tuas, Dómine, * Comménd spíritum meum. In manus. ℣. Redemísti nos, Dómine Deus veritátis. Comméndo. Glória Patri. In manus.

℣. Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Antiphona. Salva nos.

Canticum Simeonis.

Luc. ii. *e.*

NUNC dimíttis servum tuum, Dñe, * secúndum verbum tuum in pace :

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum.

Lumen ad revelatiónem géntium, * et glóriam plebis tuae Israël.

Glória Patri, etc.

Ańa. Salva nos, Dómine, vigilántes, custódi nos dormiéntes : ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

Sequéntes Preces semper dicuntur, praeterquam in Officio Duplici, et infra Octavas.

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum, secreto.

℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam aetérnam, Amen.

℣. Benedíctus es, Dómine, Deus patrum nostrórum. ℟. Et laudábilis et gloriósus in saecula.

℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu. ℟. Laudémus,

et superexaltémus eum in saecula.

℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto coeli. ℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in saecula.

℣. Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dñus. ℟. Amen.

℣. Dignáre, Dómine, nocte ista. ℟. Sine peccáto nos custodíre.

℣. Miserére nostri, Dómine. ℟. Miserére nostri.

℣. Fiat misericórdia tua, Dñe, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. **Oratio.**

VISITA, quaesumus Dñe, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle: Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant, et benedíctio tua sit super nos semper. Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dño. ℟. Deo grátias.

Bened. Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus, Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

Et non dicitur Fidélium ánimae, sed immediate dicitur sequens Antiphona.

A primis Vesp. festi SS. Trinitatis, usque ad Nonam Sabbati ante Advent. Ańa.

SALVE Regína, mater misericórdiae, vita, dulcédo, et spes nostra salve. Ad te clamámus éxules, fílii Hevae. Ad te suspirámus geméntes, et flentes in hac lacrymárum valle. Eia ergo advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Et Jesum benedíctum fructum ventris tui, nobis post hoc exíliũ osténde. O clemens, o pia, o dulcis virgo María.

℣. Ora pro nobis sancta Dei génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui gloriósae vírginis matris Maríae corpus et ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu sancto cooperánte praeparásti: da, ut cujus commemoratióne laetámur, ejus pia intercessióne ab instántibus malis, et a morte perpétua liberémur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Divínum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

Deinde dicitur secreto **Pater noster, Ave Maria, Credo.**

Sic dicitur Completorium hac tota parte aestiva.

Si post Completorium immediate sequatur Matutinum, tunc bis dicatur **Pater noster, Ave María,** et **Credo:** quia Completorium, quod est finis Officii, sic terminari debet; et ante Matutinum iterum repetitur pro principio Officii sequentis diei.

Antiphona praedicta dicitur etiam in fine Laudum, quando discedendum est a Choro: sed si immediate post Matutinum subsequatur Prima, vel alia Hora, dicitur in fine ultimae Horae, ita ut dicatur semper, quando, terminata aliqua Hora, discedendum est a Choro; et tunc, post ℣. **Fidélium ánimae,** et **Pater noster** secreto, dicitur:

℣. **Dóminus det nobis suam pacem.** ℟. **Et vitam aetérnam. Amen.**

Deinde praedicta Antiphona, et in fine: **Divínum auxílium máneat semper nobíscum.** ℟. **Amen.**

Extra Chorum autem dicitur in fine Laudum, si tunc terminandum sit Officium; alioquin in fine ultimae Horae. Post alias vero Horas, quando terminatur Officium, dicitur tantum Pater noster, secreto.



Gloria tibi, Trinitas, aequalis
una Deitas et ante omnia
saecula, et nunc, et in perpetuum.
(Br. Rom.)

Proprium de Tempore.

PARS ÆSTIVA.

In festo SS. Trinitatis.

AD VESPERAS.

Aña. Glória tibi Trínitas, cum reliq. de Laud., ut infra. Psalm. Dixit Dñus, cum reliquis de Dominica. 133. et loco ultimi, Psalm. Laudáte Dñum omnes Gentes. 137.

Capitulum. *Rom.* xi. *d.*

ALTITUDO divitiárũ sapiéntiae et sciéntiae Dei: quam incomprehensibília sunt judícia ejus, et investigábiles viae ejus !

Hymnus.

JAM sol recédit ígneus; Tu lux perénnis Unitas,
Nostris, beáta Trínitas, Infúnde amórem córdibus.
Te mane laudum cármine, Te deprecámur véspere ; Digneris, ut Te súpplices Laudémus inter Coelites.
Patri, simúlque Filio, Tibíque sancte Spíritus, Sicut fuit, sit júgiter Saeclum per omne glória. Amen.

℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum sancto Spíritu. ℟. Laudémus et superexaltémus eum in saecula.

Ad Magnificat, Aña. Grátias tibi Deus, grátias tibi vera et una Trínitas, una et summa Déitas, sancta et una Unitas.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne verae fídei,

aetérnae Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre Unitátem; quaesumus, ut ejúsdem fídei firmitáte ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit commemoratio Dominicae primae post Pentecosten ut sequitur: Aña. Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus.

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Oratio.

DEUS in te sperántium fortitúdo, adésto propítius invocatiónibus nostris: et quia sine te nihil potest mortális infírmitas, praesta auxílium grátiae tuae: ut in exequéndis mandátis tuis, et voluntáte tibi et actióne placeámus. Per Dóminum nostrum.

AD MATUTINUM

Invitatorium. Deum verum, unum in Trinitáte, et Trinitátem in Unitáte, * Veníte, adorémus. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

SUMMAE Parens clemméntiae,
Mundi regis qui máchinam,
Unius et substántiae,
Trinúsque persónis Deus:
Da déxterã surgéntibus,
Exúrgat ut mens sóbria,
Flagrans et in laudem Dei
Grates repéndat débitas.
Deo Patri sit glória,
Natóque Patris único
Cum Spíritu Paráclito,
In sempitérna saecula.
Amen.

In primo Nocturno.

Aña. Adésto unus Deus omnípotens, Pater, Fílius, et Spíritus sanctus.

Psalmus viii.

DOMINE Dñus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super coelos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam et stellas, quae tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulóminus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas: insuper et pécora campi.

Vólucres coeli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dñe Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Añа. Adésto unus Deus omnípotens, Pater, Fílius, et Spíritus sanctus.

Añа. Te unum in substántia, Trinitátem in persónis confitémur.

Psalmus xviii.

COELI enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélae, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * et in fines orbis terrae verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo:

Exultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo coelo egréssio ejus:

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus * nec est qui se abscóndat a calére ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dñi fidéle, sapiéntiam praestans párvulis.

Justítiae Dómini rectae, laetificántes corda: * praecéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in saeculum saeculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum: * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me: * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

Añа. Te unum in substántia, Trinitátem in persónis confitémur.

Añа. Te semper idem esse, vívere, et intellígere, profitémur.

Psalmus xxiii.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus: * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * et super flúmina praeparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino: * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Haec est generátio quaeréntium eum, * quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles: * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dñus fortis et potens, Dóminus potens in praelio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles: * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae.

Añ. Te semper idem esse, vívere, et intellígere, profitémur.

℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum sancto Spíritu. ℟. Laudémus et superexaltémus eum in saecula.

De Isaía Prophéta.

Lectio i. *Cap.* vi.

IN anno, quo mórtuus est rex Ozías, vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum et elevátum: et ea, quae sub ipso erant, replébant templum. Séraphim stabant super illud: sex alae uni, et sex alae álteri: duábus velábant fáciem ejus, et duábus velábant pedes ejus, et duábus volábant. Et clamábant alter ad álterum, et dicébant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus exercítuum, plena est omnis terra glória ejus. Et commóta sunt superliminária cárdinum a voce clamántis, et domus repléta est fumo.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum et elevátum, et plena erat omnis terra majestáte ejus. Et ea, quae sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud: sex alae uni, et sex alae álteri.—Et ea.

Lectio ii.

ET dixi: Vae mihi, quia tácui, quia vir pollútus lábiis ego sum, et in médio pópuli pollúta lábia habéntis ego hábito, et Regem Dóminum exercítuum vidi óculis meis. Et volávit ad me unus de Séraphim, et in manu ejus cálculus, quem fórcipe túlerat de altári. Et tétigit os meum, et dixit: Ecce tétigit hoc lábia tua, et auferétur iniquitas tua, et peccátum tuum mundábitur. Et audívi vocem Dñi dicéntis: Quem mittam? et quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me.

℟. Benedíctus Dóminus Deus Israël, qui facit mirabília magna solus : * Et benedíctum nomen majestátis ejus in aetérnum. ℣. Replébitur majestáte ejus omnis terra : fiat, fiat.—Et benedíctum.

Lectio iii.

ET dixit : Vade, et dices pópulo huic : Audíte audiéntes, et nolíte intellígere : et vidéte visiónem, et nolíte cognóscere. Excaeca cor pópuli hujus, et aures ejus ággrava : et óculos ejus claude : ne forte vídeat óculis suis, et áuribus suis áudiat, et corde suo intélligat, et convertátur, et sanem eum. Et dixi: Usquequo, Dómine? Et dixit : Donec desoléntur civitátes absque habitatóre, et domus sine hómine, et terra relinquétur desérta. Et longe fáciet Dóminus hómines, et multiplicábitur quae derelícta fúerat in médio terrae.

℟. Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus : * Et métuant eum omnes fines terrae. ℣. Deus misereátur nostri, et benedícat nos Deus.—Et métuant. Glória Patri. Et métuant.

In secundo Nocturno.

Ańa. Te invocámus, te laudámus, te adorámus, o beáta Trínitas.

Psalmus xlvi.

OMNES Gentes pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis : * et Gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis haereditátem suam : * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo : * et Dóminus in voce tubae.

Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terrae Deus : * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super Gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham : * quóniam dii fortes terrae veheménter eleváti sunt.

Ańa. Te invocámus, te laudámus, te adorámus, o beáta Trínitas.

Ańa. Spes nostra, salus nostra, honor noster, o beáta Trínitas.

Psalmus xlvii.

MAGNUS Dóminus, et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsae terrae mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terrae congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis, * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in aetérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae: * justítia plena est déxtera tua.

Laetétur mons Sion, et exúltent fíliae Judae, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam: * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus: * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in aetérnum, et in saeculum saeculi: * ipse reget nos in saecula.

Ańa. Spes nostra, salus nostra, honor noster, o beáta Trínitas.

Ańa. Libera nos, salva nos, vivífica nos, o beáta Trínitas.

Psalmus lxxi.

DEUS, judícium tuum regi da: * et justítiam tuam fílio regis:

Judicáre pópulum tuum in justítia, * et páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo: * et colles justítiã.

Judicábit páuperes pópuli, et salvos fáciet fílios páuperum: * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, et ante lunam, * in generatióne et generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus: * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, et abundántia pacis: * donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare: * et a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes: * et inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et insulae múnera ófferent: * reges Arabum et Saba dona addúcent:

Et adorábunt eum omnes reges terrae: * omnes Gentes sérvient ei:

Quia liberábit páuperem a poténte : * et páuperem, cui non erat adjútor.

Parcet páuperi et ínopi : * et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum : * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, et dábitur ei de auro Arábiae, et adorábunt de ipso semper : * tota die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus : * et florébunt de civitáte sicut foenum terrae.

Sit nomen ejus benedíctum in saecula : * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terrae : * omnes Gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dñus Deus Israël, * qui facit mirabília solus :

Et benedíctum nomen majestátis ejus in aetérnum : * et replébitur majestáte ejus omnis terra : fiat, fiat.

Añ. Líbera nos, salva nos, vivífica nos, o beáta Trínitas.

℣. Benedíctus es, Dñe, in firmaménto coeli. ℟. Et laudábilis et gloriósus in saecula.

Ex libro S. Fulgéntii Epíscopi, de Fide ad Petrum. *Inter Opera Augustini.*

Lectio iv.

FIDES, quam sancti Patriárchae atque Prophétae ante incarnatiónem Fílii Dei divínitus accepérunt, quam étiam sancti Apóstoli ab ipso Dómino in carne pósito audiérunt, et Spíritus sancti magistério instrúcti non solum sermóne praedicavérunt, verum étiam ad instructiónem salubérrimam posterórum scriptis suis índitam reliquérunt, unum Deum praedicat Trinitátem, id est, Patrem, et Fílium, et Spíritum sanctum. Sed Trínitas vera non esset, si una eadémque persóna dicerétur Pater, et Fílius, et Spíritus sanctus.

℟. Quis Deus magnus sicut Deus noster? * Tu es Deus, qui facis mirabília. ℣. Notam fecísti in pópulis virtútem tuam, redemísti in bráchio tuo pópulum tuum.—Tu es Deus.

Lectio v.

SI enim, sicut est Patris et Fílii et Spíritus sancti una substántia, sic esset una persóna : nihil omníno esset, in quo veráciter Trínitas dicerétur. Rursus quidem Trínitas esset

vera, sed unus Deus Trínitas ipsa non esset, si quemádmodum Pater et Fílius et Spíritus sanctus personárũ sunt ab ínvicem proprietáte distincti, sic fuíssent naturárum quoque diversitáte discréti. Sed quia in illo uno vero Deo Trinitáte, non solum quod unus Deus est, sed étiam quod Trínitas est, naturáliter verum est : proptérea ipse verus Deus in persónis Trínitas est, et in una natúra unus est.

℟. Tibi laus, tibi glória, tibi gratiárum áctio in saecula sempitérna, * O beáta Trínitas. ℣. Et benedíctum nomen glóriae tuae sanctum et laudábile, et superexaltátum in saecula.—O beáta.

Lectio vi.

PER hanc unitátem naturálem totus Pater in Fílio et Spíritu sancto est, totus Fílius in Patre et Spíritu sancto est, totus quoque Spíritus sanctus in Patre et Fílio. Nullus horum extra quémlibet ipsórum est : quia nemo álium aut praecédit aeternitáte, aut excédit magnitúdine, aut súperat potestáte : quia nec Fílio, nec Spíritu sancto, quantum ad natúrae divínae unitátem pértinet, aut antérior aut major Pater est : nec Fílii aetérnitas atque imménsitas, velut antérior aut major, Spíritus sancti immensitátẽ aeternitatémque aut praecédere, aut excédere naturáliter potest.

℟. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * Et sapiéntiae ejus non est número rus. ℣. Magnus Dóminus, et magna virtus ejus : et sapiéntiae ejus non est finis.—Et sapiéntiae. Glória Patri. Et sapiéntiae.

In tertio Nocturno.

Ańa. Cáritas Pater est, grátia Fílius, communicátio Spíritus sanctus, o beáta Trínitas.

Psalmus xcv.

CANTATE Dómino cánticum novum : * cantáte Dño omnis terra.

Cantáte Dño, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dñus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium daemónia : * Dóminus autem coelos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriae Géntium, afférte Dómino

glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terrae qui non commovébitur : * judicábit pópulos in aequitáte.

Laeténtur coeli, et exúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quae in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dñi, quia venit :* quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrae in aequitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Aña. Cáritas Pater est, grátia Fílius, communicátio Spíritus sanctus, o beáta Trínitas.

Aña. Verax est Pater, véritas Fílius, véritas Spíritus sanctus, o beáta Trínitas.

Psalmus xcvi.

DOMINUS regnávit, exúltet terra : * laeténtur ínsulae multae.

Nubes, et caligo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terrae : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dñi : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt coeli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et laetáta est Sion.

Et exultavérunt fíliae Judae, * propter judícia tua, Dómine :

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dñum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde laetítia.

Laetámini justi in Dómino : * et confitémini memóriae sanctificatiónis ejus.

Aña. Verax est Pater, véritas Fílius, véritas Spíritus sanctus, o beáta Trínitas.

Aña. Pater, et Fílius, et Spíritus sanctus una substántia est, o beáta Trínitas.

Psalmus xcvii.

CANTATE Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiae suae, * et veritátis suae dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terrae * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, et exultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubae córneae.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini : * moveátur mare, et plenitúdo ejus : orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt a conspéctu Dñi : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in aequitáte.

Ant. Pater, et Fílius, et Spíritus sanctus una substántia est, o beáta Trínitas.

℣. Verbo Dñi coeli firmáti sunt. ℟. Et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xxviii. *d.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Data est mihi omnis potéstas in coelo et in terra. Eúntes ergo docéte omnes Gentes, baptizántes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Nazianzéni.

In Tract. de Fide, post init.

QUIS Catholicórum ignórat, Patrem vere esse Patrem, Fílium vere esse Fílium, et Spíritum sanctum vere esse Spíritum sanctum? sicut ipse Dóminus ad Apóstolos suos dicit : Eúntes baptizáte omnes Gentes in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti. Haec est perfécta Trínitas in unitáte consístens, quam scílicet unius substántiae profitémur. Non enim nos secúndum córporum conditiónem, divisiónem in Deo fácimus : sed secúndum divínae natúrae poténtiam, quae in matéria non est, et nóminum persónas vere constáre crédimus, et unitátem divinitátis esse testámur.

℟. Benedicámus Patrem et Fílium cum sancto Spíritu : * Laudémus et superexaltémus eum in saecula.

℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto coeli, et laudábilis et gloriósus in saecula.—Laudémus.

Lectio viii.

DEC extensiónem partis alicújus ex parte, ut quidam putavérunt, Dei Filium dicimus : nec verbum sine re, velut sonum vocis accípimus : sed tria nómina, et tres persónas, uníus esse essèntiae, uníus majestátis atque poténtiae crédimus. Et ideo unum Deum confitémur : quia únitas majestátis, plúrium vocábulo deos próhibet appellári. Dénique Patrem, et Filium cathólice nominámus : duos autem Deos dícere, nec póssumus, nec debémus. Non quod Filius Dei Deus non sit, imo verus Deus de Deo vero : sed quia non aliúnde, quam de ipso uno Patre, Dei Filium nóvimus, perínde unum Deum dícimus. Hoc enim Prophétae, hoc Apóstoli tradidérunt : hoc ipse Dóminus dócuit, cum dicit : Ego et Pater unum sumus. Unum ad unitátem divinitátis, ut dixi, refert : sumus autem, persónis assígnat.

℟. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth : Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus : et hi tres unum sunt.—Sanctus. Glória Patri. Plena est.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio ix. *Cap.* vi. *c.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Estóte misericórdes, sicut et Pater vester miséricors est. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Sermone xv. *in Evangelio Matth. de Verbis Domini, post initium.*

DUO sunt ópera misericórdiae, quae nos líberant, quae bréviter ipse Dóminus pósuit in Evangélio : Dimíttite et dimittétur vobis : Date, et dábitur vobis. Dimíttite, et dimittétur vobis, ad ignoscéndum pértinet : Date, et dábitur vobis, ad praestándum benefícium pértinet. Quod ait de ignoscéndo, et tu vis tibi ignósci quod peccas, et habes álium, cui tu possis ignóscere. Rursus, quod pértinet ad tribuéndum benefícium, petit te mendícus, et tu es Dei mendícus. Omnes enim quando orámus, mendíci Dei sumus, ante jánuam magni Patrisfamílias stamus, imo et prostérnimur,

súpplices ingemíscimus, áliquid voléntes accípere : et ipsum áliquid, ipse Deus est. Quid a te petit mendícus? panem. Et tu quid petis a Deo, nisi Christum, qui dicit : Ego sum panis vivus, qui de coelo descéndi? Ignósci vobis vultis? ignóscite. Remíttite, et remittétur vobis. Accípere vultis? date, et dábitur vobis.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Glória tibi, Trínitas aequális, una Déitas, et ante ómnia saecula, et nunc et in perpétuum. Ps. Dñus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Laus et perénnis glória Deo Patri, et Fílio, sancto simul Paráclito, in saeculórum saecula.

3. Glória laudis résonet in ore ómnium Patri, genitaeque Proli, Spirítui sancto páriter resúltet laude perénni.

4. Laus Deo Patri, parilíque Proli, et tibi, sancte, stúdio perénni Spíritus, nostro résonet ab ore omne per aevum.

5. Ex quo ómnia, per quem ómnia, in quo ómnia: ipsi glória in saecula.

Capitulum. *Rom.* xi. *d.*

O ALTITUDO divitiárum sapiéntiae et sciéntiae Dei : quam incomprehensibília sunt judícia ejus, et investigábiles viae ejus!

Hymnus.

TU Trinitátis Unitas,
Orbem poténter quae regis,
Atténde laudis cánticum,
Quod excubántes psállimus.

Ortus refúlget lúcifer,
Praeítque solem núntius,
Cadunt tenébrae nóctium :
Lux sancta nos illúminet.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum sancto Spíritu. ℟. Laudémus et superexaltémus eum in saecula.

Ad Bened. Aña. Benedícta sit sancta, creátrix et gubernátrix ómnium, sancta et indivídua Trínitas, nunc, et semper, et per infínita saecula saeculórum.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne verae fídei, aetérnae Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre Unitátem : quaesumus, ut ejúsdem fídei firmitáte, ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit commemor. Dominicae, Aña. Estóte ergo misericórdes, sicut et Pater vester miséricors est, dicit Dóminus.

℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et praecínxit se virtúte.

Oratio.

DEUS, in te sperántium fortitúdo, adésto propítius invocatiónibus nostris : et quia sine te nihil potest mortális infírmitas, praesta auxílium grátiae tuae ; ut in exequéndis mandátis tuis, et voluntáte tibi et actióne placeámus. Per Dóminum nostrum.

Ad Primam, Psalmi ut in Festo Duplici, cum Symbolo sancti Athanasii.

AD TERTIAM.

Aña. Laus et perénnis glória.

Capitulum O altitúdo, ut supra. 175.

℟. br. Benedicámus Patrem, et Fílium, * Cum sancto Spíritu. Benedicámus Patrem. ℣. Laudémus et superexaltémus eum in saecula. Cum sancto. Glória Patri. Benedicámus Patrem.

℣. Benedíctus es, Dñe, in firmaménto coeli. ℟. Et laudábilis et gloriósus in saecula.

AD SEXTAM.

Aña. Glória laudis.

Capitulum. 2. *Cor.* xiii. *d.*

GRATIA Dómini nostri Jesu Christi, et cháritas Dei, et communicátio sancti Spíritus sit cum ómnibus vobis. Amen.

℟. br. Benedíctus es, Dñe, * In firmaménto coeli. Benedíctus. ℣. Et laudábilis, et gloriósus in saecula. In firmaménto. Glória Patri. Benedíctus.

℣. Verbo Dómini coeli firmáti sunt. ℟. Et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

AD NONAM.

Aña. Ex quo ómnia.

Capitulum. 1. *Joan.* v. *b.*

TRES sunt qui testimónium dant in coelo : Pater, Verbum, et Spíritus sanctus : et hi tres unum sunt.

℟. br. Verbo Dómini Coeli firmáti sunt. Verbo. ℣. Et spíritu oris ejus, omnis virtus eórum. Coeli. Glória Patri. Verbo.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

AD VESPERAS.

Aña. Glória tibi, Trínitas, cum reliquis ut supra in Laudibus 175. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica. 133.

Capitulum. O altitúdo. Hymnus. Jam sol. 165. ℣. Benedíctus es, Dñe, in firmaménto coeli. ℟. Et laudábilis, et gloriósus in saecula.

Ad Magnificat, Añа. Te Deum Patrem ingénitum, te Fílium unigénitum, te Spíritum sanctum Paráclitum, sanctam et indivíduã Trinitátem, toto corde et ore confitémur, laudámus, atque benedícimus: tibi glória in saecula.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne verae fídei, aetérnae Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre Unitátem : quaesumus, ut ejúsdem fídei firmitáte, ab ómnibus sémper muniámur advérsis. Per Dóminum.

Pro commemorat. Dominicae, Antiphona. Nolíte judicáre, ut non judicémini: in quo enim judício judicavéritis, judicabímini, dicit Dóminus. ℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Oratio.

DEUS in te sperántium fortitúdo, adésto propítius invocatiónibus nostris : et quia sine te nihil potest mortális infírmitas, praesta auxílium grátiae tuae ; ut in exequéndis mandátis tuis, et voluntáte tibi et actióne placeámus. Per Dóminum nostrum.

FERIA SECUNDA.

Omnia dicuntur ut in Psalt. cum Oratione praecedentis Dominicae.

Oratio.

DEUS in te sperántium fortitúdo, adésto propítius invocatiónibus nostris : et quia sine te nihil potest mortális infírmitas, praesta auxílium grátiae tuae ; ut in exequéndis mandátis tuis, et voluntáte tibi et actióne placeámus. Per Dóminum nostrum.

Hac nocte ponuntur libri Regum, de quibus legitur usque ad Dominicam primam Augusti : si quid vero de his libris supersit, adveniente dicta Dominica, omittitur.

Incipit liber primus Regum.

Lectio i. *Cap.* i.



UIT vir unus de Ramáthaim sophim, de monte Ephraim, et nomen ejus Elcana, fílius Jéroham, fílii Eliu, fílii Thohu, fílii Suph, Ephrathaeus : et hábuit duas uxóres, nomen uni Anna, et nomen secúndae Phenénna. Fuerúntque Phenénnae fílii : Annae

autem non erant líberi. Et ascendébat vir ille de civitáte sua statútis diébus, ut adoráret et sacrificáret Dómino exercítuum in Silo. Erant autem ibi duo fílii Heli, Ophni et Phínees, sacerdótes Dómini.

℟. Praeparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli : * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, et auférte deos aliénos de médio vestri.—Et liberábit.

Lectio ii.

VENIT ergo dies, et immolávit Elcana, dedítque Phenénnae uxóri suae, et cunctis fíliis ejus et fíliábus partes : Annae autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligébat. Dóminus autem conclúserat vulvam ejus. Affligébat quoque eam aemula ejus, et veheménter angébat, in tantum ut exprobráret quod Dñus conclusísset vulvam ejus: sicque faciébat per síngulos annos, cum redeúnte témpore ascénderent ad templum Dómini : et sic provocábat eam. Porro illa flebat, et non capiébat cibum. Dixit ergo ei Elcana vir suus : Anna, cur fles? et quare non cómedis? et quam ob rem afflígitur cor tuum? Numquid non ego mélior tibi sum, quam decem fílii?

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei :* Et unxit me unctióne misericórdiae suae. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiae liberávit me.—Et unxit me.

Lectio iii.

SURREXIT autem Anna postquam coméderat et bíberat in Silo. Et Heli sacerdóte sedénte super sellam ante postes templi Dñi, cum esset Anna amáro ánimo, orávit ad Dóminum, flens lárgiter, et votum vovit, dicens : Dñe exercítuum, si respíciens víderis afflictiónem fámulae tuae, et recordátus mei fúeris, nec oblítus ancíllae tuae, dederísque servae tuae sexum virílem : dabo eum Dómino ómnibus diébus vitae ejus, et novácula non ascéndet super caput ejus.

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiae liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórũ leónum.—Ipse me erípiet. Glória Patri. Ipse me erípiet.

FERIA TERTIA.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* i. *b.*

FACTUM est autem, cum illa multiplicáret preces coram Dño, ut Heli observáret os ejus. Porro Anna loquebátur in corde suo, tantúmque lábia illíus movebántur, et vox pénitus non audiebátur. Æstimávit ergo eam Heli temuléntam, dixítque ei : Usquequo ébria eris ? dígere paulísper vinum, quo mades. Respóndens Anna : Nequáquam, inquit, dómine mi : nam múlier infélix nimis ego sum, vinúmque et omne quod inebriáre potest, non bibi, sed effúdi ánimam meam in conspéctu Dñi. Ne réputes ancíllam tuam quasi unam de filiábus Bélial : quia ex multitúdine dolóris et moeróris mei, locúta sum usque in praesens. Tunc Heli ait ei : Vade in pace, et Deus Israël det tibi petitiónem tuam, quam rogásti eum. Et illa dixit : Utinam invéniat ancílla tua grátiam in óculis tuis !

℟. Percússit Saul mille, et David decem míllia : * Quia manus Dómini erat cum illo : percússit Philisthaeum, et ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia ?—Quia.

Lectio ii.

ET ábiit múlier in viam suam, et comédit, vultúsque illíus non sunt ámplius in divérsa mutáti. Et surrexérunt mane, et adoravérunt coram Dño : reversíque sunt, et venérunt in domum suam Rámatha. Cognóvit autem Elcana Annam uxórem suam : et recordátus est ejus Dñus. Et factum est post círculum diérum, concépit Anna, et péperit fílium, vocavítque nomen ejus Sámuel : eo quod a Dómino postulásset eum. Ascéndit autem vir ejus Elcana, et omnis domus ejus, ut immoláret Dómino hóstiam solémnem, et votum suum, et Anna non ascéndit : dixit enim viro suo : Non vadam, donec ablactétur infans, et ducam eum, ut appáreat ante conspéctum Dómini, et máneat ibi júgiter.

℟. Montes Gélboe, nec ros nec plúvia véniant super vos,* Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Omnes montes, qui estis in circúitu ejus, vísitet Dóminus : a Gélboe autem tránseat.—Ubi cecidérunt.

Lectio iii.

ET ait ei Elcana vir suus : Fac quod bonum tibi vidétur, et mane

donec ablácte eum : precórque ut ímpleat Dóminus verbum suum. Mansit ergo múlier, et lactávit fílium suum, donec amovéret eum a lacte. Et addúxit eum secum, postquam ablactáverat, in vítulis tribus, et tribus módiis farínae, et ámphora vini, et addúxit eum ad domum Dñi in Silo. Puer autem erat adhuc infántulus ; et immolavérunt vítulum, et obtulérunt púerum Heli. Et ait Anna : Obsecro, mi dómine, vivit ánima tua, dómine : ego sum illa múlier, quae steti coram te hic orans Dóminum. Pro púero isto orávi, et dedit mihi Dóminus petitiónem meam, quam postulávi eum. Idcírco et ego commodávi eum Dómino cunctis diébus, quibus fúerit commodátus Dómino. Et adoravérunt ibi Dóminum.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei * Et fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in aetérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis.—Et fui tecum. Glória Patri. Et fui tecum.

FERIA QUARTA.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* ii. *c.*

ORRO fílii Heli, fílii Bélial, nesciéntes Dóminum, neque offícium sacerdótum ad pópulum : sed quicúmque immolásset víctimam, veniébat puer sacerdótis, dum coqueréntur carnes, et habébat fuscínulam tridéntem in manu sua, et mittébat eam in lebétem, vel in caldáriam, aut in ollam, sive in cacábum : et omne quod levábat fuscínula, tollébat sacérdos sibi. Sic faciébant univérso Israéli veniéntium in Silo.

℟. Peccávi super número rum arénae maris, et multiplicáta sunt peccáta mea : et non sum dignus vidére altitúdinem coeli prae multitúdine iniquitátis meae : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco, et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi.—Et malum.

Lectio ii.

ETIAM ántequam adolérent ádipem, veniébat puer sacerdótis, et dicébat immolánti: Da mihi carnem, ut coquam sacerdóti : non enim accípiam a

te carnem coctam, sed crudam. Dicebátque illi ímmolans : Incendátur primum juxta morem hódie adeps, et tolle tibi quantumcúmque desíderat ánima tua. Qui respóndens aiébat ei : Nequáquam : nunc enim dabis, alióquin tollam vi. Erat ergo peccátum puerórum grande nimis coram Dómino : quia retrahébant hómines a sacrifício Dñi.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut aedificárem templum nómini tuo : Bénedic, et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dñe, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo.—Bénedic.

Lectio iii.

SAMUEL autem ministrábat ante fáciem Dñi, puer accínctus ephod líneo. Et túnicam parvam faciébat ei mater sua, quam afferébat statútis diébus, ascéndens cum viro suo, ut immoláret hóstiam solémnem. Et benedíxit Heli Elcanae, et uxóri ejus, dixítque ei : Reddat tibi Dóminus semen de mulíere hac, pro foenore quod commodásti Dómino. Et abiérunt in locum suum. Visitávit ergo Dóminus Annam, et concépit, et péperit tres fílios, et duas fílias : et magnificátus est puer Sámuel apud Dóminum.

℟. Audi, Dñe, hymnum, et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuae inténtae* Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso coelórum habitáculo.—Super. Glória Patri. Super.

FERIA QUINTA

celebratur festum Corporis Christi.

Si ea die occurrat Festum Duplex vel Semiduplex, transfertur post Octavam : si Simplex, nulla fit de eo commemoratio.

Infra Octavam non fit de Festo, nisi fuerit Duplex : Semiduplicia transferuntur post Octavam ; nec fit de Duplici translato : de Simplici fit tantum commemoratio absque nona Lectione de eo.

In die Octavae non fit nisi de Nativitate S. Joannis, et de Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, vel de alio ex solemnioribus, si occurrant, cum commemoratione Octavae.

In festo Corporis Christi.



Cœnantibus illis, accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis. (Matth. XXVI. 26)

In festo Corporis Christi.

AD VESPERAS.

Aña. Sacérdos in aetérnum * Christus Dóminus secúndum órdinem Melchísedech, panem et vinum óbtulit.

Psalmus cix.

DIXIT Dñus Dño meo : * Sede a dextris meis : Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuae emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuae in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dñus, et non poenitébit eum : * Tu es sacérdos in aetérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die irae suae reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Aña. Sacérdos in aetérnum Christus Dóminus secúndum órdinem Melchísedech panem et vinum óbtulit.

Aña. Miserátor Dñus * escam dedit timéntibus se in memóriam suórum mirabílium.

Psalmus cx.

CONFITEBOR tibi, Dómine, in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dñus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in saeculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo:

Ut det illis haereditátem géntium: * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus; confirmáta in saeculum saeculi, * facta in veritáte et aequitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in aetérnum testaméntũ suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus: * inítium sapiéntiae timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in saeculum saeculi.

Aña. Miserátor Dóminus escam dedit timéntibus se in memóriam suórum mirabílium.

Aña. Cálicem salutáris * accípiam, et sacrificábo hóstiam laudis.

Psalmus cxv.

CREDIDI, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dño, * pro ómnibus, quae retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dño reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus:

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et fílius ancíllae tuae.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus: * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Aña. Cálicem salutáris accípiam, et sacrificábo hóstiam laudis.

Aña. Sicut novéllae olivárum, * Ecclésiae fílii sint in circúitu mensae Dómini.

Psalmus cxxvii.

BEATI omnes, qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis: * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuae.

Fílii tui sicut novéllae olivárum, * in circúitu mensae tuae.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion: * et vídeas bona

Jerúsalem ómnibus diébus vitae tuae.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israël.

Ańa. Sicut novéllae olivárum, Ecclésiae fílii sint in circúitu mensae Dómini.

Ańa. Qui pacem ponit * fines Ecclésiae, fruménti ádipe sátiat nos Dóminus.

Psalmus cxlvii.

LAUDA Jerúsalem Dóminum : * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terrae : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cínerem spargit,

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus qui sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquae.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Antiphona. Qui pacem ponit fines Ecclésiae, fruménti ádipe sátiat nos Dóminus.

Capitulum. 1. *Cor.* xi. *e.*

FRATRES : Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem et grátias agens fregit, et dixit : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem.

Hymnus.

PANGE, lingua, gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinísque pretiósi,
Quem in mundi prétium
Fructus ventris generósi
Rex effúdit Géntium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intácta Vírgine,
Et in mundo conversátus,
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro clausit órdine.

In suprémae nocte coenae,
Recúmbens cum frátribus,
Observáta lege plene
Cibis in legálibus,
Cibum turbae duodénae
Se dat suis mánibus.

Verbum caro, panem verum
Verbo carnem éfficit :
Fitque sanguis Christi merum,
Et si sensus déficit :

Ad firmándum cor sincérum,
Sola fides súfficit.
Tantum ergo sacraméntum
Venerémur cérnui :
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui :
Praestet fides suppleméntum
Sénsuum deféctui.
Genitóri, Genitóque
Laus et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedíctio :
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio. Amen.

℣. Panem de coelo praestitísti eis, allelúia. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem, allelúia.

Ad Magnificat, Antiphona. O quam suávis est, * Dómine, spíritus tuus, qui ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, panesuavíssimo de coelo praestito, esuriéntes reples bonis, fastidiósos dívites dimíttens inánes !

Oratio.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili Passiónis tuae memóriam reliquísti : tríbue, quaesumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári ; ut redemptiónis tuae fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis et regnas cum Deo.

Ad Completorium, et per Horas, in fine Hymnorum dicitur :

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine.

Et similiter per totam Octavam.

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum Regem adorémus dominántem Géntibus, * Qui se manducántibus dat spíritus pinguédinem. Ps. Veníte. 2.

Hymnus.

SACRIS solémniis juncta sint gáudia,
Et ex praecórdiis sonent praecónia ;
Recédant vétera, nova sint ómnia,
Corda, voces, et ópera.
Noctis recólitur coena novíssima,
Qua Christus créditur agnum et ázyma
Dedísse frátribus, juxta legítima
Priscis indúlta pátribus.
Post agnum typicum, explétis épulis,
Corpus Domínicum datum discípulis,
Sic totum ómnibus, quod totum síngulis,
Ejus fatémur mánibus.
Dedit fragílibus córporis férculum,
Dedit et trístibus sánguinis póculum,
Dicens : accípite quod trado vásculum,
Omnes ex eo bíbite.

Sic sacrifícium istud instítuit,
Cujus offícium commítti vóluit
Solis Presbyteris, quibus sic cóngruit,
Ut sumant, et dent caeteris.
Panis Angélicus fit panis hóminum;
Dat panis coelicus figúris términum :
O res mirábilis! mandúcat Dóminum
Pauper, servus, et húmilis.
Te, trina Déitas unáque, póscimus,
Sic nos tu vísita, sicut te cólimus,
Per tuas sémitas duc nos quo téndimus,
Ad lucem, quam inhábitas. Amen.

In primo Nocturno.

Aña. Fructum salutíferum * gustándum dedit Dóminus mortis suae témpore.

Psalmus i.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiae non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo.

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quaecúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic impii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terrae.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in consílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Aña. Fructum salutíferũ gustándum dedit Dóminus mortis suae témpore.

Aña. A fructu fruménti * et vini multiplicáti fidéles in pace Christi requiéscunt.

Psalmus iv.

CUM invocárem exaudívit me Deus justítiae meae : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde ? * ut quid diligitis vanitátem, et quaeritis mendácium ?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quae dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiae, et speráte in Dómino. * Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona ?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dñe: * dedísti laetítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam ;

Quóniam tu, Dómine, singulariter in spe * constituísti me.

Ańa. A fructu fruménti et vini multiplicáti fidéles in pace Christi requiéscunt.

Ańa. Communióne cálicis, * quo Deus ipse súmitur, non vitulórũ sánguine, congregávit nos Dóminus.

Psalmus xv.

CONSERVA me, Dñe, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus,* mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátae sunt infirmitátes eórum : * póstea accelavérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dñus pars haereditátis meae, et cálicis mei : * tu es, qui restítues haereditátẽ meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in praecláris : * étenim haeréditas mea praeclára est mihi.

Benedícam Dñum, qui tríbuit mihi intellectum : * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper : * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc laetátum est cor meum, et exultávit lingua mea : * insuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno : * nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitae, adimplébis me laetítia cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ańa. Communióne cálicis, quo Deus ipse súmitur, non vitulórum sánguine, congregávit nos Dóminus.

℣. Panem coeli dedit eis, allelúia. ℟. Panem Angelórum manducávit homo, allelúia.

Pater noster. Absolutio. Exáudi, Dómine. ℣. Jube, domne. Benedictio. Benedictióne perpétua.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio i. *Cap.* xi. *d.*

CONVENIENTIBUS vobis in unum, jam non est Domínicam coenam manducáre. Unus-

quísque enim suam coenam praesúmit ad manducándum. Et álius quidem ésurit, álius autem ébrius est. Numquid domos non habétis ad manducándũ et bibéndum? aut Ecclésiam Dei contémnitis, et confúnditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.

℣. Immolábit hoedum multitúdo filiórum Israël ad vésperam Paschae : * Et edent carnes, et ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus : itaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis.—Et edent. Bened. Unigénitus.

Lectio ii.

EGO enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis : quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter et cálicem, postquam coenávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine. Hoc fácite quotiescúmque bibétis, in meam commemoratiónẽ. Quotiescúmque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dñi annuntiábitis donec véniat.

℟. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus : * Iste est panis, quem dedit vobis Dñus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de coelo, sed Pater meus dat vobis panem de coelo verum. — Iste est. Bened. Spíritus sancti.

Lectio iii.

ITAQUE quicúmque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dñi indígne, reus erit córporis et sánguinis Dñi. Probet autem seípsum homo, et sic de pane illo edat, et de cálice bibat. Qui enim manducat et bibit indígne, judícium sibi manducat et bibit : non dijúdicans corpus Dómini. Ideo inter vos multi infírmi et imbecílles, et dórmiunt multi. Quod si nosmetípsos dijudicarémus, non útique judicarémur. Dum judicámur autem, a Dño corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur.

℟. Respéxit Elías ad caput suum subcinerícium panem : qui surgens comédit et bibit : * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in aetérnum. — Et. Glória Patri. Et.

In secundo Nocturno.

Añ. Memor sit Dñus * sacrifícii nostri, et holocáustum nostrum pingue fiat.

Psalmus xix.

EXAUDIAT te Dóminus in die tribulatiónis : * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto : * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui : * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum : * et omne consílium tuum confírmet.

Laetábimur in salutári tuo : * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dñus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de coelo sancto suo : * in potentátibus salus déxterae ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis : * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt : * nos autem surréximus, et erécti sumus.

Dñe, salvum fac regem : * et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Antiph. Memor sit Dóminus sacrifícii nostri, et holocáustum nostrum pingue fiat.

Añа. Parátur * nobis mensa Dñi advérsus omnes, qui tríbulant nos.

Psalmus xxii.

DOMINUS regit me, et nihil mihi déerit : * in loco páscuae ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiae, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbrae mortis, non timébo mala : * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus : * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum : * et calix meus inébrians quam praeclárus est !

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitae meae :

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Añа. Parátur nobis mensa Dómini advérsus omnes, qui tríbulant nos.

Añа. In voce exultatiónis * résonent epulántes in mensa Dómini.

Psalmus xli.

QUEMADMODUM desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum : * quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymae meae panes die ac nocte: * dum dicitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus?

Haec recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis et confessiónis : * sonus epulántis.

Quare tristis es, ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est * proptérea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam : * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitae meae, * dicam Deo : Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei * et quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi, qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus? * quare tristis es, ánima mea, et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Añ. In voce exultatiónis résonent epulántes in mensa Dómini.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti, allelúia. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúia.

Pater noster. Absolutio. Ipsíus pietas. ℣. Jube, domne. Bened. Deus Pater omnípotens.

Sermo sancti Thomae Aquinátis.

Lectio iv. *In Opusc.* lvii.

IMMENSA divínae largitátis benefícia, exhíbita pópulo Christiáno, inaestimábilem ei cónferunt dignitátem. Neque enim est, aut fuit aliquándo tam grandis nátio, quae hábeat deos appropinquántes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Unigénitus siquidem Dei Fílius, suae divinitátis volens nos esse partícipes, natúram nostram assúmpsit, ut

hómines Deos fáceret, fáctus homo. Et hoc ínsuper, quod de nostro assúmpsit, totum nobis cóntulit ad salútem. Corpus namque suum pro nostra reconciliatióne in ara crucis hóstiam óbtulit Deo Patri : sánguinem suum fudit in prétium simul et lavácrum: ut redémpti a miserábili servitúte, a peccátis ómnibus mundarémur. Ut autem tanti benefícii jugis in nobis manéret memória, corpus suum in cibum, et sánguinem suum in potum, sub spécie panis et vini suméndum, fidélibus derelíquit.

℟. Coenántibus illis accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite, et comédite : hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? — Accípite. Benedíctio. Christus perpétuae.

Lectio v.

OPRETIOSUM et admirándum convívium, salutíferum, et omni suavitáte replétum! Quid enim hoc convívio pretiósius esse potest? in quo non carnes vitulórum et hircórum, ut olim in lege, sed nobis Christus suméndus propónitur verus Deus. Quid hoc sacraménto mirabílius? in ipso namque panis et vinum in Christi corpus et sánguinem substantiáliter convertúntur : ideóque Christus Deus, et homo perféctus sub módici panis et vini spécie continétur. Manducátur itaque a fidélibus, sed mínime lacerátur: quinímo, divíso Sacraménto, sub quálibet divisiónis partícula ínteger persevérat. Accidéntia autem sine subjécto in eódem subsístunt, ut fides locum hábeat, dum visíbile invisibíliter súmitur aliéna spécie occultátum : et sensus a deceptióne reddántur immúnes, qui de accidéntibus júdicant sibi notis.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam coenávit dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine: * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. —Hoc fácite. Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

NULLUM étiam Sacraméntum est isto salúbrius, quo purgántur peccáta, virtútes augéntur, et mens ómnium spirituálium charísmatum abundántia impinguátur. Offértur in Ecclésia pro vivis et mórtuis : ut ómnibus prosit quod est pro salúte ómnium

institútum. Suavitátem dénique hujus Sacraménti nullus exprímere súfficit, per quod spirituális dulcédo in suo fonte gustátur, et recólitur memória illíus, quam in sua passióne Christus monstrávit, excellentíssimae charitátis. Unde ut árctius hujus charitátis imménsitas fidélium córdibus infigerétur, in última coena, quando Pascha cum discípulis celebráto, transitúrus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacraméntum instítuit, tamquam passiónis suae memoriále perénne, figurárum véterum impletívum, miraculórum ab ipso factórum máximum ; et de sua contristátis abséntia solátium singuláre relíquit.

℣. Ego sum panis vitae : patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt : * Hic est panis de coelo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de coelo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in aetérnum. — Hic est panis. Glória Patri. Hic est panis.

In tertio Nocturno.

Antiphona. Introíbo * ad altáre Dei : sumam Christum, qui rénovat juventútem meam.

Psalmus xlii.

UDICA me, Deus, et discérne causam meam de gente non sancta, * ab hómine iníquo, et dolóso érue me.

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea : * quare me repulísti ? et quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus ?

Emítte lucem tuam et veritátem tuam : * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei : * ad Deum, qui laetíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus Deus meus : * quare tristis es ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Añа. Introíbo ad altáre Dei, sumam Christum, qui rénovat juventútem meam.

Añа. Cibávit nos Dóminus * ex ádipe fruménti: et de petra, melle saturávit nos.

Psalmus lxxx.

EXULTATE Deo adjutóri nostro: * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, et date tympanum : * psaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tuba, * in insígni die solemnitátis vestrae :

Quia praecéptum in Israël est : * et judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cum exíret de terra Ægypti : * linguam, quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus : * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, et liberávi te : * exaudívi te in abscóndito tempestátis : probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi pópulus meus, et contestábor te : * Israël si audíeris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti : * diláta os tuum, et implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam : * et Israël non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndu desidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me : * Israël si in viis meis ambulásset :

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem : * et super tribulántes eos misissem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei : * et erit tempus eórum in saecula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti : * et de petra, melle saturávit eos.

Ańa. Cibávit nos Dñus ex ádipe fruménti : et de petra, melle saturávit nos.

Ańa. Ex altári tuo, * Dómine, Christum súmimus, in quem cor et caro nostra exúltant.

Psalmus lxxxiii.

QUAM dilécta tabernácula tua, Dñe virtútum : * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum : * rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dñe : * in saecula saeculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dñe Deus virtútum, exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei: * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus: * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia: * Dñe virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Ańa. Ex altári tuo, Dñe, Christum súmimus, in quem cor et caro nostra exúltant.

℣. Edúcas panem de terra, allelúia. ℟. Et vinum laetíficet cor hóminis, allelúia.

Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube, domne. Benedíctio. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* vi. *f.*

IN illo témpore: Dixit Jesus turbis Judaeórum: Caro mea, vere est cibus: et sanguis meus, vere est potus. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. xxvi. *in Joannem, sub finem.*

CUM cibo et potu id áppetant hómines, ut neque esúriant, neque sítiant: hoc veráciter non praestat, nisi iste cibus et potus, qui eos a quibus súmitur, immortáles et incorruptíbiles facit; id est, societas ipsa sanctórum: ubi pax erit, et únitas plena atque perfécta. Proptérea quippe, sicut étiam ante nos hoc intellexérunt hómines Dei, Dóminus noster Jesus Christus corpus et sánguinem suum in eis rebus commendávit, quae ad unum áliquid redigúntur ex multis. Namque áliud in unum ex multis granis confícitur: áliud in unum ex multis ácinis cónfluit. Dénique jam expónit quómodo id fiat, quod lóquitur: et quid sit manducáre corpus ejus, et sánguinem bíbere.

℟. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, * in me manet, et ego in eo. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quae hábeat Deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis.—In me manet. Benedíctio. Divínum auxílium.

Lectio viii.

QUI mandúcat carnem meam, et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in illo. Hoc est ergo manducáre illam escam, et illum bíbere potum, in Christo manére, et illum manéntē in se habére. Ac per hoc, qui non manet in Christo,

et in quo non manet Christus, proculdúbio nec mandúcat spiritáliter carnem ejus, nec bibit ejus sánguinem, licet carnáliter et visibíliter premat déntibus sacraméntũ córporis et sánguinis Christi : sed magis tantae rei sacraméntum ad judícium sibi mandúcat et bibit, quia immúndus praesúmpsit ad Christi accédere sacraménta, quae áliquis non digne sumit, nisi qui mundus est ; de quibus dícitur : Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae et intelléctus.— Et qui mandúcat. Glória Patri. Et qui mandúcat. Benedíctio. Ad societátem.

Lectio ix.

SICUT, inquit, misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. Ac si díceret : Ut ego vivam propter Patrem, id est, ad illum tamquam ad majórem réferam vitam meam, exinanítio mea fecit, in qua me misit. Ut autem quisquam vivat propter me, participátio facit, qua mandúcat me. Ego ítaque humiliátus vivo propter Patrem : ille eréctus vivit propter me. Si autem ita dictum est, Vivo propter Patrem, quia ipse de illo, non ille de ipso est, sine detrimento aequalitátis dictum est. Nec tamen dicéndo : Et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me : eámdem suam, et nostram aequalitátem significávit, sed grátiam mediatóris osténdit.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Sapiéntia * aedificávit sibi domum, míscuit vinum, et pósuit mensam, allelúia. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Angelórum esca * nutrivísti pópulum tuum, et panem de coelo praestitísti eis, allelúia.

3. Pinguis est panis Christi, * et praebébit delícias régibus, allelúia.

4. Sacerdótes sancti * incénsum et panes ófferunt Deo, allelúia.

5. Vincénti * dabo manna abscónditum, et nomen novum, allelúia.

Capitulum. 1. *Cor.* xi. *e.* FRATRES : Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit : Accípite, et

manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem.

Hymnus.

VERBUM supérnum pródiens,
Nec Patris linquens déxteram,
Ad opus suum éxiens,
Venit ad vitae vésperam.

In mortem a discípulo
Suis tradéndus aemulis,
Prius in vitae férculo
Se trádidit discípulis.

Quibus sub bina spécie
Carnem dedit et sánguinẽ ;
Ut dúplicis substántiae
Totum cibáret hóminem.

Se nascens dedit sócium,
Convéscens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in praemiũ.

O Salutáris Hóstia,
Quae coeli pandis óstium !
Bella premunt hostília,
Da robur, fer auxílium.

Uni Trinóque Dómino
Sit sempitérna glória ;
Qui vitam sine término
Nobis donet in pátria.
Amen.

℣. Pósuit fines tuos pacem, allelúia. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te, allelúia.

Ad Benedictus, Antiphona. Ego sum* panis vivus, qui de coelo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in aetérnum, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuae memóriam reliquísti : tríbue, quaesumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári ; ut redemptiónis tuae fructum in nobis júgiter sentiámus : Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

AD PRIMAM.

℟. br. Christe Fili. ℣. Qui natus es de María vírgine. Et sic dicitur per totam Octavam.

In Versiculis Primae et Completorii non additur Allelúia, sed in aliis Horis.

AD TERTIAM.

Aña. Angelórum esca.

Capit. Fratres: Ego enim accépi, ut supra.

℟. br. Panem coeli dedit eis, * Allelúia, allelúia. Panem coeli. ℣. Panem Angelórum manducávit homo. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Panem.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti, allelúia. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúia.

AD SEXTAM.

Aña. Pinguis est panis.

Capitulum. 1. *Cor.* xi. *f.*

QUOTIESCUMQUE enim manducábitis panem hunc, et cálicem

bibétis : mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

℟. br. Cibávit illos ex ádipe fruménti, * Allelúia, allelúia. Cibávit. ℣. Et de petra, melle saturávit eos. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Cibávit.

℣. Edúcas panem de terra, allelúia. ℟. Et vinum laetíficet cor hóminis, allelúia.

AD NONAM.

Ant. Vincénti.

Capitulum. 1. *Cor.* xi. *f.*

QUICUMQUE manducáverit panem hunc vel bíberit cálicem Dñi indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini.

℟. br. Edúcas panem de terra, * Allelúia, allelúia. Edúcas. ℣. Et vinum laetíficet cor hóminis. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Edúcas.

℣. Pósuit fines tuos pacem, allelúia. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te, allelúia.

IN II. VESPERIS.

Omnia dicuntur sicut in primis. 183.

℣. Panem de coelo praestitísti eis, allelúia. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem, allelúia.

Ad Magnificat, Ant. O sacrum convívium, * in quo Christus súmitur : recólitur memória passiónis ejus, mens implétur grátia, et futúrae glóriae nobis pignus datur, allelúia.

Oratio. Deus, qui nobis, ut supra. 197.

FERIA SEXTA

Infra Octavam Corporis Christi.

In primo Nocturno.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* ii. *f.*

ENIT autem vir Dei ad Heli, et ait ad eum : Haec dicit Dñus: Numquid non apérte revelátus sum dómui patris tui, cum essent in Ægypto in domo Pharaónis? Et elégi eum ex ómnibus tríbubus Israël mihi in sacerdótem, ut ascénderet ad altáre meum, et adoléret mihi incénsum, et portáret ephod coram me : et dedi dómui patris tui ómnia de sacrifíciis filiórum Israël. Quare calce abjecístis víctimam meam, et múnera mea, quae praecépi ut offerréntur in templo : et magis honorásti fílios tuos, quam me, ut comederétis primítias omnis sacrifícii Israël pópuli mei?

℟. Immolábit. 189.

Lectio ii.

PROPTEREA ait Dóminus Deus Israël : Loquens locútus sum, ut

domus tua, et domus patris tui ministráret in conspéctu meo usque in sempitérnum. Nunc autem dicit Dñus: Absit hoc a me: sed quicúmque glorificáverit me, glorificábo eum: qui autem contémnunt me, erunt ignóbiles. Ecce dies véniunt, et praecídam bráchium tuum, et bráchium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua. Et vidébis aemulum tuum in templo, in univérsis prósperis Israël: et non erit senex in domo tua ómnibus diébus. Verúmtamen non áuferam pénitus virum ex te ab altári meo: sed ut deficiant óculi tui, et tabéscat ánima tua: et pars magna domus tuae moriétur, cum ad virílem aetátem vénerit.

℟. Comedétis carnes. 189.

Lectio iii.

HOC autem erit tibi signum, quod ventúrum est duóbus fíliis tuis, Ophni et Phínees: In die uno moriéntur ambo. Et suscitábo mihi sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum et ánimam meam fáciet: et aedificábo ei domum fidélem, et ambulábit coram Christo meo cunctis diébus. Futúrum est autem, ut, quicúmque remánserit in domo tua, véniat, ut orétur pro eo, et ófferat nummum argénteum et tortam panis, dicátque: Dimítte me, óbsecro, ad unam partem sacerdotálem, ut cómedam buccéllam panis.

℟. Respéxit Elías. 189.

In secundo Nocturno.

De Sermóne S. Thomae Aquinátis.

In eodem Opusculo lvii.

Lectio iv.

CONVENIT ítaque devotióni fidélium, solémniter recólere institutiónē tam salutíferi, tamque mirábilis Sacraménti: ut ineffábilem modum divínae praeséntiae in Sacraménto visíbili venerémur: et laudétur Dei poténtia, quae in Sacraménto eódem tot mirabília operátur: nec non et de tam salúbri, tamque suávi benefício exsolvántur Deo gratiárum débitae actiónes. Verum etsi in die Coenae, quando Sacraméntum praedíctum nóscitur institútum, inter Missárum solémnia de institutióne ipsíus speciális méntio habeátur: totum tamen resíduum ejúsdem diéi officium ad Christi passiónem pértinet, circa cujus veneratiónem Ecclésia illo témpore occupátur.

℟. Coenántibus illis. 192.

Lectio v.

UT autem íntegro celebritátis offício institutiónem tanti Sacraménti recóleret plebs fidélium,

Románus Póntifex Urbánus quartus, hujus Sacraménti devotióne affféctus, pie státuit praefátae institutiónis memóriã prima quinta Féria post Octávam Pentecóstes a cunctis fidélibus celebrári : ut qui per totum anni circulum hoc Sacraménto útimur ad salútem, ejus institutiónẽ illo témpore speciáliter recolámus, quo Spíritus sanctus corda discipulórum edócuit ad plene cognoscénda hujus mystéria Sacraménti. Nam et in eódem témpore coepit hoc Sacraméntum a fidélibus frequentári.

℟. Accépit Jesus. 192.

Léctio vi.

UT autem praedícta quinta Féria, et per Octávas sequéntes, ejus salutáris institutiónis honorificéntius agátur memória, et solémnitas de hoc celébrior habeátur ; loco distributiónum materiáliũ, quae in Ecclésiis Cathedrálibus largiúntur existéntibus Horis Canónicis noctúrnis, paritérque diúrnis, praefátus Románus Póntifex eis, qui ejúsmodi Horis in hac solemnitáte personáliter in Ecclésiis interfúerint, stipendia spirituália, Apostólica largitióne concéssit : quátenus per haec fidéles ad tanti Festi celebritátem avídius et copiósius convenírent.

℟. Ego sum panis. 193.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* vi. *f.*

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judaeórum : Caro mea vere est cibus : et sanguis meus, vere est potus. Et réliqua.

De Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. xxvii. *in Joannem.*

VERBA Dómini ex evangélio, quae sermónem pristinum consequúntur, audívimus. Hinc sermo debétur auribus et méntibus vestris, et hodiérna die non importúnus est. Est enim de córpore Dómini, quod dicébat se dare ad manducándum propter aetérnam vitam. Expósuit autem modum attributiónis hujus, et doni sui, quómodo daret carnem suam manducáre, dicens : Qui mandúcat carnem meam, et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in illo. Signum, quia manducávit et bibit, hoc est : si manet, et manétur : si hábitat, et inhabitátur : si haeret, ut non deserátur.

℟. Qui mandúcat. 195.

Léctio viii.

HOC ergo nos dócuit et admónuit mysticis verbis, ut simus in ejus córpore sub ipso cápite in

membris ejus, edéntes carnem ejus, non relinquéntes unitátem ejus. Sed qui áderant, plures non intelligéndo scandalizáti sunt, non enim cogitábant, haec audiéndo, nisi carnem quod ipsi erant. Apóstolus autem dicit, et verum dicit: Sápere secúndum carnem, mors est. Carnem suam dat nobis Dñus manducáre: et sápere secúndũ carnem, mors est. Cum de carne sua dicat, quia ibi est vita aetérna: ergo nec carnem debémus sápere secúndum carnem, sicut in his verbis. Multi ítaque audiéntes, non ex inimícis, sed ex discípulis ejus, dixérunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audíre?

℟. Misit me. 196.

Lectio ix.

SI discípuli durum habuérunt istum sermónem, quid inimíci? Et tamen sic oportébat ut dicerétur, quod non ab ómnibus intelligerétur. Secrétum Dei inténtos debet fácere, non advérsos: isti autem cito defecérunt, tália loquénte Dómino Jesu Christo. Non credidérunt áliquid magnum dicéntem, et verbis illis áliquam grátiam cooperiéntem, sed prout voluérunt, ita intellexérunt, et more hóminum: quia póterat Jesus, aut hoc disponébat Jesus, carnem, qua indútum erat Verbum, véluti concísam, distribúere credéntibus in se. Durus est ínquiunt, hic sermo: quis potest eum audíre?

Te Deum laudámus. 17.

SABBATO.

In primo Nocturno.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* iii.

QUER autem Sámuel ministrábat Dómino coram Heli, et sermo Dómini erat pretiósus in diébus illis, non erat vísio manifésta. Factum est ergo in die quadam, Heli jacébat in loco suo, et óculi ejus caligáverant, nec póterat vidére: lucérna Dei ántequam extinguerétur, Sámuel dormiébat in templo Dómini, ubi erat Arca Dei. Et vocávit Dñus Sámuel. Qui respóndens, ait: ecce ego. Et cucúrrit ad Heli, et dixit: Ecce ego: vocásti enim me? Qui dixit: Non vocávi: revértere, et dormi. Et ábiit, et dormívit. Et adjécit Dóminus rursum vocáre Samuélem. Consurgénsque Sámuel, ábiit ad Heli, et dixit: Ecce ego: quia vocásti me. Qui respóndit: Non vocávi te, fili mi: revértere, et dormi. Porro Sámuel necdum sciébat

bat Dñum, neque revelátus fúerat ei sermo Dómini.

℟. Immolábit. 189.

Lectio ii.

ET adjécit Dóminus, et vocávit adhuc Samuélem tértio. Qui consúrgens, ábiit ad Heli, et ait: Ecce ego: quia vocásti me. Intelléxit ergo Heli, quia Dóminus vocáret púerum: et ait ad Samuélem: Vade, et dormi: et si deínceps vocáverit te, dices: Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Sámuel, et dormívit in loco suo. Et venit Dóminus, et stetit: et vocávit, sicut vocáverat secúndo, Sámuel, Sámuel. Et ait Sámuel: Lóquere, Dñe, quia audit servus tuus. Et dixit Dóminus ad Samuélem: Ecce ego fácio verbum in Israël: quod quicúmque audíerit, tínnient ambae aures ejus. In die illa suscitábo advérsum Heli ómnia, quae locútus sum super domum ejus: incípiam, et complébo.

℟. Comedétis carnes. 189.

Lectio iii.

DORMIVIT autem Sámuel usque mane, aperuítque óstia domus Dómini. Et Sámuel timébat indicáre visiónem Heli. Vocávit ergo Heli Samuélem, et dixit: Sámuel fili mi? Qui respóndens, ait: Praesto sum. Et interrogávit eum: Quis est sermo quem locútus est Dóminus ad te? oro te, ne celáveris me. Haec fáciat tibi Deus, et haec addat, si abscónderis a me sermónem ex ómnibus verbis, quae dicta sunt tibi. Indicávit ítaque ei Sámuel univérsos sermónes, et non abscóndit ab eo. Et ille respóndit: Dóminus est: quod bonum est in óculis suis, fáciat. Crevit autem Sámuel, et Dóminus erat cum eo, et non cécidit ex ómnibus verbis ejus in terram. Et cognóvit univérsus Israël, a Dan usque Bersabée, quod fidélis Sámuel Prophéta esset Dómini.

℟. Respéxit Elías. 189.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. lxi. *ad pop. Antioch.*

Lectio iv.

NECESSARIUM est, dilectíssimi, mysteriórum díscere miráculum, quodnam sit, et quare sit datum, et quae ejus rei utilitas. Unum corpus efficimur: membra, inquit, ex carne ejus, et ex óssibus ejus: sequámur autem initiáti, quae dicúntur. Ut ítaque non tantum per charitátem hoc fiámus, verum étiam ipsa re, in illam misceámur carnem: hoc namque per escam efficitur, quam largítus est

nobis, volens osténdere desidériũ, quod erga nos habet. Proptérea semetípsum nobis immíscuit, et corpus suum in nos contemperávit, ut unum quid simus tamquam corpus cápiti coaptátum : ardénter enim amántium hoc est.

℟. Coenántibus illis. 192.

Lectio v.

TAMQUAM leónes igitur ignem spirántes ab illa mensa recedámus, facti diábolo terríbiles, et caput nostrum mente revolvéntes, et caritátem, quam erga nos osténdit. Nam paréntes quidem áliis saepe fílios tradunt aléndos : ego autem, inquit, non ita, sed cárnibus meis alo, et meípsum vobis appóno, vos omnes generósos esse volens, et spem bonam de futúris vobis praebens : quippe qui vobis hic meípsum trádidi, multo magis id in futúro fáciam. Vólui frater vester fieri, carni propter vos et sánguini communicávi : vobis vicíssim ipsam carnem et sánguinem, per quae cognátus vester factus sum, trado.

℟. Accépit Jesus. 192.

Lectio vi.

ATTENDAMUS ítaque nobis ipsis, dilectíssimi, tálibus fruéntes bonis : et cum áliquid turpe dícere voluérimus, vel nos ab ira córripi vidérimus, vel álio quópiam hujúsmodi vítio, considerémus quibus facti sumus digni : talísque cogitátio nobis irrationabílium mótuum sit corréctio. Quotquot ígitur hujus partícipes córporis efficimur, quotquot sánguinem degustámus ; cogitémus, quod illum sursum sedéntem, qui ab Angelis adorátur, incorruptíbili vicínus virtúti, hunc degustámus. Hei mihi, quot ad salútem nobis viae ! Nos corpus suum effécit, nobis suum communicávit corpus : et horum nos nihil a malis avértit.

℟. Ego sum panis. 193.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* vi. *f.*

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judaeórum : Caro mea vere est cibus : et sanguis meus vere est potus. Et réliqua. De Homília sancti Augustíni Episcopi.

Tract. xxvii. *in Joannem, ante medium.*

DIXIMUS, fratres, hoc Dñum commendásse in manducatióne carnis suae, et potatióne sánguinis sui, ut in illo maneámus, et ipse in nobis. Manémus au-

tem in illo, cum sumus membra ejus : manet autem ipse in nobis, cum sumus templum ejus. Ut autem simus membra ejus, únitas nos compáginat : ut compáginet únitas, quae facit, nisi cháritas ? Et cháritas Dei unde ? Apóstolum intérroga. Cháritas, inquit, Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum sanctum, qui datus est nobis.

℟. Qui mandúcat. 195.

Lectio viii.

ERGO spíritus est, qui vivíficat : spíritus enim facit viva membra : nec viva membra spíritus facit, nisi quae in córpore, quod végetat ipse spíritus, invénerit. Nam spíritus qui est in te, o homo, quo constas ut homo sis, numquid vivíficat membrum quod separátum invénerit a carne tua ? Spíritum tuum dico ánimam tuam. Anima tua non vivíficat, nisi membra quae sunt in carne tua : unum si tollas, jam non vivificátur ex ánima tua, quia unitáti córporis tui non copulátur.

℟. Misit me. 196.

Lectio ix.

HAEC dicúntur, ut amémus unitátem, et timeámus separatiónem. Nihil enim sic debet formidáre Christiánus, quam separári a córpore Christi. Si enim separátur a córpore Christi, non est membrum ejus : si non est membrum ejus, non vegetátur Spíritu ejus. Quisquis autem, inquit Apóstolus, Spíritum Christi non habet, hic non est ejus. Spíritus ergo est, qui vivíficat, caro autem non prodest quidquam. Verba, quae ego locútus sum vobis, spíritus et vita sunt. Quid est, Spíritus et vita sunt? Spiritáliter intelligénda sunt. Intellexísti spiritáliter ? Spíritus et vita sunt. Intellexisti carnáliter? Etiam sic illa spíritus et vita sunt, sed tibi non sunt.

Te Deum laudámus. 17.

AD VESPERAS.

Antiphona. Sacérdos in aetérnum, cum reliquis Antiphonis et Psalmis, ut supra. 183.

Capitulum. 1. *Joan.* iii. *b.*

CARISSIMI : Nolíte mirári, si odit vos mundus. Nos scimus quóniam transláti sumus de morte ad vitam, quóniam dilígimus fratres.

Hymnus.

PANGE lingua gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinísque pretiósi,
Quem in mundi prétium
Fructus ventris generósi
Rex effúdit géntium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intácta Vírgine,
Et in mundo conversátus,
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro clausit órdine.

In suprémae nocte coenae
Recúmbens cum frátribus,
Observáta lege plene
Cibis in legálibus,
Cibum turbae duodénae
Se dat suis mánibus.

Verbum caro, panem verum
Verbo carnem éfficit :
Fitque sanguis Christi merum,
Et si sensus déficit :
Ad firmándum cor sincérum
Sola fides súfficit.

Tantum ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui :
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui.
Praestet fides suppleméntum
Sénsuum defectui.

Genitóri, Genitóque
Laus et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedíctio :
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio.
Amen.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti, allelúia. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúia.

Ad Magnif., Ánta. Puer Sámuel ministrábat ante Deum coram Heli, et sermo Dñi erat pretiósus cum eo.

Oratio.

SANCTI nóminis tui, Dómine, timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum : quia nunquam tua gubernatióne destítuis, quos in soliditáte tuae dilectiónis instítuis. Per Dóminum.

Deinde fit commemoratio de Octava, Ánta. O sacrum convívium, in quo Christus súmitur : recólitur memória passiónis ejus : mens implétur grátia : et futúrae glóriae nobis pignus datur, allelúia.

℣. Panem de coelo praestitísti eis, allelúia. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili, passiónis tuae memóriam reliquísti : tríbue quaesumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuae fructum in nobis júgiter sentiámus: Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

DOMINICA

infra Octavam quae est secunda post Pentecosten.

Omnia dicuntur de Octava, praeter Lect., octavum Responsorium, Capitula,

Añas ad Benedíctus et Magníficat, et Oratiónem, quae hic habentur propria.

In primo Nocturno.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* iv.

ET factum est in diébus illis, convenérunt Philísthiim in pugnam : et egréssus est Israël óbviam Philísthiim in praelium, et castrametátus est juxta Lápidem adjutórii. Porro Philísthiim venérunt in Aphec, et instruxérunt áciem contra Israël. Inito autem certámine, terga vertit Israël Philísthaeis : et caesa sunt in illo certámine passim per agros, quasi quátuor míllia virórum. Et revérsus est pópulus ad castra : dixerúntque majóres natu de Israël : Quare percússit nos Dñus hódie coram Philísthiim ? Afferámus ad nos de Silo arcam foederis Dómini, et véniat in médium nostri, ut salvet nos de manu inimicórum nostrórum.

℟. Immolábit hoedum multitúdo filiórum Israël ad vésperam Paschae : * Et edent carnes, et ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus : ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis.—Et edent.

Lectio ii.

ISIT ergo pópulus in Silo, et tulérunt inde arcam foederis Dñi exercítuum sedéntis super Chérubim : erántque duo fílii Heli cum arca foederis Dei, Ophni et Phínees. Cumque venísset arca foederis Dómini in castra, vociferátus est omnis Israël clamóre grandi, et personuit terra. Et audiérunt Philísthiim vocem clamóris, dixerúntque: Quaenam est haec vox clamóris magni in castris Hebraeórum? Et cognovérunt quod arca Dómini venísset in castra.

℟. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus : * Iste est panis, quem dedit vobis Dñus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de coelo, sed Pater meus dat vobis panem de coelo verum.—Iste est.

Lectio iii.

TIMUERUNTQUE Philísthiim, dicéntes : Venit Deus in castra. Et ingemuérunt, dicéntes : Vae nobis ; non enim fuit tanta exultátio heri et nudiustértius : vae nobis. Quis nos salvábit de manu Deórum sublímium istórum? hi sunt Dii, qui percussérunt Ægyptum omni plaga, in desérto. Confortámini, et estóte viri, Philísthiim : ne serviátis Hebraeis, sicut et

illi serviérunt vobis : Confortámini, et belláte. Pugnavérunt ergo Philísthiim, et caesus est Israël, et fugit unusquísque in tabernáculũ suum : et facta est plaga magna nimis : et cecidérunt de Israel trigínta míllia péditum. Et arca Dei capta est : duo quoque fílii Heli mórtui sunt, Ophni et Phínees.

℟. Respéxit Elias ad caput suum subcinerícium panem : qui surgens comédit et bíbit : * Et ambulávit in fortitúdine cibi illius usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in aetérnum. — Et ambulávit. Glória Patri. Et.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Homil. lx. *ad populum Antiochenum.*

Lectio iv.

QUONIAM verbum dicit : Hoc est corpus meum : et assentiámur et credámus, et intellectuálibus ipsum óculis intueámur. Nihil enim sensíbile nobis Christus trádidit : sed sensibílibus quidem rebus, at ómnia intelligibília. Itidem et in baptísmate : per rem nempe sensíbilem aquam, donum confértur : intelligíbile vero quod perfícitur, generátio et renovátio. Si enim incorpóreus esses, nuda et incorpórea tibi dedísset ipse dona : sed quóniã ánima córpori consérta est, in sensibílibus intelligibília tibi praebet. Quot nunc dicunt, Vellem ipsíus formam aspícere, figúram, vestiménta, calceaménta ? Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum manducas. Et tu quidem vestiménta cupis vidére : ipse vero tibi concédit non tantum vidére, verum et manducáre, et tángere, et intra te súmere.

℟. Coenántibus illis accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite, et comédite : hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur ? — Accípite.

Lectio v.

ITGITUR accédat nemo cum náusea, nemo resolútus, omnes accénsi, omnes ferventes, et excitáti. Nam si Judaei stantes, et calceaménta in pédibus habéntes, et báculos mánibus gestántes, agnum cum festinatióne comedébant : te multo magis opórtet esse solértem. Nam illi quidem in Palaestínã erant profecturi, et proptérea viatórum figúram habébant : tu vero debes in coelum migráre. Quaprópter

in ómnibus opórtet te vigiláre ; nec enim parva poena propónitur indígne suméntibus. Cógita quantum advérsus proditórẽ indignáris, et contra eos qui illum crucifixérunt: ítaque consídera, ne tu quoque sis reus córporis et sánguinis Christi. Illi sanctíssimum corpus occidérunt, tu vero pollúta súscipis anima, post tot benefícia. Neque enim illi satis fuit, hóminem fieri, cólaphis caedi, et crucifígi: verum et semetípsum nobis commíscet ; et non fide tantum, verum et ipsa re nos suum éfficit corpus.

℟. Accépit Jesus cálicẽ, postquam coenávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. — Hoc fácite.

Lectio vi.

QUO non opórtet ígitur esse puriórem tali fruéntem sacrifício? quo solári rádio non splendidiórem manum, carnem hanc dividéntem? os quod igni spiritáli replétur, linguam quae treméndo nimis sánguine rubéscit ? Cógita quali sis insignítus honóre, quali mensa fruáris. Quod Ángeli vidéntes horréscunt, neque líbere audent intuéri propter emicántem inde splendórem ; hoc nos páscimur, huic nos unímur, et facti sumus unum Christi corpus, et una caro. Quis loquétur poténtias Dómini, audítas fáciet omnes laudes ejus? Quis pastor oves próprio pascit cruóre? Et quid dico, pastor? Matres multae sunt, quae post partus dolóres, fílios áliis tradunt nutrícibus. Hoc autem ipse non est passus : sed ipse nos próprio sánguine pascit, et per ómnia nos sibi coagméntat.

℟. Ego sum panis vitae : patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt : * Hic est panis de coelo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de coelo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in aetérnum.—Hic est panis. Glória Patri. Hic est panis.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xiv. *d.*

IN illo témpore : Dixit Jesus Pharisaeis parábolam hanc : Homo quidam fecit coenam magnam, et vocávit multos. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papae.

Hom. xxxvi. *in Evangelia.*

HOC distáre, fratres caríssimi, inter delícias córporis et cordis solet: quod corporáles delíciae, cum non habéntur, grave in se desidérium accéndunt: cum vero ávide edúntur, comedéntem prótinus in fastídium per satietátem vertunt. At contra, spirituáles delíciae, cum non habéntur, in fastídio sunt; cum vero habéntur, in desidério: tantóque a comedénte ámplius esuriúntur, quanto et ab esuriénte ámplius comedúntur. In illis appetítus placet, experiéntia displicet: in istis appetítus vilis est, et experiéntia magis placet. In illis appetítus saturitátem, satúritas fastídium génerat: in istis autem appetítus saturitátē, satúritas appetítum parit.

℟. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quae hábeat Deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. — In me.

Lectio viii.

AUGENT enim spirituáles delíciae desidérium in mente, dum sátiant: quia quanto magis eárum sapor percípitur, eo ámplius cognóscitur quod avídius amétur: et idcírco non hábitae amári non possunt, quia eárum sapor ignorátur. Quis enim amáre váleat quod ignórat? Proínde Psalmista nos ádmonet, dicens: Gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dñus. Ac si apérte dicat: Suavitátem ejus non cognóscitis, si hanc mínime gustátis: sed cibum vitae ex palato cordis tángite, ut probántes ejus dulcédinem, amáre valeátis. Has autem homo delícias tunc amísit, cum in paradíso peccávit: extra éxiit, cum os a cibo aetérnae dulcédinis clausit.

℟. Homo quidam fecit coenam magnam, et misit servum suum hora coenae dícere invitátis, ut venírent: * Quia paráta sunt ómnia. ℣. Veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis. — Quia. Glória Patri. Quia.

Lectio ix.

UNDE nos quoque nati in hujus peregrinatiónis aerúmna, huc fastidiósi jam vénimus, nescímus quid desideráre debeámus. Tantóque se ámplius fastídii nostri morbus exággerat, quanto se magis ab esu illíus dulcédinis ánimus elóngat. Et eo jam intérnas delícias non áppetit, quo eas comédere, diu longéque

desuévit. Fastídio ergo nostro tabéscimus, et longa inédiae peste fatigámur. Et quia gustáre intus nólumus parátam dulcédinem, amámus foris míseri famem nostram.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Sapiéntia * aedificávit sibi domum, míscuit vinum, et pósuit mensam, allelúia. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Angelórum esca * nutrivísti pópulum tuum, et panem de coelo praestitísti eis, allelúia.

3. Pinguis est panis Christi, * et praebébit delícias régibus, allelúia.

4. Sacerdótes sancti * incénsum et panes ófferunt Deo, allelúia.

5. Vincénti * dabo manna abscónditum, et nomen novum, allelúia.

Capitulum. 1. *Joan.* iii. *b.*

CARISSIMI: Nolíte mirári, si odit vos mundus. Nos scimus quóniam transláti sumus de morte ad vitam, quóniam dilígimus fratres.

Hymnus. Verbum supérnum. 197.

℣. Panem coeli dedit eis, allelúia. ℟. Panem Angelórum manducávit homo, allelúia.

Ad Bened. Aña. Homo quidam * fecit coenam magnam, et vocávit multos, et misit servum suum hora coenae dícere invitátis ut venírent, quia ómnia paráta sunt, allelúia.

Oratio.

SANCTI nóminis tui, Dómine, timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum; quia nunquam tua gubernatióne destítuis, quos in soliditáte tuae dilectiónis instítuis. Per Dóminum.

Deinde fit commemoratio de Octava, Antiphona. Ego sum panis vivus, qui de coelo descéndi: si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in aetérnum: allelúia.

℣. Pósuit fines tuos pacem, allelúia. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili, passiónis tuae memóriam reliquísti: tríbue quaesumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuae fructum in nobis júgiter sentiámus: Qui vivis et regnas.

AD PRIMAM.

Ad Absolutionem Capituli dicitur Capitulum Nonae, Filíoli mei.

AD TERTIAM.

Ańa. Angelórum esca.

Capitulum. Caríssimi : Nolíte, ut supra.

℟. br. Panem coeli dedit eis, * Allelúia, allelúia. Panem coeli. ℣. Panem Angelórum manducávit homo. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Panem.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti, allelúia. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúia.

AD SEXTAM.

Ańa. Pinguis est panis.

Capitulum. 1. *Joan.* iii. *c.*

IN hoc cognóvimus charitátem Dei, quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit : et nos debémus pro frátribus ánimas pónere.

℟. br. Cibávit illos ex ádipe fruménti, * Allelúia, allelúia. Cibávit. ℣. Et de petra, melle saturávit eos. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Cibávit.

℣. Edúcas panem de terra, allelúia. ℟. Et vinum laetíficet cor hóminis, allelúia.

AD NONAM.

Ańa. Vincénti.

Capitulum. 1. *Joan.* iii. *d.*

FILIOLI mei, non diligámus verbo, neque lingua, sed ópere et veritáte.

℟. br. Edúcas panem de terra,* Allelúia, allelúia. Edúcas. ℣. Et vinum laetíficet cor hóminis. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Edúcas.

℣. Pósuit fines tuos pacem, allelúia. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te, allelúia.

AD VESPERAS.

Ańa. Sacérdos in aetérnum, cum reliquis Ańis et Psalmis, ut in primis Vesperis Festi. 183.

Capitulum. Caríssimi : Nolíte mirári.

Hymnus. Pange lingua, ut supra. 185.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti, allelúia. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúia.

Ad Magnif. Ańa. Exi cito * in platéas et vicos civitátis, et páuperes ac débiles, caecos et claudos compélle intráre, ut impleátur domus mea, allelúia.

Oratio. Sancti nóminis tui, ut supra. 210.

Deinde fit commemoratio de Octava, Ańa. O sacrum convívium, in quo Christus súmitur : recólitur memória passiónis ejus : mens implétur grátia : et futúrae glóriae nobis pignus datur, allelúia.

℣. Panem de coelo praestitísti eis, allelúia. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem, allelúia.

Oratio. Deus, qui nobis, ut supra. 210.

FERIA SECUNDA
infra Octavam

In primo Nocturno.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* v.

PHILISTHIIM autem tulérunt arcam Dei, et asportavérunt eam a Lápide adjutórii in Azótum. Tulerúntque Philísthiim arcam Dei, et intulérunt eam in templum Dagon, et statuérunt eam juxta Dagon. Cumque surrexíssent dilúculo Azótii áltera die, ecce Dagon jacébat pronus in terra ante arcam Dómini : et tulérunt Dagon, et restituérunt eum in locum suum. Rursúmque mane die áltera consurgéntes, invenérunt Dagon jacéntem super fáciem suam in terra coram arca Dómini : caput autem Dagon, et duae palmae mánuum ejus abscíssae erant super limen : porro Dagon solus truncus remánserat in loco suo.

℟. Immolábit. 206.

Lectio ii.

AGGRAVATA est autem manus Dómini, super Azótios, et demolítus est eos. Et ebulliérunt villae et agri in médio regiónis illíus, et nati sunt mures, et facta est confúsio mortis magnae in civitáte. Vidéntes autem viri Azótii hujuscémodi plagam, dixérunt : Non máneat arca Dei Israël apud nos : quóniam dura est manus ejus super nos, et super Dagon deum nostrum. Et mitténtes congregavérunt omnes sátrapas Philisthinórum ad se, et dixérunt : Quid faciémus de arca Dei Israël? Responderúntque Gethaei : Circumducátur arca Dei Israël.

℟. Comedétis. 206.

Lectio iii.

ET circumduxérunt arcam Dei Israël. Illis autem circumducéntibus eam, fiébat manus Dómini per síngulas civitátes interfectiónis magnae nimis : et percutiébat viros uniuscujúsque urbis, a parvo usque ad majórem. Miserunt ergo arcam Dei in Accaron. Cumque venísset arca Dei in Accáron, exclamavérunt Accaronítae, dicéntes : Adduxérunt ad nos arcam Dei Israël, ut interfíciat nos, et pópulum nostrum. Miserunt ítaque et congregavérunt omnes sátrapas Philisthinórum, qui dixérunt : Dimíttite arcam Dei Israël, et revertátur in locum suum, et non interfíciat nos cum pópulo nostro. Fiébat enim pavor mortis in síngulis úrbibus, et gravíssima valde manus Dei.

℟. Respéxit Elías. 207.

In secundo Nocturno.
De Sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi.
Ex eadem Homilia lx.

Lectio iv.

ENICUIQUE fidélium Christus semetípsum per mystéria commíscet, et quos génuit, per semetípsum enútrit ; nec álteri tradit : per hoc tibi rursum persuádens, quod carnem tuam assúmpsit. Ne torpeámus ígitur tanta digni charitáte et honóre putáti. Nonne vidétis quanta promptitúdine párvuli papíllas cápiunt, et quanto ímpetu lábia ubéribus infigunt? Accedámus cum tanta nos quoque alacritáte ad hanc mensam, et ad úbera póculi spiritális : quinimo cum longe majóri trahámus tamquam infántes lacténtes, spíritus grátiam, et unus sit nobis dolor hac esca privári. Non sunt humánae virtútis ópera, haec quae proponúntur : qui tunc ipsa fecit in illa coena, idem ea nunc quoque facit. Nos ministrórum tenémus locum : qui vero sanctíficat ea et immútat, ipse est. Nullus ítaque Judas assistat, nullus avárus ; nam tales mensa non súscipit. Si quis est discípulus, adsit : ait enim : cum discípulis meis fácio Pascha. Haec est illa mensa, et minus nihil habet. Non enim illam quidem Christus, hanc autem homo pérficit ; verum et hanc ipse quoque.

℟. Coenántibus illis. 207.

Lectio v.

INHUMANUS accédat nemo, nemo crudélis, et immisericors, nemo prorsus immúndus. Haec ad communicántes dico, et ad vos ministrántes. Nam et ad vos sermónem convértere necessárium est: ut multo cum stúdio haec dona distribuátis. Non parva vobis ímminet últio, si quemquam, illíus culpae cónscii, hujus mensae partícipem esse concedátis : sanguis ejus de mánibus vestris exquirétur : sive quis dux milítiae sit, sive praeféctus, sive princeps diadémate coronátus, indígne autem accédat, próhibe ; majórem illo potestátem habes. Proptérea vos Deus hoc insignivit honóre, ut tália discernátis. Hoc vestra dignitas est : hoc secúritas, hoc omnis coróna, non ut albam et splendéntem túnicam circumeátis indúti. Verum et tu láice, cum sacerdótem víderis offeréntem, ne ut sacerdótem esse putes hoc faciéntem, sed Christi manum invisibíliter exténsam.

℟. Accépit Jesus. 208.

Lectio vi.

AUDIAMUS ígitur et sacerdótes et súbditi, quali esca facti sumus digni : audiámus et horreámus. Sanctis cárnibus suis nos dedit impléri, semetípsum appósuit immolátum. Quaenam ígitur erit nobis excusátio, cum tálibus pasti tália peccémus, cum lupi fiámus Agnum comedéntes, cum tamquam oves pasti more leónum diripiámus? Hoc enim mystérium non a rapína tantum, verum et ab omni vel ténui inimicítia purum esse pénitus jubet : est enim pacis mystérium. Judaeis quidem annuátim propriórum monuménta beneficiórum solemnitátes Deus alligávit: tibi vero síngulis diébus per haec mystéria. Nullus ítaque Judas hanc mensam petat, nullus Simon. Hi namque duo propter avarítiam periérunt: hoc ígitur bárathrum fugiámus.

℟. Ego sum panis vitae. 208.

In tertio Nocturno,

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* vi. *f.*

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judaeórum : Caro mea vere est cibus : et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

De Homilia S. Augustíni Epíscopi.

Tract. xxvi. *in Joannem, post medium.*

HIC est panis, qui de coelo descéndit. Hunc panem significávit manna, hunc panem significávit altáre Dei. Sacraménta illa fuérunt : in signis divérsa sunt, sed in re, quae significátur, pária sunt. Apóstolum audi : Nolo enim vos, inquit, ignoráre, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuérunt, et omnes mare transiérunt, et omnes per Móysen baptizáti sunt in nube, et in mari : et omnes eámdem escam spiritálem manducavérunt. Spiritálem útique eámdem: nam corporálem álteram : quia illi manna, nos áliud : spiritálem vero, quam nos, sed patres nostri, non patres illórum, quibus nos símiles sumus, non quibus illi símiles fuérunt. Et adjúngit : Et omnes eúmdem potum spiritálem bibérunt. Aliud illi, áliud nos, sed spécie visíbili quidem, tamen hoc idem significánte virtúte spiritáli. Quómodo enim eúmdem potum? Bibébant, inquit, de spiritáli, sequénte petra: petra autem erat Christus. Inde panis, inde potus : Petra Christus in signo, verus Christus in verbo, et in carne. Et

quómodo bibérunt? Percússa est petra de virga bis. Gémina percússio, duo ligna crucis significat.

℟. Qui mandúcat. 209.

Lectio viii.

QUORUNT fidéles corpus Christi, si corpus Christi non négligant esse. Fiant corpus Christi, si volunt vívere de Spíritu Christi. De Spíritu Christi non vivit, nisi corpus Christi. Intellígite, fratres mei, quid díxerim. Homo es, et spíritum habes, et corpus habes. Spíritum dico, quae ánima vocátur, qua constas quod homo es: constas enim ex ánima et córpore. Habes enim spíritum invisíbilem, corpus visíbile. Dic mihi, quid ex quo vivat? Spíritus tuus vivit ex córpore tuo, an corpus tuum ex spíritu tuo? Respóndet omnis qui vivit: qui autem hoc non potest respondére, néscio si vivit. Quid respóndet omnis qui vivit? Corpus útique meum vivit de spíritu meo. Vis ergo et tu vívere de Spíritu Christi? In córpore esto Christi.

℟. Misit me. 196.

Lectio ix.

QUMQUID enim corpus meum vivit de spíritu tuo? Meum vivit de spíritu meo, et tuum de spíritu tuo. Non potest vívere corpus Christi, nisi de Spíritu Christi. Inde est, quod expónens nobis Apóstolus Paulus hunc panem: Unus panis, inquit, unum corpus multi sumus. O sacraméntū pietátis, o signum unitátis, o vínculum charitátis! Qui vult vívere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accédat, credat, incorporétur, ut vivificétur. Non abhórreat a compáge membrórum, non sit putre membrum quod resecári mereátur, non sit distórtum, de quo erubescátur. Sit pulchrum, sit aptum, sit sanum: haereat córpori, vivat Deo de Deo. Nunc labóret in terra, ut póstea regnet in coelo.

Te Deum laudámus. 17.

FERIA TERTIA.

In primo Nocturno.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* vi.

EXIIT ergo arca Dómini in regióne Philisthinórū septem ménsibus. Et vocavérunt Philísthiim sacerdótes et divínos, dicéntes: Quid faciémus de arca Dómini? indicáte nobis quómodo remittámus eam in locum suum. Qui dixérunt: Si remittítis arcam Dei Israël, nolíte dimittere eam vácuam; sed quod debétis, réddite ei pro peccáto, et tunc curabímini: et

sciétis, quare non recédat manus ejus a vobis.

℟. Immolábit. 206.

Lectio ii.

QUARE aggravátis corda vestra, sicut aggravávit Ægyptus et Phárao cor suum? Nonne postquam percússus est, tunc dimísit eos, et abiérunt? Nunc ergo arrípite et fácite plaustrum novum unum: et duas vaccas foetas, quibus non est impósitum jugum, júngite in plaustro, et reclúdite vítulos eárum domi. Tolletísque arcam Dómini, et ponétis in plaustro, et vasa áurea, quae exsolvístis ei pro delícto, ponétis in capséllam ad latus ejus: et dimíttite eam ut vadat. Et aspiciétis: et si quidem per viam finium suórum ascénderit contra Béthsames, ipse fecit nobis hoc malum grande; sin autem, mínime: sciémus quia nequáquam manus ejus tétigit nos, sed casu áccidit. Fecérunt ergo illi hoc modo.

℟. Comedétis carnes. 206.

Lectio iii.

IBANT autem in diréctum vaccae per viam, quae ducit Béthsames, et itínere uno gradiebántur, pergéntes et mugiéntes: et non declinábant neque ad déxteram neque ad sinístrã: sed et sátrapae Philísthiim sequebántur usque ad términos Béthsames. Porro Bethsamítae metébant tríticum in valle, et elevántes óculos suos, vidérunt arcam, et gavísi sunt cum vidíssent. Et plaustrum venit in agrum Jósue Bethsamítae, et stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, et concidérunt ligna plaustri, vaccásque imposuérunt super ea holocáustum Dómino. Levítae autem deposuérunt arcam Dei.

℟. Respéxit Elías. 207.

In secundo Nocturno.

Ex Epístola sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris ad Caecílium.

Lib. 2. Epist. iii. sub init.

Lectio iv.

IN sacerdóte Melchísedech sacrifícii Domínici sacraméntum praefigurátum vidémus, secúndũ quod Scriptúra divína testátur, et dicit: Et Melchísedech rex Salem prótulit panem et vinum. Fuit autem sacérdos Dei summi, et benedíxit Abraham. Quod autem Melchísedech typum Christi portáret, declárat in Psalmis Spíritus sanctus, ex persóna Patris ad Fílium dicens: Ante lucíferum génui te: Tu es sacérdos in aetérnum secúndum órdinẽ Melchísedech. Qui ordo útique hic est de sacrifício illo véniens, et inde

descéndens, quod Melchísedech sacérdos Dei summi fuit, quod panem et vinum óbtulit, quod Abraham benedíxit.

℟. Coenántibus illis. 207.

Lectio v.

QUAM quis magis sacérdos Dei summi, quam Dóminus noster Jesus Christus? qui sacrifícium Deo Patri óbtulit, et óbtulit hoc idem, quod Melchísedech obtúlerat, id est, panem et vinum, suum scílicet Corpus et Sánguinem. Et circa Abraham benedíctio illa praecédens, ad nostrum pópulum pertinébat. Nam si Abraham Deo crédidit, et deputátum est ei ad justítiam: útique quisquis Deo credit, et fide vivit, justus invenítur, et jam pridem in Abraham fidéli benedíctus et justificátus osténditur, sicut beátus Apóstolus Paulus probat, dicens: Crédidit Abraham Deo, et deputátū est ei ad justítiam. Cognóscitis ergo, quia qui ex fide sunt, hi sunt fílii Abrahae. Próvidens autem Scriptúra, quia ex fide justificat Gentes Deus, praenuntiávit Abrahae, quia benedicéntur in illo omnes Gentes.

℟. Accépit Jesus. 208.

Lectio vi.

UT ergo in Génesi, per Melchísedech sacerdótē, benedíctio circa Abraham posset rite celebrári, praecédit ante imágo sacrifícii, in pane et vino scílicet constitúta. Quam rem perficiens, et adímplens Dñus, panem et cálicem mixtum vino óbtulit: et qui est plenitúdo, veritátem praefigurátae imáginis adimplévit. Sed et per Salomónem Spíritus sanctus typum Domínici sacrifícii ante praemónstrat, immolátae hóstiae, et panis et vini, sed et altáris, et Apostolórum fáciens mentiónem: Sapiéntia, inquit, aedificávit sibi domum, et súbdidit colúmnas septem, mactávit suas hóstias, míscuit in cratére vinum suum, et ꝑavit mensam suam. Et misit servos suos cónvocans cum excélsa praedicatióne ad cratérem, dicens: Qui est insípiens, declínet ad me. Et egéntibus sensu dixit: Veníte, édite de meis pánibus, et bíbite vinum quod míscui vobis.

℟. Ego sum panis. 208.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* vi. *f.*

IN illo témpore: Dixit Jesus turbis Judaeórum: Caro mea vere est cibus: et Sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tr. xxvi. *in Joan. cir. med.*

NON sicut manducavérunt patres vestri manna, et mórtui sunt. Quare manducavérunt, et mórtui sunt? Quia quod vidébant, credébant: quod non vidébant, non intelligébant. Ideo patres vestri, quia símiles estis illórum. Nam quantum pértinet, fratres mei, ad mortem istam visíbilem et corporálem, numquid nos non mórimur, qui manducámus panem de coelo descendéntem? Sic sunt mórtui et illi, quemádmodum et nos sumus moritúri: quantum áttinet, ut dixi, ad mortem hujus córporis visíbilĕ atque carnálem.

℟. Qui manducat. 209.

Lectio viii.

QUANTUM autem pértinet ad illam mortem, de qua terret Dñus, qua mórtui sunt patres istórum: manducávit manna et Móyses, manducávit manna et Aaron, manducávit manna et Phínees, manducavérunt ibi multi, qui Dño placuérunt, et mórtui non sunt. Quare? Quia visíbilem cibum spiritáliter intellexérunt, spiritáliter esuriérunt, spiritáliter gustavérunt, ut spiritáliter satiaréntur. Nam et nos hódie accípimus visíbilem cibum: sed áliud est sacraméntum, áliud virtus sacraménti.

℟. Misit me. 196.

Lectio ix.

QUAM multi de altári accípiunt, et moriúntur, et accipiéndo moriúntur! Unde dicit Apóstolus: Judícium sibi mandúcat et bibit. Nonne buccélla Domínica venénum fuit Judae? Et tamen accépit. Et cum accépit, in eum inimícus intrávit: non quia malum accépit, sed quia bonum male malus accépit. Vidéte ergo fratres, panem coeléstem spiritáliter manducáte, innocéntiam ad altáre apportáte. Peccáta, etsi sunt quotidiána, vel non sint mortífera; ántequam ad altáre accedátis, atténdite quod dicátis: Dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Si dimíttis, dimittétur tibi: secúrus accéde, panis est, non venénum.

Te Deum laudámus. 17.

FERIA QUARTA.

In primo Nocturno.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* vi. *d. et* vii.

ERCUSSIT autem de viris Bethsamítibus, eo quod vidíssent arcam Dómini: et percússit

de pópulo septuagínta viros, et quinquagínta míllia plebis. Luxítque pópulus, eo quod Dóminus percussísset plebem plaga magna. Et dixérunt viri Bethsamítae : Quis póterit stare in conspéctu Dómini Dei sancti hujus? et ad quem ascéndet a nobis? Miserúntque núntios ad habitatóres Cariáthiarim, dicéntes : Reduxérunt Philísthiim arcam Dómini, descéndite, et redúcite eam ad vos. Venérunt ergo viri Cariáthiarim, et reduxérunt arcam Dómini, et intulérunt eam in domum Abínadab in Gábaa. Eleázarum autem fílium ejus sanctificavérunt, ut custodíret arcam Dñi.

℟. Immolábit. 206.

Lectio ii.

ET factum est, ex qua die mansit arca Dómini in Cariáthiarim, multiplicáti sunt dies (erat quippe jam annus vigésimus) et requiévit omnis domus Israël post Dóminum. Ait autem Sámuel ad univérsam domum Israël, dicens : Si in toto corde vestro revertímini ad Dóminum, auférte deos aliénos de médio vestri, Báalim et Astaroth : et praeparáte corda vestra Dómino, et sérvite ei soli, et éruet vos de manu Philísthiim. Abstulérunt ergo fílii Israël Báalim et Astaroth, et serviérunt Dómino soli.

℟. Comedétis. 206.

Lectio iii.

DIXIT autem Sámuel : Congregáte univérsum Israël in Masphath, ut orem pro vobis Dóminum. Et convenérunt in Masphath : hauserúntque aquam, et effudérunt in conspéctu Dómini, et jejunavérunt in die illa, atque dixérunt ibi : Peccávimus Dómino. Judicavítque Sámuel fílios Israël in Masphat. Et audiérunt Philísthiim quod congregáti essent fílii Israël in Masphat, et ascendérunt sátrapae Philisthinórum ad Israël. Quod cum audíssent fílii Israël, timuérunt a fácie Philisthinórum. Dixerúntque ad Samuélem : Ne cesses pro nobis clamáre ad Dóminum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinórum.

℟. Respéxit Elías. 207.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi de Sacraméntis.

Lectio iv. *Lib.* 4. *cap.* iv.

UCTOR Sacramentórum quis est, nisi Dóminus Jesus ? De coelo ista Sacraménta venérunt. Consílium enim omne de coelo est. Vere autem ma-

gnum est et divínum miráculum, quod pópulo pluit Deus manna de coelo : et non laborábat pópulus, et manducábat. Tu forte dicis: Meus panis est usitátus. Sed panis iste, panis est ante verba Sacramentórum: ubi accésserit consecrátio, de pane fit caro Christi. Hoc ígitur adstruámus. Quómodo potest, qui panis est, corpus esse Christi ? Consecratióne. Consecrátio ígitur quibus verbis est, et cujus sermónibus? Dómini Jesu. Nam réliqua ómnia, quae dicúntur, laudem Deo déferunt, orátio praemíttitur pro pópulo, pro régibus, pro caeteris : ubi venítur ut conficiátur venerábile Sacraméntum, jam non suis sermónibus sacérdos, sed útitur sermónibus Christi.

℟. Coenántibus. 207.

Lectio v.

ERGO sermo Christi hoc cónficit Sacraméntum. Quis sermo Christi ? Nempe is, quo facta sunt ómnia. Jussit Dóminus, et factum est coelum : jussit Dóminus, et facta est terra : jussit Dóminus, et facta sunt mária : jussit Dóminus, et omnis creatúra generáta est. Vides ergo quam operatórius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermóne Dómini Jesu, ut incíperent esse quae non erant : quanto magis operatórius est, ut quae erant, in áliud commuténtur? Coelum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicéntem : Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandávit, et creáta sunt. Ergo tibi ut respóndeam, non erat corpus Christi ante consecratiónem, sed post consecratiónem dico tibi quod jam corpus est Christi. Ipse dixit, et factum est : ipse mandávit, et creátum est.

℟. Accépit Jesus. 208.

Lectio vi. *Cap.* v.

JAM redi mecum ad propositióně meam. Magnum quidem et venerábile, quod manna Judaeis pluit e coelo. Sed intéllige quid est ámplius, manna de coelo, an corpus Christi? Corpus Christi útique, qui auctor est coeli. Deínde, manna qui manducávit, mórtuus est : qui manducáverit hoc corpus, fiet ei remíssio peccatórum, et non moriétur in aetérnum. Ergo non otióse, cum áccipis, tu dicis, Amen; jam in spíritu cónfitens, quod accípias Corpus Christi. Dicit tibi sacérdos, Corpus Christi : et tu dicis, Amen, hoc est, verum. Quod confitétur lingua, téneat affféctus.

℟. Ego sum panis. 208.

In tértio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* vi. *f.*

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judaeórum : Caro mea vere est cibus : et sanguis meus vere est potus. Et réliqua. Homilía S. Hilárii Epísc.

Libro 8. *de Trinitate, ante medium.*

NON est humáno aut saeculi sensu in Dei rebus loquéndum. Quae scripta sunt legámus : et quae legérimus, intelligámus; et tunc perféctae fídei offício fungémur. De naturáli enim in nobis Christi veritáte quae dícimus, nisi ab eo díscimus, stulte atque ímpie dícimus. Ipse enim ait : Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam, et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in eo. De veritáte carnis et sánguinis non relíctus est ambigéndi locus.

℟. Qui mandúcat. 209.

Lectio viii.

DUNC enim et ipsíus Dómini professióne, et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est. Et haec accépta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. An ne hoc véritas non est? Contíngat plane his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum negant. Est ergo in nobis ipse per carnem, et sumus in eo, dum secum hoc, quod nos sumus, in Deo est. Quod autem in eo per sacraméntum communicátae carnis et sánguinis simus, ipse testátur, dicens : Et hic mundus jam me non videt, vos autem me vidébitis : quóniam ego vivo, et vos vivétis : quóniam ego in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.

℟. Misit me. 196.

Lectio ix.

QUOD autem in nobis naturális haec únitas sit, ipse ita testátus est : Qui edit carnem meam, et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in eo. Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fúerit : ejus tantum in se assúmptam habens carnem, qui suam súmpserit. Perféctae autem hujus unitátis sacraméntum supérius jam docúerat, dicens : Sicut me misit vivens Pater, et ego vivo per Patrem : et qui mandúcat meam carnem, et ipse vivet per me. Vivit ergo per Patrem : et quo modo per Patrem vivit, eódem modo nos per carnem ejus vivémus.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Vesperas, omnia ut in primis Vesp. Festi. 183. Et si hac die fuerit Festum Duplex, in Vesperis fit tantum Commemoratio de eo, nisi fuerit ex solemnioribus, ut dicitur in Rubrica de Commemorationibus.

FERIA QUINTA.

Octava Corporis Christi.

Lectiones primi Nocturni leguntur de Epistola ad Corinthios: **Conveniéntibus vobis,** ut supra in die Festi.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Cyrílli Epíscopi Jerosolymitáni. *Catechesi mystagog.* iv.

Lectio iv.

IPSA beáti Pauli doctrína abúnde suffícere vidétur, ut certam vobis de divínis mystériis fidem fáciat, quibus digni rédditi, concorpórei, ut ita dicam, et consanguínei Christi facti estis. Ipse enim modo clamábat, quod in nocte qua tradebátur Dóminus noster Jesus Christus accípiens panem, et grátias agens, fregit, et dedit discípulis suis, dicens : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum. Et accípiens cálicem, et grátias agens, dixit : Accípite, et bíbite : hic est sanguis meus. Cum ígitur ipse de pane pronuntiáverit ac díxerit : Hoc est corpus meum : quis audébit deínceps ambígere? Et cum idem ipse tam asseveránter díxerit : Hic est sanguis meus : quis unquam dubitáverit, ut dicat non esse ejus sánguinem?

℟. Coenántibus illis, accépit Jesus panem, et benedíxit ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite, et comédite : hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur?—Accípite.

Lectio v.

AQUAM olim in vinum convértit in Cana Galilaeae, quod habet quamdam cum sánguine propinquitátem : et eum parum dignum existimábimus, cui credámus quod vinum in sánguinem transmutárit? Ad eas núptias, quibus córpora copulántur, vocátus, praeter opinionem ómnium hoc fecit miráculum : et non multo magis sic eum corpus et sánguinem suum fruénda nobis donásse persuásum firmiter habébimus, ut ea cum omni certitúdine tamquam córpus ipsíus et sánguinem sumámus? Nam in spécie panis dat nobis corpus, et in spécie vini dat nobis sánguinem : ut cum súmpseris, gustes corpus et sánguinem

Christi, factus ejúsdem córporis et sánguinis párticeps. Sic enim efficimur Christíferi, hoc est, Christum in corpóribus nostris feréntes, cum corpus ejus et sánguinem in membra nostra recípimus : sic, secúndum beátum Petrum, divínae natúrae consórtes réddimur.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam coenávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. —Hoc fácite.

Lectio vi.

OLIM cum Judaeis Christus dísserens : Nisi manducavéritis, inquit, carnem meam, et bibéritis meum sánguinem, non habébitis vitam in vobis. Cum autem illi, quae dicta fúerant, non spiritáliter accepíssent, offénsi abiérunt retro : putábant enim quod eos ad manducándas carnes hortarétur. Erant et in véteri Testaménto panes propositiónis: verum illi cum fúerint véteris Testaménti, finem jam accepérunt. In novo vero Testaménto panis est coeléstis, et calix salutáris, qui et ánimam et corpus sanctíficant. Quamóbrem non sic haec atténdas velim, tamquam sint nudus et simplex panis, nudum et simplex vinum : corpus enim sunt et sanguis Christi. Nam étiam si sensus illud tibi renúntiat, fides tamen te confírmet. Ne júdices rem ex gustu : sed te citra ullam dubitatiónem fides certum reddat, quod sis dignus factus, qui córporis et sánguinis Christi párticeps fíeres.

℟. Ego sum panis vitae : patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt : * Hic est panis de coelo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de coelo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in aetérnum. — Hic est. Glória Patri. Hic est.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* vi. *f.*

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judaeórum : Caro mea vere est cibus : et sanguis meus vere est potus. Et réliqua. Homilía sancti Cyrílli Epíscopi Alexandríni. *Lib.* 4. *in Joann. cap.* xvii.

QUI mandúcat, inquit, carnem meam, et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in illo.

Sícuti enim si quis liquefáctae cerae áliam ceram infúderit, álteram cum áltera per totum commísceat necésse est; sic qui carnem et sánguinem Dómini récipit, cum ipso ita conjúngitur, ut Christus in ipso, et ipse in Christo inveniátur. Símile quodam modo apud Matthaeum compéries. Símile est, inquit, regnum coelórum ferménto, quod accéptum abscóndit múlier in farínae satis tribus. Sicut parum, ut Paulus ait, ferménti totam massam ferméntat : sic párvula benedíctio totum hóminem in seípsam áttrahit, et sua grátia replet : et hoc modo in nobis Christus manet, et nos in Christo.

℟. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quae hábeat Deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis.—In me.

Lectio viii.

DOS vero, si vitam aetérnam cónsequi vólumus, si largitórem immortalitátis habére in nobis desiderámus, ad recipiéndam benedictiónẽ libénter concurrámus : caveamúsque ne loco láquei damnósam religiónem diábolus nobis praeténdat. Recte (inquit) dicis : scriptum tamen esse non ignorámus, judícium sibi comédere atque bíbere illum, qui de pane cómedit, et de cálice bibit indígne. Ego ígitur probo meípsum, et indígnum invénio. Quando ígitur, quicúmque tu es qui ista dicis, dignus eris ? quando Christo teípsum ófferes ? Nam si peccándo indígnus es, et peccáre non désinis (quis enim delícta intélligit ? secúndum Psalmístam) expers omníno eris vivíficae hujus sanctificatiónis.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae et intelléctus.—Et qui mandúcat. Glória Patri. Et qui mandúcat.

Lectio ix.

QUARE pias quaeso cogitatiónes suscípias, studióse sanctéque vivas, et benedictiónem partícipes : quae (mihi crede) non mortem solum, verum étiam morbos omnes depéllit. Sedat enim, cum in nobis máneat Christus, saeviéntem membrórum nostrórum legem : pietátem corróborat, perturbatiónes ánimi extínguit, aegrótos curat, collísos redíntegrat : et sicut pastor bonus, qui

ánimam suam pro óvibus pósuit, ab omni nos érigit casu.

Te Deum laudámus. 17.

FERIA SEXTA.

Omnia ut in Psalterio, cum Oratione Dominicae praecedentis.

Oratio.

SANCTI nóminis tui, Dómine, timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum : quia nunquam tua gubernatióne destítuis, quos in soliditáte tuae dilectiónis instítuis. Per Dóminum.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* viii.

CONGREGATI ergo univérsi majóres natu Israël venérunt ad Samuélem in Rámatha. Dixerúntque ei : Ecce tu senuísti, et fílii tui non ámbulant in viis tuis : constítue nobis regem, ut júdicet nos, sicut et univérsae habent natiónes. Displícuit sermo in óculis Samuélis, eo quod dixíssent : Da nobis regem, ut júdicet nos. Et orávit Sámuel ad Dóminum.

℟. Percússit Saul. 180.

Lectio ii.

DIXIT autem Dñus ad Samuélem : Audi vocem pópuli in ómnibus, quae loquúntur tibi. Non enim te abjecérunt, sed me, ne regnem super eos. Juxta ómnia ópera sua, quae fecérunt a die qua edúxi eos de Ægypto usque ad diem hanc : sicut dereliquérunt me, et serviérunt diis aliénis, sic fáciunt étiam tibi. Nunc ergo vocem eórum audi : verúmtamen contestáre eos, et praedic eis jus regis, qui regnatúrus est super eos.

℟. Montes Gélboe, nec ros. 180.

Lectio iii.

DIXIT ítaque Sámuel ómnia verba Dómini ad pópulum, qui petíerat a se regem, et ait : Hoc erit jus regis, qui imperatúrus est vobis : Fílios vestros tollet, et ponet in cúrribus suis, faciétque sibi équites et praecursóres quadrigárum suárum, et constítuet sibi tribúnos, et centuriónes, et aratóres agrórum suórum, et messóres ségetum, et fabros armórum et cúrruum suórum. Fílias quoque vestras fáciet sibi unguentárias, et focárias, et panificas. Agros quoque vestros, et víneas, et olivéta óptima tollet, et dabit servis suis.

℟. Ego te tuli de domo patris. 181.

SABBATO.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* ix.

ERAT erat vir de Bénjamin nómine Cis, fílius Abiel, fílii Seror, fílii Béchorath, fílii Aphia, fílii viri Jémini, fortis róbore. Et erat ei fílius vocábulo Saul, eléctus et bonus : et non erat vir de fíliis Israël mélior illo. Ab húmero et sursum eminébat super omnem pópulum. Períerant autem ásinae Cis patris Saul : et dixit Cis ad Saul fílium suum : Tolle tecum unum de púeris, et consúrgens vade, et quaere ásinas. Qui cum transíssent per montem Ephraim, et per terram Salísa, et non inveníssent, transiérunt étiam per terram Salim, et non erant : sed et per terram Jémini, et mínime reperérunt.

Lectio ii.

CUM autem veníssent in terram Suph, dixit Saul ad púerum qui erat cum eo : Veni et revertámur, ne forte dimíserit pater meus ásinas, et sollícitus sit pro nobis. Qui ait ei : Ecce vir Dei est in civitáte hac, vir nóbilis : omne quod lóquitur, sine ambiguitáte venit. Nunc ergo eámus illuc, si forte índicet nobis de via nostra, propter quam vénimus. Dixítque Saul ad púerum suum : Ecce íbimus : quid ferémus ad virum Dei ? panis defécit in sitárciis nostris, et spórtulă non habémus, ut demus hómini Dei, nec quidquam áliud. Rursum puer respóndit Sauli, et ait : Ecce invénta est in manu mea quarta pars statéris argénti : demus hómini Dei, ut índicet nobis viam nostram.

Lectio iii.

ET ascendérunt in civitátem. Cumque illi ambulárent in médio urbis, appáruit Sámuel egrédiens óbviam eis, ut ascénderet in excélsum. Dóminus autem revelăverat aurículam Samuélis, ante unam diem quam veníret Saul, dicens : Hac ipsa hora, quae nunc est, cras mittam virum ad te de Terra Bénjamin, et unges eum ducem super pópulum meum Israël : et salvábit pópulum meum de manu Philisthinórum : quia respéxi pópulum meum : venit enim clamor eórum ad me. Cumque aspexísset Sámuel Saulem, Dóminus dixit ei : Ecce vir, quem díxeram tibi, iste dominábitur pópulo meo.

Ad Magnificat, Antiphona. Cognovérunt omnes a Dan usque Bersabée, quod

fidélis Sámuel Prophéta esset Dómini.

Oratio. Protéctor in te sperántium, quae habetur infra post Lectiones ultimae Hebdomadae Augusti, cum aliis Orationibus usque ad Dominicam xvi. post Pentecosten.

DOMINICA III.
post Pentecosten.

AD MATUTINUM.

Invitat. Adorémus Dóminum, * Qui fecit nos. Ps. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus. Nocte surgéntes. 3.

Ant. Servíte Dño, cum reliquis Antiphonis, Psalmis et Versiculis, ut in Psalterio. 3.

In primo Nocturno.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* ix. *c. et* x.

ACCESSIT autem Saul ad Samuélem in médio portae, et ait : Indica, oro, mihi, ubi est domus Vidéntis. Et respóndit Sámuel Sauli, dicens : Ego sum Videns. Ascénde ante me in excélsum, ut comedátis mecum hódie, et dimíttam te mane : et ómnia, quae sunt in corde tuo, indicábo tibi. Et de ásinis, quas nudiustértius perdidísti, ne solícitus sis, quia inventae sunt. Et cujus erunt óptima quaeque Israël ? nonne tibi, et omni dómui patris tui? Respóndens autem Saul, ait : Numquid non fílius Jémini ego sum, de mínima tribu Israël, et cognátio mea novíssima inter omnes famílias de tribu Bénjamin ? quare ergo locútus es mihi sermónem istum ?

℟. Praeparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli :* Et liberábit vos de mánibus inimicórũ vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, et auférte deos aliénos de médio vestri.—Et liberábit vos.

Lectio ii.

ASSUMENS ítaque Sámuel Saulem, et púerum ejus, introdúxit eos in triclínium, et dedit eis locum in cápite eórum qui fúerant invitáti. Erant enim quasi trigínta viri. Dixítque Sámuel coco : Da partem, quam dedi tibi, et praecépi ut repóneres seórsum apud te. Levávit autem cocus armum, et pósuit ante Saul. Dixítque Sámuel : Ecce quod remánsit, pone ante te, et cómede : quia de indústria servátum est tibi, quando pópulum vocávi. Et comédit Saul cum Samuéle in die illa. Et descendérunt de excélso

in óppidum, et locútus est cum Saule in solário : stravítque Saul in solário, et dormívit.

℟. Deus ómnium exauditor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei : * Et unxit me unctióne misericórdiae suae. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiae liberávit me.—Et unxit me unctióne.

Lectio iii.

CUMQUE mane surrexíssent, et jam elucésceret, vocávit Sámuel Saulem in solário, dicens : Surge, et dimíttam te. Et surréxit Saul : egressíque sunt ambo, ipse vidélicet, et Sámuel. Cumque descénderent in extréma parte civitátis, Sámuel dixit ad Saul : Dic púero ut antecédat nos, et tránseat : tu autem subsíste paulísper, ut índicem tibi verbum Dómini. Tulit autem Sámuel lentículam ólei, et effúdit super caput ejus, et deosculátus est eum, et ait : Ecce, unxit te Dóminus super haereditátem suam in princípem, et liberábis pópulum suum de mánibus inimicórum ejus, qui in circúitu ejus sunt.

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiae liberávit me : * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórũ leónum.—Ipse me. Glória Patri. Ipse me.

In secundo Nocturno.

De Expositióne sancti Gregórii Papae in libros Regum.

Lib. 4. *cap.* v. *in* 1. *Reg. c.* x.

Lectio iv.



ULIT autem Sámuel lentículam ólei, et effúdit super caput ejus. Hoc profécto hac unctióne exprímitur, quod in sancta Ecclésia nunc étiam materiáliter exhibétur : quia qui in cúlmine pónitur, sacraménta súscipit unctiónis. Quia vero ipsa únctio sacraméntum est : is qui promovétur, bene foris úngitur, si intus virtúte sacraménti roborétur. Ipsas ergo ólei virtútes prius videámus atténtius. Oleum quippe liquóribus áliis superfértur: óleum ignem fovet : óleum vúlnera curáre consuévit. Per illud ergo, misericórdiae bonum significat, quia scriptum de Dómino est : Miserationes ejus super ómnia ópera ejus. Quia ignem fovet, praedicatiónis grátiam designat, quae

electórum mentes illúminat.

℟. Percússit Saul mille, et David decem míllia : * Quia manus Dómini erat cum illo : percússit Philisthaeum, et ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia?—Quia manus.

Lectio v.

QUIA vero súlnera per óleum curántur, hoc profécto insínuat, quod detergénda sunt súlnera peccatórum. Ungátur ergo caput regis, quia spirituáli grátia mens est replénda doctóris. Hábeat in unctióne sua óleum, hábeat misericórdiam abundántẽ, quae sibi virtútibus áliis praeferátur. Hábeat óleum, ut dum ardórem sancti Spíritus in se nutrit, lucére veheménter áliis per verbum possit. Hábeat nihilóminus óleum medicínae, ut sapiénter dispónat, quáliter peccatórum foetóres tergat, et aegras mentes salúti restítuat.

℟. Montes Gélboe, nec ros nec plúvia véniant super vos : * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Omnes montes, qui estis in circúitu ejus, vísitet Dñus : a Gélboe autem tránseat.—Ubi cecidérunt.

Lectio vi.

SED lentícula Saul úngitur, non pro praesignánda doctrína, sed ad expriménda futúra. Lentícula quidem parvum est vas. Quid ergo est, quod lentícula ólei Saul úngitur, nisi quia in fine reprobátur? Nam quia obedíre Deo póstea nóluit, a Samuéle audívit : Quia projecísti sermónem Dómini, projécit te Dñus, ne sis rex. Velut enim lentícula ólei parum hábuit, qui spirituálem grátiam projiciéndus accépit. Quod in rectóribus quoque sanctae Ecclésia conveniénter accípitur. Plerúmque enim culmen praelatiónis accípiunt, qui in charitáte Dei et próximi perfécti non sunt.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in aetérnum. ℣. Feci que tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et fui tecum. Glória Patri. Et fui.

Lectiones tertii Nocturni de Homilia Dominicae III. post Pentecosten, habentur inferius circa finem hujus Partis de Tempore, in

ordine aliarũ Dominicarum usque ad Dominicam XVI. post Pentecosten.

Similiter Añae ad Benedictus et Magnif. et Orat.

℟. vii. Peccávi super númerum arénae maris, et multiplicáta sunt peccáta mea : et non sum dignus vidére altitúdinem coeli prae multitúdine iniquitátis meae : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco, et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et maium.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. Tres sunt qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus : et hi tres unum sunt. — Sanctus. Glória Patri. Plena.

Hoc ℟. dicitur post viii Lectionem in Dominicis tantum usque ad Adventum. Feria autem quarta et Sabbato usque ad Dominicam primam Augusti, quando Responsoria sumenda sunt ex tertio Nocturno Dominicae, ejus loco dicitur secundum Responsorium Feriae secundae sequentis et tertio loco tertium ejusdem Feriae.

FERIA SECUNDA.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* x. *c.*

EXT convocávit Sámuel pópulum ad Dóminum in Maspha, et ait ad fílios Israël : Haec dicit Dóminus Deus Israël : Ego edúxi Israël de Ægypto, et érui vos de manu Ægyptiórum, et de manu ómnium regum, qui affligébant vos. Vos autem hódie projecístis Deum vestrum, qui solus salvábit vos de univérsis malis et tribulatiónibus vestris : et dixístis : Nequáquam, sed regem constítue super nos. Nunc ergo state coram Dómino per tribus vestras et per famílias.

℟. Recordáre, Dómine, testaménti tui, et dic Angelo percutiénti : Cesset jam manus tua, * Ut non desolétur terra, et ne perdas omnem ánimam vivam. ℣. Ego sum qui peccávi, ego qui iníque egi : isti qui oves sunt, quid fecérunt? Avertátur óbsecro furor tuus, Dómine, a pópulo tuo. — Ut non.

Lectio ii.

ET applícuit Sámuel omnes tribus Israël, et cécidit sors tribus Bénjamin. Et applícuit tribum Bénjamin et cognatiónes ejus, et cécidit co-

gnátio Metri, et pervénit usque ad Saul fílium Cis. Quaesiérunt ergo eum, et non est invéntus. Et consuluérunt post haec Dñum, utrúmnam ventúrus esset illuc. Respondítque Dñus : Ecce abscónditus est domi. Cucurrérunt ítaque et tulérunt eum inde : stetítque in médio pópuli, et áltior fuit univérso pópulo ab húmero et sursum. Et ait Sámuel ad omnem pópulũ : Certe vidétis quem elégit Dóminus, quóniam non sit símilis illi in omni pópulo. Et clamávit omnis pópulus, et ait : Vivat rex.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut aedificárem templum nómini tuo : * Bénedic, et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dñe, qui custódis pactum cum servis tuis qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

Lectio iii.

LOCUTUS est autem Sámuel ad pópulum legem regni et scripsit in libro, et repósuit coram Dómino, et dimísit Sámuel omnem pópulum, síngulos in domum suam. Sed et Saul ábiit in domum suam in Gábaa : et ábiit cum eo pars exércitus, quorum tetígerat Deus corda. Fílii vero Bélial dixérunt : Num salváre nos póterit iste? Et despexérunt eum, et non attulérunt ei múnera : ille vero dissimulábat se audíre.

℟. Audi, Dñe, hymnum, et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuae inténtae, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso coelórum habitáculo.— Super. Glória Patri. Super.

Responsoria hujus secundae Feriae dicuntur in omnibus secundis Feriis usque ad Dominicam primam Augusti.

FERIA TERTIA.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* xii.

DIXIT autem Sámuel ad univérsum Israël : Ecce audívi vocem vestram, juxta ómnia quae locúti estis ad me, et constítui super vos regem. Et nunc rex gráditur ante vos: ego autem sénui, et incánui: porro fílii mei vobíscum sunt : ítaque conversátus coram vobis ab adolescéntia mea usque ad hanc diem, ecce praesto sum. Loquímini de me coram Dño, et coram Christo ejus, utrum bovem cujúsquam túlerim, aut ásinum : si quémpiam

calumniátus sum, si oppréssi áliquem, si de manu cujúsquam munus accépi : et contémnam illud hódie, restituámque vobis. Et dixérunt : Non es calumniátus nos, neque oppressísti, neque tulísti de manu alicújus quídpiam. Dixítque ad eos : Testis est Dñus advérsum vos, et testis Christus ejus in die hac, quia non invenéritis in manu mea quídpiam. Et dixérunt : Testis.

℟. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad sanctuárium tuum : * Tu exáudies de coelo, Dñe, et líbera eos de mánibus inimicórum suórum. ℣. Si peccáverit in te pópulus tuus : et convérsus égerit poeniténtiam, veniénsque oráverit in isto loco. — Tu exáudies.

Lectio ii.

ET ait Sámuel ad pópulum : Dñus qui fecit Móysen et Aaron, et edúxit patres nostros de Terra Ægypti. Nunc ergo state, ut judício conténdam advérsum vos coram Dño, de ómnibus misericórdiis Dómini quas fecit vobíscum, et cum pátribus vestris : quómodo Jacob ingréssus est in Ægyptum, et clamavérunt patres vestri ad Dóminum : et misit Dóminus Móysen et Aaron, et edúxit patres vestros de Ægypto : et collocávit eos in loco hoc. Qui oblíti sunt Dñi Dei sui, et trádidit eos in manu Sísarae magístri milítiae Hasor, et in manu Philisthinórum, et in manu regis Moab, et pugnavérunt advérsum eos.

℟. Factum est, dum tólleret Dóminus Elíam per túrbinem in Coelum, * Eliséus clamábat, dicens : Pater mi, pater mi, currus Israël, et auríga ejus. ℣. Cumque pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus et equi ígnei divisérunt utrúmque, et ascéndit Elías per túrbinem in coelum.— Eliséus clamábat.

Lectio iii.

POSTEA autem clamavérunt ad Dóminum, et dixérunt : Peccávimus, quia derelíquimus Dñum, et servívimus Báalim et Astaroth : nunc ergo érue nos de manu inimicórum nostrórum, et serviémus tibi. Et misit Dñus Jeróbaal, et Badan, et Jephte, et Sámuel, et éruit vos de manu inimicórũ vestrórum per circúitum, et habitástis confidénter. Vidéntes autem quod Naas rex filiórum Ammon venísset advérsum vos, dixístis mihi : Nequáquam, sed rex imperábit nobis : cum Dóminus Deus

vester regnáret in vobis. Nunc ergo praesto est rex vester, quem elegístis et petístis : ecce dedit vobis Dóminus regem. Si timuéritis Dóminum, et serviéritis ei, et audiéritis vocem ejus, et non exasperavéritis os Dómini, éritis et vos, et rex qui ímperat vobis, sequéntes Dóminum Deum vestrum.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in aetérnum. ℣. Feciíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et fui. Glória Patri. Et fui.

Responsoria hujus tertiae Feriae dicuntur in omnibus tertiis Feriis usque ad Dominicam primam Augusti.

FERIA QUARTA.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* xiii.

FILIUS uníus anni erat Saul cum regnáre coepísset, duóbus autem annis regnávit super Israël. Et elégit sibi Saul tria míllia de Israël : et erant cum Saul duo míllia in Machmas, et in monte Bethel : mille autem cum Jónatha in Gábaa Bénjamin: Porro caeterum pópulum remísit unumquémque in tabernácula sua. Et percússit Jónathas statiónem Philisthinórum, quae erat in Gábaa. Quod cum audíssent Philísthiim, Saul cécinit búccina in omni terra, dicens : Audiant Hebraei. Et univérsus Israël audívit hujuscémodi famam : Percússit Saul statiónem Philisthinórum : et eréxit se Israël advérsus Philísthiim. Clamávit ergo pópulus post Saul in Gálgala.

℟. Peccávi super número rum arénae maris, et multiplicáta sunt peccáta mea: et non sum dignus vidére altitúdinem coeli prae multitúdine iniquitátis meae : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco, et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et malum.

Lectio ii.

ET Philísthiim congregáti sunt ad praeliándum contra Israël trigínta míllia cúrruum, et sex míllia équitum, et réliquum vulgus, sicut aréna quae est in líttore maris plúrima. Et ascendéntes castrametáti sunt in Machmas ad Oriéntem Betháven. Quod cum

vidíssent viri Israël se in arcto pósitos (afflíctus enim erat pópulus) abscondérunt se in spelúncis, et in ábditis, in petris quoque, et in antris, et in cistérnis. Hebraei autem transiérunt Jordánem in Terram Gad et Gálaad. Cumque adhuc esset Saul in Gálgala, univérsus pópulus pertérritus est, qui sequebátur eum. Et expectávit septem diébus juxta plácitum Samuélis, et non venit Sámuel in Gálgala, dilapsúsque est pópulus ab eo.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut aedificárem templum nómini tuo :* Bénedic, et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

Lectio iii.

AIT ergo Saul: Afférte mihi holocáustum, et pacífica. Et óbtulit holocáustum. Cumque complésset ófferens holocáustum, ecce Sámuel veniébat : et egréssus est Saul óbviam ei ut salutáret eum. Locutúsque est ad eum Sámuel : Quid fecísti ? Respóndit Saul : Quia vidi quod pópulus dilaberétur a me, et tu non véneras juxta plácitos dies, porro Philísthiim congregáti fúerant in Machmas, dixi : Nunc descéndent Philísthiim ad me in Gálgala, et fáciem Dñi non placávi. Necessitáte compúlsus, óbtuli holocáustum. Dixítque Sámuel ad Saul : Stulte egísti, nec custodísti mandáta Dómini Dei tui, quae praecépit tibi. Quod si non fecísses, jam nunc praeparásset Dóminus regnum tuum super Israël in sempitérnum; sed nequáquam regnum tuum ultra consúrget. Quaesívit Dñus sibi virum juxta cor suum : et praecépit ei Dóminus ut esset dux super pópulum suum : eo quod non serváveris quae praecépit Dñus.

℟. Audi, Dómine, hymnum, et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuae intentae, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso coelórum habitáculo. — Super domum. Glória Patri. Super.

FERIA QUINTA.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* xiv. *b.*

EXIT autem Jónathas ad adolescéntem armígerum suum : Veni, transeámus ad statiónem

incircumcisórum horum, si forte fáciat Dóminus pro nobis : quia non est Dño difficile salváre, vel in multis, vel in paucis. Dixítque ei ármiger suus : Fac ómnia quae placent ánimo tuo : perge quo cupis, et ero tecum ubicúmque volúeris. Et ait Jónathas : Ecce nos transímus ad viros istos. Cumque apparuérimus eis, si táliter locúti fúerint ad nos : Manéte donec veniámus ad vos : stemus in loco nostro, nec ascendámus ad eos. Si autem díxerint : Ascéndite ad nos : ascendámus, quia trádidit eos Dñus in mánibus nostris : hoc erit nobis signum. Appáruit ígitur utérque statióni Philisthinórum, dixerúntque Philísthiim : En Hebraei egrediúntur de cavérnis, in quibus abscónditi fúerant.

℟. Praeparáte. 227.

Lectio ii.

ET locúti sunt viri de statióne ad Jónatham, et ad armígerũ ejus, dixerúntque : Ascéndite ad nos, et ostendémus vobis rem. Et ait Jónathas ad armígerum suum : Ascendámus, séquere me : trádidit enim Dñus eos in manus Israël. Ascéndit autem Jónathas, mánibus et pédibus reptans, et ármiger ejus post eum. Itaque álii cadébant ante Jónathã, álios ármiger ejus interficiébat sequens eum. Et facta est plaga prima, qua percússit Jónathas et ármiger ejus, quasi viginti virórum in média parte júgeri, quam par boum in die aráre consuévit. Et factum est miráculum in castris, per agros : sed et omnis pópulus statiónis eórum, qui ferant ad praedándum, obstúpuit, et conturbáta est terra : et áccidit quasi miráculum a Deo.

℟. Deus ómnium. 228.

Lectio iii.

ET respexérunt speculatóres Saul, qui erant in Gábaa Bénjamin, et ecce multitúdo prostráta, et huc illúcque diffúgiens. Et ait Saul pópulo, qui erat cum eo : Requírite, et vidéte quis abíerit ex nobis. Cumque requisíssent, repértum est non adésse Jónatham, et armígerum ejus. Et ait Saul ad Achíam : Applica arcam Dei. (Erat enim ibi arca Dei in die illa cum fíliis Israël.) Cumque loquerétur Saul ad Sacerdótem, tumúltus magnus exórtus est in castris Philisthinórum : crescebátque paulátim, et clárius resonábat. Et ait Saul ad Sacerdótẽ : Cóntrahe manum tuam. Conclamávit ergo Saul, et omnis pópulus qui erat cum eo, et venérunt usque ad locum certáminis : et ecce

versus fúerat gládius uniuscujúsque ad próximũ suum, et caedes magna nimis.

℟. Dñus, qui erípuit. 228.

FERIA SEXTA.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* xv.

ET dixit Sámuel ad Saul : Me misit Dñus, ut úngerem te in regem super pópulum ejus Israël : nunc ergo audi vocem Dñi : Haec dicit Dóminus exercítuum : Recénsui quaecúmque fecit Amalec Israéli : quómodo réstitit ei in via, cum ascénderet de Ægypto. Nunc ergo vade, et pércute Amalec, et demolíre univérsa ejus : non parcas ei, et non concupíscas ex rebus ipsíus áliquid : sed intérfice a viro usque ad mulíerem, et párvulum atque lacténtem, bovem, et ovem, camélum, et ásinum.

℟. Percússit Saul. 229.

Lectio ii.

PRAECEPIT itaque Saul pópulo, et recénsuit eos quasi agnos : ducénta míllia péditum, et decem míllia virórum Juda. Cumque venísset Saul usque ad civitátem Amalec, teténdit insídias in torrénte. Dixítque Saul Cinaeo : Abíte, recédite, atque descéndite ab Amalec ; ne forte invólvam te cum eo. Tu enim fecísti misericórdiam cum ómnibus fíliis Israël, cum ascénderent de Ægypto. Et recéssit Cinaeus de médio Amalec. Percussítque Saul Amalec ab Hévila, donec vénias ad Sur, quae est e regione Ægypti. Et apprehéndit Agag regem Amalec vivum : omne autem vulgus interfécit in ore gládii.

℟. Montes Gélboe. 229.

Lectio iii.

ET pepércit Saul, et pópulus Agag, et óptimis grégibus óvium et armentórum, et véstibus, et ariétibus, et univérsis quae pulchra erant, nec voluérunt dispérdere ea : quidquid vero vile fuit et réprobum, hoc demolíti sunt. Factum est autem verbum Dómini ad Sámuel, dicens : Poenitet me quod constitúerim Saul regem : quia derelíquit me, et verba mea ópere non implévit. Contristatúsque est Sámuel, et clamávit ad Dóminum tota nocte.

℟. Ego te tuli. 229.

SABBATO.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* xvi.

DIXITQUE Dñus ad Samuélem : Usquequo tu luges Saul, cum ego projécerim eum, ne regnet

super Israël? Imple cornu tuum óleo, et veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemítem : provídi enim in fíliis ejus mihi regem. Et ait Sámuel : Quómodo vadam? áudiet enim Saul, et interfíciet me. Et ait Dóminus : Vítulum de arménto tolles in manu tua, et dices : Ad immolándum Dómino veni. Et vocábis Isai ad víctimam, et ego osténdam tibi quid fácias : et unges quemcúmque monstrávero tibi.

Lectio ii.

FECIT ergo Sámuel, sicut locútus est ei Dñus. Venítque in Béthlehem, et admiráti sunt senióres civitátis, occurréntes ei, dixerúntque : Pacifícusne est ingréssus tuus? Et ait : Pacíficus : ad immolándum Dño veni; sanctificámini, et veníte mecum ut ímmolem. Sanctificávit ergo Isai et fílios ejus, et vocávit eos ad sacrifícium. Cumque ingréssi essent, vidit Éliab, et ait : Num coram Dómino est Christus ejus? Et dixit Dóminus ad Samuélem : Ne respícias vultum ejus, neque altitúdinem statúrae ejus, quóniam abjéci eum, nec juxta intúitum hóminis ego júdico : homo enim videt ea quae parent, Dóminus autem intuétur cor.

Lectio iii.

ET vocávit Isai Abínadab, et addúxit eum coram Samuéle. Qui dixit : Nec hunc elégit Dñus. Addúxit autem Isai Samma, de quo ait : Etiam hunc non elégit Dñus. Addúxit ítaque Isai septem fílios suos coram Samuéle; et ait Sámuel ad Isai : Non elégit Dóminus ex istis. Dixítque Sámuel ad Isai : Numquid jam compléti sunt fílii? Qui respóndit : Adhuc réliquus est párvulus, et pascit oves. Et ait Sámuel ad Isai : Mitte, et adduc eum.

Ad Magnif. Ant. Praevaluit David in Philisthaeum in funda et lápide, in nómine Dómini.

Oratio cum Homilia Dominicae quartae habetur infra, circa finem Officii de Tempore.

DOMINICA IV.

post Pentecosten.

In primo Nocturno.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* xvii.

CONGREGANTES autem Philísthiim ágmina sua in praelium, convenérunt in Socho Judae : et castrametáti sunt inter Socho et Azéca in fínibus Dommim. Porro

Saul et fílii Israël congregáti venérunt in Vallem terebínthi, et direxérunt áciem ad pugnándum contra Philísthiim. Et Philísthiim stabant super montem ex parte hac, et Israël stabat supra montem ex áltera parte : vallísque erat inter eos. Et egréssus est vir spúrius de castris Philisthinórum nómine Góliath de Geth, altitúdinis sex cubitórum et palmi : et cassis aerea super caput ejus, et lorica squamáta induebátur. Porro pondus lorícae ejus quinque míllia siclórum aeris erat : et ócreas aereas habébat in crúribus : et clypeus aereus tegébat húmeros ejus. Hastíle autem hastae ejus erat quasi liciatórium texéntiũ. Ipsum autem ferrum hastae ejus sexcéntos siclos habébat ferri : et ármiger ejus antecedébat eum.

℟. Praeparáte. 227.

Lectio ii.

STANSQUE clamábat advérsum phalángas Israël, et dicébat eis : Quare venístis paráti ad praelium? Numquid ego non sum Philisthaeus, et vos servi Saul? Elígite ex vobis virum, et descéndat ad singuláre certámen. Si quíverit pugnáre mecum, et percússerit me, érimus vobis servi : si autem ego praevalúero, et percússero eum, vos servi éritis, et serviétis nobis. Et aiébat Philisthaeus : Ego exprobrávi agminibus Israël hódie : Date mihi virum, et ineat mecum singuláre certámen. Audiens autem Saul, et omnes Israelítae, sermónes Philísthaei hujuscémodi, stupébant, et metuébant nimis.

℟. Deus ómnium. 228.

Lectio iii.

DAVID autem erat fílius viri Ephrathaei, de quo supra dictum est, de Béthlehem Juda, cui nomen erat Isai, qui habébat octo fílios, et erat vir in diébus Saul senex, et grandaevus inter viros. Abiérunt autem tres fílii ejus majóres post Saul in praelium : et nómina trium filiórum ejus, qui perrexérunt ad bellum, Eliab primogénitus, et secúndus Abínadab, tertiúsque Samma. David autem erat mínimus. Tribus ergo majóribus secútis Saúlem, ábiit David, et revérsus est a Saul, ut pásceret gregem patris sui in Béthlehẽ. Procedébat vero Philisthaeus mane et véspere, et stabat quadragínta diébus.

℟. Dóminus, qui erípuit me. 228.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

Sermone cxcvii. *de Tempore, circa medium.*

Lectio iv.

STABANT fílii Israël contra adversários quadragínta diébus. Quadragínta dies, propter quátuor témpora, et quátuor partes orbis terrae, vitam praeséntem significant, in qua contra Góliath vel exércitum ejus, id est, contra diábolum et ángelos ejus, Christianórum pópulus pugnáre non désinit. Nec tamen víncere posset, nisi verus David Christus cum báculo, id est cum crucis mystério descendísset. Ante advéntum enim Christi, fratres caríssimi, solútus erat diábolus : véniens Christus fecit de eo quod in Evangélio dictum est : Nemo potest intráre in domum fortis, et vasa ejus dirípere, nisi prius alligáverit fortem. Venit ergo Christus, et alligávit diábolum.

℟. Percússit Saul. 229.

Lectio v.

SED dicit áliquis : Si alligátus est, quare adhuc tantum praevalet ? Verum est, fratres caríssimi, quia multum praevalet: sed tépidis et negligéntibus, et Deum in veritáte non timéntibus dominátur. Alligátus est enim tamquam innéxus canis caténis, et néminem potest mordére, nisi eum qui se illi mortífera securitáte conjúnxerit. Jam vidéte, fratres, quam stúltus est homo ille, quem canis in caténa pósitus mordet. Tu te illi per voluntátes et cupiditátes saeculi noli conjúngere, et ille ad te, non praesúmit accédere. Latráre potest, solicitáre potest, mordére omníno non potest, nisi voléntem. Non enim cogéndo, sed suadéndo nocet : nec extórquet a nobis consénsum, sed petit.

℟. Montes Gélboe. 229.

Lectio vi.

VENIT ergo David, et invénit Judaeórum pópulum contra diábolum praeliántem : et cum nullus esset qui praesúmeret ad singuláre certámen accédere, ille qui figúram Christi gerébat, procéssit ad praelium, tulit báculum in manu sua, et éxiit contra Góliath. Et in illo quidem tunc figurátum est, quod in Dómino Jesu Christo complétum est. Venit enim verus David Christus, qui contra spiritálem Góliath, id est, contra diábolum pugnatúrus, crucem suam ipse portávit. Vidéte, fratres, ubi David Góliath percússerit : in fronte útique, ubi crucis signáculum non habébat. Sicut enim báculus crucis

typum hábuit; ita étiam et lapis ille, de quo percússus est, Christum Dóminum figurábat.

℟. Ego te tuli. 229.

In tértio Nocturno, Lectiones de Homilia Evangelii Dominicae quartae post Pentecosten, quae habentur inferius.

℟. vii. Peccávi super númerum arénae maris. 230.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant. 230.

FERIA SECUNDA.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* xvii. *c.*

ET dixit unus quíspiam de Israël: Num vidístis virum hunc, qui ascéndit? ad exprobrándum enim Israéli ascéndit. Virum ergo, qui percússerit eum, ditábit rex divítiis magnis, et fíliam suam dabit ei, et domum patris ejus fáciet absque tribúto in Israël. Et ait David ad viros qui stabant secum, dicens: Quid dábitur viro, qui percússerit Philisthaeum hunc, et túlerit oppróbrium de Israël? quis enim est hic Philisthaeus incircumcísus, qui exprobrávit ácies Dei vivéntis?

℟. Recordáre, Dñe. 230.

Lectio ii.

AUDITA sunt autem verba, quae locútus est David, et annuntiáta in conspéctu Saul. Ad quem cum fuísset addúctus, locútus est ei: Non cóncidat cor cujúsquam in eo: ego servus tuus vadam, et pugnábo advérsus Philisthaeũ. Et ait Saul ad David: Non vales resístere Philísthaeo isti, nec pugnáre advérsus eum: quia puer es, hic autem vir bellátor est ab adolescéntia sua.

℟. Exaudísti. 231.

Lectio iii.

DIXITQUE David ad Saul: Pascébat servus tuus patris sui gregem, et veniébat leo, vel ursus, et tollébat aríetem de médio gregis: et persequébar eos, et percutiébam, eruebámque de ore eórum: et illi consurgébant advérsum me, et apprehendébam mentum eórum, et suffocábam, interficiebámque eos. Nam et leónem et ursum interféci ego servus tuus: erit ígitur et Philisthaeus hic incircumcísus, quasi unus ex eis.

℟. Audi, Dómine. 231.

FERIA TERTIA.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* xvii. *e.*

ET índuit Saul David vestiméntis suis, et impósuit gáleam aeream super caput ejus, et vestívit

eum lorica. Accínctus ergo David gládio ejus super vestem suam, coepit tentáre si armátus posset incédere: non enim habébat consuetúdinem. Dixítque David ad Saul: non possum sic incédere, quia non usum hábeo. Et depósuit ea, et tulit báculum suum, quem semper habébat in mánibus: et elégit sibi quinque limpidíssimos lápides de torrénte, et misit eos in peram pastorálem, quam habébat secum, et fundam manu tulit, et procéssit advérsum Philísthaeum.

℟. Dómine, si convérsus fúerit. 232.

Lectio ii.

IBAT autem Philisthaeus incédens, et appropínquans advérsum David, et ármiger ejus ante eum. Cumque inspexísset Philisthaeus, et vidísset David, despéxit eum. Erat enim adoléscens, rufus, et pulcher aspéctu. Et dixit Philisthaeus ad David: Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum báculo? Et maledíxit Philisthaeus David in diis suis, dixítque ad David: Veni ad me, et dabo carnes tuas volatílibus coeli et béstiis terrae. Dixit autem David ad Philisthaeum: Tu venis ad me cum gládio, et hasta, et clypeo: ego autem vénio ad te in nómine Dñi exercítuum, Dei ágminum Israël, quibus exprobrásti hódie, et dabit te Dóminus in manu mea, et percútiam te, et áuferam caput tuum a te: et dabo cadávera castrórum Philísthiim hódie volatílibus coeli, et béstiis terrae: ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israël.

℟. Factum est, dum tólleret. 232.

Lectio iii.

CUM ergo surrexísset Philisthaeus, et veníret, et appropinquáret contra David, festinávit David, et cucúrrit ad pugnam ex advérso Philisthaei. Et misit manum suam in peram, tulítque unum lápidem, et funda jecit, et circumdúcens percússit Philísthaeum in fronte: et infíxus est lapis in fronte ejus, et cécidit in fáciem suam super terram. Praevaluítque David advérsum Philisthaeum in funda et lápide, percussúmque Philisthaeum interfécit. Cumque gládium non habéret in manu David, cucúrrit, et stetit super Philisthaeum, et tulit gládium ejus, et edúxit eum de vagína sua: et interfécit eum, praecidítque caput ejus.

℟. Ego te tuli de domo patris. 233.

FERIA QUARTA.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* xviii. *b.*

ORRO cum reverterétur, percússo Philisthaeo, David, egréssae sunt mulíeres de univérsis úrbibus Israël, cantántes, chorósque ducéntes in occúrsum Saul Regis, in tympanis laetítiae, et in sistris. Et praecinébant mulíeres ludéntes, atque dicéntes: Percússit Saul mille, et David decem míllia. Irátus est autem Saul nimis, et displícuit in óculis ejus sermo iste; dixítque: Dedérunt David decem míllia, et mihi mille dedérunt: quid ei súperest, nisi solum regnum?

℟. Peccávi super. 233.

Lectio ii.

NON rectis ergo óculis Saul aspiciébat David a die illa, et defnceps. Post diem autem álteram, invásit spíritus Dei malus Saul, et prophetábat in médio domus suae: David autem psallébat manu sua, sicut per síngulos dies. Tenebátque Saul lánceam, et misit eam, putans quod confígere posset David cum paríete: et declinávit David a fácie ejus secúndo. Et tímuit Saul David, eo quod Dóminus esset cum eo, et a se recessísset. Amóvit ergo eum Saul a se, et fecit eum tribúnum super mille viros: et egrediebátur, et intrábat in conspéctu pópuli.

℟. Exaudísti, Dñe. 234.

Lectio iii.

IN ómnibus quoque viis suis David prudénter agébat, et Dóminus erat cum eo. Vidit ítaque Saul quod prudens esset nimis, et coepit cavére eum. Omnis autem Israël et Juda diligébat David: ipse enim ingrediebátur et egrediebátur ante eos. Dixítque Saul ad David: Ecce fília mea major Merob, ipsam dabo tibi uxórem: tantúmmodo esto vir fortis, et praeliáre bella Dómini. Saul autem reputábat, dicens: Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philisthinórum.

℟. Audi, Dómine. 234.

FERIA QUINTA.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* xix.

LOCUTUS est autem Saul ad Jónatham fílium suum, et ad omnes servos suos, ut occíderent David. Porro Jónathas fílius Saul diligébat David valde. Et indicávit Jónathas David, dicens: Quaerit

Saul pater meus occídere te : quapropter obsérva te, quaeso, mane, et manébis clam, et abscondéris. Ego autem egrédiens stabo juxta patrem meum, in agro ubicúmque fúeris : et ego loquar de te ad patrem meum : et quodcúmque vídero, nuntiábo tibi.

℟. Praeparáte corda. 227.

Léctio ii.

LOCUTUS est ergo Jónathas de David bona ad Saul patrem suum: dixítque ad eum : Ne pecces, rex, in servum tuum David, quia non peccávit tibi, et ópera ejus bona sunt tibi valde. Et pósuit ánimam suam in manu sua, et percússit Philisthaeum, et fecit Dóminus salútem magnam univérso Israéli : vidísti, et laetátus es. Quare ergo peccas in sánguine innóxio, interfíciens David, qui est absque culpa? Quod cum audísset Saul, placátus voce Jónathae, jurávit : Vivit Dóminus, quia non occidétur.

℟. Deus ómnium. 228.

Léctio iii.

QOTUM est autem rursum bellum : et egréssus David, pugnávit advérsus Philísthiim : percussítque eos plaga magna, et fugérunt a fácie ejus. Et factus est spíritus Dómini malus in Saul. Sedébat autem in domo sua, et tenébat lánceam: porro David psallébat manu sua. Nisúsque est Saul confígere David láncea in paríete, et declinávit David a fácie Saul : láncea autem casso vúlnere perláta est in paríetem, et David fugit, et salvátus est nocte illa.

℟. Dñus, qui erípuit. 228.

FERIA SEXTA.

De libro primo Regum.

Léctio i. *Cap.* xx.

FUGIT autem David de Najoth, quae est in Rámatha, veniénsque locútus est coram Jónatha : Quid feci? quae est iníquitas mea, et quod peccátum meum in patrem tuum, quia quaerit ánimam meam? Qui dixit ei : Absit, non moriéris; neque enim fáciet pater meus quidquam grande vel parvum nisi prius indicáverit mihi : hunc ergo celávit me pater meus sermónem tantúmmodo? Nequáquam erit istud.

℟. Percússit Saul. 229.

Léctio ii.

ET jurávit rursum Dávidi. Et ille ait: Scit profécto pater tuus, quia invéni grátiam in óculis tuis, et dicet : Nésciat hoc Jónathas, ne forte tristétur. Quinímo vivit Dóminus, et vivit

ánima tua, quia, uno tantum (ut ita dicam) gradu, ego morsque divídimur. Et ait Jónathas ad David : Quodcúmque díxerit mihi ánima tua, fáciam tibi.

℣. Montes Gélboe. 229.

Lectio iii.

DIXIT autem David ad Jónatham: Ecce caléndae sunt crástino, et ego ex more sedére sóleo juxta regem ad vescéndum: dimítte ergo me, ut abscóndar in agro usque ad vésperam diéi tértiae. Si respíciens requisíerit me pater tuus, respondébis ei : Rogávit me David, ut íret celériter in Béthlehem civitátem suam : quia víctimae solémnes ibi sunt univérsis contribúlibus suis. Si díxerit, Bene : pax erit servo tuo. Si autem fúerit irátus, scito quia compléta est malítia ejus.

℣. Ego te tuli. 229.

SABBATO.

De libro primo Regum.

Lectio i. *Cap.* xxi.

VENIT autem David in Nobe ad Achímelech sacerdótem : et obstúpuit Achímelech, eo quod venísset David. Et dixit ei : Quare tu solus, et nullus est tecum ? Et ait David ad Achímelech sacerdótē : Rex praecépit mihi sermónem, et dixit : Nemo sciat rem, propter quam missus es a me, et cujúsmodi praecépta tibi déderim : nam et púeris condíxi in illum et illum locum. Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid invéneris.

Lectio ii.

ET respóndens sacérdos ad David, ait illi: Non hábeo láicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum : si mundi sunt púeri, máxime a muliéribus ? Et respóndit David sacerdóti et dixit ei : Equidem, si de muliéribus ágitur : continúimus nos ab heri et nudiustértius, quando egrediebámur, et fuérunt vasa puerórum sancta. Porro via haec pollúta est, sed et ipsa hódie sanctificábitur in vasis. Dedit ergo ei sacérdos sanctificátum panem. Neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositiónis, qui subláti fúerant a fácie Dómini, ut poneréntur panes cálidi.

Lectio iii.

ERAT autem ibi vir quidam de servis Saul, in die illa, intus in tabernáculo Dómini : et nomen ejus Doeg Idumaeus, potentíssimus pastórū Saul. Dixit autem David ad Achímelech : Si habes hic ad

manum hastam, aut gládiũ? quia gládium meum et arma mea non tuli mecum. Sermo enim regis urgébat. Et dixit sacérdos : Ecce hic gládius Góliath Philisthaei, quẽm percussísti in Valle terebínthi, est involútus pállio post Ephod: si istum vis tóllere, tolle. Neque enim hic est álius absque eo. Et ait David : Non est huic alter símilis, da mihi eum.

Ad Magnif. Ańa. Montes Gélboe, * nec ros nec plúvia véniant super vos : quia in te abjéctus est clypeus fórtium, clypeus Saul, quasi non esset unctus óleo. Quómodo cecidérunt fortes in bello? Jónathas in excélsis interféctus est : Saul et Jónathas amábiles, et decóri valde in vita sua, in morte quoque non sunt divísi.

DOMINICA V.
post Pentecosten.

In primo Nocturno.

Incipit liber secúndus Regum.

Lectio i. *Cap.* i.

FACTUM est autem, postquam mórtuus est Saul, ut David reverterétur a caede Amalec, et manéret in Síceleg duos dies. In die autem tértia, appáruit homo véniens de castris Saul, veste conscíssa, et púlvere conspérsus caput : et ut venit ad David cécidit super fáciem suam, et adorávit. Dixítque ad eum David : Unde venis? Qui ait ad eum : De castris Israël fugi. Et dixit ad eum David : Quod est verbum quod factum est? Indica mihi. Qui ait : Fugit pópulus ex praelio, et multi corruéntes e pópulo mórtui sunt : sed et Saul, et Jónathas fílius ejus interiérunt.

℟. Praeparáte corda. 229.

Lectio ii.

DIXITQUE David ad adolescéntem, qui nuntiábat ei: Unde scis quia mórtuus est Saul, et Jónathas fílius ejus? Et ait adoléscens, qui nuntiábat ei : Casu veni in montem Gélboe, et Saul incumbébat super hastam suam ; porro currus et équites appropinquábant ei, et convérsus post tergum suum, vidénsque me, vocávit. Cui cum respondíssem : Adsum : dixit mihi : Quisnam es tu? Et aio ad eum : Amalecítes ego sum. Et locútus est mihi : Sta super me, et intérfice me : quóniam tenent me angústiae, et adhuc tota ánima mea in me est. Stansque super eum, occídi illum: sciébam enim quod vívere non póterat post ruínam : et tuli diadéma quod erat in cápite ejus, et armíllam

de bráchio illíus, et áttuli ad te Dóminum meum huc.

℟. Deus, ómnium. 228.

Lectio iii.

APPREHENDENS autem David vestiménta sua, scidit, omnésque viri, qui erant cum eo, et planxérunt, et flevérunt, et jejunavérunt usque ad vésperam super Saul, et super Jónatham fílium ejus, et super pópulum Dómini, et super domum Israël, eo quod corruíssent gládio. Dixítque David ad júvenem qui nuntiáverat ei: Unde es tu? Qui respóndit: Fílius hóminis ádvenae Amalecítae ego sum. Et ait ad eum David: Quare non timuísti míttere manum tuam, ut occíderes Christum Dñi? Vocánsque David unum de púeris suis, ait: Accédens írrue in eum. Qui percússit illum, et mórtuus est.

℟. Dñus, qui erípuit. 228.

In secundo Nocturno.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papae.

Libro 4. *Cap.* iii *et* iv.

Lectio iv.

QUID est quod David, qui retribuéntibus sibi mala non réddidit, cum Saul et Jónathas bello occúmberent, Gélboe móntibus maledíxit, dicens: Montes Gélboe, nec ros, nec plúvia véniant super vos: neque sint agri primitiárũ: quia ibi abjéctus est clypeus fórtium, clypeus Saul, quasi non esset unctus óleo? Quid est quod Jeremías, cum praedicatiónem suam cérneret audiéntium difficultáte praepedíri, maledíxit dicens: Maledíctus vir, qui annuntiávit patri meo, dicens: Natus est tibi puer másculus?

℟. Percússit Saul. 229.

Lectio v.

QUID ergo montes Gélboe, Saul moriénte, deliquérunt, quátenus in eos nec ros nec plúvia cáderet et ab omni eos viriditátis gérmine senténtiae sermo siccáret? Sed quia Gélboe interpretátur decúrsus, per Saul autem unctum et mórtuum, mors nostri mediatóris exprímitur: non immérito per Gélboe montes supérba Judaeórum corda signántur: quae dum in hujus mundi desidériis défluunt, in Christi, id est, uncti se morte miscuérunt: et quia in eis unctus rex corporáliter móritur, ipsi ab omni grátiae rore siccántur.

℟. Montes Gélboe. 229.

Lectio vi.

DE quibus et bene dícitur, ut agri primitiárum esse non possint. Supérbae quippe Hebraeórum

mentes primitívos fructus non ferunt: quia in Redemptóris advéntu ex parte máxima in perfídia remanéntes, primórdia fídei sequi noluérunt. Sancta namque Ecclésia in primítiis suis multitúdine Géntium foecundáta, vix in mundi fine Judaeos quos invénerit, súscipit, et extréma cólligens, eos quasi relíquias frugum ponit.

℟. Ego te tuli. 229.

℟. vii. Peccávi. 230.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant. 230.

FERIA SECUNDA

De libro secúndo Regum.

Lectio i. *Cap.* ii.

IGITUR post haec consúluit David Dñum, dicens: Num ascéndam in unam de civitátibus Juda? et ait Dóminus ad eum: Ascénde. Dixítque David: Quo ascéndam? Et respóndit ei: In Hebron. Ascéndit ergo David, et duae uxóres ejus, Achinoam Jezrahelítes, et Abígail uxor Nabal Carméli: sed et viros, qui erant cum eo, duxit David síngulos cum domo sua, et mansérunt in óppidis Hebron. Venerúntque viri Juda, et unxérunt ibi David, ut regnáret super domum Juda.

℟. Recordáre. 230.

Lectio ii.

ATT nuntiátum est David, quod viri Jabes Gálaad sepelíssent Saul. Misit ergo David núntios ad viros Jabes Gálaad, dixítque ad eos: Benedícti vos a Dómino, qui fecístis misericórdiam hanc cum dómino vestro Saul, et sepelístis eum. Et nunc retríbuet vobis quidem Dóminus misericórdiam et veritátem: sed et ego reddam grátiam, eo quod fecístis verbum istud. Conforténtur manus vestrae, et estóte fílii fortitúdinis: licet enim mórtuus sit dóminus vester Saul, tamen me unxit domus Juda in regem sibi.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem. 231.

Lectio iii.

ABNER autem fílius Ner, princeps exércitus Saul, tulit Isboseth fílium Saul, et circumdúxit eum per castra, regémque constítuit super Gálaad, et super Géssuri, et super Józrahel, et super Ephraim, et super Bénjamin, et super Israël univérsum. Quadragínta annórum erat Isboseth fílius Saul cum regnáre coepísset super Israël, et duóbus annis regnávit: sola autem domus Juda sequebátur David. Et fuit número diérum, quos commorátus est David, ímperans in He-

bron super domum Juda, septem annórum, et sex ménsium.

℟. Audi, Dómine, hymnum. 231.

FERIA TERTIA.

De libro secúndo Regum.

Lectio i. *Cap.* iii.

UM ergo esset praelium inter domum Saul et domum David, Abner fílius Ner regébat domum Saul. Fúerat autem Sauli concubína nómine Respha, fília Aja. Dixítque Isboseth ad Abner : Quare ingréssus es ad concubínam patris mei? Qui irátus nimis propter verba Isboseth, ait: Numquid caput canis ego sum advérsum Judam hódie, qui fécerim misericórdiam super domum Saul patris tui, et super fratres et próximos ejus, et non trádidi te in manus David, et tu requisísti in me quod argúeres pro mulíere hódie? Haec fáciat Deus Abner, et haec addat ei, nisi quómodo jurávit Dóminus David, sic fáciam cum eo, ut transferátur regnum de domo Saul, et elevétur thronus David super Israël, et super Judam, á Dan usque Bersabée.

℟. Dómine, si convérsus. 232.

Lectio ii.

QUI Sergo Abner núntios ad David pro se dicéntes : Cujus est terra? Et ut loqueréntur : Fac mecum amicítias, et erit manus mea tecum, et redúcam ad te univérsum Israël. Qui ait : Optime : ego fáciam tecum amicítias : sed unam rem peto a te, dicens : Non vidébis fáciem meam, ántequam addúxeris Michol fíliam Saul : et sic vénies, et vidébis me. Misit autem David núntios ad Isboseth fílium Saul, dicens : Redde uxórem meam Michol, quam despóndi mihi centum praepútiis Philísthiim. Misit ergo Isboseth, et tulit eam a viro suo Phálthiel, fílio Lais. Sequebatúrque eam vir suus, plorans usque Bahúrim : et dixit ad eum Abner : Vade, et revértere. Qui revérsus est.

℟. Factum est. 232.

Lectio iii.

SERMONEM quoque íntulit Abner ad senióres Israël, dicens: Tam heri, quam nudiustértius quaerebátis David ut regnáret super vos. Nunc ergo fácite : quóniam Dóminus locútus est ad David, dicens : In manu servi mei David salvábo pópulum meum Israël de manu Philísthiim, et ómnium inimicórum ejus. Locútus est

autem Abner étiam ad Bénjamin. Et ábiit ut loquerétur ad David in Hebron ómnia, quae placúerant Israéli, et univérso Bénjamin. Venítque ad David in Hebron cum vigínti viris: et fecit David Abner, et viris ejus qui vénerant cum eo, convívium. Et dixit Abner ad David : surgam, ut cóngregem ad te dóminum meum regem omnem Israël.

℟. Ego te tuli. 233.

FERIA QUARTA.

De libro secúndo Regum.

Lectio i. *Cap.* iv. *b.*

EGRESSI ígitur fílii Remmon Berothítae, Rechab et Báana, ingréssi sunt fervénte die domum Isboseth, qui dormiébat super stratum suum merídie. Et ostiária domus purgans tríticum, obdormívit. Ingréssi sunt autem domum laténter assuméntes spicas trítici, et percusséruneum in ínguine Rechab et Báana frater ejus, et fugérunt. Cum autem ingréssi fuíssent domum, ille dormiébat super lectum suum in conclávi, et percutiéntes interfecérunt eum : sublatóque cápite ejus, abiérunt per viam desérti tota nocte, et attulérunt caput Isboseth ad David in Hebron : dixerúntque ad regem : Ecce caput Isboseth fílii Saul inimíci tui, qui quaerébat ánimam tuam.

℟. Peccávi super. 233.

Lectio ii.

RESPONDENS autem David Rechab et Báana fratri ejus, fíliis Remmon Berothítae, dixit ad eos : Vivit Dóminus, qui éruit ánimam meam de omni angústia, quóniam eum, qui annuntiáverat mihi, et díxerat : Mórtuus est Saul : qui putábat se próspera nuntiáre, ténui, et occídi eum in Síceleg, cui oportébat mercédem dare pro núntio. Quanto magis nunc, cum hómines ímpii interfecérunt virum innóxium in domo sua, super lectum suum, non quaeram sánguinem ejus de manu vestra, et áuferam vos de terra ? Praecépit ítaque David púeris suis, et interfecérunt eos : praecidentésque manus et pedes eórum, suspendérunt eos super piscínam in Hebron : caput autem Isboseth tulérunt, et sepeliérunt in sepúlchro Abner in Hebron.

℟. Exaudísti, Dñe. 234.

Lectio iii. *Cap.* v.

ET venérunt univérsae tribus Israël ad David in Hebron, dicéntes : Ecce nos, os tuum et caro tua sumus. Sed et heri et nudiustértius, cum

esset Saul rex super nos, tu eras edúcens et redúcens Israël : dixit autem Dóminus ad te : Tu pasces pópulum meum Israël, et tu eris dux super Israël. Venérunt quoque et senióres Israël ad regem in Hebron, et percússit cum eis rex David foedus in Hebron coram Dómino : unxerúntque David in regem super Israël. Fílius trigínta annórum erat David, cum regnáre coepísset, et quadragínta annis regnávit. In Hebron regnávit super Judam septem annis et sex ménsibus : in Jerúsalem autem regnávit trigínta tribus annis super omnem Israël et Judam. Et ábiit rex, et omnes viri qui erant cum eo, in Jerúsalem, ad Jebusaeum habitatórem terrae : dictúmque est David ab eis : Non ingrediéris huc, nisi abstúleris caecos et claudos, dicéntes : Non ingrediétur David huc. Cepit autem David arcem Sion; haec est cívitas David.

℣. Audi, Dómine. 234.

FERIA QUINTA.

De libro secúndo Regum.

Lectio i. *Cap.* vi.

CONGREGAVIT autem rursum David omnes eléctos ex Israël trigínta míllia. Surrexítque David, et ábiit, et univérsus pópulus qui erat cum eo de viris Juda, ut addúcerent arcam Dei, super quam invocátum est nomen Dómini exercítuum, sedéntis in Chérubim super eam. Et imposuérunt arcam Dei super plaustrum novum : tulerúntque eam de domo Abínadab, qui erat in Gábaa : Oza autem et Ahío fílii Abínadab, minábant plaustrum novum.

℣. Praeparáte corda. 227.

Lectio ii.

CUMQUE tulíssent eam de domo Abínadab, qui erat in Gábaa, custódiens arcam Dei, Ahío praecedébat arcam. David autem et omnis Israël ludébant coram Dómino in ómnibus lignis fabrefáctis, et cítharis, et lyris, et tympanis, et sistris, et cymbalis. Postquam autem venérunt ad arcam Nachon, exténdit Oza manum ad arcam Dei, et ténuit eam : quóniam calcitrábant boves, et declinavérunt eam. Iratúsque est indignatióne Dóminus contra Ozam, et percússit eum super temeritáte : qui mórtuus est ibi juxta arcam Dei.

℣. Deus ómnium. 228.

Lectio iii.

CONTRISTATUS est autem David, eo quod percussísset Dóminus

Ozam, et vocátum est nomen loci illíus, Percússio Ozae usque in diem hanc. Et extímuit David Dóminum in die illa, dicens : Quómodo ingrediétur ad me arca Dómini ? Et nóluit divértere ad se arcam Dómini in civitátem David : sed divértit eam in domum Obédedom Gethaei. Et habitávit arca Dómini in domo Obédedom Gethaei tribus ménsibus : et benedíxit Dóminus Obédedom, et omnem domum ejus. Nuntiatúmque est regi David quod benedixísset Dóminus Obédedom, et ómnia ejus propter arcam Dei. Abiit ergo David, et addúxit arcam Dei de domo Obédedom in civitátē David cum gáudio.

℟. Dñus, qui erípuit. 228.

FERIA SEXTA.

De libro secúndo Regum.

Lectio i. *Cap.* vii.

ET ecce sermo Dómini ad Nathan, dicens : Vade, et lóquere ad servum meum David : Haec dicit Dñus : Numquid tu aedificábis mihi domum ad habitándum ? Neque enim habitávi in domo, ex die illa, qua edúxi fílios Israël de Terra Ægypti, usque in diem hanc : sed ambulábam in tabernáculo, et in tentório.

℟. Percússit Saul. 229.

Lectio ii.

PER cuncta loca, quae transívi cum ómnibus fíliis Israël, numquid loquens locútus sum ad unam de tríbubus Israël, cui praecépi, ut pásceret pópulum meum Israël, dicens : Quare non aedificástis mihi domum cédrinam? Et nunc haec dices servo meo David : Haec dicit Dóminus exercítuum : Ego tuli te de páscuis sequéntem greges, ut esses dux super pópulū meum Israël: et fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti: et interféci univérsos inimícos tuos a fácie tua : fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum qui sunt in terra. Et ponam locum pópulo meo Israël, et plantábo eum; et habitábit sub eo, et non turbábitur ámplius : nec addent fílii iniquitátis ut afflígant eum sicut prius, ex die qua constítui júdices super pópulum meum Israël : et réquiem dabo tibi ab ómnibus inimícis tuis. Praedicítque tibi Dóminus, quod domum fáciat tibi Dóminus.

℟. Montes Gélboe. 229.

Lectio iii.

CUMQUE compléti fúerint dies tui, et dormíeris cum pátribus tuis, suscitábo semen tuum post te, quod egrediétur de

útero tuo, et firmábo regnum ejus. Ipse aedificábit domum nómini meo, et stabíliam thronum regni ejus usque in sempitérnum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in fílium : qui si iníque áliquid gésserit, árguam eum in virga virórum, et in plagis filiórum hóminum. Misericórdiam autem meam non áuferam ab eo, sicut ábstuli a Saul, quem amóvi a fácie mea. Et fidélis erit domus tua, et regnum tuum usque in aetérnum ante fáciem tuam, et thronus tuus erit firmus júgiter. Secúndum ómnia verba haec, et juxta univérsam visiónem istam, sic locútus est Nathan ad David.

℟. Ego te tuli. 229.

SABBATO.

De libro secúndo Regum.

Lectio i. *Cap.* xi.

FACTUM est autem, verténte anno, eo témpore quo solent reges ad bella procédere, misit David Joab, et servos suos cum eo, et univérsum Israël, et vastavérunt fílios Ammon, et obsedérunt Rabba : David autem remánsit in Jerúsalem. Dum haec ageréntur, áccidit ut súrgeret David de strato suo post merídiem, et deambuláret in solário domus régiae; vidítque mulíerem se lavántem, ex advérso super solárium suum : erat autem múlier pulchra valde. Misit ergo rex, et requisívit quae esset múlier. Nuntiatúmque est ei, quod ipsa esset Bethsabée fília Eliam, uxor Uríae Hethaei : Missis ítaque David núntiis, tulit eam.

Lectio ii.

ET revérsa est in domum suam, concépto foetu. Mitténsque nuntiávit David, et ait : Concépi. Misit autem David ad Joab, dicens : Mitte ad me Uríam Hethaeum. Misítque Joab Uríam ad David. Et venit Urías ad David. Quaesivítque David quam recte ágeret Joab, et pópulus, et quómodo administrarétur bellum. Et dixit David ad Uríam : Vade in domum tuam, et lava pedes tuos. Et egréssus est Urías de domo regis, secutúsque est eum cibus régius. Dormívit autem Urías ante portam domus régiae cum áliis servis dómini sui, et non descéndit ad domum suam. Nuntiatúmque est David a dicéntibus : Non ivit Urías in domum suam. Et ait David ad Uríam : Numquid non de via venísti ? Quare non descendísti in domum tuam ? Et ait Urías ad David : Arca Dei et Israël et

Juda hábitant in papiliónibus, et dóminus meus Joab, et servi dómini mei super fáciem terrae manent : et ego ingrédiar domum meam, ut cómedam et bibam, et dórmiam cum uxóre mea ? per salútem tuam, et per salútem ánimae tuae non fáciam rem hanc.

Lectio iii.

AIT ergo David ad Uríam : Mane hic étiam hódie, et cras dimíttam te. Mansit Urías in Jerúsalem in die illa et áltera : et vocávit eum David ut coméderet coram se et bíberet, et inebriávit eum : qui egréssus véspere, dormívit in strato suo cum servis dómini sui, et in domum suam non descéndit. Factum est ergo mane, et scripsit David epístolam ad Joab : misítque per manum Uríae, scribens in epístola : Pónite Uríam ex advérso belli, ubi fortíssimum est praelium, et derelínquite eum, ut percússus intéreat. Igitur cum Joab obsidéret urbem, pósuit Uriam in loco ubi sciébat viros esse fortíssimos. Egressíque viri de civitáte, bellábant advérsum Joab, et cecidérunt de pópulo servórum David, et mórtuus est étiam Urías Hethaeus.

Ad Magnif. Ant. Obsecro, Dómine, * aufer iniquitátem servi tui, quia insipiénter egi.

DOMINICA VI.

post Pentecosten.

In primo Nocturno.

De libro secúndo Regum.

Lectio i. *Cap.* xii.

MISIT ergo Dóminus Nathan ad David : qui cum venísset ad eum, dixit ei : Duo viri erant in civitáte una, unus dives, et alter pauper. Dives habébat oves, et boves plúrimos valde. Pauper autem nihil habébat omníno, praeter ovem unam párvulam, quam émerat, et nutríerat, et quae créverat apud eum cum fíliis ejus simul, de pane illíus cómedens, et de cálice ejus bibens, et in sinu illíus dórmiens : erátque illi sicut fília. Cum autem peregrínus quidam venísset ad dívitem, parcens ille súmere de óvibus et de bobus suis, ut exhibéret convívium peregríno illi qui vénerat ad se, tulit ovem viri páuperis, et praeparávit cibos hómini, qui vénerat ad se.

℟. Praeparáte corda. 227.

Lectio ii.

IRATUS autem indignatióne David advérsus hóminē illum nimis, dixit ad Nathan : Vivit

Dñus, quóniam fílius mortis est vir qui fecit hoc. Ovem reddet in quádruplum, eo quod fécerit verbum istud, et non pepércerit. Dixit autem Nathan ad David: Tu es ille vir. Haec dicit Dóminus Deus Israël: Ego unxi te in regem super Israël, et ego érui te de manu Saul, et dedi tibi domum dómini tui, et uxóres dómini tui in sinu tuo, dedíque tibi domum Israël et Juda: et si parva sunt ista, adjíciam tibi multo majóra. Quare ergo contempsísti verbum Dómini, ut fáceres malum in conspéctu meo? Uríam Hethaeum percussísti gládio, et uxórem illíus accepísti in uxórem tibi, et interfecísti eum gládio filiórum Ammon.

℟. Deus, ómnium. 228.

Lectio iii.

QUAM ob rem non recédet gládius de domo tua usque in sempitérnum, eo quod despéxeris me, et túleris uxórem Uríae Hethaei, ut esset uxor tua. Itaque haec dicit Dóminus: Ecce, ego suscitábo super te malum de domo tua, et tollam uxóres tuas in óculis tuis, et dabo próximo tuo, et dórmiet cum uxóribus tuis in óculis Solis hujus. Tu enim fecísti abscóndite: ego autem fáciam verbum istud in conspéctu omnis Israël, et in conspéctu Solis. Et dixit David ad Nathan: Peccávi Dómino. Dixítque Nathan ad David: Dóminus quoque tránstulit peccátum tuum: non moriéris. Verúmtamen, quóniam blasphemáre fecísti inimícos Dómini, propter verbum hoc, fílius, qui natus est tibi, morte moriétur. Et revérsus est Nathan in domum suam. Percússit quoque Dñus párvulum, quem pepérerat uxor Uríae David, et desperátus est. Deprecátusque est David Dóminum pro párvulo: et jejunávit David jejúnio, et ingréssus seórsum, jácuit super terram.

℟. Dñus, qui éripuit. 228.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Ambrósii Episcopi de Apología David.

Lectio iv. *Apolog.* i. *cap.* ii.

ANUSQUISQUE nostrum per síngulas horas quam multa delínquit! nec tamen unusquísque de plebe peccátum suum confiténdum putat. Ille rex tantus ac potens, ne exíguo quidem moménto manére penes se delícti passus est consciéntiam: sed praematúra confessióne, atque iménso dolóre, réddidit peccátum suum Dño. Quem

mihi nunc fácile repérias honorátum ac divitem, qui, si arguátur alicújus culpae reus, non moléste ferat? At ille régio clarus império, iot divínis probátus orácu-lis, cum a privato hómine corriperétur quod gráviter deliquísset, non indignátus infrémuit, sed conféssus ingémuit culpae dolóre.

℟. Percússit Saul. 229.

Lectio v.

DENIQUE Dóminum dolor íntimi movit affectus, ut Nathan díceret: Quóniam poenítuit te; et Dóminus ábstulit peccátum tuum. Matúritas ítaque véniae, profúndam regis fuísse poeniténtiam declarávit, quae tanti erróris offénsam tradúxerit. Alii hómines cum a sacerdótibus corripiúntur, peccátum suum íngravant, dum negáre cúpiunt, aut defén-dere: ibique eórum lapsus est major, ubi sperátur correctio. Sancti autem Dei, qui consummáre pium certámen géstiunt, et cúrrere cursum salútis, sícubi forte ut hómines corrúerint, natúrae magis fragilitáte, quam peccándi libídine, acrióres ad curréndum resúrgunt, pudóris stímulo majóra reparántes certámina: ut non solum nullum attulísse aestimétur lapsus impediméntum, sed étiam velocitátis incentíva cumulásse.

℟. Montes Gélboe. 229.

Lectio vi. *Cap.* iv.

PECCAVIT David, quod solent reges: sed poeniténtiam gessit, flevit, ingémuit, quod non solent reges. Confessus est culpam, obsecrávit indulgéntiam, humi stratus deplorávit aerúmnam, jejunávit, orávit, confessiónis suae testimónium in perpétua saecula vulgáto dolóre transmísit. Quod erubéscunt fácere privati, rex non erúbuit confitéri. Qui tenéntur légibus, audent suum negáre peccátum, dedignántur rogáre indulgéntiam, quam petébat qui nullis légibus tenebátur humánis. Quod peccávit, conditiónis est: quod supplicávit, correctiónis. Lapsus communis, sed speciális confessio. Culpam ítaque incidísse, natúrae est; diluísse, virtútis.

℟. Ego te tuli. 229.

℟. vii. Peccávi. 230.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant. 230.

FERIA SECUNDA.

De libro secúndo Regum.

Lectio i. *Cap.* xiii. *e.*

CORRO non est locútus Absalom ad Amnon nec malum nec bonum: óderat enim Absalom Am-

non, eo quod violásset Thamar sorórem suam. Factum est autem post tempus biénnii, ut tonderéntur oves Absalom in Baálhasor, quae est juxta Ephraim : et vocávit Absalom omnes fílios regis, venítque ad regem, et ait ad eum : Ecce tondéntur oves servi tui : véniat, oro, rex cum servis suis ad servum suum. Dixítque rex ad Absalom : Noli, fili mi, noli rogáre ut veniámus omnes, et gravémus te. Cum autem cógeret eum, et noluísset ire, benedíxit ei.

℟. Recordáre, Dñe. 230.

Lectio ii.

ET ait Absalom : Si non vis venire, véniat, obsecro, nobíscum saltem Amnon frater meus. Dixítque ad eum rex: Non est necésse ut vadat tecum. Coégit ítaque Absalom eum, et dimísit cum eo Amnon, et univérsos fílios regis. Fecerátque Absalom convívium quasi convíviũ regis. Praecéperat autem Absalom púeris suis, dicens : Observáte cum temuléntus fúerit Amnon vino, et díxero vobis : Percútite eum, et interfícite, nolíte timére : ego enim sum qui praecípio vobis : roborámini, et estóte viri fortes. Fecérunt ergo púeri Absalom advérsum Amnon, sicut praecéperat eis Absalom. Surgentésque omnes fílii regis ascendérunt sínguli mulas suas, et fugérunt.

℟. Exaudísti, Dñe. 231.

Lectio iii.

CUMQUE adhuc pérgerent in itínere, fama pervénit ad David, dicens : Percússit Absalom omnes fílios regis, et non remánsit ex eis saltem unus. Surréxit ítaque rex, et scidit vestiménta sua, et cécidit super terram, et omnes servi illíus, qui assistébant ei, scidérunt vestiménta sua. Respóndens autem Jónadab fílius Sémmaa fratris David, dixit : Ne aestimet Dñus meus rex, quod omnes púeri fílii regis occísi sint: Amnon solus mórtuus est, quóniam in ore Absalom erat pósitus, ex die qua oppréssit Thamar sorórem ejus. Nunc ergo ne ponat Dñus meus rex super cor suum verbum istud, dicens : Omnes fílii regis occísi sunt : quóniam Amnon solus mórtuus est. Fugit autem Absalom.

℟. Audi, Dómine. 231.

FERIA TERTIA.

De libro secúndo Regum.

Lectio i. *Cap.* xiv.

UM ingréssa fuísset múlier Thecuítis ad regem, cécidit coram eo super terram, et adorávit,

et dixit: Serva me, rex. Et ait ad eam rex: Quid causae habes? Quae respóndit: Heu! múlier vídua ego sum: mórtuus est enim vir meus. Et ancíllae tuae erant duo fílii, qui rixáti sunt advérsum se in agro, nullúsque erat qui eos prohibére posset: et percússit alter álterum, et interfécit eum. Et ecce consúrgens univérsa cognátio advérsum ancíllam tuam, dicit: Trade eum, qui percússit fratrem suum, ut occidámus eum pro ánima fratris sui, quem interfécit, et deleámus haerédem: et quaerunt extínguere scintíllam meam, quae relícta est, ut non supérsit viro meo nomen, et relíquiae super terram.

℟. Dómine, si convérsus fúerit. 232.

Lectio ii.

ET ait rex: Qui contradíxerit tibi, adduc eum ad me, et ultra non addet ut tangat te. Quae ait: Recordétur rex Dñi Dei sui, ut non multiplicéntur próximi sánguinis ad ulciscéndum, et nequáquam interfíciant fílium meum. Qui ait: Vivit Dóminus, quia non cadet de capíllis fílii tui super terram. Dixit ergo múlier: Loquátur ancílla tua ad dóminum meum regem verbum. Et ait: Lóquere. Dixítque múlier: Quare cogitásti hujuscémodi rem contra pópulum Dei, et locútus est rex verbum istud, ut peccet, et non redúcat ejéctum suum? Omnes mórimur, et quasi aquae dilábimur in terram, quae non revertúntur: nec vult Deus períre ánimam, sed retráctat cógitans, ne pénitus péreat qui abjéctus est.

℟. Factum est. 232.

Lectio iii.

ET ait rex: Numquid manus Joab tecum est in ómnibus istis? Respóndit múlier, et ait: Per salútem ánimae tuae, dómine mi rex, nec ad sinístram, nec ad déxteram est ex ómnibus his, quae locútus est dóminus meus rex: servus enim tuus Joab, ipse praecépit mihi, et ipse pósuit in os ancíllae tuae ómnia verba haec. Ut vérterem figúram sermónis hujus, servus tuus Joab praecépit istud: tu autem dómine mi rex, sápiens es, sicut habet sapiéntiam Angelus Dei: ut intélligas ómnia super terram. Et ait rex ad Joab: Ecce placátus feci verbum tuum: vade ergo, et révoca púerum Absalom.

℟. Ego te tuli. 233.

FERIA QUARTA.

De libro secúndo Regum.

Lectio i. *Cap.* xv.

IGITUR post haec fecit sibi Absalom currus, et équites, et quinquagínta viros qui praecéderent eum. Et mane consúrgens Absalom, stabat juxta intróitum portae, et omnem virum, qui habébat negótium ut veníret ad regis judícium, vocábat Absalom ad se, et dicébat : De qua civitáte es tu ? Qui respóndens aiébat : Ex una tribu Israël ego sum servus tuus. Respondebátque ei Absalom : Vidéntur mihi sermónes tui boni et justi. Sed non est qui te áudiat constitútus a rege.

℟. Peccávi super. 233.

Lectio ii.

DICEBATQUE Absalom : Quis me constítuat júdicem super terram, ut ad me véniant omnes qui habent negótium, et juste júdicem? Sed et cum accéderet ad eum homo ut salutáret illum, extendébat manum suam, et apprehéndens, osculabátur eum. Faciebátque hoc omni Israël veniénti ad judícium, ut audirétur a rege, et sollicitábat corda virórum Israël.

℟. Exaudísti, Dñe. 234.

Lectio iii.

POST quadragínta autem annos, dixit Absalom ad regem David : Vadam, et reddam vota mea quae vovi Dómino in Hebron. Vovens enim vovit servus tuus, cum esset in Gessur Syriae, dicens : Si redúxerit me Dóminus in Jerúsalem, sacrificábo Dño. Dixítque ei rex David : Vade in pace. Et surréxit, et ábiit in Hebron. Misit autem Absalom exploratóres in univérsas tribus Israël, dicens : Statim ut audiéritis clangórem búccinae, dícite : Regnávit Absalom in Hebron.

℟. Audi, Dómine, hymnum. 234.

FERIA QUINTA.

De libro secúndo Regum.

Lectio i. *Cap.* xv. *c.*

VENIT ígitur núntius ad David, dicens : Toto corde univérsus Israël séquitur Absalom. Et ait David servis suis, qui erant cum eo in Jerúsalem : Súrgite, fugiámus : neque enim erit nobis effúgium a fácie Absalom : festináte égredi, ne forte véniens óccupet nos et impéllat super nos ruínam, et percútiat civitátem in ore gládii. Dixerúntque servi regis

ad eum : Omnia quaecúmque praecéperit dóminus noster rex, libénter exequémur servi tui.

℟. Praeparáte corda vestra. 227.

Lectio ii.

EGRESSUS est ergo rex, et univérsa domus ejus pédibus suis : et derelíquit rex decem mulíeres concubínas ad custodiéndam domum. Egressúsque rex et omnis Israël pédibus suis, stetit procul a domo : et univérsi servi ejus ambulábant juxta eum, et legiónes Ceréthi, et Phelélthi, et omnes Gethaei, pugnatóres válidi, sexcénti viri qui secúti eum fúerant, de Geth pédites, praecedébant regem.

℟. Deus, ómnium exaudítor. 228.

Lectio iii.

DIXIT autem rex ad Ethái Gethaeum: Cur venis nobíscum ? revértere, et hábita cum rege, quia peregrínus es, et egréssus es de loco tuo. Heri venísti, et hódie compélleris nobíscum égredi ? ego autem vadam quo itúrus sum : revértere, et reduc tecum fratres tuos, et Dóminus fáciet tecum misericórdiam et veritátem, quia ostendísti grátiam et fidem.

℟. Dñus, qui erípuit. 228.

FERIA SEXTA.

De libro secúndo Regum.

Lectio i. *Cap.* xvi.

EGRESSUS ergo rex David usque Bahúrim : et ecce egrediebátur inde vir de cognatióne domus Saul, nómine Sémei, fílius Gera, procedebátque egrédiens, et maledicébat, mittebátque lápides contra David, et contra univérsos servos regis David : omnis autem pópulus, et univérsi bellatóres, a dextro et a sinístro látere regis incedébant. Ita autem loquebátur Sémei cum maledíceret regi : Egrédere, egrédere vir sánguinum, et vir Bélial. Réddidit tibi Dóminus univérsum sánguinem domus Saul : quóniam invasísti regnum pro eo.

℟. Percússit Saul. 229.

Lectio ii.

DIXIT autem Abísai, fílius Sárviae, regi : Quare maledícit canis hic mórtuus dómino meo regi ? vadam, et amputábo caput ejus. Et ait rex : Quid mihi et vobis est, fílii Sárviae ? dimíttite eum ut maledícat : Dóminus enim praecépit ei ut maledíceret David : et quis est qui áudeat dícere, quare sic fécerit ?

℟. Montes Gélboe. 229.

Lectio ii.

ET ait rex Abísai, et univérsis servis suis : Ecce fílius meus, qui egréssus est de útero meo, quaerit ánimam meam : quanto magis nunc fílius Jémini ? dimíttite eum ut maledícat juxta praecéptũ Dómini : si forte respíciat Dñus afflictiónem meam, et reddat mihi Dóminus bonum pro maledictióne hac hodiérna.

℣. Ego te tuli. 229.

SABBATO.

De libro secúndo Regum.

Lectio i. *Cap.* xviii. *b.*

EGRESSUS est pópulus in campum contra Israël, et factum est praelium in saltu Ephraim. Et caesus est ibi pópulus Israël ab exércitu David, fáctaque est plaga magna in die illa, vigínti míllium. Fuit autem ibi praelium dispérsum super fáciem omnis terrae, et multo plures erant quos saltus consúmpserat de pópulo, quam hi quos voráverat gládius in die illa.

Lectio ii.

ACCIDIT autem ut occúrreret Absalom servis David sedens mulo : cumque ingréssus fuísset mulus subter condénsam quercum et magnam, adhaesit caput ejus quércui : et illo suspénso inter coelum et terram, mulus, cui inséderat, pertransívit. Vidit autem hoc quíspiam, et nuntiávit Joab, dicens: Vidi Absalom pendére de quercu. Et ait Joab viro, qui nuntiáverat ei : Si vidísti, quare non confodísti eum cum terra, et ego dedíssem tibi decem argénti siclos, et unum bálteum ? Qui dixit ad Joab : Si appénderes in mánibus meis mille argénteos, nequáquam mítterem manum meam in fílium regis : audiéntibus enim nobis praecépit rex tibi, et Abísai, et Ethái, dicens : Custodíte mihi púerum Absalom.

Lectio iii.

ET ait Joab : Non sic ut tu vis, sed aggrédiar eum coram te. Tulit ergo tres lánceas in manu sua, et infíxit eas in corde Absalom : cumque adhuc palpitáret haerens in quercu, cucurrérunt decem júvenes armígeri Joab, et percutiéntes interfecérunt eum. Cécinit autem Joab búccina, et retínuit pópulum, ne persequerétur fugiéntẽ Israël, volens párcere multitúdini. Et tulérunt Absalom, et projecérunt eum in saltu, in fóveam

grandem, et comportavérunt super eum acérvum lápidum, magnum nimis.

Ad Magníf. Añа. Unxérunt Salomónem Sadoc sacérdos, et Nathan Prophéta, regem in Gihon, et ascendéntes laeti dixérunt: Vivat rex in aetérnum.

Nisi ponenda sit Añа pro Dominica prima Augusti: quia tunc, omissis Añis et Lectionibus de libris Regum, ponuntur de libris Salomonis: quod etiam servatur in sequentibus Hebdomadis.

DOMINICA VII.
post Pentecosten.

In primo Nocturno.

Incipit liber tértius Regum.

Lectio i. *Cap.* i.

REX David senúerat, habebátque aetátis plúrimos dies: cumque operirétur véstibus, non calefiébat. Dixérunt ergo ei servi sui: quaerámus dómino nostro regi adolescéntulam vírginē, et stet coram rege, et fóveat eum, dormiátque in sinu suo, et calefáciat dóminum nostrum regem. Quaesiérunt ígitur adolescéntulam speciósam in ómnibus fínibus Israël, et invenérunt Abísag Sunamítidem, et adduxérunt eam ad regem. Erat autem puélla pulchra nimis, dormiebátque cum rege, et minístrabat ei: rex vero non cognóvit eam.

℟. Praeparáte corda. 227.

Lectio ii.

ADONIAS autem fílius Haggith elevabátur, dicens: Ego regnábo. Fecítque sibi currus et équites, et quinquagínta viros qui cúrrerent ante eum. Nec corrípuit eum pater suus aliquándo, dicens: Quare hoc fecísti? Erat autem et ipse pulcher valde, secúndus natu post Absalom. Et sermo ei cum Joab fílio Sárviae, et cum Abíathar sacerdóte, qui adjuvábant partes Adoníae. Sadoc vero sacérdos, et Banájas fílius Jójadae, et Nathan Prophéta, et Sémei et Rei, et robur exércitus David non erat cum Adonía.

℟. Deus, ómnium. 228.

Lectio iii.

DIXIT ítaque Nathan ad Bethsabée matrem Salomónis: Num audísti, quod regnáverit Adonías fílius Haggith, et dóminus noster David hoc ignórat? Nunc ergo veni, áccipe consílium a me, et salva ánimam tuam, filiíque tui Salomónis. Vade, et ingrédere ad regem David, et dic ei: Nonne tu, dómine mi rex, jurásti mihi ancíllae tuae,

dicens : Sálomon fílius tuus regnábit post me, et ipse sedébit in sólio meo ? quare ergo regnat Adonías ? Et adhuc ibi te loquénte cum rege, ego véniam post te, et complébo sermónes tuos. Ingréssa est ítaque Bethsabée ad regem in cubículum.

℟. Dñus, qui erípuit. 228.

In secundo Nocturno.

Ex Epístola sancti Hierónymi Presbyteri ad Nepotiánum.

Lectio iv. *Epist.* ii. t. 1.

DAVID annos natus septuagínta, bellicósus quondam vir, senectúte frigescénte, non póterat caléfieri. Quaeritur ítaque puélla de univérsis fínibus Israël Abísag Sunamítis, quae cum rege dormíret, et senile corpus calefáceret. Quae est ista Sunamítis, uxor et virgo, tam fervens, ut frígidum calefáceret ; tam sancta, ut caléntem ad libídinem non provocáret ? Expónat sapientíssimus Sálomon patris sui delícias, et pacíficus bellatóris viri narret ampléxus. Pósside sapiéntiam, pósside intelligéntiam. Ne obliviscáris et ne declináveris a verbis oris mei : neque derelínquas illam, et apprehéndet te : ama illam, et servábit te. Princípium sapiéntiae, pósside sapiéntiam : et in omni possessióne tua, pósside intelligéntiam : circúmda illam, et exaltábit te : honóra illam, et amplexábitur te, ut det cápiti tuo corónam gratiárum. Coróna quoque deliciárum próteget te.

℟. Percússit Saul. 229.

Lectio v.

OMNES pene virtútes córporis mutántur in sénibus, et crescénte sola sapiéntia, decréscunt caetera : jejúnia, vigíliae, chameúniae, id est, super paviméntum dormitiónes, huc illúcque discúrsus, peregrinórum suscéptio, defénsio páuperum, instántia oratiónum, et perseverántia, visitátio languéntium, labor mánuum unde praebeántur eleemósynae. Et ne sermónem lóngius prótraham, cuncta quae per corpus exercéntur, fracto córpore minóra fiunt.

℟. Montes Gélboe. 229.

Lectio vi.

DEC hoc dico, quod in juvénibus et adhuc solidióris aetátis, his dumtáxat, qui labóre et ardentíssimo stúdio, vitae quoque sanctimónia, et oratiónis ad Dñum Jesum frequéntia, sciéntiam consecúti sunt, frígeat sapiéntia, quae in plerísque sénibus aetáte marcéscit : sed quod adolescéntia, multa córporis

bella sustíneat, et inter incentíva vitiórum, et carnis titillatiónes, quasi ignis in lignis viridibus suffocétur, ut suum non possit explicáre fulgórem. Senéctus vero rursus eórum, qui adolescéntiam suam honéstis ártibus instruxérunt, et in lege Dómini meditáti sunt die ac nocte, aetáte fit dóctior, usu tritior, procéssu témporis sapiéntior, et véterum studiórum dulcíssimos fructus metit.

℟. Ego te tuli. 229.
℟. vii. Peccávi. 230.
℟. viii. Duo. 230.

FERIA SECUNDA.

De libro tértio Regum.

Lectio i. *Cap.* i. *d.*

ET respóndit rex David, dicens : Vocáte ad me Bethsabée. Quae cum fuísset ingréssa coram rege, et stetísset ante eum, jurávit rex, et ait : Vivit Dóminus, qui éruit ánimam meam de omni angústia, quia sicut jurávi tibi per Dóminum Deum Israël, dicens : Sálomon fílius tuus regnábit post me, et ipse sedébit super sólium meum pro me : sic fáciam hódie. Summissóque Bethsabée in terram vultu, adorávit regem, dicens : Vivat dóminus meus David in aetérnũ.

℟. Recordáre, Dñe. 230.

Lectio ii.

DIXIT quoque rex David : Vocáte mihi Sadoc sacerdótem, et Nathan Prophétam, et Banájam fílium Jójadae. Qui cum ingréssi fuíssent coram rege, dixit ad eos : Tóllite vobíscum servos dómini vestri, et impónite Salomónẽ fílium meum super mulam meam : et dúcite eum in Gihon. Et ungat eum ibi Sadoc sacérdos, et Nathan Prophéta in regem super Israël : et canétis búccina, atque dicétis : Vivat rex Sálomon. Et ascendétis post eum, et véniet, et sedébit super sólium meum, et ipse regnábit pro me.

℟. Exaudísti, Dñe. 231.

Lectio iii.

DESCENDIT ergo Sadoc sacérdos, et Nathan prophéta, et Banájas fílius Jójadae, et Ceréthi, et Pheléthi : et imposuérunt Salomónem super mulam regis David, et adduxérunt eum in Gihon. Sumpsítque Sadoc sacérdos cornu ólei de tabernáculo, et unxit Salomónem : et cecinérunt búccina, et dixit omnis pópulus : Vivat rex Sálomon. Et ascéndit univérsa multitúdo post eum, et pópulus canéntium tíbiis, et laeántium gáudio magno, et insónuit terra a clamóre eórum.

℟. Audi, Dómine. 231.

FERIA TERTIA.

De libro tértio Regum.

Lectio i. *Cap.* ii.

APPROPINQUAVERUNT autem dies David ut morerétur, praecepítque Salomóni fílio suo, dicens : Ego ingrédior viam univérsae terrae : confortáre, et esto vir. Et obsérva custódias Dómini Dei tui, ut ámbules in viis ejus, ut custódias caeremónias ejus, et praecépta ejus, et judícia, et testimónia, sicut scriptum est in lege Móysi : ut intélligas univérsa quae facis, et quocúmque te vérteris : ut confírmet Dóminus sermónes suos, quos locútus est de me, dicens : Si custodíerint fílii tui vias suas, et ambuláverint coram me in veritáte, in omni corde suo, et in omni ánima sua, non auferétur tibi vir de sólio Israël.

℟. Dómine, si convérsus fúerit. 232.

Lectio ii.

TU quoque nosti quae fécerit mihi Joab fílius Sárviae, quae fécerit duóbus princípibus exércitus Israël, Abner fílio Ner, et Amasae fílio Jether, quos occídit, et effúdit sánguinẽ belli in pace, et pósuit cruórem praelii in bálteo suo, qui erat circa lumbos ejus, et in calceaménto suo, quod erat in pédibus ejus. Fácies ergo juxta sapiéntiam tuam, et non dedúces canítiem ejus pacífice ad ínferos.

℟. Factum est. 232.

Lectio iii.

SED et fíliis Berzéllai Galaadítis reddes grátiam, erúntque comedéntes in mensa tua : occurrérunt enim mihi, quando fugiébam a fácie Absalom fratris tui. Habes quoque apud te Sémei fílium Gera, fílii Jémini de Bahúrim, qui maledíxit mihi maledictióne péssima, quando ibam ad castra : sed quia descéndit mihi in occúrsum cum transírem Jordánem, et jurávi ei per Dñum, dicens : Non te interfíciam gládio : tu noli pati eum esse innóxium.

℟. Ego te tuli. 233.

FERIA QUARTA

De libro tértio Regum.

Lectio i. *Cap.* iii.

APPARUIT autem Dñus Salomóni per sómnium nocte, dicens : Póstula quod vis ut dem tibi. Et ait Sálomon : Tu fecísti cum servo tuo David patre meo misericórdiã magnam, sicut ambulávit in conspéctu tuo in veritáte, et justítia, et recto corde tecum :

custodísti ei misericórdiam tuam grandem : et dedísti ei fílium sedéntem super thronum ejus, sicut est hódie.

℟. Peccávi super. 233.

Lectio ii.

ET nunc, Dómine Deus, tu regnáre fecísti servum tuum pro David patre meo : ego autem sum puer párvulus, et ignórans egréssum et intróitu meum. Et servus tuus in médio est pópuli, quem elegísti, pópuli infiníti, qui numerári et supputári non potest prae multitúdine. Dabis ergo servo tuo cor dócile, ut pópulum tuum judicáre possit, et discérnere inter bonum et malum. Quis enim póterit judicáre pópulum tuum hunc multum ?

℟. Exaudísti, Dñe. 234.

Lectio iii.

PLACUIT ergo sermo coram Dómino, quod Sálomon postulásset hujuscémodi rem. Et dixit Dóminus Salomóni : Quia postulásti verbum hoc, et non petísti tibi dies multos, nec divítias, aut ánimas inimicórum tuórum, sed postulásti tibi sapiéntiam ad discerníndum judícium : ecce feci tibi secúndum sermónes tuos, et dedi tibi cor sápiens et intélligens, in tantum, ut nullus ante te símilis tui fúerit, nec post te surrectúrus sit. Sed et haec quae non postulásti, dedi tibi : divítias scílicet, et glóriam, ut nemo fúerit símilis tui in régibus cunctis retro diébus.

℟. Audi. Dómine. 234.

FERIA QUINTA.

De libro tértio Regum.

Lectio i. *Cap.* iv. *c.*

SALOMON autem erat in ditióne sua, habens ómnia regna a flúmine terrae Philísthiim usque ad términum Ægypti, offeréntium sibi múnera et serviéntium ei cunctis diébus vitae ejus. Erat autem cibus Salomónis per dies síngulos trigínta cori símilae, et sexagínta cori farínae, decem boves pingues, et vigínti boves pascuáles, et centum aríetes, excépta venatióne cervórum, capreárum, atque bubalórum, et ávium altílium. Ipse enim obtinébat omnem regiónem, quae erat trans flumen, a Taphsa usque ad Gazam, et cunctos reges illárum regiónum : et habébat pacem ex omni parte in circúitu.

℟. Praeparáte. 227.

Lectio ii.

HABITABATQUE Juda et Israël absque timóre ullo, unusquísque sub vite sua, et sub ficu sua, a Dan usque Bersabée cunctis diébus Salomónis. Et

habébat Sálomon quadragínta míllia praesépia equórum currílium, et duódecim míllia equéstrium. Nutriebántque eos supradícti regis praefécti : sed et necessária mensae regis Salomónis cum ingénti cura praebébant in témpore suo. Hórdeum quoque et páleas equórum et jumentórum deferébant in locum ubi erat rex, juxta constitútum sibi. Dedit quoque Deus sapiéntiam Salomóni, et prudéntiam multam nimis, et latitúdinem cordis quasi arénam quae est in líttore maris.

℣. Deus, ómnium. 228.

Lectio iii.

ET praecedébat sapiéntia Salomónis sapiéntiam ómnium Orientálium et Ægyptiórum, et erat sapiéntior cunctis homínibus : sapiéntior Ethan Ezrahíta, et Heman, et Chalcol, et Dorda, fíliis Mahol : et erat nominátus in univérsis géntibus per circúitum. Locútus est quoque Sálomon tria míllia parábolas : et fuérunt cármina ejus quinque et mille. Et disputávit super lignis, a cedro quae est in Líbano, usque ad hyssópum quae egréditur de paríete, et disséruit de juméntis, et volúcribus, et reptilibus, et píscibus. Et veniébant de cunctis pópulis ad audiéndam sapiéntiam Salomónis, et ab univérsis régibus terrae, qui audiébant sapiéntiam ejus.

℣. Dñus, qui erípuit. 228.

FERIA SEXTA.

De libro tértio Regum.

Lectio i. *Cap.* v.

MISIT quoque Hiram rex Tyri servos suos ad Salomónem: audívit enim quod ipsum unxíssent regem pro patre ejus : quia amícus fúerat Hiram David omni témpore. Misit autem Sálomon ad Hiram, dicens: Tu scis voluntátem David patris mei, et quia non potúerit aedificáre domum nómini Dómini Dei sui, propter bella imminéntia per circúitum, donec daret Dóminus eos sub vestígio pedum ejus. Nunc autem réquiem dedit Dñus Deus meus mihi per circúitum : et non est satan, neque occúrsus malus.

℣. Percússit Saul. 229.

Lectio ii.

QUAMOBREM cógito aedificáre templum nómini Dómini Dei mei, sicut locútus est Dóminus David patri meo, dicens : Filius tuus, quem dabo pro te super sólium tuum, ipse aedificábit domum nómini meo. Praecipe ígitur, ut praecídant mihi servi tui

cedros de Líbano, et servi mei sint cum servis tuis : mercédem autem servórum tuórum dabo tibi quamcúmque petíeris : scis enim quómodo non est in pópulo meo vir qui nóverit ligna caedere sicut Sidónii.

℟. Montes Gélboe. 229.

Lectio iii.

CUM ergo audísset Hiram verba Salomónis, laetátus est valde, et ait: Benedíctus Dóminus Deus hódie, qui dedit David fílium sapientíssimum super pópulum hunc plúrimum. Et misit Hiram ad Salomónem, dicens : Audívi quaecúmque mandásti mihi : ego fáciam omnem voluntátem tuam in lignis cédrinis et abiégnis. Servi mei depónent ea de Líbano ad mare: et ego compónam ea in rátibus in mari usque ad locum, quem significáveris mihi, et applicábo ea ibi, et tu tolles ea : praebebísque necessária mihi, ut detur cibus dómui meae.

℟. Ego te tuli. 229.

SABBATO.

De libro tértio Regum.

Lectio i. *Cap.* vii. *g. et* viii.

ET perfécit omne opus, quod faciébat Sálomon in domo Dómini, et íntulit quae sanctificáverat David pater suus, argéntum et aurum, et vasa, reposuítque in thesáuris domus Dómini. Tunc congregáti sunt omnes majóres natu Israël cum princípibus tríbuum, et duces familiárum filiórum Israël ad regem Salomónem in Jerúsalem, ut deférrent arcam foederis Dómini de civitáte David, id est, de Sion. Convenítque ad regem Salomónem univérsus Israël in mense Ethánim, in solémni die, ipse est mensis séptimus.

Lectio ii.

VENERUNTQUE cuncti senes de Israël, et tulérunt arcam sacerdótes, et portavérunt arcam Dómini, et tabernáculum foederis, et ómnia vasa Sanctuárii, quae erant in tabernáculo : et ferébant ea Sacerdótes et Levítae. Rex autem Sálomon, et omnis multitúdo Israël, quae convénerat ad eum, gradiebátur cum illo ante arcam, et immolábant oves et boves, absque aestimatióne et número. Et intulérunt sacerdótes arcam foederis Dómini in locum suum, in orácului templi, in Sanctum sanctórum subter alas Chérubim. Síquidem Chérubim expandébant alas super locum arcae, et protegébant arcam, et vectes ejus désuper.

Lectio iii.

IN arca autem non erat áliud, nisi duae tábulae lapídeae, quas posúerat in ea Móyses in Horeb, quando pépigit Dñus foedus cum fíliis Israël, cum egrederéntur de Terra Ægypti. Factum est autem, cum exíssent sacerdótes de Sanctuário, nébula implévit domum Dómini, et non póterant sacerdótes stare et ministráre propter nébulam : impléverat enim glória Dñi domum Dómini. Tunc ait Sálomon : Dóminus dixit, ut habitáret in nébula.

Ad Magnificat, Antiphona. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut aedificárem templum nómini tuo.

DOMINICA VIII.
post Pentecosten.

In primo Nocturno.

De libro tertio Regum.

Lectio i. *Cap.* ix.

FACTUM est autem, cum perfecísset Sálomon aedifícium domus Dómini, et aedifícium regis, et omne quod optáverat et volúerat fácere, appáruit ei Dñus secúndo, sicut apparúerat ei in Gábaon. Dixítque Dóminus ad eum : Exaudívi oratiónem tuam et deprecatiónem tuam, quam deprecátus es coram me : sanctificávi domum hanc, quam aedificásti, ut pónerem nomen meum ibi in sempitérnum, et erunt óculi mei et cor meum ibi cunctis diébus. Tu quoque si ambuláveris coram me, sicut ambulávit pater tuus, in simplicitáte cordis, et in aequitáte, et féceris ómnia quae praecépi tibi, et legítima mea, et judícia mea serváveris, ponam thronum regni tui super Israël in sempitérnum, sicut locútus sum David patri tuo, dicens : Non auferétur vir de génere tuo de sólio Israël.

℣. Praeparáte corda vestra. 227.

Lectio ii.

SI autem aversióne avérsi fuéritis vos et fílii vestri, non sequéntes me, nec custodiéntes mandáta mea, et caeremónias meas, quas propósui vobis, sed abiéritis et coluéritis deos aliénos, et adoravéritis eos : áuferam Israël de superfície terrae, quam dedi eis : et templum, quod sanctificávi nómini meo, projíciam a conspéctu meo, erítque Israël in provérbium et in fábulam cunctis pópulis. Et domus haec erit in exémplum : omnis qui transíerit

per eam, stupébit, et sibilábit, et dicet : Quare fecit Dóminus sic terrae huic, et dómui huic ? Et respondébunt : Quia dereliquérunt Dóminum Deum suum, qui edúxit patres eórum de Terra Ægypti, et secúti sunt deos aliénos, et adoravérunt eos, et coluérunt eos : idcírco indúxit Dóminus super eos omne malum hoc.

℟. Deus, ómnium. 228.

Lectio iii.

EXPLETIS autem annis vigínti, postquam aedificáverat Sálomon duas domos, id est, domum Dñi, et domum regis (Hiram rege Tyri praebénte Salomóni ligna cédrina et abiégna, et aurum juxta omne quod opus habúerat), tunc dedit Sálomon Hiram vigínti óppida in Terra Galilaeae. Et egréssus est Hiram de Tyro, ut vidéret óppida quae déderat ei Sálomon, et non placuérunt ei, et ait : Haeccine sunt civitátes, quas dedísti mihi, frater? Et appellávit eas Terram Chabul usque in diem hanc. Misit quoque Hiram ad regem Salomónem centum vigínti talénta auri.

℟. Dñus, qui erípuit. 228.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi de Civitáte Dei.

Lib. 17. *cap.* viii. *sub med.*

Lectio iv.

EACTA est quidem nonnúlla imágo rei futúrae étiam in Salomóne, in eo quod templum aedificávit, et pacem hábuit secúndum nomen suum (Sálomon quippe pacíficus est latine), et in exórdio regni sui mirabíliter laudábilis fuit. Sed eádem sua persóna per umbram futúri praenuntiábat étiam ipse Christum Dóminum nostrum, non exhibébat. Unde quaedam de illo ita scripta sunt, quasi de ipso ista praedícta sint, dum Scriptúra sancta étiam rebus gestis prophétans, quodámmodo in eo figúram delíneat futurórum.

℟. Percússit Saul. 229.

Lectio v.

QUAM praeter libros divínae históriae, ubi regnásse narrátur, Psalmus étiam septuagésimus primus título nóminis ejus inscríptus est. In quo tam multa dicúntur, quae omníno ei convenire non possunt : Dño autem Christo aptíssima perspicuitáte convéniunt : ut evidénter appáreat, quod in illo figúra qualiscúmque adumbráta sit; in isto autem ipsa véritas praesentáta.

℟. Montes Gélboe. 229.

Lectio vi.

NOTUM est enim, quibus términis regnum conclúsum fúerit Salomónis, et tamen in eo Psalmo légitur, ut ália táceam : Dominábitur a mari usque ad mare, et a flúmine usque ad términos orbis terrae : quod in Christo vidémus impléri. A flúmine quippe dominándi sumpsit exórdium, ubi baptizátus a Joánne, eódem monstránte, coepit agnósci a discípulis, qui eum non solum magístrum, verum étiam Dóminum appellavérunt.

℟. Ego te tuli. 229.

℟. vii. Peccávi. 230.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant. 230.

FERIA SECUNDA.

De libro tértio Regum.

Lectio i. *Cap.* x.

SED et regína Saba, audíta fama Salomónis in nómine Dómini, venit tentáre eum in aenigmátibus. Et ingréssa Jerúsalem multo cum comitátu, et divítiis, camélis portántibus arómata, et aurum infinítum nimis, et gemmas pretiósas, venit ad regem Salomónem, et locúta est ei univérsa quae habébat in corde suo. Et dócuit eam Sálomon ómnia verba quae proposúerat : non fuit sermo, qui regem posset latére, et non respondéret ei.

℟. Recordáre, Dñe. 230.

Lectio ii.

VIDENS autem regína Saba omnem sapiéntiam Salomónis, et domum quam aedificáverat, et cibos mensae ejus, et habitácula servórum, et órdines ministrántium, vestésque eórum, et pincérnas, et holocáusta quae offerébat in domo Dómini, non habébat ultro spíritum. Dixítque ad regem : Verus est sermo, quem audívi in terra mea super sermónibus tuis, et super sapiéntia tua : et non credébam narrántibus mihi, donec ipsa veni, et vidi óculis meis, et probávi quod média pars mihi nuntiáta non fúerit : major est sapiéntia et ópera tua, quam rumor quem audívi.

℟. Exaudísti, Dñe. 231.

Lectio iii.

BEATI viri tui, et beáti servi tui, qui stant coram te semper, et áudiunt sapiéntiam tuam. Sit Dóminus Deus tuus benedíctus, cui complacuísti, et pósuit te super thronum Israël, eo quod diléxerit Dóminus Israël in sempitérnum, et constítuit te regem, ut fáceres judícium et justítiam. Dedit ergo regi centum vigínti talénta

auri, et arómata multa nimis, et gemmas pretiósas : non sunt allata ultra arómata tam multa, quam ea quae dedit regína Saba regi Salomóni. Sed et classis Hiram, quae portábat aurum de Ophir, áttulit ex Ophir ligna thyína multa nimis, et gemmas pretiósas.

℟. Audi, Dómine. 231.

FERIA TERTIA.

De libro tértio Regum.

Lectio i. *Cap.* xi.

REX autem Sálomon adamávit mulíeres alienígenas multas, fíliam quoque Pharaónis, et Moabitidas, et Ammonítidas, Idumaeas, et Sidónias, et Hethaeas : de Géntibus, super quibus dixit Dóminus fíliis Israël : Non ingrediémini ad eas, neque de illis ingrediéntur ad vestras : certíssime enim avértent corda vestra, ut sequámini deos eárum. His ítaque copulátus est Salomon ardentíssimo amóre. Fuerúntque ei uxóres quasi regínae septingéntae, et concubínae trecéntae : et avertérunt mulíeres cor ejus. Cumque jam esset senex, depravátum est cor ejus per mulíeres, ut sequerétur deos aliénos : nec erat cor ejus perféctum cum Dómino Deo suo, sicut cor David patris ejus.

℟. Dómine, si convérsus fúerit. 232.

Lectio ii.

SED colébat Sálomon Astárthen deam Sidoniórum, et Moloch idólum Ammonitárum. Fecítque Sálomon quod non plácuerat coram Dómino, et non adimplévit ut sequerétur Dóminum, sicut David pater ejus. Tunc aedificávit Sálomon fanum Chamos idólo Moab, in monte qui est contra Jerúsalem, et Moloch idólo filiórum Ammon. Atque in hunc modum fecit univérsis uxóribus suis alienígenis, quae adolébant thura, et immolábant diis suis.

℟. Factum est. 232.

Lectio iii.

IGITUR irátus est Dóminus Salomóni, quod avérsa esset mens ejus a Dómino Deo Israël, qui apparúerat ei secúndo, et praecéperat de verbo hoc, ne sequerétur deos aliénos, et non custodívit quae mandávit ei Dóminus. Dixit ítaque Dóminus Salomóni : Quia habuísti hoc apud te, et non custodísti pactum meum, et praecépta mea quae mandávi tibi, disrúmpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo. Verúmtamen in

diébus tuis non fáciam propter David patrem tuum.

℟. Ego te tuli. 233.

FERIA QUARTA

De libro tértio Regum.

Lectio i. *Cap.* xi. *c.*

EROBOAM quoque fílius Nabat, Ephrathaeus, de Saréda, servus Salomónis, cujus mater erat nómine Sarva, múlier vídua, levávit manum contra regem. Et haec est causa rebellióni advérsus eum, quia Sálomon aedificávit Mello, et coaequávit voráginem civitátis David patris sui. Erat autem Jeróboam vir fortis et potens : vidénsque Sálomon adolescéntem bonae indolis et indústrium, constitúerat eum praeféctum super tribúta univérsae domus Joseph.

℟. Peccávi super. 233.

Lectio ii.

FACTUM est ígitur in témpore illo, ut Jeróboam egrederétur de Jerúsalem, et inveníret eum Ahías Silonítes Prophéta in via, opértus pállio novo : erant autem duo tantum in agro. Apprehendénsque Ahías pállium suum novum, quo coopértus erat, scidit in duódecim partes. Et ait ad Jeróboam : Tolle tibi decem scissúras : haec enim dicit Dóminus Deus Israël : Ecce ego scindam regnum de manu Salomónis, et dabo tibi decem tribus.

℟. Exaudísti, Dñe. 234.

Lectio iii.

VOLUIT ergo Sálomon interfícere Jeróboam : qui surréxit, et aufúgit in Ægyptum, ad Sesac regem Ægypti, et fuit in Ægypto usque ad mortem Salomónis. Réliquum autem verbórum Salomónis, et ómnia quae fecit, et sapiéntia ejus : ecce univérsa scripta sunt in Libro verbórum diérum Salomónis. Dies autem quos regnávit Sálomon in Jerúsalem super omnem Israël, quadragínta anni sunt. Dormivítque Sálomon cum pátribus suis, et sepúltus est in civitáte David patris sui, regnavítque Róboam fílius ejus pro eo.

℟. Audi, Dómine. 234.

FERIA QUINTA.

De libro tértio Regum.

Lectio i. *Cap.* xii.

ENIT autem Róboam in Sichem : illuc enim congregátus erat omnis Israël ad constituéndum eum regem. At vero Jeróboam fílius Nabat, cum adhuc esset in Ægypto prófugus a fácie regis Salomónis, audíta morte ejus,

revérsus est de Ægypto. Miserúntque et vocavérunt eum : venit ergo Jeróboam, et omnis multitúdo Israël, et locúti sunt ad Róboam, dicéntes : Pater tuus durissimum jugum impósuit nobis : tu itaque nunc immínue páululum de império patris tui durissimo, et de jugo gravíssimo, quod impósuit nobis, et serviémus tibi. Qui ait eis : Ite usque ad tértium diem, et revertímini ad me.

℟. Praeparáte. 227.

Lectio ii.

CUMQUE abiísset pópulus, íniit consílium rex Róboam cum senióribus, qui assistébant coram Salomóne patre ejus, cum adhuc víveret et ait : Quod datis mihi consílium, ut respóndeam pópulo huic ? Qui dixérunt ei : Si hódie obedíeris pópulo huic, et serviéris, et petitióni eórum césseris, locutúsque fúeris ad eos verba lénia, erunt tibi servi cunctis diébus. Qui derelíquit consílium senum, quod déderant ei, et adhíbuit adolescéntes, qui nutríti fúerant cum eo, et assistébant illi.

℟. Deus, ómnium. 228.

Lectio iii.

RESPONDITQUE rex pópulo dura, derelícto consílio seniórum, quod ei déderant, et locútus est eis secúndum consílium júvenum, dicens: Pater meus aggravávit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro : pater meus caecídit vos flagéllis, ego autem caedam vos scorpiónibus. Et non acquiévit rex pópulo : quóniam aversátus fúerat eum Dóminus, ut suscitáret verbum suum, quod locútus fúerat in manu Ahíae Silonitae, ad Jeróboam fílium Nabat. Vidénsítaque pópulus quod noluísset eos audíre rex, respóndit ei, dicens : Quae nobis pars in David ? vel quae haeréditas in fílio Isai ?

℟. Dñus, qui erípuit. 228.

FERIA SEXTA.

De libro tértio Regum.

Lectio i. *Cap.* xiv. *b.*

EXIT autem Dóminus ad Ahíam: Ecce uxor Jeróboam ingréditur, ut cónsulat te super fílio suo, qui aegrótat : haec et haec loquéris ei. Cum ergo illa intráret, et dissimuláret se esse quae erat, audívit Ahías sónitum pedum ejus, introeúntis per óstium, et ait : Ingrédere uxor Jeróboam : quare áliam te esse símulas ? ego autem missus sum ad te durus núntius.

℟. Percússit Saul. 229.

Lectio ii.

VADE, et dic Jeróboam: Haec dicit Dñus Deus Israël: Quia exaltávi te de médio pópuli, et dedi te ducem super pópulum meum Israël, et scidi regnum domus David, et dedi illud tibi, et non fuísti sicut servus meus David, qui custodívit mandáta mea, et secútus est me in toto corde suo, fáciens quod plácitum esset in conspéctu meo: sed operátus es mala super omnes qui fuérunt ante te, et fecísti tibi deos aliénos et conflátiles, ut me ad iracúndiam provocáres; me autem projecísti post corpus tuum.

℟. Montes Gélboe. 229.

Lectio iii.

IDCIRCO ecce ego indúcam mala super domum Jeróboam, et percútiam de Jeróboam mingéntem ad paríetem, et clausum, et novíssimum in Israël: et mundábo relíquias domus Jeróboã, sicut mundári solet fimus usque ad purum. Qui mórtui fúerint de Jeróboam in civitáte, cómedent eos canes: qui autem mórtui fúerint in agro, vorábunt eos aves coeli: quia Dñus locútus est. Tu ígitur surge, et vade in domum tuam: et in ipso intróitu pedum tuórum in urbem, moriétur puer.

℟. Ego te tuli. 229.

SABBATO.

De libro tértio Regum.

Lectio i. *Cap.* xviii. *d.*

ACCEDENS autem Elías ad omnem pópulum, ait: Usquequo claudicátis in duas partes? Si Dñus est Deus, sequímini eum: si autem Baal, sequímini illum. Et non respóndit ei pópulus verbum. Et ait rursus Elías ad pópulum: Ego remánsi Prophéta Dñi solus: prophétae autem Baal quadringénti et quinquagínta viri sunt.

Lectio ii.

DENTUR nobis duo boves, et illi éligant sibi bovem unum, et in frusta caedéntes, ponant super ligna, ignem autem non suppónant: et ego fáciam bovem álterum, et impónam super ligna, ignem autem non suppónam. Invocáte nómina deórum vestrórum, et ego invocábo nomen Dómini mei: et Deus qui exaudíerit per ignem, ipse sit Deus. Respóndens omnis pópulus, ait: Optima propósitio.

Lectio iii.

DIXIT ergo Elías prophétis Baal: Elígite vobis bovem unum, et fácite primi, quia vos plures estis: et invocáte nómina deórum vestrórum,

ignémque non supponátis. Qui cum tulíssent bovem, quem déderat eis, fecérunt: et invocábant nomen Baal de mane usque ad merídiem, dicéntes: Baal, exáudi nos. Et non erat vox, nec qui respondéret: transiliebántque altáre quod fécerant. Cumque esset jam merídies, illudébat illis Elías, dicens: Clamáte voce majóre.

Ad Magníficat, Aña. Dum tólleret Dóminus Elíam per túrbinem in coelum, Eliséus clamábat: Pater mi, currus Israël, et auríga ejus.

DOMINICA IX.
post Pentecosten.

In primo Nocturno.

Incipit liber quartus Regum.

Lectio i. *Cap.* i.

IN PRAEVARICATUS est autem Moab in Israël, postquam mórtuus est Achab. Cecidítque Ochozías per cancéllos coenáculi sui, quod habébat in Samaría, et aegrotávit: misítque núntios dicens ad eos: Íte, consúlite Beélzebub deum Accaron, utrum vívere queam de infirmitáte mea hac. Angelus autem Dómini locútus est ad Elíam Thesbíten, dicens: Surge, et ascénde in occúrsum nuntiórum regis Samaríae, et dices ad eos: Numquid non est Deus in Israël, ut eátis ad consuléndum Beélzebub deum Accaron? Quam ob rem haec dicit Dóminus: De léctulo, super quem ascendísti, non descéndes, sed morte moriéris.

℟. Praeparáte corda vestra. 227.

Lectio ii.

ET ábiit Elías. Reversíque sunt núntii ad Ochozíam. Qui dixit eis: Quare revérsi estis? At illi respondérunt ei: Vir occúrrit nobis, et dixit ad nos: Ite, et revertímini ad regem qui misit vos, et dicétis ei: Haec dicit Dñus: Numquid, quia non erat Deus in Israël, mittis ut consulátur Beélzebub deus Accaron? Idcírco de léctulo, super quem ascendísti, non descéndes, sed morte moriéris.

℟. Deus, ómnium exaudítor. 228.

Lectio iii.

QUI dixit eis: Cujus figúrae et hábitus est virille, qui occúrrit vobis, et locútus est verba haec? At illi dixérunt: Vir pilósus, et zona pellícea accínctus rénibus. Qui ait: Elías Thesbítes est. Misítque ad eum quinquagenáriu príncipem, et quinquagínta qui erant sub eo. Qui ascéndit ad

eum : sedentíque in vértice montis ait : Homo Dei, rex praecépit ut descéndas. Respondénsque Elías, dixit quinquagenário : Si homo Dei sum, descéndat ignis de coelo, et dévoret te, et quinquagínta tuos. Descéndit ítaque ignis de coelo, et devorávit eum, et quinquagínta qui erant cum eo.

℣. Dóminus, qui erípuit me. 228.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.
Serm. cci. *de Tempore.*

Lectio iv.

IN lectiónibus, quae nobis diébus istis recitántur, fratres carissimi, frequénter admónui, ut non sequámur litteram occidéntem, et vivificántem spíritum relinquámus. Sic enim Apóstolus ait : Líttera enim occídit, spíritus vivíficat. Si enim hoc tantum vólumus intellígere, quod sonat in líttera : aut parvam, aut prope nullam aedificatiónem de divínis lectiónibus capiémus. Illa enim ómnia quae recitántur, typus erant et imágo futurórum. In Judaeis enim figuráta, in nobis, grátia Dei donánte, compléta sunt.

℣. Percússit Saul mille et David. 229.

Lectio v.

BEATUS enim Elías typum hábuit Dñi Salvatóris. Sicut enim Elías a Judaeis persecutiónem passus est : ita et verus Elías Dóminus noster ab ipsis Judaeis reprobátus est, et contémptus. Elías reliquit gentem suam : et Christus deséruit synagógam. Elías ábiit in desértu : et Christus venit in mundum. Elías in desérto, corvis ministrántibus, pascebátur : et Christus in desérto mundi hujus Géntium fide refícitur.

℣. Montes Gélboe. 229.

Lectio vi.

CORVI enim illi, qui beáto Elíae, jubénte Dño, ministrábant, Géntiu pópulum figurábant : propterea et de Géntium Eccléssia dícitur : Nigra sum et formósa, fília Jerúsalem. Unde est Ecclésia nigra, et formósa ? Nigra per natúram, formósa per grátiam. Unde nigra ? Ecce in iniquitátibus concéptus sum, et in delíctis péperit me mater mea. Unde formósa? Aspérges me hyssópo, et mundábor : lavábis me, et super nivem dealbábor.

℣. Ego te tuli. 229.

℣. vii. Peccávi. 230.

℣. viii. Duo Séraphim clamábant. 230.

FERIA SECUNDA.

De libro quarto Regum.

Lectio i. *Cap.* ii.

ACCESSERUNT fílii Prophetárũ, qui ẽrant in Jéricho, ad Elisæum, et dixérunt ei : numquid nosti quia Dóminus hódie tollet dóminum tuum a te? Et ait : Et ego novi : siléte. Dixit autem ei Elías : Sede hic, quia Dóminus misit me usque ad Jordánem. Qui ait : Vivit Dóminus, et vivit ánima tua, quia non derelínquam te. Iérunt ígitur, ambo páriter, et quinquagínta viri de fíliis Prophetárum secúti sunt eos, qui et stetérunt e contra, longe : illi autem ambo stabant super Jordánem.

℣. Recordáre, Dñe. 230.

Lectio ii.

TULITQUE Elías pállium suum, et involvit illud, et percússit aquas, quae divísae sunt in utrámque partem, et transiérunt ambo per siccum. Cumque transíssent, Elías dixit ad Elisæum : Póstula quod vis ut fáciam tibi, ántequam tollar a te. Dixítque Elisæus : Obsecro ut fiat in me duplex spíritus tuus. Qui respóndit : Rem difficilem postulásti : áttamen si vidéris me, quando tollar a te, erit tibi quod petísti : si autem non víderis, non erit.

℣. Exaudísti, Dñe. 231.

Lectio iii.

CUMQUE pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus, et equi ígnei divisérunt utrúmque : et ascéndit Elías per túrbinẽ in coelum. Elisæus autem vidébat, et clamábat : Pater mi, pater mi, currus Israël, et auríga ejus. Et non vidit eum ámplius : apprehendítque vestiménta sua, et scidit illa in duas partes. Et levávit pállium Elíae, quod ecciderat ei : reversúsque stetit super ripam Jordánis.

℣. Audi, Dómine. 231.

FERIA TERTIA.

De libro quarto Regum.

Lectio i. *Cap.* iii.

EGRESSUS est ígitur rex Joram in die illa de Samaría, et recénsuit univérsum Israël. Misítque ad Jósaphat regem Juda, dicens : Rex Moab recéssit a me, veni mecum contra eum ad praelium. Qui respóndit : Ascéndam : qui meus est, tuus est : pópulus meus, pópulus tuus ; et equi mei, equi tui. Dixítque : Per quam viam ascendémus? At ille respóndit : Per desértum Idumaeae.

Perrexérunt ígitur rex Israël, et rex Juda, et rex Edom, et circuiérunt per viam septem diérum; nec erat aqua exercítui, et juméntis, quae sequebántur eos.

℟. Dñe, si convérsus. 232.

Lectio ii.

DIXITQUE rex Israël: Heu, heu, heu, congregávit nos Dóminus tres reges, ut tráderet in manus Moab. Et ait Jósaphat: Estne hic Prophéta Dómini, ut deprecémur Dóminum per eum? Et respóndit unus de servis regis Israël: Est hic Eliséus fílius Saphat, qui fundébat aquam super manus Elíae. Et ait Jósaphat: Est apud eum sermo Dñi. Descendítque ad eum rex Israël, et Jósaphat rex Juda, et rex Edom. Dixit autem Eliséus ad regem Israël: Quid mihi et tibi est? Vade ad prophétas patris tui, et matris tuae.

℟. Factum est. 232.

Lectio iii.

ET ait illi rex Israël: Quare congregávit Dóminus tres reges hos, ut tráderet eos in manus Moab? Dixítque ad eum Eliséus: Vivit Dóminus exercítuum, in cujus conspéctu sto, quod si non vultum Jósaphat regis Judae erubéscerem, non attendíssem quidem te, nec respexíssem. Nunc autem addúcite mihi psaltem. Cumque cáneret psaltes, facta est super eum manus Dómini, et ait: Haec dicit Dóminus: Fácite álveum torréntis hujus fossas et fossas. Haec enim dicit Dñus: Non vidébitis ventum, neque plúviam: et álveus iste replébitur aquis, et bibétis vos, et famíliae vestrae, et juménta vestra. Parúmque est hoc in conspéctu Dñi: ínsuper tradet étiam Moab in manus vestras.

℟. Ego te tuli. 233.

FERIA QUARTA.

De libro quarto Regum.

Lectio i. *Cap.* iv.

MULIER autem quaedam de uxóribus Prophetárũ clamábat ad Eliséum, dicens: Servus tuus vir meus mórtuus est, et tu nosti quia servus tuus fuit timens Dóminum: et ecce créditor venit, ut tollat duos fílios meos ad serviéndum sibi. Cui dixit Eliséus: Quid vis ut fáciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa respóndit: Non hábeo ancílla tua quidquam in domo mea, nisi parum ólei, quo ungar. Cui ait: Vade, pete mútuo ab ómnibus vicínis tuis vasa vácua non pauca. Et ingrédere, et claude óstium tuum, cum intrínsecus fúeris tu, et fílii

tui : et mitte inde in ómnia vasa haec : et cum plena fúerint, tolles.

℟. Peccávi super. 233.

Lectio ii.

IVIT ítaque múlier, et clausit óstium super se, et super fílios suos : illi offerébant vasa, et illa infundébat. Cumque plena fuíssent vasa, dixit ad fílium suum : Affer mihi adhuc vas. Et ille respóndit : Non hábeo. Stetítque óleum. Venit autem illa, et indicávit hómini Dei. Et ille, Vade, inquit, vende óleum, et redde creditóri tuo : tu autem et fílii tui vívite de réliquo. Facta est autem quaedam dies, et transíbat Eliséus per Sunam : erat autem ibi múlier magna, quae ténuit eum ut coméderet panem : cumque frequénter inde transíret, divertébat ad eam ut coméderet panem. Quae dixit ad virum suum : Animadvérto quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequénter. Faciámus ergo ei coenáculum parvum, et ponámus ei in eo léctulum, et mensam, et sellam, et candelábrum ; ut cum vénerit ad nos, máneat ibi.

℟. Exaudísti, Dñe. 234.

Lectio iii.

FACTA est ergo dies quaedam, et véniens divértit in coenáculum, et requiévit ibi. Dixítque ad Giézi púerum suum : Voca Sunamítidem istam. Qui cum vocásset eam, et illa stetísset coram eo, dixit ad púerum suum : Lóquere ad eam : Ecce sédulo in ómnibus ministrásti nobis, quid vis ut fáciam tibi ? Numquid habes negótium, et vis ut loquar regi, sive príncipi militiae ? Quae respóndit : In médio pópuli mei hábito. Et ait : Quid ergo vult ut fáciam ei ? Dixítque Giézi : Ne quaeras : fílium enim non habet, et vir ejus senex est. Praecépit ítaque ut vocáret eam : quae cum vocáta fuísset, et stetísset ante óstium, dixit ad eam : In témpore isto, et in hac eádem hora, si vita comes fúerit, habébis in útero fílium. At illa respóndit : Noli, quaeso, dómine mi, vir Dei, noli mentíri ancíllae tuae. Et concépit múlier, et péperit fílium in témpore, et in hora eádem, qua díxerat Eliséus.

℟. Audi, Dómine. 234.

FERIA QUINTA.

De líbro quarto Regum.

Lectio i. *Cap.* vi. *e. et* vii.

CONGREGAVIT Bénadad rex Syriae univérsum exércitum suum, et ascéndit, et obsidébat Samaríam. Factáque est

fames magna in Samaría : et támdiu obséssa est, donec venumdarétur caput ásini octoginta argénteis, et quarta pars cabi stércoris columbárum quinque argénteis. Cumque rex Israël transíret per murum, múlier quaedam exclamávit ad eum, dicens : Salva me, dómine mi rex. Qui ait : Non te salvat Dóminus : unde te possum salváre? de área, vel de torculári ?

℣. Praeparáte corda vestra. 227

Lectio ii.

DIXITQUE ad eam rex : Quid tibi vis ? Quae respóndit : Múlier ista dixit mihi : Da fílium tuum, ut comedámus eum hódie, et fílium meum comedémus cras. Cóximus ergo fílium meum, et comédimus. Dixíque ei die áltera : Da fílium tuum, ut comedámus eum. Quae abscóndit fíliũ suum. Quod cum audísset rex, scidit vestiménta sua, et transíbat per murum. Vidítque omnis pópulus cilícium, quo vestítus erat ad carnem intrínsecus. Et ait rex : Haec mihi fáciat Deus, et haec addat, si stéterit caput Elisséi fílii Saphat super ipsum hódie. Eliséus autem sedébat in domo sua, et senes sedébant cum eo.

℣. Deus, ómnium exaudítor. 228.

Lectio iii.

PRAEMISIT ítaque virum : et ántequam veníret núntius ille, dixit ad senes : Numquid scitis quod míserit fílius homicídae hic, ut praecidátur caput meum? vidéte ergo, cum vénerit núntius, cláudite óstium, et non sinátis eum introíre : ecce enim sónitus pedum dómini ejus post eum est. Adhuc illo loquénte eis, appáruit núntius, qui veniébat ad eum. Et ait : Ecce tantum malum a Dómino est : quid ámplius expectábo a Dño? Dixit autem Eliséus : Audíte verbum Dñi : Haec dicit Dóminus : In témpore hoc cras módius símilae uno statére erit, et duo módii hórdei statére uno, in porta Samaríae.

℣. Dñus, qui erípuit. 228.

FERIA SEXTA.

De libro quarto Regum.

Lectio i. *Cap.* viii.

ELISEUS autem locútus est ad mulíerem, cujus vívere fécerat fílium, dicens : Surge, vade tu et domus tua, et peregrináre ubicúmque repéreris : vocávit enim Dñus famem, et véniet super terram septem annis. Quae surréxit, et fecit juxta verbum hóminis Dei : et vadens

cum domo sua, peregrináta est in terra Philísthiim diébus multis. Cumque finíti essent anni septem, revérsa est múlier de Terra Philísthiim : et egréssa est ut interpelláret regem pro domo sua, et pro agris suis.

℟. Percússit Saul. 229.

Lectio ii.

REX autem loquebátur cum Giézi púero viri Dei, dicens : Narra mihi ómnia magnália quae fecit Eliséus. Cumque ille narráret regi quómodo mórtuum suscitásset, appáruit múlier, cujus vivificáverat fílium, clamans ad regem pro domo sua, et pro agris suis. Dixítque Giézi : Dómine mi rex, haec est múlier, et hic est fílius ejus, quem suscitávit Eliséus. Et interrogávit rex muliérem : quae narrávit ei. Dedítque ei rex eunúchum unum, dicens : Restítue ei ómnia quae sua sunt, et univérsos réditus agrórum, a die qua relíquit terram, usque ad praesens.

℟. Montes Gélboe. 229.

Lectio iii.

VENIT quoque Eliséus Damáscum, et Bénadad rex Syriae aegrotábat : nuntiavéruntque ei, dicéntes : Venit vir Dei huc. Et ait rex ad Házael : Tolle tecum múnera, et vade in occúrsum viri Dei, et cónsule Dóminum per eum, dicens : Si evádere pótero de infirmitáte mea hac? Ivit ígitur Házael in occúrsum ejus. Cumque stetísset coram eo, ait : Fílius tuus Bénadad rex Syriae misit me ad te, dicens : Si sanári pótero de infirmitáte mea hac? Dixítque ei Eliséus : Vade, dic ei : Sanáberis : porro osténdit mihi Dóminus quia morte moriétur.

℟. Ego te tuli. 229.

SABBATO.

De libro quarto Regum.

Lectio i. *Cap.* ix.

ELISEUS autem Prophétes vocávit unum de fíliis Prophetárum, et ait illi : Accínge lumbos tuos, et tolle lenticulam ólei hanc in manu tua, et vade in Ramoth Gálaad. Cumque véneris illuc, vidébis Jehu fílium Jósaphat fílii Námsi: et ingréssus suscitábis eum de médio fratrum suórum, et introdúces in intérius cubículum. Tenénsque lenticulam ólei, fundes super caput ejus, et dices : Haec dicit Dóminus : Unxi te regem super Israël. Aperiésque óstium, et fúgies, et non ibi subsístes. Abiit ergo adoléscens puer Prophétae in Ramoth Gálaad, et ingréssus est illuc : ecce autem príncipes exércitus sedébant, et ait : Verbum

mihi ad te, o princeps. Dixítque Jehu : Ad quem ex ómnibus nobis ? At ille dixit : ad te, o princeps.

Lectio ii.

ET surréxit, et ingréssus est cubículum : at ille fudit óleum super caput ejus, et ait : Haec dicit Dñus Deus Israël : Unxi te regem super pópulum Dñi Israël, et percúties domum Achab dómini tui, et ulcíscar sánguinem servórum meórum Prophetárum, et sánguinē ómnium servórum Dómini de manu Jézabel. Perdámque omnem domum Achab : et interfíciam de Achab mingéntem ad paríetem, et clausum, et novíssimum in Israël. Et dabo domum Achab, sicut domum Jeróboam fílii Nabat, et sicut domum Báasa fílii Ahía. Jézabel quoque cómedent canes in agro Jézrahel, nec erit qui sepéliat eam. Aperuítque óstium, et fugit.

Lectio iii.

JEHU autem egréssus est ad servos dómini sui, qui dixérunt ei : Recte ne sunt ómnia ? Quid venit insánus iste ad te ? Qui ait ei : Nostis hóminem, et quid locútus sit. At illi respondérunt : Falsum est, sed magis narra nobis. Qui ait eis : Haec, et haec locútus est mihi, et ait : Haec dicit Dóminus : Unxi te regem super Israël. Festinavérunt ítaque, et unusquísque tollens pállium suum posuérunt sub pédibus ejus in similitúdinem tribunális, et cecinérunt tuba, atque dixérunt : Regnávit Jehu.

Ad Magnif. Ańa. Fecit Joas rectum coram Dómino cunctis diébus, quibus dócuit eum Jójada sacérdos.

DOMINICA X.
post Pentecosten.

In primo Nocturno.

De libro quarto Regum.

Lectio i. *Cap.* ix. *f. et* x.

ANNO undécimo Joram fílii Achab, regnávit Ochozías super Judam, venítque Jehu in Jézrahel. Porro Jézabel intróitu ejus audito, depínxit óculos suos stíbio, et ornávit caput suum, et respéxit per fenéstram ingrediéntem Jehu per portam, et ait : Numquid pax potest esse Zambri, qui interfécit dóminum suum ? Levavítque Jehu fáciem suam ad fenéstram, et ait : Quae est ista ? et inclinavérunt se ad eum duo vel tres eunúchi. At ille dixit eis : Praecipitáte eam deórsum. Et praecipitavérunt eam aspersúsque est sánguine páries, et equórum úngulae conculcavérunt eam. Cumque introgréssus esset,

ut coméderet, biberétque, ait : Ite, et vidéte maledíctam illam, et sepelíte eam : quia fília regis est.

℟. Praeparáte corda. 227.

Lectio ii.

CUMQUE issent ut sepelírent eam, non invenérunt nisi calváriam, et pedes, et summas manus. Reversíque nuntiavérunt ei. Et ait Jehu : Sermo Dómini est, quem locútus est per servum suum Elíam Thesbíten, dicens : In agro Jézrahel cómedent canes carnes Jézabel, et erunt carnes Jézabel sicut stercus super fáciē terrae in agro Jézrahel, ita ut praetereúntes dicant : Haeccine est illa Jézabel ? Erant autem Achab septuagínta fílii in Samaría : scripsit ergo Jehu lítteras, et misit in Samaríam ad optimátes civitátis, et ad majóres natu, et ad nutrítios Achab, dicens : Statim ut accepéritis lítteras has, qui habétis fílios dómini vestri, et currus, et equos, et civitátes firmas, et arma, elígite meliórem, et eum qui vobis placúerit de fíliis dómini vestri, et eum pónite super sólium patris sui, et pugnáte pro domo dómini vestri.

℟. Deus ómnium. 228.

Lectio iii.

TIMUERUNT illi veheménter, et dixérunt : Ecce duo reges non potuérunt stare coram eo; et quómodo nos valébimus resístere? Misérunt ergo praepósiti domus, et praefécti civitátis, et majóres natu, et nutrítii, ad Jehu, dicéntes : Servi tui sumus : quaecúmque jusséris, faciémus, nec constituémus nobis regem : quaecúmque tibi placent, fac. Rescrípsit autem eis lítteras secúndo, dicens : Si mei estis et obedítis mihi, tóllite cápita filiórum dómini vestri, et veníte ad me hac eádem hora cras in Jézrahel. Porro fílii regis, septuagínta viri, apud optimátes civitátis nutriebántur. Cumque veníssent lítterae ad eos, tulérunt fílios regis, et occidérunt septuagínta viros, et posuérunt cápita eórum in cóphinis, et misérunt ad eum in Jézharel.

℟. Dñus, qui erípuit. 228.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homília xxv. *in Epístola ad Romanos.*

Lectio iv.

ON putémus nos excusatiónē habitúros, si quando delictórum sócios invenérimus : nam istud, supplícium magis augébit. Quandóquidem et serpens magis punítus est quam múlier : quemádmodum et múlier plus quam vir, et

Jézabel majóres poenas dedit, quam Achab víneae raptor. Ipsa quippe univérsũ istud negótium texúerat, regíque lapsus occasiónem déderat. Igitur et tu quoque si réliquis perditiónis causa fúeris, gravióra patiéris, quam qui per te subvérsi sunt. Neque enim peccáre tantum in se perditiónis habet, quantum quod réliqui ad peccándum inducúntur.

℟. Percússit Saul. 229.

Lectio v.

TAQUE si quando peccántes vidérimus, non solum non impellámus, sed et extrahámus ex ipso malítiae bárathro; ne et aliénae perditiónis poenas demus. Recordémur quoque perpétuo terríbilis illíus tribunális, flúminis ígnei, vinculórum insolubílium, profundárum tenebrárum, stridórum déntium, venenosíque vermis. Sed dices: Benígnus est Deus. Ergo haec ómnia verba sunt, et neque punítur dives ille Lázari contémptor, neque fátuae vírgines a sponso rejiciúntur? ergo qui Christum non pavérunt, in ignem diábolo praeparátum non abíbunt? Ergo qui sórdidis est véstibus, non perîbit, manus ac pedes vinctus? Qui centum denários a consérvo suo exégit, non tradétur tortóribus? Quod de moechis dictum est, nimírum quod vermis eórum non moriétur, et ignis eórum non extinguétur, verum non erit?

℟. Montes Gélboe. 229.

Lectio vi.

SED minátur ista tantúmmodo Deus? Utique, ínquies. Et unde, dic, quaesõ, tantam rem audes públice loqui, atque ex teípso ferre sententiam? Ego quippe et ex iis quae dixit Deus, et ex iis quae fecit, contrárium probáre pótero. Quod si propter futúra non credis, vel saltem propter ea quae jam facta sunt, crede. Non enim certe minae sunt et verba tantúmmodo, quae facta sunt, et in opus ipsum exiérunt. Quis ígitur totum orbem indúcto dilúvio stagnávit, ac grave illud naufrágium, omnimodámque géneris nostri perditiónem effécit? Quis deínde fúlmina illa, télaque flammántia super terram Sodomórum demísit? Quis univérsum Ægypti exércitum in mare demérsit? Quis synagógam Abíron combússit? Quis septuagínta illa míllia propter Dávidis peccátum, uno témporis moménto, peste occídit? Nonne haec ómnia etália Deus illis íntulit?

℟. Ego te tuli. 229.

℟. vii. Peccávi. 230.

℟. viii. Duo. 230.

FERIA SECUNDA.

De libro quarto Regum.

Lectio i. *Cap.* xi.

ATHALIA vero mater Ochozíae, vidéns mórtuum fílium suum, surréxit, et interfécit omne semen régium. Tollens autem Jósaba fília regis Joram, soror Ochozíae, Joas fílium Ochozíae, furáta est eum de médio filiórum regis, qui interficiebántur, et nutrícem ejus de triclínio : et abscóndit eum a fácie Athalíae, ut non interfícerétur. Erátque cum ea sex annis clam in domo Dómini: porro Athalía regnávit super terram.

℟. Recordáre, Dñe. 230.

Lectio ii.

ANNO autem séptimo misit Jójada, et assúmens centuriónes et milites, introdúxit ad se in templum Dómini, pepigítque cum eis foedus: et adjúrans eos in domo Dñi, osténdit eis fílium regis : et praecépit illis, dicens: Iste est sermo, quem fácere debétis. Tértia pars vestrum intróeat sábbato, et obsérvet excúbias domus regis. Tértia autem pars sit ad portam Sur : et tértia pars sit ad portam, quae est post habitáculum scutariórum : et custodiétis excúbias domus Messa. Duae vero partes e vobis omnes egrediéntes sábbato, custódiant excúbias domus Dómini circa regem.

℟. Exaudísti, Dñe. 231.

Lectio iii.

ET assuméntes sínguli viros suos, qui ingrediebántur sábbatum, cum his qui egrediebántur sábbato, venérunt ad Jójadam sacerdótem. Qui dedit eis hastas, et arma regis David, quae erant in domo Dñi. Et stetérunt sínguli habéntes arma in manu sua, a parte templi déxtera usque ad partem sinístram altáris et aedis, circum regem. Produxítque fílium regis, et pósuit super eum diadéma, et testimónium : fecerúntque eum regem, et unxérunt : et plaudéntes manu, dixérunt : Vivat rex.

℟. Audi, Dómine. 231.

FERIA TERTIA.

De libro quarto Regum.

Lectio i. *Cap.* xii.

ANNO séptimo Jehu, regnávit Joas, et quadragínta annis regnávit in Jerúsalem. Nomen matris ejus Sébia de Bersabée. Fecítque Joas rectum coram Dómino cunctis diébus, quibus dócuit eum Jójada sacérdos. Verúmtamen

excélsa non ábstulit : adhuc enim pópulus immolábat, et adolébat in excélsis incénsum.

℟. Dñe, si convérsus. 232.

Lectio ii.

DIXITQUE Joas ad sacerdótes : Omnem pecúniam sanctórum, quae illáta fúerit in templum Dómini a praetereúntibus, quae offértur pro prétio ánimae, et quam sponte et arbítrio cordis sui inferunt in templum Dómini : accípiant illam sacerdótes juxta órdinem suum, et instáurent sartatécta domus, si quid necessárium víderint instauratióne.

℟. Factum est. 232.

Lectio iii.

IGITUR usque ad vigésimum tértium annum regis Joas, non instauravérunt sacerdótes sartatécta templi. Vocavítque rex Joas Jójadam pontíficem et sacerdótes, dicens eis : Quare sartatécta non instaurátis templi ? nolíte ergo ámplius accípere pecúniam juxta órdinem vestrum, sed ad instauratiónē templi réddite eam. Prohibitíque sunt sacerdótes ultra accípere pecúniam a pópulo, et instauráre sartatécta domus.

℟. Ego te tuli. 233.

FERIA QUARTA.

De libro quarto Regum.

Lectio i. *Cap.* xiii. *c.*

ELISEUS autem aegrotábat infirmitáte, qua et mórtuus est : descenditque ad eum Joas rex Israël, et flebat coram eo, dicebátque : Pater mi, pater mi, currus Israël, et auríga ejus. Et ait illi Eliséus : Affer arcum et sagíttas. Cumque attulísset ad eum arcum et sagíttas, dixit ad regem Israël : Pone manum tuam super arcum. Et cum posuísset ille manum suam, superpósuit Eliséus manus suas mánibus regis, et ait : Aperi fenéstram orientálem. Cumque aperuísset, dixit Eliséus : Jace sagíttam. Et jecit. Et ait Eliséus : Sagítta salútis Dñi, et sagítta salútis contra Syriam : percutiésque Syriam in Aphec, donec consúmas eam.

℟. Peccávi super. 233.

Lectio ii.

ET ait : Tolle sagíttas. Qui cum tulísset, rursum dixit ei : Pércute jáculo terram. Et cum percussísset tribus vícibus, et stetísset, irátus est vir Dei contra eum, et ait : Si percussísses quínquies, aut séxies, sive sépties, percussísses Syriam usque ad consumptiónem : nunc autem tribus vícibus

percúties eam. Mórtuus est ergo Eliséus, et sepeliérunt eum. Latrúnculi autem de Moab venérunt in terram in ipso anno.

℣. Exaudísti, Dñe. 234.

Lectio iii.

QUIDAM autem sepeliéntes hóminem, vidérunt latrúnculos, et projecérunt cadáver in sepúlchro Eliséi. Quod cum tetigísset ossa Eliséi, revíxit homo, et stetit super pedes suos. Mórtuus est autem Házael, rex Syriae, et regnávit Bénadad fílius ejus pro eo. Porro Joas fílius Jóachaz tulit urbes de manu Bénadad fílii Házael, quas túlerat de manu Jóachaz patris sui jure praelii; tribus vícibus percússit eum Joas, et réddidit civitátes Israël.

℣. Audi, Dómine. 234.

FERIA QUINTA.

De libro quarto Regum.

Lectio i. *Cap.* xvii.

ANNO autem nono Osée, cepit rex Assyriórum Samaríam, et tránstulit Israël in Assyrios: posuítque eos in Hala, et in Habor juxta flúvium Gozan, in civitátibus Medórum. Factum est enim, cum peccássent fílii Israël Dómino Deo suo, qui edúxerat eos de Terra Ægypti, de manu Pharaónis regis Ægypti, coluérunt deos aliénos. Et ambulavérunt juxta ritum Géntium quas consúmpserat Dóminus in conspéctu filiórum Israël, et regum Israël, quia simíliter féccerant. Et offendérunt fílii Israël verbis non rectis Dóminum Deum suum: et aedificavérunt sibi excélsa in cunctis úrbibus suis.

℣. Praeparáte. 227.

Lectio ii.

ET testificátus est Dóminus in Israël et in Juda, per manum ómnium Prophetárum et Vidéntium, dicens: Revertímini a viis vestris péssimis, et custodite praecépta mea et caeremónias, juxta omnem legem, quam praecépi pátribus vestris: et sicut misi ad vos in manu servórum meórum Prophetárum. Qui non audiérunt, sed induravérunt cervícem suam juxta cervícem patrum suórum, qui noluérunt obedíre Dómino Deo suo. Et abjecérunt legítima ejus, et pactum quod pépigit cum pátribus eórum, et testificatiónes, quibus contestátus est eos: secutíque sunt vanitátes, et vane egérunt.

℣. Deus, ómnium. 228.

Lectio iii.

TRATUSQUE est Dóminus veheménter Israéli, et ábstulit eos a con-

spéctu suo, et non remánsit nisi tribus Juda tantúmmodo. Sed nec ipse Juda custodívit mandáta Dñi Dei sui : verum ambulávit in erróribus Israël, quos operátus fúerat. Projecítque Dóminus omne semen Israël, et afflixit eos, et trádidit eos in manu diripiéntium, donec projíceret eos a fácie sua : ex eo jam témpore, quo scissus est Israël a domo David, et constituérunt sibi regem Jeróboã fílium Nabat.

℟. Dñus, qui erípuit. 228.

FERIA SEXTA.

De libro quarto Regum.

Lectio i. *Cap.* xvii. *d.*

SEPARAVIT Jeróboam Israël a Dómino, et peccáre eos fecit peccátum magnum. Et ambulavérunt fílii Israël in univérsis peccátis Jeróboam quae fécerat : et non recessérunt ab eis, úsquequo Dóminus auférret Israël a fácie sua, sicut locútus fúerat in manu ómnium servórum suórum Prophetárũ : translatúsque est Israël de terra sua in Assyrios, usque in diem hanc.

℟. Percússit Saul. 229.

Lectio ii.

ADDUXIT autem rex Assyriórum de Babylóne, et de Cutha, et de Avah, et de Emath, et de Sephárvaim : et collocávit eos in civitátibus Samaríae pro fíliis Israël : qui possedérunt Samaríam, et habitavérunt in úrbibus ejus. Cumque ibi habitáre coepíssent, non timébant Dóminum : et immísit in eos Dñus leónes, qui interficiébant eos.

℟. Montes Gélboe. 229.

Lectio iii.

NUNTIATUMQUE est regi Assyriórum, et dictum : Gentes, quas transtulísti, et habitáre fecísti in civitátibus Samaríae, ignórant legítima Dei terrae et immísit in eos Dñus leónes, et ecce interfíciunt eos, eo quod ignórent ritum Dei terrae. Praecépit autem rex Assyriórum, dicens : Dúcite illuc unum de sacerdótibus, quos inde captívos adduxístis : et vadat, et hábitet cum eis : et dóceat eos legítima Dei terrae.

℟. Ego te tuli. 229.

SABBATO.

De libro quarto Regum.

Lectio i. *Cap.* xviii.

ANNO tértio Osée fílii Ela regis Israël, regnávit Ezechías fílius Achaz regis Juda. Viginti-quínque annórum erat, cum regnáre coepísset : et vigintinóvem annis regnávit in

Jerúsalem : nomen matris ejus Abi fília Zacharíae. Fecítque quod erat bonum coram Dómino, juxta ómnia quae fécerat David pater ejus. Ipse dissipávit excélsa, et contrívit státuas : et succídit lucos, confregítque serpéntem aeneum, quem fécerat Móyses : síquidem usque ad illud tempus fílii Israël adolébant ei incénsum : vocavítque nomen ejus Nohéstan. In Dómino Deo Israël sperávit.

Lectio ii.

ITAQUE post eum non fuit símilis ei de cunctis régibus Juda, sed neque in his qui ante eum fuérunt: et adhaesit Dño, et non recéssit a vestígiis ejus, fecítque mandáta ejus, quae praecéperat Dóminus Móysi. Unde et erat Dóminus cum eo, et in cunctis, ad quae procedébat, sapiénter se agébat. Rebellávit quoque contra regem Assyriórum, et non servívit ei. Ipse percússit Philísthaeos usque ad Gazam, et omnes términos eórum, a Turre custódũ usque ad civitátem munítam.

Lectio iii.

ANNO quarto regis Ezechíae, qui erat annus séptimus Osée fílii Ela regis Israël, ascéndit Salmánasar rex Assyriórum in Samaríam, et oppugnávit eam, et cepit. Nam post annos tres, anno sexto Ezechíae, id est, nono anno Osée regis Israël, capta est Samaría : et tránstulit rex Assyriórum Israël in Assyrios, collocavítque eos in Hala et in Habor flúviis Gozan in civitátibus Medórum : quia non audiérunt vocem Dómini Dei sui, sed praetergréssi sunt pactum ejus: ómnia, quae praecéperat Móyses servus Dñi, non audiérunt, neque fecérunt.

Ad Magníficat, Ánt. Obsecro, Dómine, meménto, quaeso, quómodo ambulávérim coram te in veritáte, et in corde perfécto ; et quod plácitum est coram te, fécerim.

DOMINICA XI.
post Pentecosten.

In primo Nocturno.

De libro quarto Regum.

Lectio i. *Cap.* xx.

IN diébus illis aegrotávit Ezechías usque ad mortem et venit ad eum Isaías fílius Amos, Prophéta, dixítque ei : Haec dicit Dóminus Deus : Praecipe dómui tuae : moriéris enim tu, et non vives. Qui convértit fáciem suam ad paríetem, et orávit Dóminum, dicens : Obsecro, Dómine, meménto, quaeso, quómodo ambulávérim coram te in

veritáte, et in corde perfécto, et quod plácitum est coram te, fécerim. Flevit ítaque Ezechías fletu magno.

℟. Praeparáte. 227.

Lectio ii.

ET ántequam egrederétur Isaías médiam partem átrii, factus est sermo Dómini ad eum, dicens : Revértere, et dic Ezechíae duci pópuli mei : Haec dicit Dóminus Deus David patris tui : Audívi oratiónem tuam, et vidi lácrymas tuas : et ecce sanávi te, die tértio ascéndes templum Dómini. Et addam diébus tuis quíndecim annos : sed et de manu regis Assyriórum liberábo te, et civitátem hanc, et prótegam urbem istam propter me, et propter David servum meum. Dixítque Isaías : Afférte massam ficórum. Quam cum attulíssent, et posuíssent super ulcus ejus, curátus est.

℟. Deus, ómnium. 228.

Lectio iii.

DIXERAT autem Ezechías ad Isaíam: Quod erit signum, quia Dóminus me sanábit, et quia ascensúrus sum die tértia templum Dñi ? Cui ait Isaías : Hoc erit signum a Dómino, quod factúrus sit Dóminus sermónem, quem locútus est : Vis ut ascéndat umbra decem líneis, an ut revertátur tótidem grádibus ? Et ait Ezechías : Fácile est umbram créscere decem líneis : nec hoc volo ut fiat, sed ut revertátur retrórsum decem grádibus. Invocávit ítaque Isaías Prophéta Dóminum, et redúxit umbram per líneas, quibus jam descénderat in horológio Achaz, retrórsum decem grádibus.

℟. Dñus, qui erípuit. 228.

In secundo Nocturno.

De Expositióne S. Hierónymi Presbyteri in Isaíam Prophétam.

Lib. II. *in Isaiae c.* XXXVIII.

Lectio iv.

RE elevarétur cor Ezechíae post incredíbiles triúmphos, et de média captivitáte victóriam, infirmitáte córporis sui visitátur, et audit se esse moritúrum: ut convérsus ad Dóminum flectat sententiã ejus. Quod quidem et in Jona Prophéta légimus, et in comminatiónibus contra David : quae dicúntur futúra, nec facta sunt, non Deo mutánte sententiam, sed provocánte humánum genus ad notítiam sui. Dóminus enim poenitens est super malítiis. Convertítque Ezechías fáciem suam ad paríetem, quia ad templum ire non póterat. Ad paríetem autem templi, juxta quod Sálomon palátium extrúxerat :

vel absolúte ad parietem, ne lácrymas suas assidéntibus ostentáre viderétur.

℟. Percússit Saul. 229.

Lectio v.

AUDIENSQUE se esse moritúrũ, non precátur vitam et annos plúrimos, sed in Dei judício quid velit praestáre, dimíttit. Nóverat enim idcírco Deo placuísse Salomónem, quod annos vitae non petíerit amplióres: sed itúrus ad Dñum narrat ópera sua, quómodo ambuláverit coram eo in veritáte et in corde perfécto. Felix consciéntia, quae afflictiónis témpore bonórũ óperum recordátur. Beáti enim mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Et quómodo álibi scríbitur: quis gloriábitur purum habére se cor? Quod ita sólvitur: perfectiónem cordis in eo nunc dici, quod idóla destrúxerit, templi valvas aperúerit, serpéntem aeneum comminúerit, et caetera fécerit, quae Scriptúra commémorat.

℟. Montes Gélboe. 229.

Lectio vi.

FLEVIT autem fletu magno, propter promissiónem Dómini ad David, quam vidébat in sua morte peritúram. Eo enim témpore Ezechías fílios non habébat: nam post mortem ejus Manásses, cum duódecim esset annórum, regnáre coepit in Judaea: ex quo perspícuum est, post tértium annum concéssae vitae Manássen esse generátum. Ergo iste omnis est fletus, quod desperábat Christum de suo sémine nascitúrum. Alii ásserunt, quamvis sanctos viros morte terréri, propter incértum judícii, et ignoratiónẽ senténtiae Dei, quam sedem habitúri sint.

℟. Ego te tuli. 229.

℟. vii. Peccávi. 230.

℟. viii. Duo. 230.

FERIA SECUNDA.

De libro quarto Regum.

Lectio i. *Cap.* xxii.

OCTO annórum erat Josías cum regnáre coepísset, trigínta et uno anno regnávit in Jerúsalem: nomen matris ejus Idida, fília Hadája de Bésecath. Fecítque quod plácitum erat coram Dómino, et ambulávit per omnes vias David patris sui: non declinávit ad déxteram, sive ad sinístram. Anno autem octávo décimo regis Josíae, misit rex Saphan fílium Aslía, fílii Méssulam, scribam templi Dómini, dicens ei: Vade ad Helcíam sacerdótem magnum, ut conflétur pecúnia, quae illáta est in templum Dómini, quam

collegérunt janitóres templi a pópulo, detúrque fabris per praepósitos domus Dómini : qui et distríbuant eam his qui operántur in témplo Dómini.

℟. Recordáre, Dñe. 230.

Lectio ii.

DIXIT autem Helcías póntifex ad Saphan scribam : Librum Legis réperi in domo Dómini : dedítque Helcías volúmen Saphan, qui et legit illud. Venit quoque Saphan scriba ad regem, et renuntiávit ei quod praecéperat, et ait : Conflavérunt servi tui pecúniam, quae repérta est in domo Dómini, et dedérunt ut distribuerétur fabris a praeféctis óperum templi Dómini. Narrávit quoque Saphan scriba regi, dicens : Librum dedit mihi Helcías sacérdos.

℟. Exaudísti, Dñe. 231.

Lectio iii.

QUEM cum legísset Saphan coram rege, et audísset rex verba Libri Legis Dñi, scidit vestiménta sua. Et praecépit Helcíae sacerdóti, et Ahícam fílio Saphan, et Achóbor fílio Micha, et Saphan scribae, et Asájae servo regis, dicens : Ite et consúlite Dñum super me, et super pópulo, et super omni Juda, de verbis volúminis istíus, quod invéntum est : magna enim ira Dómini succénsa est contra nos : quia non audiérunt patres nostri verba Libri hujus, ut fácerent omne quod scriptum est nobis.

℟. Audi, Dómine. 231.

FERIA TERTIA.

De libro quarto Regum.

Lectio i. *Cap.* xxiii.

ASCENDIT rex templum Dómini, et omnes viri Juda, universíque qui habitábant in Jerúsalem cum eo, sacerdótes et prophétae, et omnis pópulus a parvo usque ad magnum : legítque cunctis audiéntibus ómnia verba Libri foederis, qui invéntus est in domo Dñi. Stetítque rex super gradum : et foedus percússit coram Dómino, ut ambulárent post Dñum, et custodírent praecépta ejus, et testimónia, et caeremónias in omni corde, et in tota ánima, et suscitárent verba foederis hujus, quae scripta erant in Libro illo : acquievítque pópulus pacto.

℟. Dñe, si convérsus. 232.

Lectio ii.

ET praecépit rex Helcíae pontífici, et sacerdótibus secúndi órdinis, et janitóribus, ut projícerent de templo Dñi ómnia vasa, quae facta fúerant Baal, et

in luco, et univérsae milítiae coeli, et combússit ea foris Jerúsalem in conválle Cedron, et tulit púlverem eórum in Bethel. Et delévit arúspices, quos posúerant reges Juda ad sacrificándum in excélsis per civitátes Juda, et in circúitu Jerúsalem : et eos, qui adolébant incénsum Baal, et Soli, et Lunae, et duódecim signis, et omni milítiae coeli.

℟. Factum est. 232.

Lectio iii.

ET efférri fecit lucum de domo Dñi foras Jerúsalem in conválle Cedron, et combússit eum ibi, et redégit in púlverem, et projécit super sepúlchra vulgi. Destrúxit quoque aedículas effeminatórum, quae erant in domo Dñi, pro quibus mulieres texébant quasi domúnculas luci. Congregavítque omnes sacerdótes de civitátibus Juda, et contaminávit excélsa ubi sacrificábant sacerdótes, de Gábaa usque Bersabée.

℟. Ego te tuli. 233.

FERIA QUARTA.

De libro quarto Regum.

Lectio i. *Cap.* xxiii. *c.*

GYTHONES, et ariolos, et figúras idolórum, et immunditias, et abominatiónes, quae fúerant in terra Juda et Jerúsalem, ábstulit Josías : ut statúeret verba legis, quae scripta sunt in Libro, quem invénit Helcías sacérdos in templo Dómini. Símilis illi non fuit ante eum rex, qui reverterétur ad Dñum in omni corde suo, et in tota ánima sua, et in univérsa virtúte sua juxta omnem legem Móysi : neque post eum surréxit símilis illi. Verúmtamen non est avérsus Dñus ab ira furóris sui magni, quo irátus est furor ejus contra Judam : propter irritatiónes, quibus provocáverat eum Manásses.

℟. Peccávi super. 233.

Lectio ii.

DIXIT ítaque Dñus : Etiam Judam áuferã a fácie mea, sicut ábstuli Israël : et projíciam civitátem hanc, quam elégi Jerúsalem, et domum, de qua dixi : Erit nomen meum ibi. Réliqua autem sermónum Josíae, et univérsa quae fecit, nonne haec scripta sunt in Libro verbórum diérum regum Juda ? In diébus ejus ascéndit Phárao Néchao rex Ægypti, contra regem Assyriórum ad flumen Euphráten : et ábiit Josías rex in occúrsum ejus, et occísus est in Magéddo, cum vidísset eum. Et portavérunt eum servi sui mórtuum de Magéddo, et pertulérunt in

Jerúsalem, et sepeliérunt eum in sepúlchro suo.

℟. Exaudísti, Dñe. 234.

Lectio iii.

TULITQUE pópulus terrae Jóachaz fílium Josíae : et unxérunt eum, et constituérunt eum regem pro patre suo. Vigínti trium annórum erat Jóachaz cum regnáre coepísset, et tribus ménsibus regnávit in Jerúsalem : nomen matris ejus Amítal : fília Jeremíae, de Lobna. Et fecit malum coram Dómino, juxta ómnia quae fécerant patres ejus. Vinxítque eum Phárao Néchao in Rebla, quae est in terra Emath, ne regnáret in Jerúsalem : et impósuit mulctam terrae centum talántis argénti, et talénto auri. Regémque constituit Phárao Néchao Elíacim fílium Josíae, pro Josía patre ejus : vertítque nomen ejus Jóakim. Porro Jóachaz tulit, et duxit in Ægyptum, et mórtuus est ibi.

℟. Audi, Dómine. 234.

FERIA QUINTA.

De libro quarto Regum.

Lectio i.

Cap. xxiii. *g. et* xxiv.

VIGINTIQUINQUE annórum erat Jóakim cum regnáre coepísset, et úndecim annis regnávit in Jerúsalem : nomen matris ejus Zébida, fília Phadája de Ruma. Et fecit malum coram Dómino, juxta ómnia quae fécerant patres ejus. In diébus ejus ascéndit Nabuchodónosor rex Babylónis, et factus est ei Jóakim servus tribus annis : et rursum rebellávit contra eum.

℟. Praeparáte. 227.

Lectio ii.

IMMISITQUE ei Dóminus latrúnculos Chaldaeórum, et latrúnculos Syriae, et latrúnculos Moab, et latrúnculos filiórum Ammon : et immísit eos in Judam, ut dispérderent eum, juxta verbum Dómini, quod locútus fúerat per servos suos Prophétas. Factum est autem hoc per verbum Dómini contra Judam, ut auférret eum coram se propter peccáta Manásse univérsa quae fecit, et propter sánguinem innóxium, quem effúdit, et implévit Jerúsalem cruóre innocéntium : et ob hanc rem nóluit Dóminus propitiári.

℟. Deus, ómnium. 228.

Lectio iii.

RELIQUA autem sermónum Jóakim, et univérsa quae fecit, nonne haec scripta sunt in Libro sermónum diérum regum Juda? Et dormívit Jóakim

cum pátribus suis: et regnávit Jóachin fílius ejus pro eo. Et ultra non áddidit rex Ægypti, ut egrederétur de terra sua: túlerat enim rex Babylónis a rivo Ægypti usque ad flúvium Euphráten, ómnia quae fúerant regis Ægypti.

℟. Dóminus, qui erípuit me. 228.

FERIA SEXTA.

De líbro quarto Regum.

Lectio i. *Cap.* xxiv. *b.*

ECEM et octo annórum erat Jóachin cum regnáre coepísset, et tribus ménsibus regnávit in Jerúsalem: nomen matris ejus Nohésta, fília Elnathan de Jerúsalem. Et fecit malum coram Dómino, juxta ómnia quae fécerat pater ejus. In témpore illo ascendérunt servi Nabuchodónosor regis Babylónis in Jerúsalem, et circúmdata est urbs munitiónibus. Venítque Nabuchodónosor rex Babylónis ad civitátem cum servis suis, ut oppugnárent eum.

℟. Percússit Saul mille, et David. 229.

Lectio ii.

EGRESSUSQUE est Jóachin rex Juda ad regem Babylónis, ipse et mater ejus, et servi ejus, et príncipes ejus, et eunúchi ejus: et suscépit eum rex Babylónis anno octávo regni sui. Et prótulit inde omnes thesáuros domus Dómini, et thesáuros domus régiae: et concídit univérsa vasa áurea, quae fécerat Sálomon rex Israël in templo Dómini juxta verbum Dómini. Et tránstulit omnem Jerúsalem, et univérsos príncipes, et omnes fortes exércitus, decem míllia, in captivitátem, et omnem artíficem, et clusórem: nihílque relíctum est, excéptis paupéribus pópuli terrae.

℟. Montes Gélboe, nec ros. 229.

Lectio iii.

TRANSTULIT quoque Jóachin in Babylónem, et matrem regis, et uxóres regis, et eunúchos ejus: et júdices terrae duxit in captivitátē de Jerúsalem in Babylónem. Et omnes viros robústos, septem míllia, et artífices, et clusóres mille, omnes viros fortes, et bellatóres: duxítque eos rex Babylónis captívos in Babylónem. Et constítuit Mathaníam pátruum ejus pro eo: imposuítque nomen ei Sedecíam.

℟. Ego te tuli de domo patris. 229.

SABBATO.

De libro quarto Regum.

Lectio i. *Cap.* 24. *d. et* 25.

IGESIMUM et primum annum aetátis habébat Sedecías cum regnáre coepísset, et úndecim annis regnávit in Jerúsalem : nomen matris ejus erat Amítal, fília Jeremíae de Lobna. Et fecit malum coram Dño, juxta ómnia quae fécerat Jóakim. Irascebátur enim Dóminus contra Jerúsalem et contra Judam, donec projíceret eos a fácie sua : recessítque Sedecías a rege Babylónis. Factum est autem anno nono regni ejus, mense décimo, décima die mensis, venit Nabuchodónosor rex Babylónis, ipse et omnis exércitus ejus, in Jerúsalem, et circumdedérunt eam : et extruxérunt in circúitu ejus munitiónes. Et clausa est cívitas atque valláta usque ad undécimum annum regis Sedecíae, nona die mensis : praevaluítque fames in civitáte, nec erat panis pópulo terrae.

Lectio ii.

ET interrúpta est cívitas : et omnes viri bellatóres nocte fugérunt per viam portae, quae est inter dúplicem murum ad hortum regis : (porro Chaldaei obsidébant in circúitu civitátem :) fugit ítaque Sedecías per viam quae ducit ad campéstria solitúdinis. Et persecútus est exércitus Chaldaeórum regem, comprehendítque eum in planítie Jéricho : et omnes bellatóres, qui erant cum eo, dispérsi sunt, et reliquérunt eum. Apprehénsum ergo regem duxérunt ad regem Babylónis in Réblatha : qui locútus est cum eo judícium. Fílios autem Sedecíae occídit coram eo, et óculos ejus effódit, vinxítque eum caténis, et addúxit in Babylónem.

Lectio iii.

QENSE quinto, séptima die mensis, ipse est annus nonus décimus regis Babylónis : venit Nabuzárdan princeps exércitus, servus regis Babylónis, in Jerúsalem. Et succéndit domum Dómini, et domum regis, et domos Jerúsalem, omnémque domum combússit igni. Et muros Jerúsalem in circúitu destrúxit omnis exércitus Chaldaeórum, qui erat cum príncipe mílitum. Réliquam autem pópuli partem, quae remánserat in civitáte, et pérfugas, qui transfúgerant ad regem Babylónis, et réliquum vulgus tránstulit Nabuzárdan princeps milítiae.

Et de paupéribus terrae relíquit vinitóres et agrícolas. Colúmnas autem aereas, quae erant in templo Dómini, et bases, et mare aereum, quod erat in domo Dómini, confregérunt Chaldaei, et transtulérunt aes omne in Babylónem.

SABBATO
ante Dominicam primam Augusti.

Ea autem dicitur prima Dominica mensis, quae est in Kalendis, vel proximior Kalendis illius mensis : ita ut si Kalendae fuerint secunda, tertia et quarta Feria, tunc prima Dominica mensis, in qua liber Scripturae inchoandus ponitur, est ea quae praecedit Kalendas. Sin autem quinta et sexta Feria, vel Sabbato, est ea quae sequitur. Et in Sabbato praecedenti ad Magnificat, ponatur Añа illius historiae, omissa alia, quae forte occurreret.

Historia vero, id est Responsoria illius libri, si propter aliquod Festum Duplex in Dominica occurrens poni non possint, primo die infra Hebdomadam, in quo contingit fieri Officium de Feria, ponantur Responsoria primi Nocturni Dominicae, omissis aliis Responsoriis, si forte in illa Feria haberentur propria, servatis etiam aliis quae in Rubrica de Responsoriis numero vii. praescripta sunt.

Ad Magnif., Añа. Sapiéntia aedificávit sibi domum, excídit colúmnas septem, súbdidit sibi gentes, superbórum et sublímium colla própria virtúte calcávit.

Oratio quae contingit in ordine aliarum Dominicarum, ut infra.

DOMINICA PRIMA
Augusti.

Ponuntur libri Salomonis, et legitur de eis usque ad Dominicam primam Septembris.

In primo Nocturno.

Incípiunt Parábolae Salomónis.

Lectio i. *Cap.* i.

PARABOLAE Salomónis, fílii David, regis Israël. Ad sciéndam sapiéntiam et disciplínam : ad intelligénda verba prudéntiae, et suscipiéndam eruditiónē doctrínae, justítiam, et judícium, et aequitátem : ut detur párvulis astútia, adolescénti sciéntia et intellēctus. Audiens sápiens, sapiéntior erit : et intélligens, gubernácula possidébit. Animadvértet parábolam, et interpretatiónem, verba sapiéntum, et aenígmata eórum.

℟. In princípio Deus ántequam terram fáceret, priúsquam abyssos constitúeret, priúsquam prodúceret fontes aquárum : * Antequam montes collocaréntur, ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Quando praeparábat coelos, áderam, cum eo cuncta compónens.—Antequam.

Lectio ii.

TIMOR Dñi princípium sapiéntiae. Sapiéntiam atque doctrínam stulti despíciunt. Audi, fili mi, disciplínam patris tui, et ne dimíttas legem matris tuae: ut addátur grátia cápiti tuo, et torques collo tuo. Fili mi, si te lactáverint peccatóres, ne acquiéscas eis. Si díxerint : Veni nobíscum, insidiémur sánguini, abscondámus tendículas contra insóntem frustra : deglutiámus eum sicut inférnus vivéntem, et íntegrum quasi descendéntem in lacum. Omnem pretiósam substántiam reperiémus, implébimus domos nostras spóliis. Sortem mitte nobíscum, marsúpium unum sit ómnium nostrum.

℟. Gyrum coeli circuívi sola, et in flúctibus maris ambulávi, in omni gente et in omni pópulo primátum ténui : * Superbórum et sublímium colla própria virtúte calcávi. ℣. Ego in altíssimis hábito, et thronus meus in colúmna nubis.—Superbórum.

Lectio iii.

FILI mi, ne ámbules cum eis, próhibe pedem tuum a sémitis eórum. Pedes enim illórum ad malum currunt, et festínant ut effúndant sánguinem. Frustra autem jácitur rete ante óculos pennatórum. Ipsi quoque contra sánguinem suum insidiántur, et moliúntur fraudes contra ánimas suas. Sic sémitae omnis avári, ánimas possidéntium rápiunt.

℟. Emítte, Dómine, sapiéntiam de sede magnitúdinis tuae, ut mecum sit, et mecum labóret : * Ut sciam quid accéptum sit coram te omni témpore. ℣. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam.—Ut sciam. Glória Patri. Ut sciam.

In secundo Nocturno.

Ex Tractátu sancti Ambrósii Epíscopi in Psalmum centésimum décimum octávum.

Sermone v. *vers.* vi.

Lectio iv.

INITIUM esse sapiéntiae timórem Dñi, dicit Prophéta. Quid est autem inítium sapiéntiae, nisi saeculo renuntiáre ?

Quia sápere saeculária stultítia est. Dénique sapiéntiam hujus mundi, stultítiam esse apud Deum, Apóstolus dicit. Sed et ipse timor Dómini, nisi secúndum sciéntiam sit, nihil prodest, imo obest plúrimum. Síquidem Judaei habent zelum Dei : sed quia non habent secúndum sciéntiam, in ipso zelo et timóre, majórem cóntrahunt divinitátis offénsam. Quod circumcídunt infántulos suos, quod sábbata custódiunt, timórem Dei habent : sed quia nésciunt legem spiritálem esse, circumcídunt corpus, non cor suum.

℟. Da mihi, Dñe, sédium tuárum assístricem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis : ℣ Quóniam servus tuus sum ego, et fílius ancíllae tuae. ℟. Mitte illam de sede magnitúdinis tuae, ut mecum sit, et mecum labóret. —Quóniam.

Lectio v.

ET quid de Judaeis dico? Sunt étiam in nobis, qui habent timórem Dei, sed non secúndum sciéntiam, statuéntes durióra praecépta, quae non possit humána condítio sustinére. Timor in eo est, quia vidéntur sibi consúlere disciplinae, opus virtútis exígere : sed inscítia in eo est, quia non compatiúntur natúrae, non aestimant possibilitátē. Non sit ergo irrationábilis timor. Etenim vera sapiéntia a timóre Dei íncipit; nec est sapiéntia spiritális sine timóre Dei : ita timor sine sapiéntia esse non debet.

℟. Inítium sapiéntiae timor Dómini : ℣ Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : laudátio ejus manet in saeculum saeculi. ℟. Diléctio illíus custódia legum est : quia omnis sapiéntia timor Dómini.—Intelléctus bonus.

Lectio vi.

BASIS quaedam verbi est timor sanctus. Sicut enim simulácrum áliquod in basi statúitur, et tunc majórem habet grátiā cum in basi státua fúerit collocáta, standique áccipit firmitátem : ita verbum Dei in timóre sancto mélius statúitur, fórtius radicátur in péctore timéntis Dóminum : ne labátur verbum de corde viri, ne véniant vólucres, et áuferant illud de incuriósi et dissimulántis affléctu.

℟. Verbum iníquum et dolosum longe fac a me, Dómine : ℣ Divítias et paupertátem ne déderis mihi, sed tantum víctui meo tríbue necessária. ℟. Duo rogávi te, ne déneges mihi ántequam móriar. — Divítias et. Glória Patri. Divítias et.

℟. vii. Dómine Pater et Deus vitae meae, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extolléntiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malígnum avérte a me, Dómine : aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infrunito ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiae meae, nec multiplicéntur delícta mea. — Et ánimo irreverénti.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus : et hi tres unum sunt. — Sanctus, Sanctus. Glória Patri. Plena est omnis.

Responsoria hujus Dominicae dicuntur in aliis Dominicis usque ad Dominicam primam Septembris.

Infra Hebdomadam, quando Responsoria summuntur ex tertio Nocturno Dominicae, Feria quarta et Sabbato post ii. et iii. Lectionem ponitur ii. et iii. ℟. Feriae secundae sequentis.

FERIA SECUNDA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio i. *Cap.* iii.

FILI mi, ne oblivíscáris legis meae, et praecépta mea cor tuum custódiat. Longitúdinem enim diérum, et annos vitae, et pacem appónent tibi. Misericórdia et véritas te non déserant, circúmda eas gúlturi tuo, et descríbe in tábulis cordis tui : et invénies grátiam, et disciplínam bonam coram Deo et homínibus. Habe fidúciam in Dómino ex toto corde tuo, et ne innitáris prudéntiae tuae. In ómnibus viis tuis cógita illum, et ipse díriget gressus tuos.

℟. Ne derelínquas me, Dómine, pater et dominátor vitae meae, ut non córruam in conspéctu adversariórum meórum : * Ne gáudeat de me inimícus meus. ℣. Apprehénde arma et scutum, et exúrge in adjutórium mihi. — Ne gáudeat.

Lectio ii.

NE sis sápiens apud temetípsum : time Deum, et recéde a malo : sánitas quippe erit umbilíco tuo, et irrigátio óssium tuórum. Honóra Dóminum de tua substántia, et de primítiis ómnium frugum tuárum da ei : et imple-

búntur hórrea tua saturitáte, et vino torculária tua redundábunt.

℟. Magna enim sunt judícia tua, Dñe, et inenarrabília verba tua: * Magnificásti pópulum tuum, et honorásti. ℣. Transtulísti illos per Mare rubrum, et transvexísti eos per aquam nímiam.—Magnificásti.

Lectio iii.

DISCIPLINAM Dñi, fili mi, ne abjícias: nec defícias, cum ab eo corríperis: quem enim díligit Dóminus, córripit: et quasi pater in fílio cómplacet sibi. Beátus homo, qui ínvenit sapiéntiam, et qui áffluit prudéntia: mélior est acquisítio ejus negotiatióne argénti, et auri primi: et purissimi fructus ejus: pretiósior est cunctis ópibus: et ómnia, quae desiderántur, huic non valent comparári.

℟. Quae sunt in corde hóminum, óculi tui vident, Dómine, et in libro tuo ómnia scribéntur: * Homo videt in fácie, Deus autem in corde. ℣. Omnia enim corda scrutátur, et univérsas méntium cogitatiónes intélligit. — Homo. Glória Patri. Homo.

Responsoria propria hujus secundae et tertiae Feriae repetuntur in omnibus secundis et tertiis Feriis usque ad Dominicam primam Septembris.

FERIA TERTIA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio i. *Cap.* v.

FILI mi, atténde ad sapiéntiam meam, et prudéntiae meae inclína aurem tuam, ut custódias cogitatiónes, et disciplínam lábia tua consérvent. Ne atténdas fallácias mulíeris. Favus enim distíllans lábia meretrícis, et nitídius óleo guttur ejus. Novíssima autem illíus amára quasi absynthium, et acúta quasi gládius biceps. Pedes ejus descéndunt in mortem, et ad inferos gressus illíus pénetrant. Per sémitam vitae non ámbulant, vagi sunt gressus ejus et investigábiles.

℟. Praebe, fili, cor mihi, et óculi tui vias meas custódiant: * Ut addátur grátia cápiti tuo. ℣. Atténde, fili mi, sapiéntiam meam, et ad elóquium meum inclína aurem tuam.—Ut addátur.

Lectio ii.

NUNC ergo, fili mi, audi me, et ne recédas a verbis oris mei. Longe fac ab ea viam tuam, et ne appropínques fóribus domus ejus. Ne des aliénis honórem tuum, et annos

tuos crudéli : Ne forte impleántur extránei víribus tuis, et labóres tui sint in domo aliéna, et gemas in novíssimis, quando consúmpseris carnes tuas et corpus tuum, et dicas : Cur detestátus sum disciplínam, et increpatiónibus non acquiévit cor meum, nec audívi vocem docéntium me, et magístris non inclinávi aurem meam ?

℟. Inítium sapiéntiae timor Dómini : Intellléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : laudátio ejus manet in saeculum saeculi. ℣. Diléctio illíus custódia legum est : quia omnis sapiéntia timor Dómini.—Intellléctus.

Lectio iii.

QUARE sedúceris, fili mi, ab aliéna, et foveris in sinu altérius ? Réspicit Dóminus vias hóminis, et omnes gressus ejus consíderat. Iniquitátes suae cápiunt ímpium, et fúnibus peccatórum suórum constríngitur. Ipse moriétur, quia non hábuit disciplínam, et in multitúdine stultítiae suae decipiétur.

℟. Verbum iníquum et dolósum longe fac a me, Dñe : * Divítias et paupertátem ne déderis mihi, sed tantum víctui meo tríbue necessária. ℣. Duo rogávi te, ne déneges mihi ánte quam móriar. — Divítias. Glória Patri. Divítias.

FERIA QUARTA.

De parábolis Salomónis.

Lectio i. *Cap.* viii.

QUMQUID non sapiéntia clámitat, et prudéntia dat vocem suam ? In summis excelsísque vertícibus, supra viam, in médiis sémitis stans, juxta portas civitátis, in ipsis fóribus lóquitur, dicens : O viri, ad vos clámito, et vox mea ad fílios hóminum. Intellígite párvuli astútiam, et insipiéntes animad vértite. Audíte, quóniam de rebus magnis locutúra sum : et aperiéntur lábia mea, ut recta praedicent.

℟. Dómine Pater et Deus vitae meae, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extollántiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malignum avérte a me, Dómine : aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infrunito ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiae meae, nec multiplicéntur delícta mea.—Et ánimo.

Lectio ii.

VERITATEM meditábitur gutturmeum, et lábia mea detestabúntur ímpium. Justi sunt omnes sermónes mei, non est in eis pravum quid, neque pervér-

sum. Recti sunt intelligéntibus, et aequi inveniéntibus scientiam. Accípite disciplínam meam, et non pecúniam : doctrínam magis quam aurum elígite. Mélior est enim sapiéntia cunctis pretiosíssimis : et omne desiderábile ei non potest comparári.

℟. Magna enim sunt judícia tua, Dómine, et inenarrabília verba tua: ℣ Magnificásti pópulum tuum, et honorásti. ℣. Transtulísti illos per Mare rubrum, et transvexísti eos per aquam nímiam.—Magnificásti.

Lectio iii.

EGO sapiéntia hábito in consílio, et erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum: arrogántiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilíngue detéstor. Meum est consílium et aequitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditóres justa decérnunt. Per me príncipes ímperant, et poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me díligo : et qui mane vígilant ad me, invénient me.

℟. Quae sunt in corde hóminum, óculi tui vident, Dómine, et in libro tuo ómnia scribéntur : ℣ Homo videt in fácie, Deus autem in corde. ℣. Omnia enim corda scrutátur, et univérsas méntium cogitatiónes intélligit.—Homo. Glória Patri. Homo.

FERIA QUINTA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio i. *Cap.* x.

FILIUS sápiens laetíficat patrem : fílius vero stultus moestítia est matri suae. Nil próderunt thesáuri impietátis : justítia vero liberábit a morte. Non affliget Dóminus fame ánimam justi, et insídias impiórum subvértet. Egestátem operáta est manus remíssa : manus autem fórtium divítias parat. Qui nítitur mendáciis, hic pascit ventos : idem autem ipse séquitur aves volántes. Qui cóngregat in messe, fílius sápiens est : qui autem stertit aestáte, fílius confusiónis.

℟. In princípio Deus ántequam terram fáceret, priúsquam abyssos constitúeret, priúsquam produceret fontes aquárum : ℣ Antequam montes collocaréntur, ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Quando praeparábat coelos, ádderam, cum eo cuncta compónens. — Antequam.

Lectio ii.

BENEDICTIO Dei super caput justi : os autem impiórum óperit

iníquitas. Memória justi cum láudibus : et nomen impiórum putréscet. Sápiens corde praecépta súscipit : stultus caeditur lábiis. Qui ámbulat simplíciter, ámbulat confidénter : qui autem deprávat vias suas, maniféstus erit. Qui ánnuit óculo, dabit dolórem : et stultus lábiis verberábitur.

℟. Gyrum coeli circuívi sola, et in flúctibus maris ambulávi, in omni gente et in omni pópulo primátum ténui : * Superbórum et sublímium colla própria virtúte calcávi. ℣. Ego in altíssimis hábito, et thronus meus in colúmna nubis.— Superbórum.

Lectio iii.

TENA vitae, os justi: et os impiórum óperit iniquitátem. Odium súscitat rixas : et univérsa delícta óperit cháritas. In lábiis sapiéntis invenítur sapiéntia : et virga in dorso ejus qui índiget corde. Sapiéntes abscóndunt sciéntiam : os autem stulti confusióni próximum est. Substántia dívitis, urbs fortitúdinis ejus : pavor pauperum, egéstas eórum. Opus justi ad vitam : fructus autem ímpii ad peccátum.

℟. Emítte, Dñe, sapiéntiam de sede magnitúdinis tuae, ut mecum sit, et mecum labóret : * Ut sciam quid accéptum sit coram te omni témpore. ℣. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam. — Ut. Glória Patri. Ut.

FERIA SEXTA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio i. *Cap.* xiv.

SAPIENS múlier aedíficat domum suam : insípiens extrúctam quoque mánibus déstruet. Ámbulans recto itínere, et timens Deum, despícitur ab eo, qui infámi gráditur via. In ore stulti virga supérbiae : lábia autem sapiéntium custódiunt eos. Ubi non sunt boves, praesépe vácuum est: ubi autem plúrimae ségetes, ibi manifésta est fortitúdo bovis. Testis fidélis non mentítur : profert autem mendácium dolósus testis.

℟. Da mihi, Dñe, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis : * Quóniam servus tuus sum ego, et fílius ancíllae tuae. ℣. Mitte illam de sede magnitúdinis tuae, ut mecum sit, et mecum labóret.—Quóniam.

Lectio ii.

QUAERIT derísor sapiéntiam, et non ínvenit : doctrína prudéntium fácilis. Vade contra

virum stultum, et nescit lábia prudéntiae. Sapiéntia cállidi est intellígere viam suam : et imprudéntia stultórum errans. Stultus illúdet peccátum, et inter justos morábitur grátia. Cor quod novit amaritúdinem ánimae suae, in gáudio ejus non miscébitur extráneus. Domus impiórum delébitur : tabernácula vero justórum germinábunt.

℟. Inítium sapiéntiae timor Dómini : * Intellléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : laudátio ejus manet in saeculum saeculi. ℣. Diléctio illíus custódia legum est : quia omnis sapiéntia timor Dñi.—Intellléctus.

Lectio iii.

EST via, quae vidétur hómini justa : novíssima autem ejus dedúcunt ad mortem. Risus dolóre miscébitur, et extréma gáudii luctus óccupat. Viis suis replébitur stultus, et super eum erit vir bonus. Innocens credit omni verbo : astútus consíderat gressus suos. Fílio dolóso nihil erit boni : servo autem sapiénti prósperi erunt actus, et dirigétur via ejus. Sápiens timet, et declínat a malo : stultus tránsilit, et confídit.

℟. Verbum iníquum et dolósum longe fac a me, Dómine : * Divítias et paupertátem ne déderis mihi, sed tantum víctui meo tríbue necessária. ℣. Duo rogávi te, ne déneges mihi ántequam móriar. — Divítias. Glória Patri. Divítias.

SABBATO.

De Parábolis Salomónis.

Lectio i. *Cap.* xvi.

HOMINIS est ánimam praeparáre: et Dñi gubernáre linguam. Omnes viae hóminis patent óculis ejus : spirítuum ponderátor est Dóminus. Revéla Dño ópera tua, et dirigéntur cogitatiónes tuae. Univérsa propter semetípsũ operátus est Dñus : ímpium quoque ad diem malum. Abominátio Dñi est omnis árrogans : étiam si manus ad manum fúerit, non est innocens.

Lectio ii.

INITIUM viae bonae, fácere justítiam : accépta est autem apud Deum magis, quam immoláre hóstias. Misericórdia et veritáte redímitur iníquitas : et in timóre Dómini declinátur a malo. Cum placúerint Dómino viae hóminis, inimícos quoque ejus convértet ad pacem. Mélius est parum cum justítia, quam multi fructus cum iniquitáte. Cor hóminis dispónit viam suam : sed Dñi est dirígere gressus ejus.

Lectio iii.

DIVINATIO in lábiis regis, in judício non errábit os ejus. Pondus et statéra judícia Dñi sunt : et ópera ejus omnes lápides saeculi. Abominábiles regi qui agunt ímpie : quóniam justítia firmátur sólium. Volúntas regum lábia justa: qui recta lóquitur, diligétur. Indignátio regis, núntii mortis : et vir sápiens placábit eam. In hilaritáte vultus regis, vita : et cleméntia ejus quasi imber serótinus.

Ad Magnif. Aña. Ego in altíssimis * hábito : et thronus meus in colúmna nubis.

DOMINICA II.
Augusti.

In primo Nocturno.

Incipit liber Ecclesiástes.

Lectio i. *Cap.* i.

VERBA Ecclesiástae, fílii David, regis Jerúsalem. Vánitas vanitátũ, dixit Ecclesiástes : vánitas vanitátum, et ómnia vánitas. Quid habet ámplius homo de univérso labóre suo, quod labórat sub sole? Generátio praeterit, et generátio ádvenit : terra autem in aetérnũ stat. Oritur sol, et óccidit, et ad locum suum revértitur : ibíque renáscens, gyrat per Merídiẽ, et fléctitur ad Aquilónem : lustrans univérsa in circúitu pergit spíritus, et in círculos suos revértitur. Omnia flúmina intrant in mare, et mare non redúndat : ad locum, unde éxeunt flúmina, revertúntur, ut íterũ fluant.

℟. In princípio. 298.

Lectio ii.

CUNCTAE res difficiles : non potest eas homo explicáre sermóne. Non saturátur óculus visu, nec auris audítu implétur. Quid est quod fuit? ipsum quod futúrum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciéndum est. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dícere Ecce hoc recens est : jam enim praecéssit in saeculis, quae fuérunt ante nos. Non est priórum memória : sed nec eórum quidem, quae póstea futúra sunt, erit recordátio apud eos, qui futúri sunt in novíssimo.

℟. Gyrum coeli. 298.

Lectio iii.

EGO Ecclesiástes fui rex Israël in Jerúsalem, et propósui in ánimo meo quaerere et investigáre sapiénter de ómnibus, quae fiunt sub sole. Hanc occupatiónem péssimam dedit Deus fíliis hóminum, ut occuparéntur in ea. Vidi cuncta, quae fiunt sub sole,

et ecce univérsa vánitas, et afflíctio spíritus. Pervérsi difficile corrigúntur, et stultórum infinítus est número. Locútus sum in corde meo, dicens : Ecce magnus efféctus sum, et praecéssi omnes sapiéntia, qui fuérunt ante me in Jerusálem : et mens mea contempláta est multa sapiénter, et dídici. Dedíque cor meum ut scirem prudéntiam atque doctrínam, errorésque et stultítiam.

℟. Emítte, Dómine. 298.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Sermone contra concubinarios, in fine, tomo v.

Lectio iv.

SALOMON cum saeculáriũ rerum concupiscéntia tenerétur, magnas eas et admirándas putábat, multúmque in eis labóris et sollicitúdinis insumébat, magníficas aedificándo domos, copiósum coacervándo aurum, congregándo cantórum choros, vária génera ministrórum mensae et popínae, quaeréndo ánimae suae voluptátem ab hortórum et córporum formosórum grátia, et omnem, ut ita dicam, oblectatiónis et refrigérii viam sectándo.

℟. Da mihi, Dñe. 299.

Lectio v.

AT ubi inde ad se revérsus, et quasi ex umbrósa quadam abysso ad lumen verae sapiéntiae respícere váluit, tunc sublímem illam, et coelis dignam emísit vocem : Vánitas vanitátum, dicens, et ómnia vánitas. Hanc et vos, et hac sublimiórem, si voluéritis, efferetis senténtiam de intempestíva hac voluptáte, si aliquantísper a mala consuetúdine vos sequestravéritis.

℟. Inítium. 299.

Lectio vi.

QUAMVIS autem a Salomóne saeculis superióribus non tam multa sapiéntiae exigebátur diligéntia : neque enim delícias lex vetus prohibébat, neque áliis frui supervácuis dicébat vanum : áttamen et sic se habéntibus rebus, in ipsis contuéri licébit, quam viles, et vanitáti obnóxiae res sint. Nos vero ad majórem vocáti vitam, et ad excelléntius fastígium ascéndimus, et in majóribus exercémur palaestris : et quid áliud, quam quod, sicut supérnae virtútes intellectuáles et incorpóreae illae, vitam institúere jubémur ?

℟. Verbum iníquum. 299.

℟. vii. Dñe, Pater. 300.

℟. viii. Duo. 300.

FERIA SECUNDA.

De libro Ecclesiástae.

Lectio i. *Cap.* ii.

DIXI ego in corde meo : Vadam, et áffluam delíciis, et fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vánitas. Risum reputávi errórem : et gáudio dixi : Quid frustra decíperis ? Cogitávi in corde meo abstráhere a vino carnem meam, ut ánimum meum transférrem ad sapiéntiam, devitarémque stultítiam, donec vidérem quid esset útile fíliis hóminum : quo facto opus est sub sole, número diérum vitae suae. Magnificávi ópera mea, aedificávi mihi domos, et plantávi víneas.

℟. Ne derelínquas. 300.

Lectio ii.

POSSEDI servos et ancíllas, multámque famíliam hábui : arménta quoque, et magnos óvium greges, ultra omnes qui fuérunt ante me in Jerúsalem : coacervávi mihi argéntum et aurum, et substántias regum, ac provinciárum : feci mihi cantóres et cantatríces, et delícias filiórum hóminum, scyphos et úrceos in ministério ad vina fundénda : et supergréssus sum ópibus omnes, qui ante me fuérunt in Jerúsalem : sapiéntia quoque perseverávit mecum.

℟. Magna enim. 301.

Lectio iii.

ET ómnia, quae desideraverunt óculi mei, non negávi eis : nec prohíbui cor meum quin omni voluptáte fruerétur, et oblectáret se in his quae praeparáveram : et hanc ratus sum partem meam, si úterer labóre meo. Cumque me convertíssem ad univérsa ópera, quae fécerant manus meae, et ad labóres, in quibus frustra sudáveram, vidi in ómnibus vanitátem, et afflictiónem ánimi, et nihil permanére sub sole.

℟. Quae sunt in corde hóminum. 301.

FERIA TERTIA.

De libro Ecclesiástae.

Lectio i. *Cap.* iii.

OMNIA tempus habent, et suis spátiis tránseunt univérsa sub coelo. Tempus nascéndi, et tempus moriéndi. Tempus plantándi, et tempus evelléndi quod plantátum est. Tempus occidéndi, et tempus sanándi. Tempus destruéndi, et tempus aedificándi. Tempus flendi, et tempus ridéndi. Tempus plangéndi, et tempus saltándi. Tempus spargéndi

lápides, et tempus colligéndi. Tempus amplexándi, et tempus longe fieri ab amplexibus. Tempus acquiréndi, et tempus perdéndi. Tempus custodiéndi, et tempus abjiciéndi. Tempus scindéndi, et tempus consuéndi. Tempus tacéndi, et tempus loquéndi. Tempus dilectiónis, et tempus ódii. Tempus belli, et tempus pacis.

℟. Praebe, fili, cor. 301.

Lectio ii.

QUID habet ámplius homo de labóre suo? Vidi afflictiónem quam dedit Deus fíliis hóminum, ut distendántur in ea. Cuncta fecit bona in témpore suo, et mundum trádidit disputatióni eórum, ut non inveníat homo opus, quod operátus est Deus ab inítio usque ad finem. Et cognóvi quod non esset mélius, nisi laetári, et fácere bene in vita sua. Omnis enim homo, qui cómedit et bibit, et videt bonum de labóre suo, hoc donum Dei est.

℟. Inítium. 302.

Lectio iii.

DIDICI quod ómnia ópera, quae fecit Deus, persevérent in perpétuum : non póssumus eis quidquam áddere, nec auférre, quae fecit Deus, ut timeátur. Quod factum est, ipsum pérmanet : quae fuitúra sunt, jam fuérunt : et Deus instáurat quod ábiit. Vidi sub sole in loco judícii impietátem, et in loco justítiae iniquitátem. Et dixi in corde meo : Justum et ímpium judicábit Deus, et tempus omnis rei tunc erit.

℟. Verbum. 302.

FERIA QUARTA.

De libro Ecclesiástae.

Lectio i. *Cap.* iv.

ERTI me ad ália, et vidi calúmnias, quae sub sole gerúntur, et lácrymas innocéntium, et néminem consolatórem : nec posse resístere eórum violéntiae, cunctórum auxílio destitútos. Et laudávi magis mórtuos quam vivéntes : et feliciórem utróque judicávi, qui necdum natus est, nec vidit mala quae sub sole fiunt. Rursum contemplátus sum omnes labóres hóminum, et indústrias animadvérti patére invídiae próximi : et in hoc ergo vánitas, et cura supérflua est.

℟. Dómine Pater. 302.

Lectio ii.

STULTUS cómplicat manus suas, et cómedit carnes suas, dicens : Mélior est pugíllus cum réquie, quam plena utráque manus cum labóre et afflictióne ánimi. Consíderans

réperi et áliam vanitátem sub sole : unus est, et secúndum non habet, non fílium, non fratrem, et tamen laboráre non cessat, nec satiántur óculi ejus divítiis : nec recógitat, dicens : Cui labóro, et fraudo ánimam meam bonis ? in hoc quoque vánitas est, et afflíctio péssima.

℟. Magna enim. 303.

Lectio iii.

QUELIUS est ergo duos esse simul, quam unum : habent enim emoluméntum societátis suae : si unus cecíderit, ab áltero fulciétur. Vae soli : quia cum cecíderit, non habet sublevántem se. Et si dormíerint duo, fovebúntur mútuo : unus quómodo caleffiet ? Et si quíspiam praevalúerit contra unum, duo resístunt ei : funículus triplex diffícile rúmpitur. Mélior est puer pauper et sápiens, rege sene et stulto, qui nescit praevidére in pósterum.

℟. Quae sunt. 303.

FERIA QUINTA.

De libro Ecclesiástae.

Lectio i. *Cap.* v.

NE témere quid loquáris, neque cor tuum sit velox ad proferéndum sermónem coram Deo. Deus enim in coelo, et tu super terram : ideírco sint pauci sermónes tui. Multas curas seqúuntur sómnia, et in multis sermónibus inveniétur stultítia. Si quid vovísti Deo, ne moréris réddere : dísplicet enim ei infidélis et stulta promíssio. Sed quodcúmque vóveris, redde : multóque mélius non est vovére, quam post votum promíssa non réddere.

℟. In principio. 303.

Lectio ii.

NE déderis os tuum ut peccáre fácias carnem tuam : neque dicas coram Angelo : Non est providéntia : ne forte irátus Deus contra sermónes tuos, díssipet cuncta ópera mánuum tuárum. Ubi multa sunt sómnia, plúrimae sunt vanitátes, et sermónes innúmeri : tu vero Deum time. Si víderis calúmnias egenórum, et violénta judícia, et subvérti justítiam in província, non miréris super hoc negótio : quia excélso excélsior est álius, et super hos quoque eminentióres sunt álii, et ínsuper univérsae terrae rex ímperat serviénti.

℟. Gyrum coeli. 304.

Lectio iii.

AVARUS non implébitur pecúnia : et qui amat divítias, fructum non cápiet ex eis : et hoc

ergo vánitas. Ubi multae sunt opes, multi et qui cómedunt eas. Et quid prodest possessóri, nisi quod cernit divítias óculis suis? Dulcis est somnus operánti, sive parum, sive multum cómedat: satúritas autem dívitis non sinit eum dormíre. Est etália infírmitas péssima, quam vidi sub sole: divítiae conservátae in malum dómini sui. Péreunt enim in afflictióne péssima: generávit fílium, qui in summa egestáte erit.

℟. Emítte, Dómine. 304.

FERIA SEXTA.

De libro Ecclesiástae.

Lectio i. *Cap.* vi.

EST et áliud malum, quod vidi sub sole, et quidem frequens apud hómines: Vir, cui dedit Deus divítias, et substántiam, et honórem, et nihil deest ánimae suae ex ómnibus quae desíderat: nec tríbuit ei potestátem Deus ut cómedat ex eo, sed homo extráneus vorábit illud. Hoc vánitas et miséria magna est.

℟. Da mihi, Dñe. 304.

Lectio ii.

SI genúerit quíspiam centum líberos, et víxerit multos annos, et plures dies aetátis habúerit, et ánima illíus non utátur bonis substántiae suae, sepulturáque cáreat: de hoc ego pronúntio quod mélior illo sit abortívus. Frustra enim venit, et pergit ad ténebras, et oblivióne delébitur nomen ejus. Non vidit solem, neque cognóvit distántiam boni et mali: étiam si duóbus míllibus annis víxerit, et non fúerit perfrúitus bonis.

℟. Inítium. 305.

Lectio iii.

DONNE ad unum locum próperant ómnia? Omnis labor hóminis in ore ejus: sed ánima ejus non implébitur. Quid habet ámplius sápiens a stulto? et quid pauper, nisi ut pergat illuc, ubi est vita? Mélius est vidére quod cúpias, quam desideráre quod néscias. Sed et hoc vánitas est, et praesúmptio spíritus.

℟. Verbum. 305.

SABBATO.

De libro Ecclesiástae.

Lectio i. *Cap.* vii.

QUID necésse est hómini majóra se quaerere, cum ignóret quid condúcat sibi in vita sua número diérum peregrinatiónis suae, et témpore, quod velut umbra praeterit? Aut

quis ei póterit indicáre quid post eum futúrum sub sole sit ? Mélius est nomen bonum, quam unguénta pretiósa; et dies mortis die nativitátis. Mélius est ire ad domum luctus, quam ad domum convívii : in illa enim finis cunctórum admonétur hóminum, et vivens cógitat quid futúrum sit.

Lectio ii.

MELIOR est ira risu : quia per tristítiam vultus corrígitur ánimus delinquéntis. Cor sapiéntium ubi tristítia est, et cor stultórum ubi laetítia. Mélius est a sapiénte córripi, quam stultórum adulatióne décipi. Quia sicut sónitus spinárum ardéntium sub olla, sic risus stulti : sed et hoc vánitas. Calúmnia contúrbat sapiéntem, et perdet robur cordis illíus. Mélior est finis oratiónis, quam princípium. Mélior est pátiens arrogánte.

Lectio iii.

NE dicas : Quid putas causae est quod prióra témpora melióra fuére quam nunc sunt ? stulta enim est hujuscémodi interrogátio. Utílior est sapiéntia cum divítiis, et magis prodest vidéntibus solem. Sicut enim prótegit sapiéntia, sic prótegit pecúnia. Hoc autem plus habet erudítio et sapiéntia, quod vitam tríbuunt possessóri suo. Consídera ópera Dei, quod nemo possit corrígere quem ille despéxerit.

Ad Magnif. Ánа. Omnis sapiéntia a Dómino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante aevum.

Si sequens Dominica venerit in die Assumptionis beatae Mariae, vel S. Hyacinthi, vel in die Octava S. Laurentii, liber Sapientiae ponitur in ipsa die S. Hyacinthi, vel in die Octava S. Laurentii, et de eo legitur in festo S. Bernardi, et post Octavam Assumptiónis B. Mariae, si supersit dies, usque ad sequentem Dominicam.

DOMINICA III.
Augusti.

In primo Nocturno.

Incipit liber Sapiéntiae.

Lectio i. *Cap.* i.

DILIGITE justítiam, qui judicátis terram. Sentíte de Dómino in bonitáte, et in simplicitáte cordis quaerite illum : quóniam invenítur ab his, qui non tentant illum : appáret autem eis, qui fidem habent in illum : pervérsae enim cogitatiónes séparant a Deo : probáta autem virtus córripit insipiéntes. Quóniam in malévolam ánimam

non introfibit sapiéntia, nec habitábit in córpore súbdito peccátis.

℟. In princípio. 298.

Lectio ii.

SPIRITUS enim sanctus disciplínae effúgiet fictum, et áuferet se a cogitatiónibus, quae sunt sine intellectu, et corripiétur a superveniénte iniquitáte. Benígnus est enim spíritus sapiéntiae, et non liberábit malédicum a lábiis suis : quóniam renum illíus testis est Deus, et cordis illíus scrutátor est verus, et linguae ejus audítor. Quóniam spíritus Dómini replévit orbem terrárum : et hoc, quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis. Propter hoc qui lóquitur infqua, non potest latére, nec praetériet illum corrípiens judícium.

℟. Gyrum coeli. 298.

Lectio iii.

IN cogitatiónibus enim ímpii interrogátio erit: sermónum autem illíus audítio ad Deum véniet, ad correptiónem iniquitátum illíus. Quóniam auris zeli audit ómnia, et tumúltus murmuratiónum non abscondétur. Custodíte ergo vos a murmuratióne, quae nihil prodest, et a detractióne párcite linguae, quóniam sermo obscúrus in vácuum non ibit : os autem, quod mentítur, occídit ánimam.

℟. Emítte, Dñe. 298.

In secundo Nocturno.

Ex libro Officiórum sancti Ambrósii Epíscopi. *Lib.* I. *cap.* XXVIII.

Lectio iv.

MAGNUS justítiae splendor, quae áliis pótius nata, quam sibi communitátem et societátem nostram ádjuvat, excelsitátem tenet, ut suo judício ómnia subjécta hábeat, opem áliis ferat, pecúniam cónferat, offícia non ábnuat, perícula suscípiat aliéna. Quis non cúperet hanc virtútis arcem tenére, nisi prima avarítia infirmáret atque infléctet tantae virtútis vigórem? Etenim dum augére opes, aggregáre pecúnias, occupáre terras possessiónibus cúpimus, praestáre divítiis ; justítiae formam exúimus, beneficéntiam commúnem amíttimus.

℟. Da mihi, Dñe. 299.

Lectio v.

QUANTA autem justítia sit, ex hoc intélligi potest, quod nec locis, nec persónis, nec tempóribus excípitur, quae étiam hóstibus reservátur : ut si constitútus sit cum hoste aut locus, aut dies praelio,

advérsus justítiam putétur aut loco praevenire, aut témpore. Interest enim utrum áliquis pugna áliqua et conflíctu gravi capiátur, an superióre grátia, vel áliquo evéntu. Si ergo in bello justítia valet, quanto magis in pace servánda est?

℟. Initium. 299.

Lectio vi.

FUNDAMENTUM ergo est justítiae fides. Justórum enim corda meditántur fidem : et qui se justus accúsat justítiam supra fidem cóllocat. Nam tunc justítia ejus appáret, si vera fateátur. Dénique et Dóminus per Isaíam: Ecce, inquit, mitto lápidem in fundaméntum Sion : id est, Christum in fundaméntum Ecclésiae. Fides enim ómnium Christus : Ecclésia autem quaedam forma justítiae est, commúne jus ómnium: in commúne orat, in commúne operátur, in commúne tentátur. Dénique qui seípsum sibi ábnegat, ipse justus, ipse dignus Christo est. Ideo et Paulus fundaméntum pósuit Christum, ut supra eum ópera justítiae locarémus : quia fides fundaméntum est.

℟. Verbum. 299.

℟. vii. Dómine. 300.

℟. viii. Duo. 300.

FERIA SECUNDA.

De libro Sapiéntiae.

Lectio i. *Cap.* iii.

USTORUM autem ánimae in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntiũ mori : et aestimáta est afflíctio éxitus illórum; et quod a nobis est iter, extermínium: illi autem sunt in pace. Et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. In paucis vexáti, in multis bene disponéntur: quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. Tamquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum.

℟. Ne derelínquas. 300.

Lectio ii.

FULGEBUNT justi, et tamquam scintíllae in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dñus illórum in perpétuum. Qui confídunt in illo, intélligent veritátem: et fidéles in dilectióne acquiéscent illi : quóniam donum et pax est eléctis ejus. Impii autem, secúndum quae cogitavérunt, correptiónem habébunt : qui

neglexérunt justum, et a Dño recessérunt. Sapiéntiam enim et disciplínam qui ábjicit, infélix est : et vácua est spes illórum, et labóres sine fructu, et inutília ópera eórum.

℟. Magna enim. 301.

Lectio iii. *Cap.* v. *c.*

JUSTI autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum, et cogitátio illórum apud Altíssimum. Ideo accípient regnum decóris, et diadéma speciéi de manu Dómini : quóniam déxtera sua teget eos, et bráchio sancto suo deféndet illos. Accípiet armatúram zelus illíus, et armábit creatúram ad ultiónem inimicórum. Induet pro thoráce justítiam, et accípiet pro gálea judícium certum. Sumet scutum inexpugnábile aequitátem : ácuet autem duram iram in lánceam, et pugnábit cum illo orbis terrárum contra insensátos.

℟. Quae sunt. 301.

FERIA TERTIA.

De libro Sapiéntiae.

Lectio i. *Cap.* vi.

ELIOR est sapiéntia quam vires : et vir prudens quam fortis. Audíte ergo reges, et intellígite, díscite júdices fínium terrae. Praebéte aures, vos, qui continétis multitúdines, et placétis vobis in turbis natiónum : quóniam data est a Dómino potéstas vobis, et virtus ab Altíssimo, qui interrogábit ópera vestra, et cogitatiónes scrutábitur : quóniam cum essétis minístri regni illíus, non recte judicástis, nec custodístis legem justítiae, neque secúndum voluntátem Dei ambulástis.

℟. Praebe, fili, cor. 301.

Lectio ii.

HORRENDE et cito apparébit vobis : quóniam judícium duríssimum his, qui praesunt, fiet. Exíguo enim concéditur misericórdia : poténtes autem poténter torménta patiéntur. Non enim súbtrahet persónam cujúsquam Deus, nec verébitur magnitúdinem cujúsquam : quóniam pusíllum et magnum ipse fecit, et aequáliter cura est illi de ómnibus. Fortióribus autem fórtior instat cruciátio.

℟. Inítium. 302.

Lectio iii.

AD vos ergo reges sunt hi sermónes mei, ut discátis sapiéntiam et non excidátis. Qui enim custodíerint justa juste, justificabúntur : et qui didícerint ista, invénient quid respóndeant. Concupíscite ergo

sermónes meos, dilígite illos, et habébitis disciplínam. Clara est, et quae nunquam marcéscit sapiéntia, et fácile vidétur ab his qui díligunt eam, et invenítur ab his qui quaerunt illam.

℟. Verbum. 302.

FERIA QUARTA.

De libro Sapiéntiae.

Lectio i. *Cap.* vii.

SUM quidem et ego mortális homo, símilis ómnibus, et ex génere terréni illíus, qui prior fáctus est, et in ventre matris figurátus sum caro, decem ménsium témpore coagulátus sum in sánguine, ex sémine hóminis, et delectaménto somni conveniénte. Et ego natus accépi commúnem áerem, et in símliter factam décidi terram, et primam vocem símilem ómnibus emísi plorans. In involuméntis nutrítus sum, et curis magnis. Nemo enim ex régibus áliud hábuit nativitátis inítium. Unus ergo intróitus est ómnibus ad vitam, et símilis éxitus.

℟. Dómine, Pater. 302.

Lectio ii.

PROPTER hoc optávi, et datus est mihi sensus: et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiae: et praepósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Nec comparávi illi lápidem pretiósum: quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua, et tamquam lutum aestimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem et spéciem diléxi illam, et propósui pro luce habére illam: quóniam inextinguíbile est lumen illíus.

℟. Magna enim. 303.

Lectio iii.

VENERUNT autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus, et laetátus sum in ómnibus: quóniam antecedébat me ista sapiéntia, et ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico, et honestátem illíus non abscóndo. Infínitus enim thesáurus est homínibus: quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiae Dei, propter disciplínae dona commendáti.

℟. Quae sunt. 303.

FERIA QUINTA.

De libro Sapiéntiae.

Lectio i. *Cap.* ix. *c.*

QUIS hóminum póterit scire consílium Dei? aut quis póterit cogitáre quid velit Deus? Co-

gitatiónes enim mortálium tímidae, et incértae providéntiae nostrae. Corpus enim, quod corrúmpitur, ággravat ánimam, et terréna inhabitátio déprimit sensum multa cogitántem. Et difficile aestimámus quae in terra sunt : et quae in prospéctu sunt, invenímus cum labóre. Quae autem in coelis sunt, quis investigábit ? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu déderis sapiéntiam, et míseris Spíritum sanctum tuum de altíssimis: et sic corréctae sint sémitae eórum qui sunt in terris, et quae tibi placent didícerint hómines ? Nam per sapiéntiam sanáti sunt quicúmque placuérunt tibi, Dómine, a princípio.

℟. In princípio. 303.

Lectio ii. *Cap.* x.

HAEC illum, qui primus formátus est a Deo pater orbis terrárum, cum solus esset creátus, custodívit, et edúxit illum a delícto suo, et dedit illi virtútem continéndi ómnia. Ab hac ut recéssit injústus in ira sua, per iram homicídii fratérni depériit. Propter quem, cum aqua deléret terram, sanávit íterum sapiéntia, per contemptíbile lignum justum gubérnans. Haec et in consénsu nequitiae cum se natiónes contulíssent, scivit justum, et conservávit sine queréla Deo, et in fílii misericórdia fortem custodívit.

℟. Gyrum coeli. 304.

Lectio iii.

HAEC justum a perúntibus ímpiis liberávit fugiéntem, descendénte igne in Pentápolim : quibus in testimóniũ nequítiae fumigabúnda constat desérta terra, et incérto témpore fructus habéntes árbores, et incredíbilis ánimae memória stans figméntum salis. Sapiéntiam enim praetereúntes, non tantum in hoc lapsi sunt ut ignorárent bona, sed et insipiéntiae suae reliquérunt homínibus memóriam, ut in his, quae peccavérunt, nec latére potuíssent. Sapiéntia autem hos, qui se obsérvant, a dolóribus liberávit.

℟. Emítte, Dómine, sapiéntiam. 304.

FERIA SEXTA.

De libro Sapiéntiae.

Lectio i. *Cap.* xiii.

VANI autem sunt omnes hómines, in quibus non subest sciéntia Dei : et de his, quae vidéntur bona, non potuérunt intellígere eum qui est, neque opéribus attendéntes agnovérunt quis esset ártifex : sed aut ignem, aut spíritum,

aut citátum áerem, aut gyrum stellárum, aut nímiam aquam, aut solem et lunam, rectóres orbis terrárum deos putavérunt. Quorum si spécie delectáti, deos putavérunt, sciant quanto his dominátor eórum speciósior est. Speciéi enim generátor haec ómnia constítuit.

℟. Da mihi, Dñe. 304.

Lectio ii.

AUT si virtútem et ópera eórum miráti sunt, intélligant ab illis, quóniam qui haec fecit, fórtior est illis : a magnitúdine enim speciéi et creatúrae, cognoscibíliter póterit Creátor horum vidéri. Sed tamen adhuc in his minor est queréla. Et hi enim fortásse errant, Deum quaeréntes, et voléntes invenire. Etenim cum in opéribus illíus conversántur, inquírunt : et persuásum habent, quóniam bona sunt quae vidéntur.

℟. Inítium. 305.

Lectio iii.

ITERUM autem nec his debet ignósci. Si enim tantum potuérunt scire, ut possent aestimáre saeculum : quómodo hujus Dñum non facílius invenérunt ? Infelíces autem sunt, et inter mórtuos spes illórũ est, qui appellavérunt deos ópera mánuum hóminum, aurum et argéntum, artis inventiónem, et similitúdines animálium, aut lápidem inútilem opus manus antíquae.

℟. Verbum iníquum. 305.

SABBATO.

De libro Sapiéntiae.

Lectio i. *Cap.* xv.

U autem, Deus noster, suávis et verus es, pátiens, et in misericórdia dispónens ómnia. Etenim si peccavérimus, tui sumus, sciéntes magnitúdinem tuam : et si non peccavérimus, scimus quóniam apud te sumus computáti. Nosse enim te, consummáta justítia est : et scire justítiam, et virtútem tuam, radix est immortalitátis.

Lectio ii.

NON enim in errórem indúxit nos hóminũ malae artis excogitátio, nec umbra pictúrae labor sine fructu, effígies sculpta per vários colóres, cujus aspéctus insensáto dat concupiscéntiam, et díligit mórtuae imáginis effígiem sine ánima. Malórum amatóres digni sunt qui spem hábeant in tálibus, et qui fáciunt illos, et qui díligunt, et qui colunt.

Lectio iii.

SED et figulus mollem terram premens, laborióse fingit ad usus

nostros unumquódque vas, et de eódem luto fingit quae munda sunt in usum vasa, et simíliter quae his sunt contrária : horum autem vasórum quis sit usus, judex est fígulus. Et cum labóre vano deum fingit de eódem luto : ille qui paulo ante de terra factus fúerat, et post pusíllum redúcit se unde accéptus est, repetítus ánimae débitum quam habébat.

Ad Magnif. Aña. Sapiéntia * clámitat in platéis : Si quis díligit sapiéntiam, ad me declínet, et eam invéniet : et cum invénerit, beátus erit si tenúerit eam.

DOMINICA IV. Augusti.

In primo Nocturno.

Incipit liber Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* i.

OMNIS sapiéntia a Dómino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante aevum. Arénam maris, et plúviae guttas, et dies saeculi quis dinumerávit ? Altitúdinẽ coeli, et latitúdinem terrae, et profúndum abyssi quis diménsus est ? Sapiéntiam Dei praecedéntem ómnia quis investigávit ? Prior ómnium creáta est sapiéntia, et intellectus prudéntiae ab aevo. Fons sapiéntiae verbum Dei in excélsis, et ingréssus illíus mandáta aetérna.

℟. In princípio. 298.

Lectio ii.

RADIX sapiéntiae cui reveláta est, et astútias illíus quis agnóvit ? Disciplína sapiéntiae cui reveláta est, et manifestáta? et multiplicatiónem ingréssus illíus quis intelléxit ? Unus est altíssimus Creátor omnípotens, et rex potens, et metuéndus nimis, sedens super thronum illíus et dóminans Deus. Ipse creávit illam in Spíritu sancto, et vidit, et dinumerávit, et mensus est. Et effúdit illam super ómnia ópera sua, et super omnem carnem secúndum datum suum, et praebuit illam diligéntibus se.

℟. Gyrum coeli. 298.

Lectio iii.

TIMOR Dómini glória, et gloriátio, et laetítia, et coróna exultatiónis. Timor Dómini delectábit cor, et dabit laetítiam, et gáudium, et longitúdinem diérum. Timénti Dóminum bene erit in extrémis, et in die defunctiónis suae benedicétur. Diléctio Dei honorábilis sapiéntia. Quibus autem apparúerit in visu, díligunt eam in visióne, et in agnitióne magnálium suórum. Inítium sapiéntiae

timor Dñi, et cum fidélibus in vulva concreátus est.

℟. Emítte, Dñe. 298.

In secundo Nocturno.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papae.

Lib. I. *cap.* X. *in cap.* I. *Job.*

Lectio iv.

SUNT nonnúlli, qui vitam suam négligunt, et dum transitória áppetunt, dum aetérna vel non intélligunt, vel intellécta contémnunt, nec dolórem séntiunt, nec habére consílium sciunt : cumque supérna, quae amiserunt, non consíderant, esse se (heu míseri !) in bonis felíces putant. Nequáquam enim ad veritátis lucem, cui cónditi fúerant, mentis óculos érigunt : nequáquam ad contemplatiónem pátriae aetérnae desidérii ácies tendunt : sed semetípsos in his, ad quae projécti sunt, deseréntes, vice pátriae díligunt exílium quod patiúntur, et in caecitáte quam tólerant, quasi in claritáte lúminis exúltant.

℟. Da mihi, Dñe. 299.

Lectio v.

AT contra, electórum mentes, dum transitória cuncta nulla esse conspíciunt, ad quae sint cónditae exquírunt : cumque eórum satisfactióni nihil extra Deum súfficit, ipsa inquisitiónis exercitatióne fatigáta illórum cogitátio, in conditóris sui spe et contemplatióne requiéscit, supérnis intérseri cívibus áppetit : et unusquísque eórum adhuc in mundo córpore pósitus, mente tamen extra mundum surgit: aerúmnam exílii, quam tólerat, deplórat, et ad sublímem pátriam incessántibus se amóris stímulis éxcitat. Cum ergo dolens videt, quam sit aetérnū quod pérdidit, ínvenit salúbre consílium, temporále hoc despícere quod percúrrit : et quo magis crescit consílii sciéntia ut peritúra déserat, eo augétur dolor, quod necdum ad mansúra pertíngat.

℟. Inítium. 299.

Lectio vi.

INTUENDUM quoque est, quod nullus dolor mentis sit in actióne praecipitatiónis. Qui enim sine consíliis vivunt, qui seípsos rerum eventibus praecípites déserunt : nullo ínterim cogitatiónum dolóre fatigántur. Nam qui solérter in vitae consílio figit mentem, caute sese in omni actióne circumspiciéndo consíderat: et ne ex re quae ágitur, repentínus finis adversúsque surrípiat, hunc prius mólliter pósito pede cogitatiónis palpat : pensat,

ne ab his, quae agénda sunt, praepédiat formído : ne in his, quae differénda sunt, praecipitátio impéllat: ne prava per concupiscéntiã apérto bello súperent : ne recta per inánem glóriam insidiándo supplántent.

℟. Verbum. 299.
℟. vii. Dómine. 300.
℟. viii. Duo. 300.

FERIA SECUNDA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* i. *c.*

CORONA sapiéntiae, timor Dñi, replens pacem, et salútis fructum : et vidit, et dinumerávit eam : útraque autem sunt dona Dei. Sciéntiam et intellectum prudéntiae sapiéntia compartiétur, et glóriam tenéntium se exáltat. Radix sapiéntiae est timére Dñum, et rami illíus longaevi. In thesáuris sapiéntiae intellectus, et sciéntiae religiósitas : execrátio autem peccatóribus sapiéntia.

℟. Ne derelínquas. 300.

Lectio ii.

TIMOR Dñi expéllit peccátum : nam qui sine timóre est, non póterit justificári : iracúndia enim animositátis illíus, subvérsio illíus est. Usque in tempus sustinébit pátiens, et póstea reddítio jucunditátis. Bonus sensus usque in tempus abscóndet verba illíus, et lábia multórum enarrábunt sensum illíus. In thesáuris sapiéntiae significátio disciplínae : execrátio autem peccatóri cultúra Dei. Fili, concupíscens sapiéntiam, consérva justítiam, et Deus praebébit illam tibi.

℟. Magna enim. 301.

Lectio iii.

SAPIENTIA enim et disciplína timor Dñi : et quod beneplácitum est illi, fides, et mansuetúdo, et adimplébit thesáuros illíus. Ne sis incredíbilis timóri Dómini : et ne accésseris ad illum dúplici corde. Ne fúeris hypócrita in conspéctu hóminum, et non scandalizéris in lábiis tuis. Atténde in illis, ne forte cadas, et addúcas ánimae tuae inhonoratiónem, et revélet Deus abscónsa tua, et in médio synagógae elídat te : quóniam accessísti malígne ad Dóminum, et cor tuum plenum est dolo et fallácia.

℟. Quae sunt. 301.

FERIA TERTIA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* ii.

FILI, accédens ad servitútem Dei, sta in justítia et timóre, et praepara ánimam tuam ad ten-

tatiónē. Déprime cor tuum, et sústine : inclína aurem tuam, et súscipe verba intelléctus : et ne festínes in témpore obductiónis. Sústine sustentatiónes Dei : conjúngere Deo, et sústine, ut crescat in novíssimo vita tua.

℟. Praebe, fili, cor. 301.

Lectio ii.

OMNE, quod tibi applícitum fúerit, áccipe : et in dolóre sústine, et in humilitáte tua patiéntiam habe : quóniam in igne probátur aurum et argéntum, hómines vero receptíbiles in camíno humiliatiónis. Crede Deo, et recuperábit te : et dírige viam tuam, et spera in illum. Serva timórem illíus, et in illo veterásce.

℟. Initium. 302.

Lectio iii.

QUETUENTES Dñum, sustinéte misericórdiam ejus : et non deflectátis ab illo, ne cadátis. Qui timétis Dóminum, crédite illi, et non evacuábitur merces vestra. Qui timétis Dñum, speráte in illum. et in oblectatiónem véniet vobis misericórdia. Qui timétis Dñum, dilígite illum, et illuminabúntur corda vestra. Respícite, fílii, natiónes hóminum, et scitóte quia nullus sperávit in Dómino, et confúsus est. Quis enim permánsit in mandátis ejus, et derelíctus est? aut quis invocávit eum, et despéxit illum?

℟. Verbum iníquum. 302.

FERIA QUARTA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* iii.

FILII sapiéntiae, ecclésia justórum: et nátio illórum, obediéntia et diléctio. Judícium patris audíte fílii, et sic fácite ut salvi sitis. Deus enim honorávit patrem in fíliis : et judícium matris exquírens, firmávit in fílios. Qui díligit Deum, exorábit pro peccátis, et continébit se ab illis, et in oratióne diérum exaudiétur.

℟. Dómine, Pater. 302.

Lectio ii.

ET sicut qui thesaurízat, ita et qui honorífficat matrem suam. Qui honórat patrem suum, jucundábitur in fíliis, et in die oratiónis suae exaudiétur. Qui honórat patrem suum, vita vivet longióre : et qui obédit patri, refrigerábit matrem. Qui timet Dñum, honórat paréntes, et quasi dóminis sérviet his, qui se genuérunt.

℟. Magna enim sunt. 303.

Lectio iii.

IN ópere et sermóne, et omni patiéntia honóra patrem tuum, ut

supervéniat tibi benedíctio ab eo, et benedíctio illfus in novíssimo máneat. Benedíctio patris firmat domos filiórum : maledíctio autem matris eradícat fundaménta. Ne gloriéris in contuméliа patris tui: non enim est tibi glória, ejus confúsio. Glória enim hóminis ex honóre patris sui, et dédecus fílii pater sine honóre.

℟. Quae sunt. 303.

FERIA QUINTA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* iii. *c.*

ALTIORA te ne quaesíeris, et fortióra te ne scrutátus fúeris : sed quae praecépit tibi Deus, illa cógita semper, et in plúribus opéribus ejus ne fúeris curiósus. Non est enim tibi necessáriu, ea quae abscóndita sunt, vidére óculis tuis. In supervácuis rebus noli scrutári multiplíciter, et in plúribus opéribus ejus non eris curiósus. Plúrima enim super sensum hóminum osténsa sunt tibi. Multos quoque supplantávit suspício illórum, et in vanitáte detínuit sensus illórum.

℟. In princípio. 303.

Lectio ii.

COR durum habébit male in novíssimo : et qui amat perículum, in illo períbit. Cor ingrédiens duas vias, non habébit succéssus, et pravus corde in illis scandalizábitur. Cor nequam gravábitur in dolóribus, et peccátor adjíciet ad peccándum. Synagógae superbórum non erit sánitas : frutex enim peccáti radicábitur in illis, et non intelligétur.

℟. Gyrum coeli. 304.

Lectio iii.

COR sapiéntis intellígitur in sapiéntia, et auris bona áudiet cum omni concupiscéntia sapiéntiam. Sápiens cor et intelligíbile abstinébit se a peccátis, et in opéribus justítiae succéssus habébit. Ignem ardéntem extínguit aqua, et eleemósyna resístit peccátis : et Deus prospéctor est ejus, qui reddit grátiam : méminit ejus in pósterum, et in témpore casus sui inviéniet firmaméntum.

℟. Emítte, Dómine. 304.

FERIA SEXTA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* iv.

FILI, eleemósynam páuperis ne defráudes, et óculos tuos ne transvértas a páupere. Animam esuriéntem ne despéxeris : et non exásperes páuperem in inópia sua. Cor ínopis ne

afflíxeris, et non prótrahas datum angustiánti. Rogatiónem contribuláti ne abjícias : et non avértas fáciem tuam ab egéno.

℟. Da mihi, Dómine, sédium. 304.

Lectio ii.

AB ínope ne avértas óculos tuos propter íram : et non relínquas quaeréntibus tibi retro maledícere : maledicéntis enim tibi in amaritúdine ánimae, exaudiétur deprecátio illíus: exáudiet autem eum, qui fecit illum. Congregatióni páuperum affábilem te fácito, et presbytero humília ánimam tuam, et magnáto humília caput tuum.

℟. Inítium sapiéntiae timor. 305.

Lectio iii.

DECLINA páuperi sine tristítia aurem tuam, et redde débitum tuum, et respónde illi pacífica in mansuetúdine. Líbera eum, qui injúriam pátitur de manu supérbi : et non ácide feras in ánima tua. In judicándo esto pupíllis miséricors ut pater, et pro viro matri illórum : et eris tu velut fílius Altíssimi obédiens, et miserébitur tui magis quam mater.

℟. Verbum iníquum et dolósum. 305.

SABBATO.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* iv. *c.*

FILI, consérva tempus, et devíta a malo. Pro ánima tua ne confundáris dícere verum. Est enim confúsio addúcens peccátum, et est confúsio addúcens glóriam et grátiam. Ne accípias fáciem advérsus fáciem tuam, nec advérsus ánimam tuam mendácium. Ne revereáris próximum tuum in casu suo : nec retíneas verbum in témpore salútis. Non abscóndas sapiéntiam tuam in decóre suo.

Lectio ii.

IN lingua enim sapiéntia dignóscitur : et sensus, et sciéntia, et doctrína in verbo sensáti, et firmaméntum in opéribus justítiae. Non contradícas verbo veritátis ullo modo, et de mendácio ineruditiónis tuae confúndere. Non confundáris confitéri peccáta tua, et ne subjícias te omni hómini pro peccáto. Noli resístere contra fáciem poténtis, nec conéris contra ictum flúvii.

Lectio iii.

PRO justítia agonizáre pro ánima tua, et usque ad mortem certa pro justítia, et Deus expugnábit

pro te inimícos tuos. Noli citátus esse in lingua tua : et inútilis et remíssus in opéribus tuis. Noli esse sicut leo in domo tua, evértens domésticos tuos, et óppримens subjéctos tibi. Non sit porrécta manus tua ad accipiéndum, et ad dandum collécta.

SABBATO

Ante Dominicam quintam Augusti, nisi haec fuerit propinquior Kalendis Septembris : quia tunc ista cum sua Hebdomada omittitur, et ponitur Aña pro prima Dominica Septembris, ut infra.

Ad Magnif. Aña. Obsérva, fili, * praecépta patris tui, et ne dimíttas legem matris tuae, sed liga eam semper in corde tuo.

DOMINICA V.
Augusti.

In primo Nocturno.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* v.

NOLI atténdere ad possessiónes iníquas, et ne díxeris : Est mihi suffíciens vita : nihil enim próderit in témpore vindíctae et obductiónis. Ne sequáris in fortitúdine tua concupiscéntiam cordis tui, et ne díxeris : Quómodo pótui ? aut quis me subjíciet propter facta mea ? Deus enim víndicans vindicábit. Ne díxeris : Peccávi, et quid mihi áccidit triste ? Altíssimus enim est pátiens rédditor. De propitiáto peccáto noli esse sine metu, neque adjícias peccátum super peccátum.

℟. In princípio. 298.

Lectio ii.

ET ne dicas : Miserátio Dómini magna est, multitúdinis peccatórum meórum miserébitur. Misericórdia enim et ira ab illo cito próximant, et in peccatóres réspicit ira illíus. Non tardes convérti ad Dñum, et ne dífferas de die in diem. Súbito enim véniet ira illíus, et in témpore vindíctae dispérdet te. Noli ánxius esse in divítiis injústis: non enim próderunt tibi in die obductiónis et vindíctae. Non véntiles te in omnem ventum, et non eas in omnem viam. Sic enim omnis peccátor probátur in dúplici lingua.

℟. Gyrum coeli. 298.

Lectio iii.

ESTO firmus in via Dómini, et in veritáte sensus tui et sciéntia, et prosequátur te verbum pacis et justítiae. Esto mansuétus ad audiéndum verbum, ut intélligas : et cum

sapiéntia próferas respónsum verum. Si est tibi intelléctus, respónde próximo: sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiáris in verbo indisciplináto, et confundáris. Honor et glória in sermóne sensáti; lingua vero imprudéntis subvérsio est ipsíus. Non appelléris susúrro, et lingua tua ne capiáris, et confundáris.

℟. Emítte, Dñe. 298.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. xxii. *in* ii. *Cor.* x. *in Moral.*

Lectio iv.

NE tardes convérti ad Dóminum, et ne dífferas de die in diem: nescis enim quid paritúra sit superventúra dies. Perículum enim et metus est in differéndo: salus vero certa ac secúra, si nulla sit dilátio. Virtútem ígitur cole: sic enim licet júvenis moriáris, secúre discésseris: quod si ad senectútem pervéneris, cum multa facilitáte et nulla moléstia e vita discédes; duplicémque habébis festivitátem, et quod a vitae malítia abstinúeris, et quod virtútem colúeris. Ne dicas: Erit tempus, quando convérti licébit: verba enim haec Deum valde exásperant.

℟. Da mihi, Dñe. 299.

Lectio v.

QUR nam, cum ipse tibi aetérna saecula promísit, tu in praesénti vita laborare non vis, quae parva et momentánea est; sed sic ignávus ac dissolútus agis, quasi hac breviórem áliam quamdam inquíras? Nonne illae quotidiánae comessatiónes, nonne illae mensae, nonne scorta illa, nonne theátra illa, nonne divítiae illae testántur inexplébilem malítiae concupiscéntiam? Cógita bene, quod quóties scortátus es, tóties condemnásti teípsum: peccátum enim ita se habet, ut mox atque patrátum fúerit, senténtiam ferat judex.

℟. Inítium. 299.

Lectio vi.

INEBRIATUS es? ventri indulsísti? rapuísti? siste jam gradum: verte te in divérsum: confitére Deo grátiam, quod non in médiis peccátis te ábstulit: ne quaere áliud tibi prorogári tempus ut male operéris. Multi dum male ac vitióse víverent, súbito periérunt, et in maniféstam damnatiónem abiérunt: time ne idem tibi áccidat. Sed multis, inquis, dedit Deus spátium, ut in última senécta confiterén-

tur. Quid ígitur? numquid et tibi dábitur? Fortásse dabit, inquis. Cur dicis, fortásse? Cóntigit aliquóties? Cógita quod de ánima deliberas: proínde étiam de contrário cógita, et dic: Quid autem, si non det? Quid autem, si det, inquis? Ésto, dat quidem ipse: verúmtamen hoc illo cértius et utílius.

℟. Verbum iníquum. 299.
℟. vii. Dñe, Pater. 300.
℟. viii. Duo. 300.

FERIA SECUNDA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* vii.

NOLI fácere mala, et non te apprehéndent. Discéde ab iníquo, et defícient mala abs te. Fili, non sémines mala in sulcis injustítiae, et non metes ea in séptuplum. Noli quaerere a dómino ducátum, neque a rege cáthedram honóris. Non te justífices ante Deum, quóniam ágnitor cordis ipse est: et penes regem noli velle vidéri sápiens.

℟. Ne derelínquas. 300.

Lectio ii.

NOLI quaerere fíeri judex, nisi váleas virtúte irrúmpere iniquitátes: ne forte extiméscas fáciem poténtis, et ponas scándalum in aequitáte tua. Non pecces in multitúdinem civitátis, nec te immíttas in pópulum, neque álliges duplícia peccáta: nec enim in uno eris immúnis. Noli esse pusillánimis in ánimo tuo: exoráre, et fácere eleemósynam ne despícias.

℟. Magna enim. 301.

Lectio iii.

NE dicas: In multitúdine múnerum meórum respíciet Deus, et offeránte me Deo altíssimo, múnera mea suscípiet. Non irrídeas hóminem in amaritúdine ánimae: est enim qui humíliat et exáltat, circumspéctor Deus. Noli aráre mendácium advérsus fratrem tuum: neque in amícum simíliter fácias. Noli velle mentíri omne mendáciũ: assidúitas enim illíus non est bona. Noli verbósus esse in multitúdine presbyterórum, et non ſteres verbum in oratióne tua.

℟. Quae sunt. 301.

FERIA TERTIA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* x.

JUDEX sápiens judicábit pópulũ suum, et princípatus sensáti stábilis erit. Secúndum júdicem pópuli, sic et minístri ejus:

et qualis rector est civitátis, tales et inhabitántes in ea. Rex insípiens perdet pópulum suum : et civitátes inhabitabúntur per sensum poténtium. In manu Dei potéstas terrae : et útilem rectórem suscitábit in tempus super illam. In manu Dei prospéritas hóminis, et super fáciem scribae impónet honórem suum.

℟. Praebe, fili, cor. 301.

Lectio ii.

OMNIS injúriae próximi ne memíneris, et nihil agas in opéribus injúriae. Odíbilis coram Deo est et homínibus supérbia : et execrábilis omnis iníquitas géntium. Regnum a gente in gentem transfértur propter injustítias, et injúrias, et contumélias, et divérsos dolos. Aváro autem nihil est sceléstius. Quid supérbit terra et cinis? Nihil est iníquius quam amáre pecúniam. Hic enim et ánimam suam venálem habet : quóniam in vita sua projécit íntima sua.

℟. Initium. 302.

Lectio iii.

OMNIS potentátus brevis vita. Languor prolíxior gravat médicum. Brevem languórem praecídit médicus : sic et rex hódie est, et cras moriétur. Cum enim moriétur homo, haereditábit serpéntes, et béstias, et vermes. Inítium supérbiae hóminis, apostatáre a Deo : quóniam ab eo, qui fecit illum, recéssit cor ejus : quóniam inítium omnis peccáti est supérbia: qui tenúerit illam, adimplébitur maledíctis, et subvértet eum in finem. Propterea exhonorávit Dóminus convéntus malórum, et destrúxit eos usque in finem.

℟. Verbum iníquum. 302.

FERIA QUARTA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* xiii.

QUI tetígerit picem, inquinábitur ab ea : et qui communicáverit supérbo, índuet supérbiam. Pondus super se tollet, qui honestióri se commúnicat. Et ditióri te ne sócius fúeris. Quid communicábit cácabus ad ollam? quando enim se collíserint, confringétur. Dives injúste egit, et fremet : pauper autem laesus tacébit. Si largítus fúeris, assúmet te, et si non habúeris, derelínquet te. Si habes, convívet tecum, et evacuábit te, et ipse non dolébit super te.

℟. Dómine Pater. 302.

Lectio iii.

HUMILIARE Deo, et expécta munus ejus. Atténde, ne sedúctus in

stultítiam humiliéris. Noli esse húmilis in sapiéntia tua, ne humiliátus in stultítiam seducáris. Advocátus a potentióre discéde : ex hoc enim magis te advocábit. Ne ímprobus sis, ne impingáris : et ne longe sis ab eo, ne eas in oblivionem. Ne retíneas ex aequo loqui cum illo : nec credas multis verbis illíus. Ex multa enim loquéla tentábit te, et subrídens interrogábit te de abscónditis tuis. Immítis ánimus illíus conservábit verba tua : et non parcet de malítia, et de vínculis.

℟. Magna enim. 303.

Lectio iii.

CAVE tibi et atténde diligénter audítui tuo : quóniam cum subversióne tua ámbulas. Audiens vero illa, quasi in somnis vide, et vigilábis. Omni vita tua dílige Deum, et ínvoca illum in salúte tua. Omne ánimal díligit símile sibi : sic et omnis homo próximum sibi. Omnis caro ad símilem sibi conjungétur, et omnis homo símili sui sociábitur. Si communicábit lupus agno aliquándo, sic peccátor justo. Quae communicátio sancto hómini ad canem ? aut quae pars díviti ad páuperem ?

℟. Quae sunt. 303.

FERIA QUINTA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* xiv.

BEATUS vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, et non est stimulátus in tristítia delícti. Felix, qui non hábuit ánimi sui tristítiam, et non éxcidit a spe sua. Viro cúpido et tenáci sine ratióne est substántia ; et hómini lívido ad quid aurum ? Qui acérvat ex ánimo suo injúste, áliis cóngregat, et in bonis illíus álius luxuriábitur. Qui sibi nequam est, cui álii bonus erit ? et non jucundábitur in bonis suis.

℟. In princípio. 303.

Lectio ii.

QUI sibi ínvidet, nihil est illo néquius, et haec reddítio est malítiae illíus : et si bene fécerit, ignoránter et non volens facit : et in novíssimo maniféstat malítiam suam. Nequam est óculus lívidi, et avértens fáciem suam, et despíciens ánimam suam. Insatiábilis óculus cúpidi in parte iniquitátis : non satiábitur donec consúmat arefáciens ánimam suam. Oculus malus ad mala : et non satiábitur pane, sed índigens et in tristítia erit super mensam suam.

℟. Gyrum coeli. 304.

Lectio iii.

FILI, si habes, bénefac tecum, et Deo dignas oblatiónes offer. Memor esto, quóniam mors non tardat, et testaméntum inferórum, quia demonstrátum est tibi : testaméntum enim hujus mundi morte moriétur. Ante mortem bénefac amíco tuo, et secúndum vires tuas expórrigens da páuperi. Non defraudéris a die bono, et partícula boni doni non te praetéreat. Nonne áliis relínques dolóres et labóres tuos in divisióne sortis? Da, et áccipe, et justífica ánimam tuam. Ante óbitum tuum operáre justítiã : quóniam non est apud inferos invenire cibum.

℟. Emítte, Dómine. 304.

FERIA SEXTA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* xxi.

FILI, peccásti? non adjícias iterum : sed et de prístinis deprecáre, ut tibi dimittántur. Quasi a fácie cólubri fuge peccáta : et si accésseris ad illa, suscípient te. Dentes leónis, dentes ejus, interficiéntes ánimas hóminum. Quasi rhomphaea bis acúta omnis iníquitas, plagae illíus non est sánitas. Objurgátio et injúriae annullábunt substántiam : et domus, quae nimis lócuples est, annullábitur supérbia : sic substántia supérbi eradicábitur.

℟. Da mihi, Dñe. 304.

Lectio ii.

DEPRECATIO páuperis ex ore usque ad aures ejus pervéniet, et judícium festináto advéniet illi. Qui odit correptiónem, vestígium est peccatóris : et qui timet Deum, convertétur ad cor suum. Notus a longe potens lingua audáci: et sensátus scit labi se ab ipso. Qui aedíficat domum suam impéndiis aliénis, quasi qui cólligit lápides suos in híeme. Stuppa collécta synagóga peccántium, et consummátio illórum flamma ignis.

℟. Inítium. 305.

Lectio iii.

VIA peccántium complanáta lapídibus, et in fine illórum inferi : et ténebrae, et poenae. Qui custódit justítiam, continébit sensum ejus. Consummátio timóris Dei, sapiéntia et sensus. Non erudiétur, qui non est sápiens in bono. Est autem sapiéntia, quae abúndat in malo : et non est sensus, ubi est amaritúdo. Sciéntia sapiéntis tamquam inundátio abundábit, et consílium illíus sicut fons vitae pérmanet.

℟. Verbum ínquum. 305.

SABBATO.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* xxxii.

RECTOREM te posuérunt ? noli extólli : esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illórum habe, et sic consíde, et omni cura tua explícita recúmbe: ut laetéris propter illos, et ornaméntum grátiae accípias corónam, et dignatiónem consequáris corrogatiónis. Lóquere major natu: decet enim te primum verbum diligénti sciéntia, et non impédias músicam.

Lectio ii.

UBI audítus non est, non effúndas sermónem, et importúne noli extólli in sapiéntia tua. Gémmula carbúnculi in ornaménto auri, et comparátio musicórum in convívio vini. Sicut in fabricatióne auri signum est smarágdi, sic númerus musicórum in jucúndo et moderáto vino. Audi tacens, et pro reveréntia accédet tibi bona grátia. Adoléscens lóquere in tua causa vix. Si bis interrogátus fúeris, hábeat caput respónsum tuum.

Lectio iii.

IN multis esto quasi insciús, et audi tacens simul, et quaerens. In médio magnatórum non praesúmas : et ubi sunt senes, non multum loquáris. Ante grándinem praeíbit coruscátio : et ante verecúndiam praeíbit grátia, et pro reveréntia accédet tibi bona grátia. Et hora surgéndi non te trices : praecúrre autem prior in domum tuam, et illic avocáre, et illic lude, et age conceptiónes tuas, et non in delíctis et verbo supérbo. Et super his ómnibus benedícito Dóminum, qui fecit te, et inebriántem te ab ómnibus bonis suis.

SABBATO

proximo Kalend. Septemb.

Ad Magnificat, Antiphona. Cum audísset Job * nuntiórum verba, sustínuit patiénter, et ait : Si bona suscépimus de manu Dómini, mala autem quare non sustineámus? In ómnibus his non peccávit Job lábiis suis, neque stultum áliquid contra Deum locútus est.

Homiliae et Orationes

IN DOMINICIS

Per ordinem dispositae, a tertia usque ad decimam sextam post Pentecosten.

DOMINICA III.
post Pentecosten.

Oratio.

PROTECTOR in te sperántium Deus, sine quo nihil est válidũ, nihil sanctum : multíplica super nos misericórdiam tuam ; ut te rectóre, te duce, sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus aetérna. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xv.

IN illo témpore : Erant appropinquántes ad Jesum publicáni, et peccatóres, ut audírent illum. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papae. *Homilia* xxxiv. *in Evang. post initium.*

AUDISTIS in lectióne Evangélica, fratres mei, quia peccatóres et publicáni accessérunt ad Redemptórem nostrum : et non solum ad colloquéndum, sed étiam ad convescéndum recépti sunt. Quod vidéntes Pharisaei dedignáti sunt. Ex qua re collígite, quia vera justítia compassiónem habet, falsa justítia dedignatiónem : quamvis et justi sóleant recte peccatóribus dedignári. Sed áliud est quod ágitur typo supérbiae, áliud quod zelo disciplínae.

Lectio viii.

DEDIGNANTUR étenim, sed non dedignántes : despérant, sed non desperántes : persecutiónem cómmovent, sed amántes : quia etsi foris increpatiónes per disciplínam exággerant, intus tamen dulcédinem per charitátem servant. Praepónunt sibi in ánimo ipsos plerúmque quos córrigunt : melióres exístimant eos quoque quos júdicant. Quod vidélicet agéntes, et per disciplínam súbditos, et per humilitátem custódiunt semetípsos.

Léctio ix.

AT contra, hi qui de falsa justítia superbíre solent, caeteros quosque despíciunt, nulla infirmántibus misericórdia condescéndunt: quo se peccatóres esse non credunt, eo detérius peccatóres fiunt. De quorum profécto número Pharisaei extíterant, qui dijudicántes Dóminum quod peccatóres suscíperet, aránti corde, ipsum fontem misericórdiae reprehendébant. Sed quia aegri erant, ita ut aegros se esse nescírent : quátenus quod erant agnóscerent, coeléstis eos médicus blandis foméntis curat, benígnum paradígma óbjicit, et in córum corde vúlneris tumórem premit.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Bened. Ańa. Quis ex vobis * homo, qui habet centum oves, et si perdíderit unam ex illis, nonne dimíttit nonaginta novem in desérto, et vadit ad illam quae períerat, donec invéniat eam ? allelúia.

Ad Magnif. Ańa. Quae múlier * habens drachmas decem, et si perdíderit drachmam unam, nonne accéndit lucérnam, et evérrit domum, et quaerit diligénter donec invéniat ?

DOMINICA IV.
post Pentecosten.

Oratio.

DA nobis, quaesumus Dómine, ut et mundi cursus pacífice nobis tuo órdine dirigátur, et Eccléśia tua tranquílla devotióne laetétur. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* v.

IN illo témpore : Cum turbae irrúerent in Jesum, ut audírent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genésareth. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 4. *in Lucae cap.* v. *prope finem libri.*

BI Dñus multis impertívit vária génera sanitátum, nec témpore, nec loco pótuit ab stúdio sanándi turba cohibéri. Vesper incúbuit, sequebántur: stagnum occúrrit, urgébant : et ídeo ascéndit in Petri navim. Haec est illa navis, quae adhuc secúndum Matthaeum flúctuat, secúndum Lucam replétur píscibus : ut et princípia Ecclésiae fluctuántis, et posterióra exuberántis agnóscas. Pisces enim sunt, qui hanc enávigant vitam. Ibi adhuc discípulis Christus

dormit, hic praecipit : dormit enim tépidis, perféctis vígilat.

Lectio viii.

NON turbátur haec navis, in qua prudéntia návigat, abest perfídia, fides aspírat. Quemádmodum enim turbári póterat, cui praeerat is, in quo Ecclésiae firmaméntum est ? Illic ergo turbátio, ubi módica fides : hic secúritas, ubi perfécta diléctio. Et si áliis imperátur ut laxent rétia sua, soli tamen Petro dícitur : Duc in altum ; hoc est, in profúndum disputatiónum. Quid enim tam altum, quam altitúdinem divitiárum vidére, scire Dei Fílium, et professióne divínae generatiónis assúmere ? Quam licet mens non queat humána plene ratiónis investigatióne comprehéndere, fídei tamen plenitúdo compléctitur.

Lectio ix.

QUAM etsi non licet mihi scire quemádmodum natus sit : non licet tamen nescíre quod natus sit. Sériem generatiónis ignóro : sed auctórem generatiónis agnósco. Non interfúimus cum ex Patre Dei Fílius nascerétur : sed interfúimus cum a Patre Dei Fílius dicerétur. Si Deo non crédimus, cui credémus ? Omnia enim quae crédimus, vel visu crédimus, vel audítu. Visus saepe fállitur, auditus in fide est.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Bened. Ańa. Ascéndens Jesus * in navim, et sedens, docébat turbas, allelúia.

Ad Magnif. Ańa. Praecéptor, * per totam noctem laborántes nihil cépimus, in verbo autem tuo laxábo rete.

DOMINICA V.
post Pentecosten.

Oratio.

DEUS, qui diligéntibus te bona invisibília praeparásti : infúnde córdibus nostris tui amóris affectum ; ut te in ómnibus, et super ómnia diligéntes, promissiónes tuas, quae omne desidérium súperant, consequámur. Per Dóminum nostrum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* v. *c.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nisi abundáverit justítia vestra plus quam Scribárum et Pharisaeórum, non intrábitis in regnum coelórum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

Lib. I. *de Serm. Domini in monte, cap.* ix.

IUSTITIA Pharisaeórum est, ut non occídant : justítia eórum qui intratúri sunt in regnum coelórum, ut non irascántur sine causa. Mínimum est ergo, non occídere : et qui illud sólverit, mínimus vocábitur in regno coelórum. Qui autem illud impléverit, ut non occídat, non contínuo magnus erit et idóneus regno coelórum ; sed tamen ascéndit áliquem gradum : perficiétur autem, si nec irascátur sine causa : quod si perfécerit, multo remótior erit ab homicídio. Quaprópter qui docet ut non irascámur, non solvit legem ne occidámus, sed implet pótius : ut et foris dum non occídimus ; et in corde, dum non iráscimur, innocéntiam custodiámus.

Lectio viii.

GRADUS ítaque sunt in istis peccátis : ut primo quisque irascátur, et eum motum retíneat corde concéptum. Jam si extórserit vocem indignántis ipsa commótio, non significántem áliquid, sed illum ánimi motum ipsa eruptióne testántem, qua feriátur ille, cui irascitur : plus est útique, quam si surgens ira siléntio premerétur. Si vero non solum vox indignántis audiátur, sed étiam verbum, quo jam certam ejus vituperatiónem, in quem proférтur, designet et notet : quis dúbitet, ámplius hoc esse, quam si solus indignatiónis sonus ederétur ?

Lectio ix.

UIDE nunc étiam tres reátus, judícii, concílii, et gehénnae ignis. Nam in judício adhuc defensióni datur locus. In concílio autem, quamquam et judícium esse sóleat, tamen quia interésse áliquid hoc loco fatéri cogit ipsa distinctio, vidétur ad concílium pertinére sententiae prolátio : quando non jam cum ipso reo ágitur, utrum damnándus sit : sed inter se, qui júdicant, cónferunt quo supplício damnári opórteat, quem constat esse damnándum. Gehénna vero ignis nec damnatiónem habet dúbiam, sicut judícium ; nec damnáti poenam, sicut concílium : in gehénna quippe ignis, certa est damnátio, et poena damnáti.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Bened. Ańa. Audístis * quia dictum est antíquis : Non occídes : qui autem occíderit, reus erit judício.

Ad Magníf. Ańa. Si offers * munus tuum ad altáre,

et recordátus fúeris quia frater tuus habet áliquid advérsus te, relínque ibi munus tuum ante altáre, et vade prius reconciliári fratri tuo : et tunc véniensófferes munus tuum, allelúia.

DOMINICA VI.
post Pentecosten.

Oratio.

DEUS virtútum, cujus est totum quod est óptimum : ínsere pectóribus nostris amórem tui nóminis, et praesta in nobis religiónis augméntũ ; ut quae sunt bona, nútrias ; ac pietátis stúdio, quae sunt nutríta, custódias. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vii. *Cap.* viii.

IN illo témpore : Cum turba multa esset cum Jesu, nec habérent quod manducárent : convocátis discípulis, ait illis : Miséreor super turbam : quia ecce jam tríduo sústinent me, nec habent quod manducent. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 6. in Lucae cap. ix. *post initium.*

POSTEAQUAM illa, quae Ecclésiae typum accépit, a fluxu curáta est sánguinis, posteáquam Apóstoli ad evangelizándũ regnum Dei sunt destináti, grátiae coeléstis impartítur aliméntum. Sed quibus impartiátur, advérte. Non otiósis, non in civitáte, quasi in synagóga vel saeculári dignitáte residéntibus : sed inter desérta quaeréntibus Christum. Qui enim non fastídiunt, ipsi excipiúntur a Christo, et cum ipsis lóquitur Dei Verbum, non de saecularibus, sed de regno Dei. Et si qui corporális gerunt úlcera passiónis, his medicínam suam libénter indúlget.

Lectio viii.

CONSEQUENS ígitur erat, ut quos a vúlnerum dolóre sanáverat, eos alimóniis spiritálibus a jejúnio liberáret. Itaque nemo cibum áccipit Christi, nisi fúerit ante sanátus : et illi qui vocántur ad coenam, prius vocándo sanántur. Si claudus fuit, gradiéndi facultátẽ, ut veníret, accépit : si lúmine oculórum privátus, domum útique Dñi, nisi refúsa luce, intráre non pótuit.

Lectio ix.

UBIQUE ígitur mystérii ordo servátur, ut prius per remissiónem peccatórum vulnéribus medicína tribuátur; post alimónia mensae coeléstis exúberet :

quamquam nondum validióribus haec turba reficiátur aliméntis, neque Christi córpore et sánguine jejúna solidióris fídei corda pascántur. Lacte, inquit, vos potávi, non esca : nondum enim poterátis, sed nec adhuc quidem potéstis. In modum lactis quinque sunt panes : esca autem solídior, corpus est Christi ; potus veheméntior, sanguis est Dómini.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Bened. Ant. Cum turba multa *esset cum Jesu, nec habérent quod manducárent : convocátis discípulis, ait illis : Miséreor super turbam : quia ecce jam tríduo sústinent me, nec habent quod manducent, allelúia.

Ad Magnif. Ant. Miséreor *super turbam : quia ecce jam tríduo sústinent me, nec habent quod manducent : et si dimísero eos jejúnos, defícient in via, allelúia.

DOMINICA VII.
post Pentecosten.

Oratio.

DEUS, cujus providéntia in sui dispositióne non fállitur : te súpplices exorámus ; ut nóxia cuncta submóveas, et ómnia nobis profutúra concédas. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* vii. *c.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Atténdite a falsis prophétis, qui véniunt ad vos in vestiméntis óvium, intrínsecus autem sunt lupi rapáces. Et réliqua.

Homília S. Hilárii Epíscopi. *In Comment. in Matth. Cap.* vi.

SALANDIMENTA verbórū, et mansuetúdinis simulatiónē ádmonet fructu operatiónis expéndi oportére ; ut non qualem quis verbis réferat, sed qualem se rebus efficiat, spectémus, quia in multis vestítu óvium rábies lupína contégitur. Ergo ut spinae uvas, ut tríbuli ficus non génerant, et ut iníquae árbores utília poma non áfferunt : ita ne in istis quidem consístere docet boni óperis effféctum, et idcírco omnes cognoscéndos esse de frúctibus. Regnum enim coelórum sola verbórum officia non óbtinent : neque qui díxerit : Dómine, Dómine, haeres illíus erit.

Lectio viii.

QUID enim mériti est Dómino dícere, Dñe? Numquid Dñus non erit, nisi fúerit dictus a nobis?

Et quae offícii sánctitas est, nóminis nuncupátio, cum coeléstis regni iter obediéntia pótius voluntátis Dei, non nuncupátio, repertúra sit ? Multi mihi dicent in illa die : Dómine, Dómine, nonne in tuo nómine prophetávimus ? Etiam nunc pseudoprophetárum fraudulémtiam, et hypocritárum simulaménta condémnat, qui glóriam sibi ex verbi virtúte praesúmunt, in doctrínae prophetía, et daemoniórum fuga, et istiúsmodi óperum virtútibus.

Léctio ix.

ATQUE hinc sibi regnum coelórum pollicéntur : quasi vero eórum áliquid próprium sit, quae loquúntur aut fáciunt, et non ómnia virtus Dei invocáta perfíciat : cum doctrínae sciéntiam léctio afferat, daemónia Christi nomen exágitet. De nostro ígitur est beáta illa aetérnitas promerénda, praestandúmque est áliquid ex próprio, ut bonum velímus, malum omne vitémus, totóque affféctu praecéptis coeléstibus obtemperémus, ac tálibus offíciis cógniti Deo simus : agamúsque pótius quod vult, quam quod potest, gloriémur, repúdians eos ac repéllens, quos a cognitióne sua, ópera iniquitátis avérterint.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Bened., Afia. Atténdite *a falsis prophétis, qui véniunt ad vos in vestiméntis óvium, intrínsecus autem sunt lupi rapáces : a frúctibus córum cognoscétis eos, allelúia.

Ad Magnificat, Afia. Non potest arbor * bona fructus malos fácere, nec arbor mala fructus bonos fácere : omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidétur, et in ignem mittétur, allelúia.

DOMINICA VIII.
post Pentecosten.

Oratio.

LARGIRE nobis, quaesumus Dómine, semper spíritum cogitándi quae recta sunt, propítius, et agéndi : ut qui sine te esse non póssumus, secúndum te vívere valeámus. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xvi.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam erat dives, qui habébat víllicum, et hic diffamátus est apud illum quasi dissipásset bona ipsius. Et réliqua.

Homilia sancti Hierónymi Presbyteri.

Epist. cli. *ad Algasiam, quaest.* vi.

SI dispensátor iníqui mammónae, dómini voce laudátur, quod de re iníqua sibi justítiam praeparárit; et passus dispéndia dóminus laudat dispensatóris prudéntiam, quod advérsus dóminum quidem fraudulénter, sed pro se prudénter égerit: quanto magis Christus, qui nullum damnum sustinére potest, et pronus est ad cleméntiã, laudábit discípulos suos, si in eos qui creditúri sibi sunt, misericórdes fúerint?

Lectio viii.

DENIQUE post parábolam íntulit: Et ego vobis dico: Fácite vobis amícos de iníquo mammóna. Mammóna autem non Hebraeórum, sed Syrórum lingua, divítiae nuncupántur, quod de iniquitáte colléctae sint. Si ergo iníquitas bene dispensáta vértitur in justítiam, quanto magis sermo divínus, in quo nulla est iníquitas, qui et Apóstolis créditus est, si bene fúerit dispensátus, dispensatóres suos levábit in coelum?

Lectio ix.

QUAMOBREM séquitur: Qui fidélis est in mínimo, hoc est, in carnálibus; et in multis fidélis erit, hoc est, in spirituálibus. Qui autem in parvo iníquus est, ut non det frátribus ad uténdum, quod a Deo pro ómnibus est creátum; iste et in spirituáli pecúnia dividénda iníquus erit, ut non pro necessitáte, sed pro persónis doctrínam Dómini dívidat. Si autem, inquit, carnáles divítias, quae labúntur, non bene dispensátis; veras aeternásque divítias doctrínae Dei quis credet vobis?

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Aña. Ait dóminus víllico: * Quid hoc áudio de te? redde ratiónem villicatiónis tuae, allelúia.

Ad Magnif., Aña. Quid fáciam, * quia dóminus meus aufert a me villicatiónem? Fódere non váleo, mendicáre erubésco: scio quid fáciam, ut cum amótus fúero a villicatióne, recípiant me in domos suas.

DOMINICA IX.
post Pentecosten.

Oratio.

PATEANT aures misericórdiae tuae, Dñe, précibus supplicántium: et ut peténtibus desideráta concédas, fac eos, quae tibi sunt plácita, postuláre. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xix. *f.*

IN illo témpore : Cum appropinquáret Jesus Jerúsalem, videns civitátem flevit super illam, dicens : Quia si cognovísses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi : nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papae.

Homilia xxxix. *in Evang.*

QUOD a flente Dño illa Jerosolymórum subvérsio descríbitur, quae a Vespasiáno et Tito Románis Princípibus facta est, nullus qui históriam eversiónis ejúsdem legit, ignórat. Románi étenim Príncipes denuntiántur, cum dícitur : Quia vénient dies in te, et circúmdabunt te inimíci tui vallo. Hoc quoque quod ádditur : Non relínquent in te lápidem super lápidem : étiam jam ipsa ejúsdem civitátis transmigrátio testátur; quia dum nunc in eo loco constructa est, ubi extra portam fúerat Dóminus crucifíxus, prior illa Jerúsalem, ut dícitur, fúnditus est evérsa.

Lectio viii.

QUI ex qua culpa eversiónis suae poena fúerit illáta, subjúngitur : Eo quod non cognóveris tempus visitatiónis tuae. Creátor quippe hóminum per incarnatiónis suae mystérium hanc visitáre dignátus est : sed ipsa timóris et amóris illíus recordáta non est. Unde étiam per Prophétam in increpatióne cordis humáni aves coeli ad testimónium deducúntur, dum dícitur : Milvus in coelo cognóvit tempus suum, turtur, et hirúndo, et cicónia custodiérunt tempus advéntus sui : pópulus autem meus non cognóvit judícium Dómini.

Lectio ix.

FLEVIT étenim prius Redémptor ruínam pérfidae civitátis, quam ipsa sibi civitas non cognoscébat esse ventúram. Cui a flente Dómino, recte dícitur : Quia si cognovísses, et tu; subáudi, fleres ; quae modo, quia nescis quod ímminet, exúltas. Unde et súbditur : Et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi. Cum enim carnis se voluptátibus daret, et ventúra mala non prospíceret; in die sua, quae ad pacem esse ei póterant, habébat.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedíctus, Ańa. Cum appropinquáret * Dóminus Jerúsalem, videns civitátē, flevit super illam, et dixit : Quia si cognovísses et tu :

quia vénient dies in te, et circúmdabunt te inimíci tui vallo, et circumdábunt te, et coangustábunt te úndique, et ad terram prostérnent te :, eo quod non cognovísti tempus visitatiónis tuae, allelúia.

Ad Magnif., Ańa. Scriptum est enim : ℣ Quia domus mea domus oratiónis est cunctis géntibus : vos autem fecístis illam spelúncam latrónum : et erat quotídie docens in templo.

DOMINICA X.
post Pentecosten.

Oratio.

DEUS, qui omnipoténtiam tuam parcéndo máxime et miserándo maniféstas : multíplica super nos misericórdiam tuam ; ut ad tua promíssa curréntes, coeléstium bonórum fácias esse consórtes. Per Dóminum nostrum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xviii. *b.*

IN illo témpore : Dixit Jesus ad quosdam, qui in se confidébant tamquam justi, et aspernabántur caeteros, parábolam istam : Duo hómines ascendérunt in templum ut orárent, unus Pharisaeus, et alter publicánus. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Sermone xxxvi. *de Verbis Domini, circa medium.*

DICERET saltem Pharisaeus : Non sum sicut multi hómines. Quid est, caeteri hómines, nisi omnes praeter ipsum? Ego, inquit, justus sum, caeteri peccatóres. Non sum sicut caeteri hómines, injústi, raptóres, adúlteri. Et ecce tibi ex vicíno publicáno majóris tumóris occásio. Sicut, inquit, publicánus iste. Ego, inquit, solus sum : iste de caeteris est. Non sum, inquit, talis, qualis iste, per justítias meas, quibus iníquus non sum.

Lectio viii.

JEJUNO bis in Sábbato : décimas do ómnium quae possídeo. Quid rogáverit Deum, quaere in verbis ejus, nihil invénies. Ascéndit oráre : nóluit Deum rogáre, sed se laudáre. Parum est, non Deum rogáre, sed se laudáre; ínsuper et rogánti insultáre. Publicánus autem de longínquo stabat, et Deo tamen ipse appropinquábat : cordis consciéntia eum removébat, pietas applicábat. Publicánus autem de longínquo stabat, sed Dóminus eum de propínquo attendébat.

Léctio ix.

EXCELSUS enim Dóminus, et humília réspicit : excélsos autem, qualis erat ille Pharisaeus, a longe cognóscit. Excélsa quidem Deus a longe cognóscit, sed non ignóscit. Adhuc audi humilitátem publicáni. Parum est, quia de longínquo stabat; nec óculos suos ad coelum levábat: ut aspicerétur, non aspiciébat : respícere sursum non audébat : premébat consciéntia, spes sublevábat. Adhuc audi : Percutiébat pectus suum. Poenas a se ipso exigébat : proptérea Dóminus confiténti parcébat. Percutiébat pectus suum, dicens : Dómine, propítius esto mihi peccatóri. Ecce qui rogat. Quid miráris, si Deus ignóscit, quando ipse agnóscit ?

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedíctus, Antiphona. Stans a longe * Publicánus, nolébat óculos ad coelum leváre, sed percutiébat pectus suum, dicens : Deus propítius esto mihi peccatóri.

Ad Magníficat, Aña. Descéndit * hic justificátus in domum suam ab illo : quia omnis qui se exáltat, humiliábitur : et qui se humíliat, exaltábitur.

DOMINICA XI.
post Pentecosten.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui abundántia pietátis tuae, et mérita súpplicum excédis et vota : effúnde super nos misericórdiam tuam; ut dimíttas quae consciéntia métuit, et adjícias quod orátio non praesúmit. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vii. *Cap.* vii. *d.*

IN illo témpore : Exiens Jesus de fínibus Tyri, venit per Sidónem ad mare Galilaeae, inter médios fines Decapóleos. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papae.

Homil. x. *lib.* i. *in Ezech. ante medium.*

QUID est, quod creátor ómnium Deus, cum surdum et mutum sanáre voluísset, in aures illíus suos dígitos misit, et éxpuens linguam ejus tétigit ? Quid per dígitos Redemptóris, nisi dona sancti Spíritus designántur? Unde cum in álio loco ejecísset daemónium, dixit : Si in dígito Dei ejício daemónia, profécto pervénit in vos regnum Dei. Qua de re per Evangelístam álium dixísse

descríbitur: Si ego in Spíritu Dei ejício daemónes, ígitur pervénit in vos regnum Dei. Ex quo utróque loco collígitur, quia dígitus Spíritus vocátur. Dígitos ergo in aurículas míttere, est per dona Spíritus Sancti mentem surdi ad obediéndum aperíre.

Lectio viii.

QUID est vero, quod éxpuens linguam ejus tétigit? Salíva nobis est ex ore Redemptóris, accépta sapiéntia in elóquio divíno. Salíva quippe ex cápite défluit in ore. Ea ergo sapiéntia, quae ipse est, dum lingua nostra tángitur, mox ad praedicatiónis verba formátur. Qui suspíciens in coelum, ingémuit: non quod ipse necessárium gémitum habéret, qui dabat quod postulábat: sed nos ad eum gémere, qui coelo praesidet, dócuit: ut et aures nostrae per donum Spíritus Sancti aperíri, et lingua per salívam oris, id est, per sciéntiam divínae locutiónis, solvi débeat ad verba praedicatiónis.

Lectio ix.

QUI mox, éphphetha, id est, adaperíre, dícitur: et statim apértae sunt aures ejus, et solútum est vínculum linguae ejus. Qua in re notándum est, quia propter clausas aures dictum est, adaperíre. Sed cui aures cordis ad obediéndum apértae fúerint, ex subsequénti procul dúbio étiam linguae ejus vínculum sólvitur: ut bona quae ipse fécerit, étiam faciénda áliis loquátur. Ubi bene ádditur: et loquebátur recte. Ille enim recte lóquitur, qui prius obediéndo fécerit, quae loquéndo ádmonet esse faciénda.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Aña. Cum transísset Dóminus, fines Tyri, surdos fecit audíre, et mutos loqui.

Ad Magníficat, Aña. Bene ómnia fecit, et surdos fecit audíre, et mutos loqui.

DOMINICA XII.
post Pentecosten.

Oratio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, de cujus múnere venit, ut tibi a fidélibus tuis digne et laudabíliter serviátur: tríbue quaesumus nobis, ut ad promissiónes tuas sine offensióne currámus. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* x. *d.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Beáti óculi, qui vident quae vos vidétis. Dico enim vobis, quod multi Prophétae

et reges voluérunt vidére quae vos vidétis, et non vidérunt. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedae Presbyteri.

Lib. 3. *Cap.* xliii. *in Lucae* x.

NON óculi Scribárum et Pharisaeórum, qui corpus tantum Dómini vidére; sed illi beáti óculi, qui ejus possunt cognóscere sacraménta, de quibus dícitur: Et revelásti ea párvulis. Beáti óculi parvulórum, quibus et se et Patrem Fílius revelare dignátur. Abraham exultávit ut vidéret diem Christi: et vidit, et gavísus est. Isaías quoque, et Michaeas: et multi álii Prophétae vidérunt glóriam Dñi: qui et propterea Vidéntes sunt appellati: sed hi omnes a longe aspiciéntes et salutántes, per spéculum et in aenígmate vidérunt.

Lectio viii.

APOSTOLI autem in praesentiárum habéntes Dñum, convescentésque ei, et quaecúmque voluíssent interrogándo discéntes, nequáquam per Angelos, aut várias visiónum spécies opus habébant docéri. Quos vero Lucas multos Prophétas, et reges dicit, Matthaeus apértius Prophétas et justos appéllat. Ipsi sunt enim reges magni: quia tentatiónum suárum mótibus non consentiéndo succúmbere, sed regéndo praeésse novérunt.

Lectio ix.

ET ecce quidam Legisperítus surréxit, tentans eum, et dicens: Magíster, quid faciéndo vitam aetérnam possidébo? Legisperítus, qui de vita aetérna Dóminum tentans intérrogat, occasiónem, ut reor, tentándi de ipsis Dómini sermónibus sumpsit, ubi ait: Gaudéte autem quod nómina vestra scripta sunt in coelis. Sed ipsa sua tentatióne declárat, quam vera sit illa Dómini conféssio, qua Patri lóquitur: Quod abscondísti haec a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedíctus, Añа. Magíster,* quid faciéndo vitam aetérnam possidébo? At ille dixit ad eum: In Lege quid scriptum est? Quómodo legis? Díliges Dñum Deum tuum ex toto corde tuo, allelúia.

Ad Magnif., Añа. Homo quidam * descendébat ab Jerúsalem in Jéricho, et íncidit in latrónes, qui étiam despoliavérunt eum, et plagis impósitis abiérunt, semivívo relícto.

DOMINICA XIII.
post Pentecosten.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, da nobis fídei, spei, et charitátis augméntum : et ut mereámur ássequi quod promíttis, fac nos amáre quod praecipis. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xvii. *c.*

IN illo témpore : Dum iret Jesus in Jerúsalem, transíbat per médiam Samaríam, et Galilaeam. Et cum ingrederétur quoddam castéllum, occurrérunt ei decem viri leprósi. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 2. *quaest. Ev. Cap.* xl.

DE decem leprósis, quos Dóminus ita mundávit, cum ait : Ite, osténdite vos sacerdótibus, quaeri potest, cur eos ad sacerdótes míserit, ut cum irent, mundaréntur. Nullum enim eórum, quibus haec corporália benefícia praestitit, invenítur misísse ad sacerdótes, nisi leprósos. Nam et illum a lepra mundáverat, cui dixit : Vade, osténde te sacerdótibus, et offer pro te sacrifícium quod praecépit Móyses, in testimónium illis. Quaeréndum ígitur est, quid ipsa lepra signíficet : non enim sanáti, sed mundáti dicúntur, qui ea caruérunt. Colóris quippe vítium est, non valetúdinis, aut integritátis sénsuum atque membrórum.

Lectio viii.

LEPROSI ergo non absúrde intélligi possunt, qui sciéntiam verae fídei non habéntes, várias doctrínas profiténtur erróris. Non enim abscóndunt imperítiam suam : sed pro summa perítia próferunt in lucem, et jactántia sermónis osténtant. Nulla porro falsa doctrína est, quae non áliqua vera intermísceat. Vera ergo falsis inordináte permíxta, in una disputatióne vel narratióne hóminis tamquam in uníus córporis colóre apparéntia, significant lepram, tamquam veris falsísque colórum fucis humána córpora variántem atque maculántem.

Lectio ix.

SI autem tam vitándi sunt Ecclésiae, ut si fieri potest, lóngius remóti, magno clamóre Christum interpéllent : sicut isti decem stetérunt a longe, et levavérunt vocem, dicéntes : Jesu praecéptor, miserére nostri. Nam et quod praeceptórem vocant, (quo

nómine néscio utrum quisquam Dñum interpelláverit pro medicína corporáli,) satis puto significáre, lepram falsam esse doctrínam, quam bonus praecéptor abstérgit.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Aña. Cum transíret Jesus * quoddam castéllum, occurrérunt ei decem viri leprósi : qui stetérunt a longe, et levavérunt vocem, dicéntes : Jesu praecéptor, miserére nostri.

Ad Magnif., Aña. Unus autem * ex illis, ut vidit quod mundátus est, regréssus est cum magna voce magnificans Deum, allelúia.

DOMINICA XIV.
post Pentecosten.

Oratio.

CUSTODI, Dómine, quaesumus, Ecclésiã tuam propitiatióne perpétua : et quia sine te lábitur humána mortálitas, tuis semper auxíliis et abstrahátur a nóxiis, et ad salutária dirigátur. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* vi. *e.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nemo potest duóbus dóminis servíre. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 2. de Serm. Domini in monte, cap. xiv.

EMO potest duóbus dóminis servíre. Ad hanc ipsam intentiónem referéndum est quod consequénter expónit, dicens : Aut enim unum ódio habébit, et álterum díliget : aut álterum patiétur, et álterum contémnet. Quae verba diligénter consideránda sunt : nam, qui sint duo dómini, deínceps osténdit, cum dicit : Non potéstis Deo servíre et mammónae. Mammóna apud Hebraeos divítiae appellári dicúntur. Cóngruit et Púnicum nomen : nam lucrum Púnice mammon dícitur.

Léctio viii.

SED qui servit mammónae, illi útique servit, qui rebus istis terrénis mérito suae perversitátis praepósitus, magistrátus hujus saeculi a Dómino dícitur. Aut enim unum ódio habébit homo, et álterum díliget, id est, Deum : Aut álterum patiétur, et álterum contémnet. Patiétur enim durum et perniciósum dóminum, quisquis servit mammónae : sua enim cupiditáte implicátus, súbditur diábolo, et non eum díligit. Quis enim est qui diligat diábolum? sed tamen pátitur.

Lectio ix.

IDEO, inquit, dico vobis, non habére solicitúdinem ánimae vestrae quid edátis, neque córpori vestro quid induátis : ne forte, quamvis jam supérflua non quaeránt, propter ipsa necessária cor duplicétur, et ad ipsa conquirénda nostra detorqueátur inténtio, cum áliquid quasi misericórditer operámur : id est, ut cum consúlere alícui vidéri vólumus, nostrum emoluméntum ibi pótius, quam illíus utilitátem attendámus ; et ídeo nobis non videámur peccáre, quia non supérflua, sed necessária sunt, quae cónsequi vólumus.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Bened., Añia. Nolíte sollíciti esse, *dicéntes : Quid manducábimus, aut quid bibémus ? scit enim Pater vester, quid vobis necésse sit, allelúia.

Ad Magníf., Añia. Quaerite primum * regnum Dei et justítiam ejus, et haec ómnia adjiciéntur vobis, allelúia.

DOMINICA XV.
post Pentecosten.

Oratio.

ECCLESIAM tuam, Dómine, misericórdia continuáta mundet et múniat : et quia sine te non potest salva consístere, tuo semper múnere gubernétur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* vii. *b.*

IN illo témpore : Ibat Jesus in civitátem, quae vocátur Naim : et ibant cum eo discípuli ejus, et turba copiósa. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

Serm. xliv. *de verbis Domini, circa initium.*

E júvene illo resuscitáto gavísa est mater vídua : de homínibus quotídie in spíritu suscitátis gaudet mater Ecclésia. Ille quidem mórtuus erat córpore : illi autem mente. Illíus mors visíbilis, visibíliter plangebátur : illórum mors invisíbilis nec quaerebátur, nec videbátur. Quaesívit ille, qui nóverat mórtuos. Ille solus nóverat mórtuos, qui póterat fácere vivos. Nisi enim ad mórtuos suscitándos venísset, Apóstolus non díceret : Surge qui dormis, et exúrge a mórtuis, et illumináb it te Christus.

Lectio viii.

TRES autem mórtuos invenímus a Dño resuscitátos visibíliter, míllia

invisibíliter. Quot autem mórtuos visibíliter suscitáverit, quis novit? Non enim ómnia, quae fecit, scripta sunt. Joánnes hoc dixit: Multa ália fecit Jesus, quae si scripta essent, árbitror totum mundum non posse libros cápere. Multi ergo sunt álii sine dúbio suscitáti, sed non tres frustra commemoráti. Dóminus enim noster Jesus Christus, ea quae faciébat corporáliter, étiam spiritáliter volébat intélligi. Neque enim tantum mirácula propter mirácula faciébat: sed ut illa quae faciébat, mira essent vidéntibus, vera essent intelligéntibus.

Lectio ix.

QUEMADMODUM qui videt lítteras in códice óptime scripto, et non novit légere, laudat quidem antiquárii manum, admírans ápicum pulchritúdinem: sed quid sibi velint, quid índicent illi ápices, nescit; et est óculis laudátor, mente non cógnitor. Alius autem et laudat artifícium, et capit intellectum: ille útique, qui non solum vidére quod commúne est ómnibus potest, sed étiam légere; quod, qui non dídicit, non potest. Ita qui vidérunt Christi mirácula, et non intellexérunt quid sibi vellent, et quid intelligéntibus quodámmodo innúerent, miráti sunt tantum, quia facta sunt: álii vero et facta miráti, et intellécta assecúti. Tales nos in schola Christi esse debémus.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Ańa. Ibat Jesus * in civitátem, quae vocátur Naim: et ecce defúnctus efferebátur fílius únicus matri suae.

Ad Magníficat, Ańa. Prophéta magnus * surréxit in nobis, et quia Deus visitávit plebem suam.

DOMINICA XVI.
post Pentecosten.

Oratio.

TUA nos, quaesumus Dñe, grátia semper et praevéniat, et sequátur: ac bonis opéribus júgiter praestet esse inténtos. Per Dóminum nostrum.

Proprium Sanctorum.

PARS ÆSTIVA.

FESTA MAII.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum, infra.

DIE. IV. MAII.

In festo S. Monicae, Viduae. Duplex.

OMNIA dicuntur de Communi nec Virginis nec Mart. **cxxiii.** praeter ea quae hic habentur propria.

Oratio.

DEUS moeréntium consolátor, et in te sperántium salus, qui beátae Mónicae pias lácrymas in conversióne fílii sui Augustíni misericórditer suscepísti: da nobis utriúsque intervéntu peccáta nostra deploráre, et grátiae tuae indulgéntiam invenire. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ONICA, sancti Augustíni dupliciter mater, quia eum et mundo et coelo péperit, maríto mórtuo, quem senectúte confléctum Jesu Christo conciliávit, castam et opéribus misericórdiae exércitam viduitátem agébat: in assíduis vero ad Deum oratiónibus pro fílio, qui in Manichaeórū sectam incíderat, lácrymas effundébat: quem étiam Mediolánum secúta est: ubi ipsum frequénter hortabátur, ut ad Epíscopum Ambrósium se conférret. Quod cum ille

fecísset, ejus et públicis conciónibus, et privátis colló quiis cathólicae fídei veritátem edóctus, ab eódem baptizátus est.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Et dedúcet.

Lectio v.

QUOX in Africam redeúntes, cum ad óstia Tiberína constitíssent, incidit in febrem. Quo in morbo cum eam quodam die ánima defecísset, ut se collégit: Ubi, inquit, eram? Et astántes íntuens : Pónite hic matrem vestram : tantum vos rogo, ut ad altáre Dómini meminéritis mei. Nono autem die, beáta múlier ánimam Deo réddidit. Ejus corpus ibi in ecclésia sanctae Aureae sepúltum est : quod póstea, Martíno quinto summo Pontífice, Romam translátum, in ecclésia sancti Augustíni honorífice cónditum est.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Propterea unxit.

Lectio vi.

Ex libro 9. Confess. cap. xii.

SUBDIT vero Augustínus de matris morte dísserens : Neque enim decére arbitrabámur funus illud quéstubus lacrymósis, gemitibúsque celebráre, quia illa nec mísere, nec omníno moriebátur : hoc et documéntis morum ejus, et fide non ficta, rationibúsque certis tenebámus. Atque inde paulátim reducébam in prístinum sensum ancíllam tuam, conversationémque ejus piam in te et sanctam, in nos blandam atque morígeram, qua súbito destitútus sum, et líbuit flere de illa, et pro illa; et si quis peccátum invénerit, flevísse me matrem meam exígua parte horae, matrem óculis meis mórtuam quae me multos annos fléverat, ut óculis suis víverem, non irrídeat: sed pótius, si est grandi charitáte, pro peccátis meis fleat ipse ad te Patrem ómnium fratrum Christi tui.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. — Múlier timens Deum. Glória Patri. Múlier timens Deum.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* vii. *b.*

IN illo témpore : Ibat Jesus in civitátem, quae vocátur Naim : et ibant cum eo discípuli ejus, et turba copiósa. Et réliqua.

Homilia sancti Augustíni Epíscopi.

Sermone xliv. *de Verbis Domini, circa initium.*

DE júvene illo resuscitáto gavísa est mater vidua : de homínibus in spíritu quotídie suscitátis gaudet mater Ecclésia. Ille quidem mórtuus erat córpore : illi autem mente. Illíus mors visíbilis visibíliter plangebátur : illórum mors invisíbilis nec quaerebátur, nec videbátur. Quaesívit ille, qui nóverat mórtuos. Ille solus nóverat mórtuos, qui póterat fácere vivos. Nisi enim ad mórtuos suscitándos venísset, Apóstolus non díceret: Surge qui dormis, et exúrge a mórtuis, et illumínabit te Christus.

℟. Os suum apéruit sapiéntiae, et lex cleméntiae in lingua ejus : considerávit sémitas domus suae, * Et panem otiósa non comédit. ℣. Gustávit et vidit quia bona est negotiátio ejus : non extinguétur in nocte lucérna ejus. — Et panem.

Lectio viii.

TRES autem mórtuos invenímus a Dómino resuscitátos visibíliter, míllia invisibíliter. Quot autem mórtuos visibíliter suscitáverit, quis novit? Non enim ómnia, quae fecit, scripta sunt. Joánnes hoc dixit : Multa ália fecit Jesus, quae si scripta essent, árbitror totum mundum non posse libros cápere. Multi ergo sunt álii sine dúbio suscitáti, sed non tres frustra commemoráti. Dóminus enim noster Jesus Christus ea, quae faciébat corporáliter, étiam spiritáliter volébat intélligi. Neque enim tantum mirácula propter mirácula faciébat : sed ut illa, quae faciébat, mira essent vidéntibus, vera essent intelligéntibus.

℟. Regnum mundi, et omnem ornátum saeculi contémpsi, propter amórem Dómini mei Jesu Christi : * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum, dico ego ópera mea Regi.—Quem. Glória Patri. Quem.

Lectio ix.

QUEMADMODUM qui videt lítteras in códice óptime scripto, et non novit légere, laudat

quidem antiquárii manum, admírans ápicum pulchritúdinem : sed quid sibi velint, quid índicent illi ápices, nescit ; et est óculis laudátor, mente non cógnitor. Alius autem et laudat artifícium, et capit intellécтum : ille útique, qui non solum vidére, quod commúne est ómnibus, potest ; sed étiam légere, quod qui non dídicit, non potest. Ita qui vidérunt Christi miráсula, et non intellexérunt quid sibi vellent, et quid intelligéntibus quodámmodo innúerent, miráti sunt tantum, quia facта sunt : álii vero et facта miráti, et intellécta assecúti. Tales nos in schola Christi esse debémus.

Te Deum laudámus. 17.

DIE V. MAII.

In festo S. Pii V., Papae et Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter ea quae sequuntur.

Oratio.

DEUS, qui ad conteréndos Ecclésiae tuae hostes, et ad divínum cultum reparándum, beátu Pium Pontíficem máximum elígere dignátus es : fac nos ipsíus defendi praesídiis, et ita tuis inhaerére obséquiis; ut, ómnium hóstium superátis insídiis, perpétua pace laetémur. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

QUIUS in óppido Insúbriae, quod Boschum vocant, natus, sed e Bonónia oriúndus ex nóbili Ghisleriórum família, cum quatuórdecim esset annórum, órdinem Praedicatórum ingréssus est. Erat in eo admirábilis patiéntia, profúnda humílitas, summa vitae austéritas, contínuum oratiónis stúdium, et regulàris observántiae, ac divíni honóris ardentíssimus zelus. Philosóphiae vero ac theológiae incúmbens, ádeo in iis excélluit, ut illas docéndi munus magna cum laude per multos annos exercúerit. Sacras conciónes plúribus in locis cum ingénti auditórum fructu hábuit. Inquisitóris officium inviolábili ánimi fortitúdine diu sustínuit : multásque civitátes, non sine vitae discrímine, ab haeresi tunc grassánte immúnes servávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum :* Manus enim

mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus enim mea.

Lectio v.

APAULO quarto, cui ob exímias virtútes caríssimus erat, ad Nepesínum et Sutrínum episcopátum promótus, et post biénnium inter Románae Ecclésiae Presbyteros Cardináles adscríptus fuit. Tum ad ecclésiam Montis Regális in Subalpínis a Pio quarto translátus, cum plures in eam abúsus irrepsisse cognovísset, totam dioecésim lustrávit, rebúsque compósitis Romam revérsus, graviíssimis expediéndis negótiis applicátus, quod justum erat apostólica libertáte et constántia decernébat. Mórtuo autem Pio, praeter ómnium expectatiónem eléctus Póntifex, nihil in vitae ratióne, excépto exterióri hábitu, immutávit. Fuit in eo religiónis propagándae perpétuum stúdium, in ecclesiástica disciplína restituénda indeféssus labor, in extirpándis erróribus assídua vigilántia, in sublevándis egéntium necessitátibus indefíciens beneficéntia, in sedis apostólicae júribus vindicándis robur invíctum.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: ✠ Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vi.

SELIMUM Turcárum tyránnum multis elátum victóriis, ingénti comparáta classe, ad Echínadas ínsulas non tam armis, quam fusis ad Deum précibus devícit. Quam victóriā ea ipsa hora, qua obténta fuit, Deo revelánte, cognóvit, suísque familiáribus indicávit. Dum vero novam in ipsos Turcas expeditiónem molirétur, in gravem morbum incidit, et acerbíssimis dolóribus patientíssime tolerátis, ad extréma devéniens, cum sacraménta de more suscepísset, ánimā Deo placidíssime réddidit, anno millésimo quingentésimo septuagésimo secúndo, aetátis suae sexagésimo octávo, cum sedísset annos sex, menses tres, dies vigínti quátuor. Corpus ejus in basílica sanctae Maríae ad Praesépe summa fidélium veneratióne cólitur, multis a Deo ejus intercessióne patrátis miráculis. Quibus rite probátis, a Clemente undécimo Pontífice máximo Sanctórum número adscríptus est.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus

est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómniũ populórum. ℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi et pervénit ad coeléstia regna.—Ipse. Glória. Ipse.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evang. **Homo péregre,** ut in Communi Confessoris Pontificis. lxx.

In secundis Vesperis ad Magnificat, Añа. **Dum esset summus Póntifex.** lxxiv.

DIE VI. MAII.

In festo S. Joannis ante portam Latinam. Duplex.

Omnia de Communi Apostolorum. ii. praeter sequentia.

Ad Magnif. in utrisque Vesperis, Añа. **In fervéntis ólei dólium missus** beátus Joánnes Apóstolus, divína se protegénte grátia, illaesus exívit.

Oratio.

DEUS, qui cónspicis, quia nos úndique mala nostra pertúrbant : praesta quaesumus, ut beáti Joánnis Apóstoli tui et Evangelístae intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

In primo Nocturno.

Incipit Epístola prima beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio i. *Cap.* i.

QUOD fuit ab initio, quod audívimus, quod vidimus óculis nostris, quod perspéximus, et manus nostrae contrectavérunt de verbo vitae: et vita manifestáta est, et vídimus, et testámur, et annuntiámus vobis vitam aetérnam, quae erat apud Patrem, et appáruit nobis : quod vídimus, et audívimus, annuntiámus vobis, ut et vos societátẽ habeátis nobíscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Fílio ejus Jesu Christo. Et haec scríbimus vobis ut gaudeátis, et gáudium vestrum sit plenum. Et haec est annuntiátio, quam audívimus ab eo, et annuntiámus vobis : Quóniam Deus lux est, et ténebrae in eo non sunt ullae.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbae. ℣. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis.—Estóte.

Lectio ii.

SI dixérimus quóniam societátem habémus cum eo, et in ténebris ambulámus, mentímur, et veritátem non fácimus. Si autem in luce ambulámus.

sicut et ipse est in luce, societátem habémus ad ínvicem, et sanguis Jesu Christi Fílii ejus emúndat nos ab omni peccáto. Si dixérimus, quóniam peccátum non habémus, ipsi nos sedúcimus, et véritas in nobis non est. Si confiteámur peccáta nostra, fidélis est et justus, ut remíttat nobis peccáta nostra, et emúndet nos ab omni iniquitáte. Si dixérimus quóniam non peccávimus, mendácem fácimus eum, et verbum ejus non est in nobis.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus : et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris.—Jugum.

Lectio iii. *Cap.* ii.

FILIOLI mei, haec scribo vobis, ut non peccétis. Sed et si quis peccáverit, advocátũ habémus apud Patrem, Jesum Christum justum : et ipse est propitiátio pro peccátis nostris, non pro nostris autem tantum, sed étiam pro totíus mundi. Et in hoc scimus, quóniam cognóvimus eum, si mandáta ejus observémus. Qui dicit se nosse eum, et mandáta ejus non custódit, mendax est, et in hoc véritas non est. Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc cháritas Dei perfécta est : et in hoc scimus quóniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manére, debet, sicut ille ambulávit, et ipse ambulárc.

℟. Dum stetéritis ante reges et praesides, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini : sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis.—Dábitur. Glória Patri. Dábitur.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri contra Joviniánum.

Lectio iv. *Lib.* i.

JOANNES Apóstolus unus ex discípulis Dñi, qui mínimus natu tráditur fuísse inter Apóstolos, et quem fides Christi vírginem repérerat, virgo permánsit : et ídeo plus amátur a Dómino, et recúmbit super pectus Jesu : et quod Petrus, qui uxórem habúerat, interrogáre non audet, illum rogat, ut intérroget : et post resurrectiónem, nuntiánte María Magdaléne, quod Dóminus resurrexísset, utérque cucúrrit ad sepúlchrum, sed ille praevénit : cumque essent in navi, et piscaréntur

in lacu Genésareth, Jesus stabat in líttore, nec sciébant Apóstoli quem vidérent : solus virgo vírginem agnóscit, et dicit Petro : Dóminus est.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dñi locútus est ad me, dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium coelum, voce magna clamántem et dicéntem.—Isti sunt.

Lectio v.

FUIT autem Joánnes et Apóstolus, et Evangelísta, et Prophéta. Apóstolus, quia scripsit ad Ecclésias ut magíster : Evangelísta, quia librum Evangélii cóndidit, quod, excépto Matthaeo, álii ex duódecim Apóstolis non fecérunt : Prophéta, vidit enim in Pathmos ínsula, in qua fúerat a Domitiáno príncipe ob Dñi martyrium relegátus, Apocalypsim, infiníta futurórum mystéria continéntem. Refert autem Tertulliánus, quod Romae missus in ferventis ólei dólium, púrior et vegétior exíverit, quam intráverit.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me : * Gaudéte et exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in coelis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejecérint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis.—Gaudéte.

Lectio vi.

SED et ipsum ejus Evangélium multum distat a caeteris. Matthaeus quasi de hómine íncipit scríbere : Liber generatiónis Jesu Christi, fílii David, fílii Abraham: Lucas, a sacerdótio Zacharíae : Marcus, a prophetía Malachíae, et Isaíae. Primus habet fáciem hóminis, propter genealogíam: secúndus fáciem vítuli, propter sacerdótium: tértius fáciem leónis, propter vocem clamántis in desérto : Paráte viam Dómini; rectas fácite sémitas ejus. Joánnes vero noster quasi áquila ad supérna volat, et ad ipsum Patrem pérvenit, dicens : In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

℟. Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt praemia aetérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt

stolas suas in sánguine Agni.—Modo. Glória Patri. Modo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xx. *c.*

IN illo témpore : Accésit ad Jesum mater filiórum Zebedaei cum fíliis suis, adórans et petens áliquid ab eo. Et réliqua. Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Libro 3. *Comment. in Matthaeum, cap.* xx.

NDE opiniónem regni habet mater filiórū Zebedaei, ut cum Dñus díxerit : Fílius hóminis tradétur princípibus sacerdótum et scribis, et condemnábunt eum morte, et tradent Géntibus ad illudéndum, et flagellándum, et crucifigéndum; et ignomíniam passiónis timéntibus discípulis nuntiáret, illa glóriam póstulet triumphántis ? Hac, ut reor, ex causa, quia post ómnia díxerat Dóminus: Et tértia die resúrget : putávit eum múlier post resurrectiónem íllico regnatúrum, et hoc quod in secúndo advéntu promíttitur, in primo esse compléndum : et aviditáte foemínea praeséntia cupit, ímmemor futurórum.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo : * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum.—Cálicem.

Lectio viii.

QUATER póstulat, et Dóminus discípulis lóquitur : intélligens preces ejus ex filiórum descéndere voluntáte. Potéstis bíbere cálicem, quem ego bibitúrus sum ? Cálicem in Scriptúris divínis passiónem intellígimus, juxta illud : Pater, si possíbile est, tránseat a me calix iste. Et in Psalmo: Quid retríbuam Dómino pro ómnibus, quae retríbuit mihi ? Cálicem salutáris accípiam, et nomen Dómini invocábo. Statímque infert quis iste sit calix : Pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in charitáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna: operáti sunt justítiam. — Quorum. Glória. Quorum.

Lectio ix.

QUAERITUR, quómodo cálicem martyrii fílii Zebedaei, Jacóbus vidélicet et Joánnes bíberint, cum Scriptúra narret,

Jacóbum tantum Apóstolũ ab Heróde cápite truncátum ; Joánnes autem própria morte vitam finíerit. Sed si legámus ecclesiásticas histórias, in quibus fertur, quod et ipse propter martyrium sit missus in ferventis ólei dólium, et inde ad suscipiéndam corónam Christi athléta procésserit, statímque relegátus in Pathmos ínsulam sit : vidébimus martyrio ánimum non defúisse, et bibísse Joánnem cálicem confessiónis, quem et tres púeri in camino ignis bibérunt, licet persecútor non fúderit sánguinem.

Te Deum laudámus. 17.

DIE VII MAII.

In festo S. Stanislai, Episcopi et Martyris.
Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. **xxvii.** praeter ea, quae hic habentur propria.

Oratio.

DEUS, pro cujus honóre gloriósus Póntifex Stanisláus gládiis impiórum occúbuit : praesta quaesumus ; ut omnes, qui ejus implórant auxílium, petitiónis suae salutárem consequántur efféctum. Per Dñum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

STANISLAUS Polónus, apud Cracóviam nóbili génere natus, et piis paréntibus, qui ántea per annos trigínta stériles, illum a Deo précibus impetrárunt, ab ineúnte aetáte futúrae sanctitátis spécimen dedit. Adoléscens bonis ártibus óperam navávit, multúmque in sacra cánonum et theológiae doctrína profécit : paréntibus mórtuis, amplum patrimónium paupéribus distríbuit, vitae monásticae desidério. Sed Dei providéntia canónicus Cracoviénsis, et concionátor factus a Lampérto Epíscopo, in ejus póstea locum, quamvis invítus, suffícitur. Quo in múnere, ómnium pastorálium virtútum laude, et praecípue misericórdia in páuperes enítuit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum :℣. Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descenditque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum.—Et dedit.

Lectio v.

GRAT tum Polóniae rex Bolesláus, quem gráviter offéndit, quod illíus notam libídinem públice

arguébat. Quare in solémni regni convéntu Stanisláum per calúmniam in judícium coram se vocári curat, tamquam pagum occupáret, quem Ecclésiae suae nómine coémerat: Quod cum neque tábulis probáre posset, et testes veritátē dícere timérent, spondet Epíscopus, se Petrum pagi venditórem, qui triénnio ante obíerat, intra dies tres in judícium adductúrum. Conditióne cum risu accépta, vir Dei toto tríduo jejúniis et oratióni incúmbit : ipso sponsiónis die, post oblátū Missae sacrifícium, Petrum e sepúlchro súrgere jubet : qui statim redivívus, Epíscopum ad régium tribúnal eúntem séquitur, ibíque rege et caeteris stupóre attónitis, de agro a se véndito, et prétio rite sibi ab Epíscopo persolúto, testimónium dicit, atque íterum in Dómino obdormívit.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.-- Et voluntáte.

Lectio vi.

AT Bolesláum frustra saepe admónitum, Stanisláus tandem a fidélium communióne rémovet. Ille iracúndia furens, mílites in ecclésiam immíttit, ut sanctum Epíscopum confódiant ; qui ter conáti, occúlta vi, tértio divínitus sunt depúlsi. Postrémo ímpius rex Sacerdótem Dei, hóstiam immaculátam ad altáre offeréntem, sua manu obtrúncat : corpus membrátim concísum, et per agros projectum, áquilae a feris mirabíliter defendunt. Mox canónici Cracoviénses sparsa membra, noctúrni de coelo splendóris indício cólligunt, et suis locis apte dispónunt : quae súbito ita inter se copuláta sunt, ut nulla vúlnerum vestígia extárent. Multis praetérea miráculis servi sui sanctitátem Deus declarávit post ejus mortem : quibus permótus Innocéntius quartus summus Póntifex, illum in Sanctórū número rétulit.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dñus pane vitae et intellectus : et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum.—Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia sancti Gregorii Papae in Evang. Si quis venit, de Communi unius Martyris. xxxvi.

DIE VIII. MAII.

In Apparitione S. Michaelis Archangeli. Duplex.

AD VESPERAS.

Ańa. Stetit Angelus, cum reliquis de Laudibus ut infra. 365. Psalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica. 133. et loco ultimi, Psalmus. Laudáte Dñum omnes Gentes. 137.

Capitulum. *Apoc.* iv.

SIGNIFICAVIT Deus quae opórtet fíeri cito, loquens per Angelũ suum servo suo Joánni, qui testimónium perhíbuit verbo Dei, et testimónium Jesu Christi, quaecúmque vidit.

Hymnus.

TE splendor et virtus Patris,
Te vita, Jesu, córdium,
Ab ore qui pendent tuo,
Laudámus inter Angelos.

Tibi mille densa míllium
Ducum coróna mílitat :
Sed éxplicat victor Crucem
Míchael salútis sígnifer.

Draconis hic dirum caput
In ima pellit tártara,
Ducémque cum rebéllibus
Coelésti ab arce fúlminat.

Contra ducem supérbiae
Sequámur hunc nos Príncipem,
Ut detur ex Agni throno
Nobis coróna glóriae.

Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter,
Saeclum per omne glória.
Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum aureum in manu sua.

Ad Magníf. Ańa. Dum sacrum mystérium cérneret Joánnes, Archángelus Míchael tuba cécinit: Ignósce, Dómine Deus noster, qui áperis librum, et solvis signácula ejus, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui miro órdine Angelórum ministéria, hominúmque dispénsas : concéde propítius ; ut a quibus tibi ministrántibus in coelo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per Dóminum.

Et fit Comm. S. Stanislai, Ańa. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Deus, pro cujus honóre, ut supra. 358.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Archangelórum Dóminum, * Veníte, adorémus. Psalmus. Veníte, exultémus. 2. Hymnus. Te splendor, ut supra.

In primo Nocturno.

Ańa. Concússum est mare, et contrémuit terra, ubi Archángelus Míchael descendébat de coelo. Psalm. Dómine, Dñus noster. 6.

Ańa. Laudémus Dñum quem laudant Angeli, quem Chérubim et Séraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus, proclámant. Psalm. In Dómino confído. 8.

Ańa. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dñi de manu Angeli. Psalmus. Dómine, quis habitábit. 10.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Ex Daniéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* vii. *c.*

ASPICIEBAM, donec throni pósiti sunt, et antíquus diérum sedit: vestiméntum ejus cándidum quasi nix, et capílli cápitis ejus quasi lana munda: thronus ejus flammae ignis: rotae ejus ignis accénsus. Flúvius ígneus rapidúsque egrediebátur a fácie ejus. Míllia míllium ministrábant ei, et décies míllies centéna míllia assistébant ei: judícium sedit, et libri apérti sunt. Aspiciébam propter vocem sermónum grándium, quos cornu illud loquebátur: et vidi quóniam interfécta esset béstia, et periísset corpus ejus, et tráditum esset ad comburéndum igni.

℟. Factum est siléntium in coelo, dum committeret bellum draco cum Michaéle Archángelo: * Audíta est vox míllia míllium dicéntium: Salus, honor, et virtus omnipoténti Deo. ℣. Míllia míllium ministrábant ei, et décies centéna míllia assistébant ei.— Audíta est vox.

Lectio ii. *Cap.* x.

DIE autem vigésima et quarta mensis primi eram juxta flúvium magnum, qui est Tigris. Et levávi óculos meos, et vidi: et ecce vir unus vestítus líneis, et renes ejus accíncti auro obrízo: et corpus ejus quasi chrysólithus, et fácies ejus velut spécies fúlguris, et óculi ejus ut lampas ardens; et bráchia ejus, et quae deórsum sunt usque ad pedes, quasi spécies aeris candéntis: et vox sermónum ejus ut vox multitúdinis. Vidi autem ego Dániel solus visiónem: porro viri, qui erant mecum, non vidérunt: sed terror nímius írruit super eos, et fugérunt in abscónditum. Ego autem relíctus solus vidi visiónem grandem hanc; et non remánsit in me fortitúdo, sed et spécies mea immutáta est in me,

et emárcui, nec hábui quidquam vírium.

℟. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua : et data sunt ei incénsa multa : * Et ascéndit fumus arómatum de manu Angeli in conspéctu Dómini. ℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi : adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo, Dómine.—Et ascéndit.

Lectio iii.

ET audívi vocem sermónum ejus, et áudiens jacébam consternátus super fáciem meam, et vultus meus haerébat terrae. Et ecce, manus tétigit me, et eréxit me super génua mea, et super artículos mánuum meárum. Et dixit ad me: Dániel, vir desideriórum, intéllige verba, quae ego loquor ad te, et sta in gradu tuo : nunc enim sum missus ad te. Cumque dixísset mihi sermónem istum, steti tremens. Et ait ad me: Noli metúere Dániel : quia ex die primo, quo posuísti cor tuum ad intelligéndum, ut te afflígeres in conspéctu Dei tui, exaudíta sunt verba tua : et ego veni propter sermónes tuos. Princeps autem regni Persárum réstitit mihi vigínti et uno diébus : et ecce, Míchael, unus de princípibus primis, venit in adjutórium meum, et ego remánsi ibi juxta regem Persárum. Veni autem ut docérem te quae ventúra sunt pópulo tuo in novíssimis diébus, quóniam adhuc vísio in dies.

℟. In conspéctu Angelórum psallam tibi, et adorábo ad templum sanctum tuum, * Et confitébor nómini tuo, Dómine. ℣. Super misericórdia tua, et veritáte tua ; quóniam magnificásti super nos nomen sanctum tuum.—Et confitébor. Glória Patri. Et confitébor.

In secundo Nocturno.

Ańa. Míchael Archángele, veni in adjutórium pópulo Dei. Psalmus. Coeli enárrant. 15.

Ańa. Míchael praepósitus paradísi, quem honorificant Angelórum cives. Psalmus. Dómini est terra. 31.

Ańa. Gloriósus apparuísti in conspéctu Dñi, proptérea decórem índuit te Dóminus. Psalmus. Benedícam Dóminum. 54.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dñi, ℟. De manu Angeli.

Lectio iv.

BEATUM Michaélem Archángelũ saepius homínibus apparuísse, et sacrórum librórum auctoritáte, et véteri San-

ctórum traditióne comprobátur. Quamóbrem multis in locis facti memória celebrátur. Eum ut olim synagóga Judaeórum, sic nunc custódem et patrónum, Dei venerátur Ecclésia. Gelásio autem primo Pontífice máximo, in Apúlia in vértice Gargáni montis, ad cujus radíces íncolunt Sipontíni, Archángeli Michaélis fuit illústris apparítio.

℟. Hic est Míchael Archángelus, princeps milítiae Angelórum : * Cujus honor praestat benefícia populórum, et orátio perdúcit ad regna coelórum. ℣. Archángelus Míchael praepósitus paradísi, quem honorificant Angelórum cives.—Cujus honor.

Lectio v.

FACTUM est enim, ut ex grégibus armentórum Gargáni cujúsdam taurus longe discéderet : quem diu conquisítum, in áditu spelúncae haeréntem invenérunt. Cum vero quidam ex illis, ut taurum confígeret, sagíttam emisísset, retórta sagítta in ipsum récidit sagittárium. Quae res cum praeséntes, ac deínceps caeteros tanto timóre affecísset, ut ad eam spelúncam própius accédere nemo audéret ; Sipontíni Episcopum cónsulunt : qui indícto trium diérum jejúnio et oratióne, rem a Deo respóndit quaeri oportére.

℟. Venit Míchael Archángelus cum multitúdine Angelórum, cui trádidit Deus ánimas Sanctórum, * Ut perdúcat eas in paradísum exultatiónis. ℣. Émitte, Dómine, Spíritum sanctum tuum de coelis, spíritum sapiéntiae et intelléctus.—Ut perdúcat.

Lectio vi.

POST tríduum Míchael Archángelus Episcopum monet, in sua tutéla esse eum locum, eóque indício demonstrásse, velle ibi cultum Deo in sui et Angelórum memóriam adhibéri. Quare Episcopus una cum cívibus ad eam spelúncam íre pergit. Quam cum in templi cujúsdam similitúdinem conformátam vidíssent, locum illum divinis offíciis celebráre coepérunt ; qui multis póstea miráculis illustrátus est. Nec ita multo post Bonifácius Papa Romae in summo circo sancti Michaélis ecclésiam dedicávit tértio Kaléndas Octóbris : quo die étiam ómnium Angelórum memóriam Ecclésia célebrat. Hodiérnus autem dies Archángeli Michaélis apparitióne consecrátus est.

℟. In témpore illo consúrget Míchael, qui stat

pro fíliis vestris : Et véniet tempus, quale non fuit, ex quo gentes esse coepérunt usque ad illud. ℣. In témpore illo salvábitur pópulus tuus omnis, qui invéntus fúerit scriptus in libro vitae.—Et véniet. Glória Patri. Et véniet.

In tertio Nocturno.

Ana. Angelus Archángelus Míchael, Dei núntius pro animábus justis, allelúia, allelúia. Psalm. Cantáte Dómino. 111.

Ana. Data sunt ei incénsa multa, ut adoléret ea ante altáre áureum, quod est ante óculos Dómini. Psalm. Dóminus regnávit, exúltet terra. 112.

Ana. Multa magnália de Michaéle Archángelo, qui fortis in praelio fecit victóriam. Psalm. Bénedic ánima mea. 119.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xviii.

IN illo témpore : Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes : Quis, putas, major est in regno coelórum ? Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Episcopi.

Comm. in Matth. cap. xviii.

NON nisi revérsos in natúram puerórum introíre regnum coelórum Dóminus docet : id est, per simplicitátem puerílem vítia córporum nostrórum animaeque revocánda. Púeros autem, credéntes omnes per audiéntiae fidem nuncupávit. Hi enim patrem sequúntur, matrem amant, próximo velle malum nésciunt, curam opum négligunt, non insoléscunt, non odérunt, non mentiúntur, dictis credunt ; et quod áudiunt, verum habent. Reverténdum ígitur est ad simplicitátem infántium ; quia in ea collocáti, spéciem humilitátis Domínicae circumferémus.

℟. In conspéctu géntium nolíte timére : vos enim in córdibus vestris adoráte et timéte Dóminum : Angelus enim ejus vobíscum est. ℣. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua.—Angelus enim.

Lectio viii.

VAE huic mundo a scándalis. Humílitas passiónis scándalum mundo est. In hoc enim máxime ignorántia detinétur humána, quod sub deformitáte crucis, aetérnae glóriae Dóminum nóluit accípere. Et quid mundo

tam periculósum, quam non recepísse Christum? Ideo vero necésse esse ait veníre scándala, quia ad sacraméntum redditándae nobis aeternitátis, omnis in eo passiónis humílitas esset explénda.

℟. Míchael Archángelus venit in adjutórium pópulo Dei, * Stetit in auxílium pro animábus justis. ℣. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua.—Stetit. Glória Patri. Stetit.

Lectio ix.

VIDETE ne contemnátis unum de pusíllis istis, qui credunt in me. Aptíssimum vínculum mútui amóris impósuit, ad eos praecípue, qui vere in Dño credidíssent. Pusillórum enim Angeli quotídie Deum vident: quia Fílius hóminis venit salváre quae pérdita sunt. Ergo et Fílius hóminis salvat, et Deum Angeli vident, et Angeli pusillórum praesunt fidélium oratiónibus. Praeésse Angelos absolúta auctóritas est. Salvatórum ígitur per Christum oratiónes Angeli quotídie Deo ófferunt. Ergo periculóse ille contémnitur, cujus desidéria ac postulatiónes ad aetérnum et invisíbilem Deum ambitióso Angelórum famulátu ac ministério pervehúntur.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Stetit Angelus * juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Dum praeliarétur * Míchael Archángelus cum dracóne, audíta est vox dicéntium: Salus Deo nostro, allelúia.

3. Archángele Míchael, * constítui te príncipem super omnes ánimas suscipiéndas.

4. Angeli Dómini, Dóminum benedícite in aetérnum.

5. Angeli, Archángeli, * Throni et Dominatiónes, Principátus et Potestátes, Virtútes coelórum, laudáte Dñum de coelis, allelúia.

Capitulum. *Apoc.* 1.

SIGNIFICAVIT Deus quae opórtet fíeri cito, loquens per Angelum suum servo suo Joánni, qui testimónium perhíbuit verbo Dei, et testimónium Jesu Christi, quaecúmque vidit.

Hymnus.

CHRISTE, sanctórum decus Angelórum,
Gentis humánae Sator et Redémptor,
Coelitum nobis tríbuas beátas
Scándere sedes.

Angelus pacis Míchael in aedes
Coelitus nostras véniat, serénae
Auctor ut pacis lacrymósa in orcum
Bella reléget.
Angelus fortis Gábriel, ut hostes
Pellat antíquos, et amíca coelo,
Quae triumphátor státuit per orbem,
Templa revísat.
Angelus nostrae médicus salútis
Adsit e coelo Ráphael, ut omnes
Sanet aegrótos, dubiósque vitae
Dírigat actus.
Virgo Dux pacis, Genitríxque lucis,
Et sacer nobis chorus Angelórum
Semper assístat, simul et micántis
Régia coeli.
Praestet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum aureum in manu sua.

Ad Bened. Ańa. Factum est siléntium in coelo, dum draco commítteret bellum : et Míchael pugnávit cum eo, et fecit victóriam, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui miro órdine Angelórum ministéria, hominúmque dispénsas: concéde propítius ; ut a quibus tibi ministrántibus in coelo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Ańa. Dum praeliarétur. Capit. Significávit Deus, ut supra.

℟. br. Stetit Angelus, * Juxta aram templi. Stetit. ℣. Habens thuríbulum aureum in manu sua. Juxta. Glória Patri. Stetit.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dei. ℟. De manu Angeli.

AD SEXTAM.

Antiph. Archángele Míchael.

Capitulum. *Apoc.* v. *c.*

AUDIVI vocem Angelórum multórum in circúitu throni, et animálium, et seniórum : et erat número eórum míllia míllium, voce magna dicéntium : Salus Deo nostro.

℟. br. Ascéndit fumus arómatum * In conspéctu Dómini. Ascéndit fumus. ℣. De manu Angeli. In conspéctu. Glória Patri. Ascéndit fumus.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

AD NONAM.

Ańa. Angeli, Archángeli.

Capitulum. *Apoc.* xii. *b.*

FACTUM est praelium magnum in coelo : Michael et Angeli ejus praeliabántur cum dracóne, et draco pugnábat, et ángeli ejus : et non praevalérunt, neque locus invéntus est eórum ámplius in coelo.

℟. br. In conspéctu Angelórum * Psallam tibi, Deus meus. In conspéctu. ℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Psallam tibi. Glória Patri. In conspéctu.

℣. Adoráte Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

IN II. VESPERIS.

Ańa. Stetit Angelus, cum reliquis de Laudibus ut supra. 365. Psalmus. Dixit Dñus, cum reliquis de Dominica. 133. et loco ultimi, Psalm. Confitébor tibi. 152.

Capitulum. Significávit Deus. 365.

Hymnus. Te splendor, ut supra in primis Vesp. 360.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Ad Magnif. Ańa. Princeps gloriosíssime, Míchael Archángele, esto memor nostri : hic, et úbique semper precáre pro nobis Fílium Dei, allelúia.

Oratio. Deus, qui miro, ut supra. 366.

DIE IX. MAII.

In festo S. Gregorii Nazianzeni, Epíscopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris. Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif. lxi. praeter ea quae hic habentur propria.

Ad Magnif. in utrisque Vesperis, Ańa. O Doctor óptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte Gregóri, divínae legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio.

DEUS, qui pópulo tuo aetérnae salútis beátum Gregórium minístrum tribuísti : praesta quaesumus ; ut quem Doctórem vitae habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in coelis. Per Dñum.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

GREGORIUS, nóbilis Cáppadox, ex singulári divinárum litterárum sciéntia Theólogi cognó-

men consecútus, Naziánzi in Cappadócia natus, Athénis in omni disciplinárum génere una cum sancto Basílio erudítus, ad stúdia sacrárum litterárum se convértit, in quibus se in coenóbio per áliquot annos exercuérunt, illárum sententiam non ex próprio ingénio, sed ex majórum ratióne et auctoritáte interpretántes. Qui cum doctrína et vitae sanctitáte florérent, vocáti ad munus praedicándae evangélicae veritátis, plúrimos Jesu Christo fílios peperérunt.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.

GREGORIUS ígitur aliquándo domum revérsus, primum Sasimórum Epíscopus creátus est, deínde Nazianzénam Ecclésiam administrávit. Tum Constantinópolim ad eam regéndam Ecclésiam accersítus, cum civitátem haeresum purgátam erróribus ad cathólicam fidem reduxísset, quod ei summum ómnium amórem conciliáre debébat, multórum parávit invídiam. Itaque cum inter Episcopos magna propterea esset facta sedítio, sponte cedens episcopátu, illud Prophétae dictum usurpávit : Si propter me commóta est ista tempéstas, dejícite me in mare, ut vos jactári desinátis. Quare Naziánzum revérsus, cum illi Ecclésiae Eulálium praeficiéndum curásset, totum se ad contemplatiónem et scriptiónem divinárum rerum cóntulit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus enim.

Lectio vi.

SCRIPSIT autem multa et solúta oratióne et versibus, mirábili pietáte et eloquéntia : quibus doctórum hóminum, sanctorúmque judício id assecútus est, ut nihil in illis, nisi ex verae pietátis et cathólicae religiónis régula reperiátur : nemo quidquam jure vocáre possit in dúbium. Consubstantialitátis Fílii fuit acérrimus propugnátor. Ut autem vitae laude nemo ei praepósitus est, sic et oratiónis gravitáte omnes fácile superávit. In iis scribéndi ac legéndi stúdiis ruri vitam mónachi exércens, imperatóre Theodó-

sio ad coeléstem vitam sénio confléctus migrávit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Nocturno, Homilia S. Augustini Episcopi in Evangelium: Vos estis sal terrae, de Communi Doctorum. lxxx.

Vesperae a Capitulo de S. Antonino cum Commem. S. Gregorii, ac SS. Gordiani et Epimachi Martyrum.

DIE X. MAII.

In festo S. Antonini, Episcopi et Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter ea quae hic habentur propria.

In Hymno dicatur:

Hac die laetus méruit supremos
Laudis honóres.

Oratio.

SANCTI Antoníni, Dómine, Confessóris tui atque Pontíficis méritis adjuvémur: ut, sicut te in illo mirábilem praedicámus, ita in nos misericórdem fuísse gloriémur. Per Dóminum.

Pro Commemoratione S. Gregorii Añ. O Doctor. ℣. Justum. Oratio quae supra. 367.

Et fit Commem. sanctorum Gordiani et Epimachi Martyrum, Añ. Istórum. ℣. Laetámini.

Oratio.

OA, quaesumus omnípotens Deus: ut qui beatórum Mártyrum tuórum Gordiáni et Epímachi solémnia cólimus, eórum apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANTONINUS, Florentiae honéstis paréntibus natus, ab ipsa jam puerítia egrégium futúrae sanctitátis spécimen exhíbuit. Annum agens sextum décimum, Religiónem Praedicatórum ampléxus, coepit exínde máximis clarére virtútibus. Otio perpétuum bellum indíxit, post noctúrnum brevem somnum primus matutínis précibus áderat; quibus persolútis, réliquum tempus noctis oratiónibus, aut certe lectióni, et scriptióni librórum

tribuébat; et si quando importúnior fessis membris somnus obréperet, ad paríetem páululum declináto cápite, ac tantísper discússo sommo, mox sacras vigílias avídius repetébat.

℟. Invéni David. 368.

Lectio v.

DISCIPLINAE regulâris sui ipsíus severíssimus exáctor, carnes, nisi in gravi aegritúdine, nunquam edit. Humi, aut in nudo tabuláto cubábat: cilício semper usus, et interdum zona férrea ad vivam cutem incínctus, virginitátem integérrime semper cóluit. In explicándis consíliis tantae dexteritátis fuit, ut commúni elógio Antonínus consiliórum dicerétur. Adeo autem in eo humílitas enítuit, ut étiam coenóbiis, ac provínciis praeféctus abjectíssima monastérii offícia demissíssime obíret. Ab Eugénio quarto Florentínus Archiepíscopus renuntiátus, aegérrime tandem, nec nisi Apostólicis minis perterrefáctus, ut episcopátum accíperet, acquiévit.

℟. Pósui adjutórium. 368.

Lectio vi.

IN eo múnere vix dici potest, quantum prudéntia, pietáte, charitáte, mansuetúdine, et sacerdotáli zelo excellúerit. Illud mirándum tantum ingénio valuísse, ut omnes ferme sciéntias per se, nullo adhíbito praeceptóre, absolutíssime didícerit. Tandem post multos labóres, multis étiam éditis insígnis doctrínae libris, sacra Eucharístia et Unctióne percépta, compléxus Crucifixi imáginem, mortem laetus aspéxit sexto Nonas Maii, anno millésimo quadringentésimo quinquagésimo nono. Miráculis vivens et post mortem conspícuus, Sanctórum número adscríptus est ab Hadriáno sexto, anno Dómini millésimo quingentésimo vigésimo tértio.

℟. Iste est. 369.

In tertio Nocturno, Homilia sancti Gregorii Papae in Evangelium: Homo péregre proficíscens, de Commani Confess. Pontif. Ixx. Pro SS. Gordiano et Epimacho, Martyribus.

Lectio ix.

GORDIANUS judex cum adeum Januárius Présbyter, ut condemnarétur, sub Juliáno apóstata ductus esset, ab eódem in christiána fide instrúctus, cum uxóre, et quinquagínta tribus áliis ex eádem família Romae baptizátur. Quare praeféctus, relegáto Januário, Gordiánum a Clementiáno vicário inclúdi jubet

in cárcerem : qui póstea eúmdem Gordiánum vinctum caténis ad se accersítum, cum a fídei propósito deterrére non posset, plumbátis diu caesum, cápite plecti ímperat. Cujus corpus ante Apóllinis templum cánibus objectum, noctu a Christiánis via Latína sepelítur in eádem crypta, in quam relíquiae beáti Epímachi Mártyris translátae fúerant ab Alexandría: ubi is diu propter Christi confessiónem constrictus in cárcere, postrémo combústus, martyrio coronátus est.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus pro Comm. SS. Gordiani et Epimachi Martyrum, Antiph. Vestri capílli. ℣. Exultábunt. Oratio. Da quaesumus, ut supra. 369.

DIE XII. MAII.

In festo SS. Nerei, Achillei, et Domitillae Virginis, atque Pancratii, Martyrum. Semiduplex.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum. xliv. praeter sequentia.

Oratio.

SEMPER nos, Dñe, Mártyrum tuórum Nérei, Achílllei, Domitíllae, atque Pancrátii fóveat, quaesumus, beáta solémnitas: et tuo dignos reddat obséquio. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

NEREUS et Achílleus fratres, eunúchi Fláviae Domitíllae, a beáto Petro una cum ipsa, ejúsque matre Plautílla, baptizáti, cum Domitíllae persuasíssent, ut virginitátem suam Deo consecráret, ab ejus sponso Aureliáno tamquam Christiáni accusáti, ob praecláram fídei confessiónem in Póntiam ínsulam relegántur : ubi ad quaestiónem íterum vocáti, et verbéribus caesi, mox Tarracínam perdúcti, a Minúcio Rufo equúleo et flammis cruciáti, cum constánter negárent se a sancto Petro Apóstolo baptizátos, ullis torméntis cogi posse, ut idólis immolárent, secúri percússi sunt : quorum córpora ab Auspício eórum discípulo, et Domitíllae educatóre, Romam deláta, via Ardeatína sepúlta sunt.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes praecéptis tuis, ut inveniréntur illaesi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in mari Rubro

via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquae, et torréntes inundavérunt.—Terra appáruit.

Lectio v.

RLAVIA Domitílla, virgo Romána, Titi et Domitiáni imperatórum neptis, cum sacrum virginitátis velámen a beáto Cleménte Papa accepísset, ab Aureliáno sponso, Titi Aurélii cónsulis fílio, delàta quod Christiána esset, a Domitiáno imperatóre in ínsulam Póntiam est deportáta, ubi in cárcere longum martyrium duxit. Demum Tarracínam dedúcta, iterũ Christum conféssa, cum semper constántior apparéret, sub Trajáno imperatóre, júdicis jussu incénso ejus cubículo, una cum Theodóra et Euphrósyna virgínibus et collactáneis suis, gloriósi martyrii cursum confécit, Nonis Maji: quarum córpora íntegra invénta, a Caesário Diácono sepúlta sunt. Hac vero die duórum fratrum ac Domitíllae córpora ex Diaconía sancti Hadriáni simul transláta, in ipsórum Mártyrum basílicam, títuli Fasciolae, restitúta sunt,

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine; * Ut haerédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia.—Ut haerédes.

Lectio vi.

ANCRATIUS, in Phrygia nóbili génere natus, puer quatuórdecim annórum Romam venit Diocletiáno et Maximiáno imperatóribus: ubi a Pontífice Románo baptizátus, et in fide christiána erudítus, ob eámdem paulo post comprehénsus, cum diis sacrificáre constánter renuísset, viríli fortitúdine datis cervícibus, illústrem martyrii corónam consecútus est: cujus corpus Octávilla matróna noctu sústulit, et unguéntis delibútum via Aurélia sepelívit.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos: et in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem: et fidéles in dilectióne acquiéscent illi.—Quóniam donum. Glória Patri. Quóniam donum.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* iv. *f.*

IN illo témpore : Erat quidam régulus, cujus fílius infirmabátur Caphárnaum. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papae.

Ex Homil. xxviii. *habita in basilica horum SS. Martyrum in die natalis eorum.*

QUID est quod régulus Dóminum rogat, ut ad ejus fílium véniat, et tamen ire corporáliter recúsat ; ad servum vero centuriónis non invitátur, et tamen se corporáliter ire pollicétur? Réguli fílio per corporálê praeséntiam non dignátur adésse, centuriónis servo non dedignátur occúrrere. Quid est hoc, nisi quod supérbia nostra retúnditur, qui in homínibus non natúram, qua ad imáginem Dei facti sunt, sed honóres et divítias venerámur? Redémptor vero noster ut osténderet, quia quae alta sunt hóminum, despiciénda sunt; et quae despécta sunt hóminum, despiciénda non sunt : ad fílium réguli ire nóluit, ad servum centuriónis ire parátus fuit.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum!—Quia.

Lectio viii.

INCREPATA est ergo supérbia nostra, quae nescit pensáre hómines propter hómines. Sola, ut díximus, quae circúmstant homínibus, pensat, natúram non áspicit, honórem Dei in homínibus non agnóscit. Ecce ire non vult Fílius Dei ad fílium réguli : et tamen venire parátus est ad salútem servi. Certe si nos cujúspiam servus rogáret, ut ad eum ire deberémus, prótinus nobis nostra supérbia in cogitatióne tácita respondéret, dicens : Non eas, quia temetípsum degéneras, honor tuus despícitur, locus vilésci. Ecce de coelo venit, qui servo in terra occúrrere non déspicit : et tamen humiliári in terra contémnimus, qui de terra sumus.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis: * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum.—Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Lectio ix.

NOLITE ergo intra vosmetípsos pensáre quod habétis, sed quid estis. Ecce mundus qui dilígitur,

fugit. Sancti isti, ad quorum tumbam consístimus, floréntem mundum mentis despéctu calcavérunt. Erat tunc vita longa, salus contínua, opuléntia in rebus, foecúnditas in propágine, tranquíllitas in diutúrna pace : et tamen cum in seípso floréret, jam in eórum córdibus mundus arúerat. Ecce jam mundus in seípso áruit, et adhuc in córdibus nostris floret. Ubíque mors, ubíque luctus, ubíque desolátio : úndique percútimur, úndique amaritudínibus replémur : et tamen caeca mente carnális concupiscéntiae ipsas ejus amaritúdines amámus, fugiéntem séquimur, labénti inhaerémus.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XIV. MAII.

In festo S. Bonifacii, Mart.

Oratio.

OA, quaesumus omnípotens Deus : ut qui beáti Bonifácii Mártyris tui solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Lectio prima de Scriptura occurrente.

Lectio ii.

BONIFACIUS, civis Románus, quod cum Aglae nóbili matróna impudíce versátus esset, tanto illíus intemperántiae dolóre captus est, ut poeniténtiae causa se ad conquiréndа et sepeliénda Mártyrum córpora contúlerit. Itaque relíctis peregrinatiónis sóciis, cum Tarsi multos propter christiánae fídei professiónem váriis torméntis cruciátos vidísset, illórum víncula osculátus, eos veheménter hortabátur, ut constánter supplícia perférrent, quod brevem labórem sempitérna réquies consecutúra sit. Comprehénsus ígitur, férreis úngulis excarnificátus est : cui étiam inter mánuum ungues et carnem acúti cálami sunt infíxi, plumbúmque liquefáctum in os ejus infúsum. Quibus in cruciátibus ea vox tantum Bonifácii audiebátur : Grátias tibi ago, Dñe Jesu Christe, Fili Dei.

Lectio iii.

QOX in ollam ferventis picis demísso cápite conjéctus est : unde cum inviolátus exísset, ira incénsus judex, eum secúri percuti jubet. Quo témpore magnus terraemótus factus est, ita ut multi infidéles ad Christi Dñi fidem converteréntur. Eum sequénti die quaeréntes sócii, cum martyrio affféctū cognovíssent, quingéntis sólidis ejus corpus redemérunt ; et condítū unguéntis, linteísque invo-

lútum, Romam portándum curárunt. Quod factum cum ab Angelo Agláe matróna, quae et ipsa poenitens se piis opéribus addíxerat, cognovísset; pródiens óbviam sancto córpori, ecclésiam ejus nómine aedificávit, in qua corpus sepúltum est Nonis Júnii, cum ejus ánima prídie Idus Maii apud Tarsum Cilíciae urbem migrásset in coelum, Diocletiáno et Maximiáno imperatóribus.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XVI. MAII.

In festo S. Ubaldi, Episc. et Confessoris. Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter ea quae sequuntur.

Oratio.

AUXILIUM tuum nobis, Dómine, quaesumus, placátus impénde: et intercessióne beáti Ubáldi Confessóris tui atque Pontíficis contra omnes diáboli nequítias déxteram super nos tuae propitiatiónis exténde. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

UBALDUS, Eugúbii in Umbria nóbili génere natus, a primis annis pietáte et lítteris egrégie est institútus; jamque adolescens, ut uxórem dúceret, saepe tentátus, nunquam tamen a propósito servándae virginitátis recéssit. Sacérdos effáctus, patrimónium suum paupéribus et Ecclésiis distribuit, et Canonicórum Regulárium órdinis sancti Augustíni institútum suscípiens, illud in pátriam tránstulit, atque in eo aliquámdiu sanctíssime vixit. Cujus sanctitátis opinióne evulgáta, ab Honório secúndo summo Pontífice, Ecclésiae Eugubínae invítus praefícitur, et episcopális consecratiónis múnere decorátur.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.

AD suam ítaque revértens Ecclésiam, cum de consuéta vivéndi ratióne nihil ádmodum immutásset, in omni tamen virtútum génere eo magis emínere coepit, quo efficácius alió… étiam salútem verbo et exémplo procuráret, factus forma gregis ex ánimo. Nam victu parco, vestítu moderáto, léctulo áspero et paupérrimo, crucis mortificatiónem júgiter in suo

córpore circumferébat, dum inexplébili oratiónis stúdio spíritum quotídie recreáret. Hinc admirábilem illam mansuetúdinẽ est adéptus, qua gravíssimas injúrias et contumélias non modo aequanímiter tulit, verum étiam mirífico dilectiónis affléctu persecutóres suos omni benignitátis testimónio complectebátur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vi.

BIENNIO ántequam ex hac vita migráret, cum diútinis afflictarétur infirmitátibus, inter acerbíssimos córporis cruciátus, velut aurum in fornáce purgátum, Deo grátias indesinénter agébat. Adveniénte autem sacro Pentecóstes die, cum multis annis Ecclésiam sibi commíssam summa cum laude gubernásset, sanctis opéribus ac miráculis clarus quiévit in pace. Quem Coelestínus Papa tértius in Sanctórum númerum rétulit. Ejus virtus praecípue in effugándis spirítibus immúndis elúcet. Corpus vero per tot saecula incorrúptum magna fidélium veneratióne in pátria cólitur, quam non semel a praesénti discrímine liberávit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium: Homo péregre proficíscens, ut in eodem Communi. lxx.

Vesperae de S. Paschali cum Commem. S. Ubaldi.

DIE XVII. MAII.

In festo S. Paschalis Baylon, Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii.

Oratio.

DEUS, qui beátum Paschálem Confessórẽ tuum mirífica erga Córporis, et Sánguinis tui sacra mystéria dilectióne decorásti : concéde propítius ; ut quam ille ex hoc divino convívio spíritus percépit pinguédinem, eámdem et nos percípere mereámur : Qui vivis.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PASCHALIS Baylon, paupéribus, piísque paréntibus in óppido Turris Formósae Seguntínae dioecésis in Aragónia natus, a téneris annis plura dedit futúrae sanctitátis indícia. Sortítus ánimam bonam, ac rerum coeléstium appríme studiósam, puerítiam, atque adolescéntiam in gregis custódia transégit; quam ille vivéndi ratiónem ídeo praecípue diligébat, quod humilitáti fovéndae, ac innocéntiae conservándae in primis útilem, atque opportúnam judicáret. Erat in victu módicus, in oratióne assíduus, tantáque apud coaevos, et sócios florébat auctoritáte, et grátia, ut eórum lites compónens, erróres córrigens, ignorántiam erúdiens, ac desídiam éxcitans, velut ómnium parens, et magíster máximo stúdio colerétur, ac amarétur : Beátus étiam tum a plerísque appellátus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit illi.

Lectio v.

QUI vero in saeculo, terra nempe desérta, et inaquósa, ádeo felíciter adoléverat, flos convállium, plantátus in domo Dómini, mirum ubíque sparsit sanctitátis odórem. Igitur Paschális arrépto vitae severióris instituto, atque in órdine Minórum strictióris observántiae Discalceatórum cooptátus, exultávit ut gigas ad curréndam viam suam, totúmque se Dómino excoléndum tradens, dies noctésque cogitábat, qua se ratióne magis ei magísque conformáret. Ita factum est brevi, ut eum tamquam seráphicae perfectiónis exémplar, ipsi quoque provectióres imitándum sibi propónerent. Ipse autem in húmili serviéntium gradu constitútus, se velut ómniu peripséma réputans, árdua quaeque et abjécta domus ministéria, véluti jure quodam peculiári sibi débita, summa cum hilaritáte suscipiébat, et exercébat humilitáte, ac patiéntia pari. Carnem spíritui quandóque reluctári niténtem jugi maceratióne afflictávit, atque in servitútem redégit; spíritum vero assídua sui abnegatióne ferventiórem in dies ad anterióra extendébat.

℟. Amávit eum Dñus, et ornávit eum: stolam glóriae

índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit.—Et ad.

Lectio vi.

DEIPARAM Vírginẽ, cujus clientélae se ab ineúnte aetáte dicáverat, tamquam matrem quotidiánis colébat obséquiis, atque filiáli exorábat fidúcia. Porro erga sanctíssimum Eucharístiae Sacraméntum difficile dictu est quam ardénti tenerétur devotiónis affféctu, quem defúnctus étiam in cadávere retinére visus est, dum jacens in féretro ad sacrae Hóstiae elevatiónem bis óculos reserávit, et clausit, magna ómnium, qui áderant, admiratióne. Ejúsdem veritátem inter haeréticos públice palámque proféssus, multa, et grávia ob eam causam perpéssus est : crebro étiam ad necem petítus, sed singulári Dei providéntia ab impiórũ mánibus eréptus. Saepe inter orándum ómnibus destituebátur sénsibus, dulcíque languébat amóris delíquio : quo témpore coeléstem illam sciéntiam hausísse créditus est, qua homo rudis, et illiterátus, de mystériis fídei difficíllimis respondére, atque áliquot étiam libros conscríbere pótuit. Dénique méritis plenus, eádem, qua praedíxerat hora, felíciter migrávit ad Dóminum, anno salútis millésimo quingentésimo nonagésimo secúndo, sexto décimo Kaléndas Júnii, eódem, quo natus fúerat, festo Pentecóstes recurrénte, annum agens secúndum supra quinquagésimum. Quibus aliísque virtútibus insígnem, ac miráculis tam in vita, quam post mortem clarum, Paulus quintus Póntifex máximus illum Beátum appellávit: Alexánder autem octávus Sanctórum catálogo adscrípsit.

℣. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium : **Sint lumbi vestri,** ut in eodem Commun. **xcii.**

Vesperae a Capitulo de sancto Venantio cum Commemoratione S. Paschalis.

DIE XVIII. MAII.

In festo S. Venantii, Martyris. Duplex.

Omnia de Comm. unius Martyris. **xxvii.** praeter ea quae hic habentur propria.

Hymnus séquens, quando non fuit dictus in primis Vesperis, jungitur cum Hymno ad Matutinum sub una conclusione.

IN UTRISQUE VESPERIS.

Hymnus.

QUARTYR Dei Venántius,
Lux et decus Camértium,
Tortóre victo et júdice,
Laetus triúmphũ cóncinit.

Annis puer, post víncula,
Post cárceres, post vérbera,
Longa fame freméntibus
Cibus datur leónibus.

Sed ejus innocéntiae
Parcit leónum immánitas,
Pedésque lambunt Mártyris,
Irae famísque immémores.

Verso deórsum vértice
Haurire fumum cógitur:
Costas utrímque et víscera
Succénsa lampas ústulat.

Sit laus Patri, sit Fílio,
Tibíque, sancte Spíritus:
Da per preces Venántii
Beáta nobis gáudia. Amen.

Oratio.

DEUS, qui hunc diem beáti Venántii Mártyris tui triúmpho consecrásti: exáudi preces pópuli tui, et praesta; ut qui ejus mérita venerámur, fídei constántiam imitémur. Per Dóminum.

Et fit Commemor. sancti Paschalis, Añia. Hic vir. V. Justum. Oratio, ut supra.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

ATHLETA Christi nóbilis
Idóla damnat Géntium,
Deíque amóre sáucius
Vitae perícla déspicit.

Foris revinctus ásperis,
E rupe praeceps vólvitur:
Spinéta vultum láncinant:
Per saxa corpus scinditur.

Dum membra raptant Mártyris,
Languent siti satéllites:
Signo Crucis Venántius
E rupe fontes élicit.

Bellátor o fortíssime,
Qui pérfidis tortóribus
E caute praebes póculum,
Nos rore grátiae irriga.

Sit laus Patri, sit Fílio,
Tibíque, sancte Spíritus:
Da per preces Venántii
Beáta nobis gáudia. Amen.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

VENANTIUS Camers quindecim annos natus, cum christiánae religiónis accusarétur apud Antíochum, qui sub Décio imperatóre Camerino praeerat, in porta civitátis praesidi se óbtulit: quem ille pollicitatiónibus ac terróribus diu tentátum, flagris caedi et vínculis astringi

jussit : sed iis mirabíliter ab Angelo solútus, lampádibus póstea adúritur, atque invérso ore fumo suppósito suspénditur. Ejus constántiam in torméntis demirátus Anastásius Corniculárius, et quod eum ab Angelo íterum solútum, cándida veste supra fumum ambulántẽ vidísset, in Christum crédidit, et a beáto Porphyrio Presbytero cum família baptizátus, paulo post martyrii palmam cum eódem proméruit.

℟. Honéstum fecit illum Dñus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum.—Et dedit.

Lectio v.

AT Venántius praesidi sístitur, et ab eo íterum frustra tentátus ut Christi fidem desércret, in cárcerem conjícitur : quo Attalus praeco mittitur, qui ei dicat, se quoque Christiánum fuísse, et ei nómini proptérea renuntiásse, quod cognovísset, ináne esse fídei comméntum, quo Christiáni praeséntibus se ábdicant ob vanam futurórum spem. Verum nóbilis Christi athléta cállidi hostis insídias non ignórans, diáboli ministrum a se pénitus rejécit. Quare ad praesidem íterum addúcto omnes contúsi sunt dentes, maxillaeque confráctae : atque ita caesus in sterquilínium dejícitur. Sed inde ab Angelo quoque eréptus, rursus stetit ante júdicem : qui, Venántio adhuc loquénte, e tribunáli cécidit, et in ea voce, Verus est Venántii Deus, nostros deos destrúite, exclámans expirávit.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Et voluntáte.

Lectio vi.

QUOD cum praesidi nuntiátum esset, extémplo Venántium leónibus óbjici jussit, qui, naturáli feritáte omíssa, ad ejus se pedes abjecérunt : ínterim ille pópulum Christi fidem edocébat. Quare inde amótus, íterum in cárcerem tráditur. Cumque postrídie praesidi referret Porphyrius, se per visum nóctu pópulos, quos Venántius aqua tingébat, claríssima luce fulgéntes, ipsum vero praesidem obscuríssima calígine opértum vidísse ; praeses ira incénsus, eum íllico cápite plecti ímperat : deínde Venántium per loca

vépribus et cárduis cónsita trahi usque ad vésperam. Is cum semiánimis relíctus esset, mane se íterum praesidi praesentávit, cujus jussu statim e rupe praecipitátur: sed inde étiam divínitus eréptus, dénuo per loca áspera ad mille passus tráhitur : ubi milítibus siti aestuántibus, in próxima conválle, ex lápide, in quo et génuum formam relíquit, sicut étiam nunc in ejus ecclésia vidére licet, crucis signo a Venántio facto, aquae manárunt. Eo miráculo plures permóti in Christum credidérunt, quos omnes praeses eo loci una cum Venántio cápite feríri jussit. Fúlgura et terraemótus eo témpore ita magni fuére, ut praeses aufúgeret: qui paucis tamen post diébus divínam haud valens effúgere justítiam, turpíssimam mortem oppétiit. Christiáni ínterim Venántii et aliórum córpora honorífico loco sepeliérunt, quae Cameríni in ecclésia Venántio dicáta cóndita adhuc sunt.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae et intellectus : et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum.—Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium : Si quis venit ad me, ut in Communi unius Martyris. xxxvi.

AD LAUDES.

Hymnus.

DUM nocte pulsa lúcifer
Diem propínquam núntiat,
Nobis refert Venántius
Lucis beátae múnera.

Nam críminum caligine,
Stygísque noctem dépulit,
Veróque cives lúmine
Divinitátis ímbuit.

Aquis sacri baptísmatis
Lustrávit ille pátriam :
Quos tinxit unda míslites,
In astra misit Mártyres.

Nunc Angelórum párticeps
Adésto votis súpplicum :
Procul repélle crímina,
Tuúmque lumen íngere.

Sit laus Patri, sit Fílio,
Tibíque, sancte Spíritus :
Da per preces Venántii
Beáta nobis gáudia. Amen.

Vesperae a Capitulo de S. Petro Coelestino, cum Commemoratione S. Venantii, et S. Pudentianae Virginis.

DIE XIX. MAII.

In festo sancti Petri Coelestini, Papae et Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontif. lxi. praeter ea quae sequuntur.

Oratio.

DEUS, qui beátum Petrum Coelestínum ad summi Pontificátus ápicem sublimásti ; quique illum humilitáti postpónere docuísti : concéde propítius ; ut ejus exémplo cuncta mundi despícere, et ad promíssa humílibus praemia pervenire felíciter mereámur. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio S. Venantii Mart. Aña. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Deus, qui hunc diem, ut supra. 379.

Postea fit Commemoratio S. Pudentianae Virginis, Aña. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dñus praeparávit in aetérnum.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutáris noster : ut sicut de beátae Pudentiánae Vírginis tuae festivitáte gaudémus; ita piae devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ETRUS, a nómine quo Póntifex est appellátus, Coelestínus dictus, honéstis catholicísque paréntibus Æsérniae in Samnitibus natus, adolescéntiam vix ingréssus, ut ánimum a mundi illécebris custodíret, in solitúdinem secéssit. Ibi contemplatiónibus mentem nútriens, corpus in servitútem rédigens, férream caténam ad nudam carnem adhibébat. Congregatiónem, quae póstea Coelestinórum dicta est, sub régula sancti Benedícti instítuit. Hinc quasi lucérna supra candelábrum pósita, cum abscóndi nequíret, (Romána Ecclésia diu viduáta pastóre) in Petri cáthedram ignórans et absens adscítus, magna novitátis admiratióne non minus quam repentíno gáudio cunctos affécit. Cum autem in pontificátus sublimitáte collocátus, váriis disténtus curis, assuétis incúmbere meditatiónibus vix posse cognósceret, óneri páriter et honóri voluntárie cessit. Indéque priscam vitae ratiónem répetens, obdormívit in Dómino : ejúsque pretiósam mortem crux praefúlgens in áere

ante cubículi óstium réddidit ámplius glorióſam. Miráculis multis tam vivens, quam post óbitum cláruit : quibus rite examinátis, Clemens. quintus, anno postquam decéssit undécimo, Sanctórum número adscrípsit.

℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus enim.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papae.

Lib. 10. *c.* xvi. *in. c.* xii. *Job.*

Lectio v.

DERIDETUR justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est, cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre; quae falsa sunt, vera osténdere; quae vera sunt, falsa demonstráre. Haec nimírum prudéntia usu a púeris prétio díscitur : hanc qui sciunt, caeteros despiciéndo supérbiunt : hanc qui nésciunt, subjécti et tímidi in áliis mirántur : quia ab eis haec éadem duplicitátis iníquitas nómine palliáta dilígitur, dum mentis perversitas urbánitas vocátur. Haec sibi obsequéntibus praecípit honórum cúlmina quaerere, adépta temporális glóriae vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplícius réddere : cum vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere : cum virtútis possibílitas deest, quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

℣. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus enim.

Lectio vi.

ATcontra, sapiéntia justórum est : nil per ostensiónem fíngere, sensum verbis aperíre, vera ut sunt dilígere, falsa devitáre, bona gratis exhibére, mala libéntius toleráre, quam fácere : nullam injúriae ultiónem quaerere, pro veritáte contuméliã lucrum putáre. Sed haec justórum simplícitas deridétur : quia ab hujus mundi sapiéntibus, puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim quod innocénter ágitur, ab eis proculdúbio stultum putátur : et quidquid in ópere véritas ápprobat, carnáli sapiéntiae fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur mundo, quam mentem verbis osténdere, nil cállida machinatióne simuláre, nullas injúriis contumélias réddere, pro

maledicéntibus oráre, paupertátẽ quaerere, posséssa relínquere, rapiénti non resístere, percutiénti álteram maxíllam praebére?

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xix. *d.*

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua. Homília venerábilis Bedae Presbyteri.

Hom. in natali S. Benedicti.

PERFECTUS ille est, qui ábiens vendit ómnia quae habet, et dat paupéribus, ac véniens séquitur Christum: habébit enim thesáurum non deficiéntem in coelis. Unde bene interrogánte Petro, dixit tálibus Jesus: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suae, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. In hac quippe vita pro ejus nómine laborántes, inália praemium speráre dócuit: id est, in regeneratióne; cum vidélicet in vitam immortálem fuérimus resurgéndo regenerâti, qui in vitam cadúcam mortáliter erámus géniti.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio viii.

ET justa prorsus retribútio, ut qui hic pro Christo humánae glóriam celsitúdinis neglexérunt, illic a Christo júdices glorificáti singuláriter cum eo assídeant, qui a sequéndis ejus vestígiis nulla ratióne póterant avélli. Nemo autem putet, duódecim tantum Apóstolos, quia pro Juda praevaricánte Mathías eléctus est, tunc esse judicatúros: sicut nec duódecim solae sunt tribus Israël judicándae: alióquin tribus Levi, quae tertiadécima est, injudicáta recédet.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris: * Et

vos símiles homínibus expectántibus Dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

Pro S. Pudentiana, Virgine.

Lectio ix.

PUDENTIANA virgo, Pudéntis Románi fília, paréntibus orbáta, cum admirábili pietáte christiánam religiónem cóleret, una cum soróre Praxéde pecúniam ex véndito património redáctam paupéribus distríbuit, seque jejúniis et oratiónibus dedit. Cujus étiam ópera tota ejus família, in qua erant nonagínta sex hómines, a Pio Pontífice baptizáta est. Quod autem ab Antonino imperatóre sanctum erat, ne Christiáni públice sacrifícia fácerent, Pius Póntifex in aedibus Púdentiánae cum Christiánis sacra celebrábat. Quibus illa benígne accéptis, quae ad vitam necessária essent, suppeditábat. Itaque in his christiánae pietátis offíciis migrávit e vita, et in sepúlchro patris ad coemetérium Priscíllae via Salária sepúlta est, decimoquárto Kaléndas Júnii.

Te Deum laudámus. 17.

Si hoc festum contingat transferri, nona Lectio dicitur ut sequitur.

Lectio ix.

ET Paulus, qui tértiusdécimus est Apóstolus, judicándi sorte privábitur, cum ipse dicat: Nescítis quóniam Angelos judicábimus, quanto magis saeculária? Sciéndum namque est, omnes qui ad exémplũ Apostolórum sua reliquérunt ómnia, et secúti sunt Christum, júdices cum eo ventúros, sicut étiam omne mortálium genus esse judicándum. Quia enim duodenário saepe número solet in Scriptúris univérsitas designári, per duódecim sedes Apostolórum, ómnium numerósitas judicántium, et per duódecim tribus Israël, univérsitas eórum, qui judicándi sunt, osténditur.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Commemor. S. Pudentianae Virginis, Ańa. Símile est regnum coelórum hómini negotiatóri quaeránti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Oratio. Exáudi. 382.

In secundis Vesperis, ad Magnificat, Ańa. Dum esset

summus Póntifex. lxxiv. cum Commemor. S. Bernardini.

DIE XX. MAII.

In festo S. Bernardini Senensis, Conf. Semid.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea quae sequuntur.

Ańa. Similábo eum viro sapiénti, qui aedificávit domum suam supra petram. ℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Oratio.

DOMINE Jesu, qui beáto Bernardíno Confessóri tuo exímium sancti nóminis tui amórem tribuísti: ejus, quaesumus, méritis et intercessióne, Spíritum nobis tuae dilectiónis benígnus infúnde: Qui vivis.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BERNARDINUS Albizésca, nóbili Senénsi família ortus, ab ineúnte aetáte non obscúra sanctitátis dedit indícia; nam a piis paréntibus honéste educátus, negléctis puerílibus ludis, inter prima grammáticae stúdia pietátis opéribus ánimum inténdit, jejúniis, oratióni, et beatíssimae Vírginis cúltui praecípue addictus. Misericórdia vero in páuperes fuit insígni: quae quidem ómnia procedénte témpore quo mélius posset excólere, eórum número abscríbi vóluit, qui Senis in hospitáli domo beátae Maríae de Scala Deo insérviunt, unde complúres sanctitáte célebres viri prodiérunt. Ibi córporis afflictatióne, et aegrotántium cura, dum atrox pestiléntia grassarétur, incredíbili charitáte sese exércuit. Inter caeteras autem virtútes, castitátem, egrégia forma repugnánte, sanctíssime custodívit, ádeo ut eo praesénte nemo unquam, ne impudentíssimus quidem, verbum minus honéstum proférre audéret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio v.

GRAVI morbo tentátus, eóque ad quátuor menses patientíssime toleráto, demum incólumis, de religiósae vitae institúto capesséndo deliberáre coepit; quo ut sibi viam munírет, aedículam in extréma urbe condúxit; in quam

cum sese abdidísset, aspérrimam omni ex parte vitam trahébat, Deum assídue orans, ut quid sibi sequéndum esset, osténderet. Quare divínitus factum est, ut beáti Francísci órdinem prae caeteris optáret, in quo humilitáte, patiéntia, alíisque religiósi hóminis virtútibus excélluit. Id cum coenóbii rector animadvérteret, jamque ántea Bernardíni doctrínam, et sacrárum Litterárum perítiam perspéctam habéret, praedicándi onus eídem impósuit : quo humíllime suscépto, cum se minus idóneum agnósceret ob vocis exilitátem ac raucitátem, Dei ope imploráta, non sine miráculo ejúsmodi impedimento liberátus est.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

QUMQUE ea témpora vítiis criminibúsque redundárent, et cruéntis factiónibus in Itália, divína humánaque ómnia permíxta essent, Bernardínus urbes atque óppida concúrsans, in nómine Jesu, quem semper in ore et in péctore gerébat, collápsam pietátem, morésque, verbo et exémplo, magna ex parte restítuit : quo factum est, ut praeclárae civitátes eum sibi Epíscopum a summo Pontífice postulárent : quod ille munus invícta humilitáte constantíssime rejécit. Dénique vir Dei imménsis labóribus exháustus, multis magnísque éditis miráculis, libris étiam pie doctéque conscríptis, cum vixísset annos sex ac sexagínta, in urbe Aquila in Vestínis beáto fine quiévit. Quem novis in dies coruscántem signis, anno post óbitum sexto, Nicoláus quintus Póntifex máximus in Sanctórum número rétulit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiē meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coelestia regna.— Quia te vidi justum. Glória Patri. Quia te vidi justum.

In tertio Noćturno, Homília sancti Hieronymi Presbyteri in Evangélium : Ecce nos relíquimus ómnia, de Communi Abbatum. ci.

DIE XXV. MAII.

In festo S. Gregorii VII., Papae et Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi.

Oratio.

DEUS, in te sperántiũ fortitúdo, qui beátum Gregórium Confessórẽ tuum atque Pontíficem, pro tuénda Ecclésiae libertáte virtúte constántiae roborásti : da nobis ejus exémplo, et intercessióne, ómnia adversántia fórtiter superáre. Per Dóminum.

Deinde fit Commemor. S. Urbani Papae et Mart., Añia. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórũ non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

DA, quaesumus omnípotens Deus : ut qui beáti Urbáni Mártyris tui atque Pontíficis solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

GREGORIUS Papa séptimus, ántea Hildebrándus, Suánae in Etrúria natus, doctrína, sanctitáte, omníque virtútum génere cum primis nóbilis, mirífice univérsam Dei illustrávit Ecclésiam. Cum párvulus ad fabri ligna edolántis pedes, jam litterárum inscius, lúderet, ex rejéctis tamen segméntis illa Davídici eleménta oráculi : Dominábitur a mari usque ad mare : casu formásse narrátur, manum púeri ductánte Número, quo significarétur, ejus fore amplíssimam in mundo auctoritátem. Romam deínde profléctus sub protectióne sancti Petri educátus est. Júvenis Ecclésiae libertátẽ a láicis oppréssam, ac depravátos Ecclesiasticórum mores veheméntius dolens, in Cluniacénsi monastério, ubi sub régula sancti Benedícti austerióris vitae observántia eo témpore máxime vigébat, mónachi hábitum induens, tanto pietátis ardóre divínae Majestáti deserviébat, ut a sanctis ejúsdem coenóbii pátribus prior sit eléctus. Sed divína providéntia majóra de eo disponénte, in salútem plurimórum Cluníaco edúctus Hildebrándus, Abbas primum monastérii sancti Pauli extra muros Urbis eléctus, ac póstmodum Románae Ecclésiae Cardinális creátus, sub summis Pontifícibus, Leóne nono, Victóre se-

cúndo, Stéphano nono, Nicoláo secúndo, et Alexándro secúndo praecípuis munéribus, et legatiónibus perfúnctus est, sanctíssimi, et puríssimi consílii vir a beáto Petro Dámiáno nuncupátus. A Victóre Papa secúndo legátus a látere in Gálliam missus, Lugdúni Epíscopum simoníaca labe infréctum ad sui crímiis confessiónem miráculo adégit. Berengárium in concílio Turonénsi ad iterátam haeresis abjuratiónem cómpulit. Cadáloi quoque schisma sua virtúte compréssit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : ℣. Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.— Manus enim mea.

Lectio v.

QORTUO Alexándro secúndo, invítus et moerens, unánimi ómnium consénsu, décimo Kaléndas Maii, anno Christi millésimo septuagésimo tértio, summus Póntifex eléctus, sicut sol effúlsit in domo Dei ; nam potens ópere et sermóne, ecclesiásticae disciplínae reparándae, fídei propagándae, libertáti Ecclésiae restituéndae, extirpándis errorĭbus, et corruptélis tanto stúdio incúbuit, ut ex Apostolórum aetáte nullus Pontíficum fuísse tradátur, qui majóres pro Ecclésia Dei labóres, molestiásque pertúlerit, aut qui pro ejus libertáte ácrius pugnáverit. Aliquot províncias a simoníaca labe expurgávit. Contra Henríci imperatóris ímpios conátus fortis per ómnia athléta impávidus permánsit, seque pro muro dómui Israël pónere non tímuit, ac eúmdem Henrícum in profúndum malórum prolápsum, fidélium communióne, regnóque privávit, atque súbditos pópulos fide ei data liberávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : ℣. Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.— Manus enim mea.

Lectio vi.

DUM Missárum solémnia perágeret, visa est viris piis colúmba e coelo delápsa húmero ejus dextro ínsidens, alis extensis caput ejus veláre, quo significátum est, Spíritus sancti afflátu, non humánae prudéntiae ratiónibus ipsum duci in Ecclésiae regímine. Cum ab iníqui Henríci exércitu Romae

gravi obsidióne premerétur, excitátum ab hóstibus incéndium signo crucis extínxit. De ejus manu tandem a Robérto Guiscárdo duce Northmánno eréptus, Cassínum se cóntulit; atque inde Salérnum ad dedicándam ecclésiam sancti Matthaei Apóstoli conténdit. Cum aliquándo in ea civitáte sermónem habuísset ad pópulum, aerúmnis confléctus in morbum incidit, quo se interitúrum praescívit. Postréma moriéntis Gregórii verba fuére: Diléxi justítiam, et odívi iniquitátem, proptérea mórior in exílio. Innumerabília sunt, quae vel fórtiter sustínuit, vel multis coáctis in Urbe synodis sapiénter constítuit, vir vere sanctus, críminum vindex, et acérrimus Ecclésiae defénsor. Exáctis ítaque in pontificátu annis duódecim, migrávit in coelum anno salútis millésimo octogésimo quinto, plúribus in vita, et post mortem miráculis clarus, ejúsque sacrum corpus in cathedráli basílica Salernitána est honorífice cónditum.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Nocturno, Homilia S. Hilarii Episcopi in Evangelium: Vigiláte quia nescítis, in eodem Communi. lxxxv.

Pro S. Urbano, Papa et Martyre.

Lectio ix.

URBANUS Románus, Alexándro Severo imperatóre, doctrína et vitae sanctitáte multos ad Christi fidem convértit: in illis Valeriánum, beátae Caecíliae sponsum, et Tibúrtium Valeriáni fratrem; qui póstea martyrium forti ánimo subiérunt. Hic de bonis Ecclésiae attribútis scripsit his verbis: Ipsae res fidélium, quae Dómino offerúntur, non debent in álios usus, quam ecclesiásticos et christianórum fratrum, vel indigéntium, convérti: quia vota sunt fidélium, et prétia peccatórum, ac patrimónia páuperum. Sedit annos sex, menses septem, dies quátuor: ac martyrio coronátus, sepúltus est in coemetério Praetextáti, octávo Kaléndas Júnii. Ordinatiónibus quinque hábitis mense Decémbri, creávit Presbyteros novem, Diáconos quinque,

Epíscopos per divérsa loca octo.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Commem. S. Urbani Papae et Martyris, Añа. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Da, quaesumus, ut supra. 388.

Vesperae a Capitulo de S. Philippo Nerio Confess. cum Commem. S. Gregorii Papae Conf. ac S. Eleutherii Papae et Martyris.

DIE XXVI. MAII.

In festo S. Philippi Nerii. Confess. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea quae hic assignantur.

Oratio.

DEUS, qui beátum Philíppum Confessórem tuum Sanctórum tuórum glória sublimásti : concéde propítius; ut cujus solemnitáte laetámur, ejus virtútu proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Deinde fit Commemor. S. Gregorii VII., Añа. Dum esset summus Póntifex, terréna non métuit, sed ad coeléstia regna gloriósus migrávit.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio ut supra. 388.

Postea S. Eleutherii Papae et Martyris, Añа. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice, omnípotens Deus : et quia pondus própriae actiónis gravat, beáti Eleuthérii Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum nostrum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PHILIPPUS Nérius, piis honestísque paréntibus Floréntiae natus, ab ipsa ineúnte aetáte non obscúra dedit futúrae sanctitátis indícia. Adolescens, ampla pátrui haereditáte dimíssa, Romam se cóntulit; ubi philosophía ac sacris lítteris erudítus, totum se Christo dicávit. Ea fuit

abstinéntia, ut saepe jejúnus tríduum permánserit. Vigíliis et oratiónibus inténtus, septem Urbis ecclésias frequénter vísitans, apud coemetérium Callísti in coeléstium rerum contemplatióne pernoctáre consuévit. Sacérdos ex obediéntia fáctus, in animárum salúte procuránda totus fuit; et in confessiónibus audiéndis ad extrémum usque diem persevérans, innúmeros pene fílios Christo péperit: quos verbi Dei quotidiáno pábulo, Sacramentórum frequéntia, oratiónis assiduitáte, aliísque piis exercitatiónibus enutríri cúpiens, Oratórii congregatiónem instítuit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio v.

CHARITATE Dei vulnerátus languébat júgiter, tantóque cor ejus aestuábat ardóre, ut cum intra fines suos continéri non posset, illíus sinum, confráctis atque elátis duábus cóstulis, mirabíliter Dóminus ampliáverit. Sacrum vero fáciens, aut fervéntius orans, in áera quandóque sublátus, mira úndique luce fulgére visus fuit. Egénos et páuperes omni charitátis offício prosequebátur: dignus, qui et Angelo in spécie páuperis eleemósynam erogáret; et dum egéntibus noctu panem deférret, in fóveam lapsus, inde páriter ab Angelo incólumis eriperétur. Humilitáti addíctus, ab honóribus semper abhórruit, atque ecclesiásticas dignitátes, étiam primárias, non semel ultro delátas, constantíssime recusávit.

℟. Amávit eum Dñus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

PROPHETIAE dono fuit illústris, et in animórum sénsibus penetrándis mirífice enítuit. Virginitátem perpétuo illibátam servávit: idque assecútus est, ut eos, qui puritátem cólerent, ex odóre, qui vero secus, ex foetóre dignósceret. Abséntibus intérdum appáruit, iísque periclitántibus opem tulit. Ægrótos plúrimos et morti próximos sanitáti restítuit. Mórtuum quoque ad vitam revocávit. Coeléstium spirítuum, et ipsíus Deíparae Vírginis, frequénter fuit apparitióne

dignátus; ac plurimórum ánimas splendóre circumfúsas in coelum conscéndere vidit. Deníque anno salútis millésimo quingentésimo nonagésimo quinto, octávo Kaléndas Júnias, in quem diem incíderat festum Córporis Christi, sacro máxima spíritus exultatióne perácto, caeterísque functiónibus explétis, post médiam noctem, qua praedíxerat hora, octogenárius obdormívit in Dómino. Quem Gregórius decimusquintus miráculis clarum in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam:* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium: Sint lumbi vestri praecíncti, ut in Communi Confessoris non Pontificis, xcii.

Pro S. Eleutherio, Papa et Martyre.

Lectio ix.

SELEUTHERIUS, Nicópoli in Graecia natus, Aniceti Pontíficis Diáconus, Cómmodo imperatóre praefuit Ecclésiae. Huic inítio Pontificátus súpplices lítterae venérunt a Lúcio Britannórum rege, ut se ac suos in Christianórum númerum reciperet. Quamóbrem Fugátium et Damiánum, doctos et pios viros, misit in Británniam, per quos rex et réliqui fidem suscíperent. Hoc Pontífice, Irenaeus Polycárpi discípulus Romam véniens, ab eo benígne accéptus est. Quo témpore summa pace et quiéte fruebátur Ecclésia Dei: ac per totum orbem terrárum, máxime Romae, fides propagabátur. Vixit Eleuthérius in Pontificátu annos quíndecim, dies vigínti tres. Fecit ordinatiónes tres mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros duódecim, Diáconos octo, Epíscopos per divérsa loca quíndecim: sepultúsque est in Vaticáno prope corpus sancti Petri.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Commemoratio S. Eleutherii, Añia. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Infirmitátem. 391.

In secundis Vesperis, fit Commemoratio S. Mariae Magdalenae, ac S. Joannis Papae et Martyris.

DIE XXVII. MAII.

In festo S. Mariae Magdalenae de Pazzis, Virginis.

Semiduplex.

Sed in Italia Insulisque adjacentibus Duplex.

Omnia de Communi Virginum. ciii. praeter ea quae hic ponuntur propria.

Oratio.

DEUS virginitátis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginẽ tuo amóre succénsã, coelestibus donis decorásti : da, ut quam festíva celebritáte venerámur, puritáte et charitáte imitémur. Per Dñum.

Deinde fit Commemorat. S. Joannis Papae et Martyris, Añia. Iste sanctus. ℣. Glória et honóre. 391.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Joánnis Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte laetíficas: concéde propítius ; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MARIA Magdaléna illustrióri Pazziórum génere Florentiae nata, fere ab incunábulis iter perfectiónis arrípuit. Decénnis perpétuam virginitátem vovit, susceptóque hábitu in monastério sanctae Maríae Angelórum órdinis Carmelitárum, se ómnium virtútũ exémplar exhíbuit. Adeo casta fuit, ut quidquid puritátem laedere potest, pénitus ignoráverit. Quinquénnium, Deo jubénte, solo pane et aqua transégit, excéptis diébus Domínicis, quibus cibis quadragesimálibus vescebátur. Corpus suum cilício, flagéllis, frígore, inédia, vigíliis, nuditáte, atque omni poenárum génere cruciábat.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Et.

Lectio v.

TANTO igne divíni amóris aestuábat, ut ei feréndo impar, ingésta aqua pectus refrigeráre cogerétur. Extra sensus frequénter rapta, diutúrnas et admirábiles éxtases passa est, in quibus et arcána coeléstia penetrávit, et exímiis a Deo grátiis illustráta fuit. His autem munita longum certámen a princípibus tenebrárum sustínuit, árida, desoláta, ab ómnibus derelícta, variísque tentatiónibus vexáta ; Deo sic

permitténte, ut invíctae patiéntiae, ac profundíssimae humilitátis exémplar praebéret.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti, iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea unxit.

Lectio vi.

CHARITATE erga próximum singulariter enítuit : nam saepe noctes ducébat insómnes, vel obeúndis sorórum ministériis, vel inserviéndo infírmis occupáta, quarum aliquándo úlcera lambens sanávit. Infidélium et peccatórum perditióne amáre deflens, se ad quaelibet pro illórum salúte torménta parátam offerébat. Multis ante óbitum annis, univérsis coeli delíciis, quibus copióse affluébat, heróica virtúte renúntians, illud frequénter in ore habébat : Pati, non mori. Tandem longa et gravíssima infirmitáte exháusta, transívit ad Sponsum die vigésima quinta Maii, anno millésimo sexcentésimo séptimo, expléto anno quadragésimo primo aetátis suae. Eam multis in vita et post mortem miráculis claram, Clemens nonus sanctárum Vírginum número adscrípsit : cujus corpus in praeséntem diem incorrúptum conservátur.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximae ejus, * Afferéntur tibi in laetítia et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium : Símile erit regnum coelórum decem virgínibus, ut in Communi Vírginum. cxv.

Pro S. Joanne, Papa et Martyre.

Lectio ix.



OANNES Etrúscus, Justíno senióre imperatóre rexit Ecclésiam : ad quem profféctus est Constantinópolim auxílii causa, quod Theodorícus rex haeréticus divexábat Itáliam : cujus étiam iter Deus miráculis illustrávit. Nam cum ei nóbilis vir ad Corínthum equum, quo ejus uxor mansuéto utebátur, itíneris causa commodásset ; factum est, ut dómino póstea remíssus equus ita ferox eváderet, ut frémitu et totíus córporis agitatióne semper deínceps dóminam expúlerit : tamquam indignarétur muliérem recípere, ex quo sedísset in eo Jesu Christi Vicárius. Quamóbrem illi

equum Pontífici donavérunt. Sed illud majus miráculum, quod Constantinópoli in áditu portae áureae, inspectánte frequentíssimo pópulo, qui una cum imperatóre Pontífici honóris causa occúrrerat, caeco lumen restítuit. Ad cujus pedes prostrátus étiam imperátor, eum venerátus est. Rebus cum imperatóre compósitis, in Itáliam rédiit, statímque epístolam scripsit ad omnes Itáliae Epíscopos, jubens eos Arianórum ecclésias ad cathólicum ritum consecráre, illud subjúngens : Quia et nos quando fúimus Constantinópoli, tam pro religióne cathólica, quam pro regis Theodoríci causa, quascúmque illis in pártibus eórum ecclésias reperíre potúimus, cathólicas eas consecrávimus. Quod iniquíssimo ánimo ferens Theodorícus, dolo accersítum Pontíficem Ravénnam in cárcerem conjécit : ubi squalóre inediáque afflíctus, paucis diébus cessit e vita, cum sedísset annos duos, menses novem, dies quatuórdecim : ordinátis eo témpore Epíscopis quíndecim. Paulo post móritur Theodorícus : quem quidam eremíta, ut scribit sanctus Gregórius, vidit inter Joánnem Pontíficem, et Symmachum patrícium, quem idem occíderat, demérgi in ignem Liparitánũ : ut vidélicet illi, quibus mortem attúlerat, tamquam júdices essent ejus intéritus. Joánnis corpus Ravénna Romam portátum est, et in basílica sancti Petri sepúltum.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Commemoratio S. Joannis Papae Martyris, Aña. Qui odit. V. Justus ut palma. 393.

Oratio ut supra. 394.

DIE XXX. MAII.

S. Felicis, Papae et Mart.

Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice omnípotens Deus : et quia pondus própriae actiónis gravat, beáti Felícis Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Lectio iii.

FELIX Románus, patre Constántio, Aureliáno imperatóre praefuit Ecclésiae. Constítuit ut Missa supra memórias et sepúlchra Mártyrum celebrarétur. Qui cum mense Decémbri habuísset ordinatiónes duas, et creásset Presbyteros novem, Diáconos quinque, Epíscopos per divérsa loca quinque, martyrio coronátus, via

Aurélia sepelítur in basílica, quam a se aedificátam dedicárat. Vixit in pontificátu annos duos, menses quátuor, dies vigínti novem. Te Deum laudámus. 17.

DIE XXXI. MAII.

In festo
sanctae Angelae Mericiae,
Virginis. Duplex.

Omnia de Communi Virginum. ciii. praeter sequent.

Oratio.

DEUS, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti : da nobis ejus intercessióne angélicis móribus vívere ; ut terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur aetérnis. Per Dóminum.

Deinde fit Commemor. S. Petronillae Virginis, Aña. Símile est regnum coelórum hómini negotiatóri quaerénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutáris noster : ut sicut de beátae Petronillae Vírginis tuae festivitáte gaudémus ; ita piae devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANGELA Mericia Decentiáni, Veronénsis dioecésis óppido, ad lacum Benácum in ditióne Véneta piis orta paréntibus, a prima aetáte virginitátis lílium, quod perpétuo serváre statúerat, sédula sepsit. Ab omni muliébri ornátu abhórrens egrégiam vultus formam, pulchrámque caesáriem studióse foedávit, ut coelésti dumtáxat animárum Sponso placéret. In ipso autem adolescéntiae flore paréntibus orbáta, austerióris vitae desidério in desértum locum aufúgere tentávit : sed ab avúnculo prohíbita novit praestáre domi, quod in solitúdine non lícuit. Cilício ac flagéllis frequénter usa ; carnem nonnísi infírma valetúdine ; vinum in Nativitátis et Resurrectiónis Dominicae tantum celebritáte, complúres vero dies nihil omníno degustávit. Oratióni dédita brevíssimum humi carpébat somnum : daemonem vero sub lucéntis ángeli forma sibi illúdere conántem agnóvit prótinus, et conjécit in fugam.

Tandem patérnis bonis abdicátis, et hábitum ac régulam Tértii órdinis sancti Francísci ampléxa, evangélicam paupertátem virginitátis laudi conjúnxit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Et dedúcet.

Lectio v.

NULLUM pietátis offícium erga próximos omíttens, paupéribus, quidquid sibi ex mendicáto victu superésset, largiebátur ; líbenter ministrábat aegrótis, plúraque cum magna sanctitátis fama peragrávit loca, ut vel solátio esset afflíctis, vel eis véniam impetráret, vel infénsos ínvicem reconciliáret ánimos, vel e vitiórum coeno scelésTos revocáret. Angelórum pane, quem únice esuriébat, frequentíssime refécta, tanta charitátis vi ferebátur in Deum, ut saepius extra sensus raperétur. Sacra Palaestínae loca summa cum religióne obívit, quo in itínere et visum, quem ad Cydónias appúlsa oras amíserat, eódem regréssa recuperávit, et barbarórum captivitátem ac naufrágium ímminens divínitus evásit. Romam dénique firmam Ecclésiae petram veneratúra, et amplíssimae jubilaei véniae percúpida, sedénte Clemente séptimo accéssit ; quam summus Póntifex allocútus, ejúsdem sanctimóniam suspéxit, et commendávit summópere ; nec ab Urbe ipsam abíre ante permísit, quam álio coelitus vocátam agnóvit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi.

BRIXIAM itaque, ubi domum ad sanctae Aphrae templum condúxit, revérsa, novam ibi Vírginum societátem, sicut coelésti voce ac visióne mandátum sibi fúerat, sub certa disciplína, sanctísque vivéndi régulis constítuit, quam sanctae Ursulae invíctae Vírginum ducis patrocínio ac nómine insignívit : eam vero perénnem futúram morti próxima praedíxit. Tandem prope septuagenária, dives méritis evolávit in coelum sexto Kaléndas Februárii anni millésimi quingentésimi et quadragésimi, cujus cadáver per ipsos trigínta dies inhumátum, flexíbile, ac vivo simíllimũ perseverávit. Demum

in sanctae Aphrae templo inter caeteras, quibus illud abúndat, Sanctórum relíquias repósito, plúrima ad ejus sepúlchrum agi statim coepére mirácula : quorum fama late diffúsa, non Brixiae modo, et Decentiáni, sed álibi étiam vulgo coepit nuncupári Beáta, ejúsque imágo aris impóni ; imo sanctus ipse Cárolus Borromaeus non multis post annis dignam, quae ab apostólica sede in sanctárum Vírginum album referrétur, Brixiae palam asséruit. Cultum vero illi jámdiu a pópulis exhíbitum, et tum locórum ordináriis probátum, tum plúribus étiam summórum Pontíficum indúltis munítum, Clemens Papa decimustértius solémni decréto ratum hábuit, ac confirmávit. Eam tandem, novis miráculis rite probátis insígnē, Pius Papa séptimus solémni canonizatióne in Vaticána basílica perácta, die vigésima quarta Maii anno millésimo octingentésimo séptimo, sanctárum Vírginum catálogo adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximae ejus, * Afferéntur tibi in laetítia, et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Afferéntur. Glória. Afferéntur.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii, Papae in Evangelium : **Símile erit regnum cœlórum** de Communi. cxv.

In Laudibus pro Commemoratione S. Petronillae, Virginis, Aña. **Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum.**

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio. Exaúdi, ut supra. 397.

FERIA SEXTA
POST OCTAVAM SS. CORPORIS CHRISTI.

Festum sacratissimi Cordis D. N. J. C. Duplex.

Vesperae dicuntur de Octava SS. Corporis Christi sine ulla Commemoratione.

Sed si Officium sacratissimi Cordis Jesu transferri contingat, tunc omnia fiant ut sequitur.

AD VESPERAS.

Aña. **Díscite a me,** cum reliquis de Laudibus. 405. Psalmus. Dixit Dñus, cum reliquis ut in Vesperis festi SS. Corporis Christi. 183.

Capitulum. *Isaiae* xii.

ECCE Deus Salvátor meus, fiduciáliter agam, et non timébo : quia fortitúdo mea et laus mea

Dóminus, et factus est mihi in salútem. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris.

Hymnus.

AUCTOR beáte saeculi,
Christe Redémptor ómnium,
Lumen Patris de lúmine,
Deúsque verus de Deo.
Amor coégit te tuus
Mortále corpus súmere,
Ut novus Adam rédderes,
Quod vetus ille abstúlerat.
Ille amor almus ártifex
Terrae, marísque, et síderum,
Erráta Patrum míserans,
Et nostra rumpens víncula.
Non corde discédat tuo
Vis illa amóris ínclyti;
Hoc fonte Gentes háuriant
Remissiónis grátiam.
Percússum ad hoc est láncea,
Passúmque ad hoc est vúlnera,
Ut nos laváret sórdibus
Unda fluénte et sánguine.
Decus Parénti, et Fílio,
Sanctóque sit Spirítui,
Quibus potéstas, glória,
Regnúmque in omne est saeculum. Amen.

℣. Ignem veni míttere in terram. ℟. Et quid volo, nisi ut accendátur?

Ad Magnificat, Antiphona. Impropérium expectávit cor meum et misériam: et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit; et qui consolarétur, et non invéni.

Oratio.

CONCEDE quaesumus omnípotens Deus: ut qui in sanctíssimo dilécti Fílii tui Corde gloriántes, praecípua in nos charitátis ejus benefícia recólimus, eórum páriter et actu delectémur, et fructu. Per eúmdem Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum pro nobis passum: * Veníte, adorémus. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

EN, ut supérba crímínum,
Et saeva nostrórum cohors
Cor sauciávit ínnocens
Meréntis haud tale Dei!
Vibrántis hastam mílitis
Peccáta nostra dírigunt;
Ferrúmque dirae cúspidis
Mortále crimen ácuit.
Ex corde scisso Ecclésia
Christo jugáta náscitur:
Hoc óstium Arcae in látere est
Genti ad salútem pósitum.
Ex hoc perénnis grátia,
Ceu septifórmis flúvius:
Stolas ut illic sórdidas
Lavémus Agni in sánguine.
Turpe est redíre ad crímina,
Quae cor beátum lácerent;
Sed aemulémus córdibus
Flammas amóris índices.

Hoc, Christe nobis, hoc Pater,
Hoc sancte dona Spíritus,
Quibus potéstas, glória,
Regnúmque in omne est saeculum. Amen.

In primo Nocturno.

Ańa. Quid est homo quia magníficas eum, aut quid appónis erga eum cor tuum? Psalmus. Dómine Dóminus noster, cum reliquis ut in festis B. M. Virginis. clxi.

Ańa. Meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Ańa. Elevámini portae aeternáles, et introíbit Rex glóriae.

℣. Dómine, dabis pacem nobis. ℟. Omnia enim ópera nostra operátus es nobis.

De Isaía Prophéta.

Lectio i. *Cap.* xii.

CONFITEBOR tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi : convérsus est furor tuus, et consolátus es me. Ecce Deus Salvátor meus ; fiduciáliter agam, et non timébo : quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris. Et dicétis in die illa: Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus, mementóte quóniam excélsum est nomen ejus. Cantáte Dómino, quóniam mirífice fecit : annuntiáte hoc in univérsa terra. Exúlta et lauda habitátio Sion, quia magnus in médio tui Sanctus Israël.

℟. Ego sum panis vitae: Patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt : * Hic est panis de coelo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de coelo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in aetérnum.—Hic est.

Lectio ii. *Cap.* xxvi.

IN die illa cantábitur cánticum istud in terra Juda : Urbs fortitúdinis nostrae Sion, Salvátor ponétur in ea murus, et antemurále. Aperíte portas, et ingrediátur gens justa, custódiens veritátem. Vetus error ábiit, servábis pacem, pacem, quia in te sperávimus. Sperástis in Dómino in saeculis aetérnis, in Dño Deo forti in perpétuum. Quia incurvábit habitántes in excélso, civitátem sublímem humiliábit, humiliábit eam usque ad terram.

℟. Ecce vídimus eum non habéntem spéciem, neque decórem : aspéctus ejus in eo non est: hic peccáta nostra portávit, et pro nobis dolet : ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, * Cujus

livóre sanáti sumus. ℣. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit.—Cujus livóre.

Lectio iii.

SEMITA justi recta est, rectus callis justi ad ambulándum ; et in sémita judiciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te. Nomen tuum et memoriále tuum in desidério ánimae. Anima mea desiderávit te in nocte, sed et spíritu meo in praecórdiis meis de mane vigilábo ad te. Cum féceris judícia tua in terra, justítiam discent habitatóres orbis.

℟. Benedíctus Dóminus Deus Israël ; qui facit mirabília magna solus, * Et benedíctum nomen majestátis ejus in aetérnum. ℣. Replébitur majestáte ejus omnis terra, fiat, fiat.—Et benedíctum. Glória Patri. Et benedíctum.

In secundo Nocturno.

Ańa. Afferéntur in laetítia et exultatióne, adducéntur in templum regis.

Antiphona. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Antiphona. Sicut laetántium ómnium habitátio est in te.

℣. Convérsus est furor tuus. ℟. Et consolátus es me.

De Sermóne S. Bernárdi Abbátis.
Serm. iii. *de Passione.*

Lectio iv.

QUIA semel vénimus ad Cor dulcíssimi Jesu, et bonum est nos hic esse, ne sinámus nos fácile avélli ab eo, de quo scriptum est : Recedéntes a te, in terra scribéntur. Quid autem accedéntes ? Tu ipse doces nos. Tu dixísti accedéntibus ad te : Gaudéte, quia nómina vestra scripta sunt in coelo. Accedámus ergo ad te, et exultábimus, et laetábimur in te, mémores Cordis tui. O quam bonum et quam jucúndum habitáre in Corde hoc ! Quin pótius dabo ómnia, omnes cogitatiónes et afféctus mentis commutábo, jactans omne cogitátum meum in Cor Dómini Jesu, et sine fallácia illud me enútriet.

℟. Qui mandúcat meam Carnem, et bibit meum Sánguinem. * In me manet, et ego in eo. ℣. Non estália nátio tam grandis, quae hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis.—In me.

Lectio v.

AD hoc templum, ad haec Sancta Sanctórum, ad hanc Arcam

Testaménti adorábo, et laudábo nomen Dómini, dicens cum David: Invéni cor meum, ut orem Deum meum. Et ego invéni Cor regis, fratris, et amíci benígni Jesu. Et numquid non adorábo? Hoc ígitur Corde tuo et meo, dulcíssime Jesu, invénto, orábo te Deum meum; admítte tantum in sacrárium exauditiónis tuae preces meas, imo me totum trahe in Cor tuum. O ómnium pulchritúdine speciosíssime Jesu: ámplius lava me ab iniquitáte mea, et a peccáto meo munda me: ut purificátus per te, ad te purissimum possim accédere, et in Corde tuo ómnibus diébus vitae meae mérear habitáre, et ut vidére simul, et fácere tuam váleam voluntátem.

℣. Sicut ovis ad occisiónem ductus est; et dum male tractarétur, non apéruit os suum: tráditus est ad mortem, *Ut vivificáret pópulum suum. ℣. Trádidit in mortem ánimam suam, et inter scelerátos reputátus est.—Ut vivificáret.

Lectio vi.

AD hoc enim perforátum est latus tuum, ut nobis patéscat intróitus. Ad hoc vulnerátum est Cor tuum, ut in illo, et in te ab exterióribus perturbatiónibus absolúti habitáre possímus. Nihilóminus et propterea vulnerátum est, ut per vulnus visíbile, vulnus amóris invisíbile videámus. Quómodo hic ardor mélius osténdi potest, nisi quod non solum Corpus, verum étiam ipsum Cor láncea vulnerári permísit? Carnále ergo vulnus, vulnus spirituále osténdit. Quis illud Cor tam vulnerátum non díligat? Quis tam amans non rédamet? Quis tam castum non amplectátur? Nos ígitur adhuc in córpore manéntes, quantum póssumus amémus, redamémus, amplectámur vulnerátum nostrum, cujus ímpii agrícolae fodérunt manus et pedes, latus, et Cor: stemúsque, ut cor nostrum durum adhuc et impoenitens, amóris sui vínculo constríngere, et jáculo vulneráre dignétur. Quam charitátem Christi patiéntis, et pro géneris humáni redemptióne moriéntis, atque in suae mortis commemoratiónem instituéntis Sacraméntum Córporis, et Sánguinis sui, ut fidéles sub sanctíssimi Cordis symbolo devótius ac fervéntius récolant, ejusdémque fructus ubérius percípiant, Clemens decimustértius Póntifex máximus ejúsdem sanctíssimi Cordis festum, quibúsdam

peténtibus Ecclésiis, celebráre permísit.

℟. Magnus Dóminus et laudábilis nimis : * Et sapiéntiae ejus non est número. ℣. Magnus Dóminus, et magna virtus ejus, et sapiéntiae ejus non est finis.— Et sapiéntiae. Glória Patri. Et sapiéntiae.

In tertio Nocturno.

Ańa. Annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Ańa. Adoráte eum omnes Angeli ejus : audívit, et laetáta est Sion.

Ańa. Vidérunt omnes términi terrae salutáre Dei nostri.

℣. Ex Sion spécies decóris ejus. ℟. Deus noster maniféste véniet.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* xix. xxxi.

IN illo témpore : Judaei, quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora Sábbato (erat enim magnus dies ille Sábbati) rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura, et tolleréntur. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. cxx. *in Joannem.*

UNUS mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis, et aqua. Vigiláti verbo Evangelísta usus est, ut non díceret : Latus ejus percússit, aut vulnerávit, aut quid áliud : sed apéruit; ut illud quodámmodo vitae óstium panderétur, unde Sacraménta manavérunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intrátur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissiónem fusus est peccatórum. Aqua illa salutáre témperat póculum, haec et lavácrum praestat, et potum. Hoc praenuntiábat, quod Noë in látere Arcae óstium fácere jussus est, quo intrárent animália, quae non erant dilúvio perítura, quibus figurabátur Ecclésia.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae et intelléctus.— Et qui mandúcat.

De Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Lectio viii. *Homil.* lxxxiv.

VIDES quanti sit véritas? Per ea quae Judaei fáciunt prophetía implétur ;ália enim ex hoc manifestáta est. Venérunt ergo mílites, et aliórum fregérunt crura, non Christi; sed ad Judaeórum grátiam conciliándam, latus ejus láncea aperuérunt, et mórtuo adhuc insúltant.

O péssimam voluntátem, ac scelestíssimam! Noli tamen perturbári, o dilectíssime: quae enim malo illi ánimo patrárunt, veritáti consentiébant, prophetía hinc impléta est, inquiens: Vidébunt in quem transfixérunt. Neque hoc tantum, sed non credidúris fuit fídei argumentum, ut Thomae, et qui cum eo erant. Ad haec et arcánum mystérium confirmátum est; exívit enim sanguis et aqua. Non casu et simplíciter hi fontes scaturiérunt, sed quóniam ex ambóbus Ecclésia constitúta est.

℟. Recéssit Pastor noster, fons aquae vivae, ad cujus tránsitum sol obscurátus est: * Portas mortis, et seras páriter Salvátor noster disrúpit. ℣. Destrúxit quidem claustra inférni, et subvértit poténtias diáboli. —Portas. Glória Patri. Portas.

De Homília S. Bonaventúrae Epíscopi.
Libro de ligno vitae.

Lectio ix.

Quorro ut de látere Christi dormiéntis formarétur Ecclésia, divína est ordinatióne indúltum, ut unus mílitum láncea latus sacrum illud aperiéndo perfóderet, quátenus sánguine cum aqua manánte prétium effunderétur nostrae salútis, quod a fonte scílicet cordis arcáno profúsum, vim daret sacraméntis Ecclésiae, ad vitam grátiae conferéndam, essétque jam in Christo vivéntibus póculum fontis vivi, saliéntis in vitam aetérnam. Surge ígitur ánima amíca Christi, vigiláre non cesses, ibi os appóne, ut háurias aquas de fóntibus Salvatóris.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Díscite a me, * quia mitis sum, et húmilis corde. Psalm. Dñus regnávit, cum reliquis de Dominica. 18.

2. Sanctificávi locum istum, * ut sit nomen meum ibi in sempitérnum, et permáneant óculi mei, et cor meum ibi cunctis diébus.

3. Et dixi: * Ergo sine causa justificávi cor meum, et lavi inter innocéntes manus meas, et fui flagellátus tota die.

4. Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo, consolatiónes tuae laetificavérunt ánimam meam.

5. Pone me, * ut signáculum super Cor tuum: ut signáculum super bráchium tuum.

Capitulum. *Isaiae* xii.

Ecce Deus Salvátor meus, fiduciáliter agam, et non timébo: quia

fortitúdo mea, et laus mea Dñus, et factus est mihi in salútem. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris.

Hymnus.

COR, Arca legem cóntinens
Non servitútis véteris,
Sed grátiae, sed véniae,
Sed et misericórdiae :
Cor, sanctuárium novi
Intemerátum foederis,
Templum vetústo sánctius,
Velúmque scisso utílius :
Te vulnerátum cháritas
Ictu paténti vóluit
Amóris invisíbilis,
Ut venerémur vúlnera.
Hoc sub amóris symbolo
Passus cruénta, et mystica;
Utrúmque sacrifícium
Christus Sacérdos óbtulit.
Quis non amántem réda-
met ?
Quis non redémptus díligat,
Et corde in isto séligat
Ætérna tabernácula ?
Decus Parénti, et Fílio,
Sanctóque sit Spirítui,
Quibus potéstas, glória,
Regnúmque in omne est
saeculum. Amen.

℣. Vere languóres nostros ipse tulit. ℟. Et dolóres nostros ipse portávit.

Ad Bened. Aña. Vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra : disciplína pacis nostrae super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

Oratio.

CONCEDE quaesumus omnípotens Deus : ut, qui in sanctíssimo dilécti Fílii tui Corde gloriántes, praecípua in nos charitátis ejus benefícia recólimus; eórum páriter et actu delectémur et fructu. Per eúmdem Dóminum.

Ad Primam in ℟. br. ℣. Qui passus es pro nobis. Miserére.

AD TERTIAM.

Aña. Sanctificávi locum istum.

Capitulum. Ecce Deus Salvátor, ut supra. 405.

℟. br. Vere * Languóres nostros ipse tulit. Vere. ℣. Et dolóres nostros ipse portávit. Languóres. Glória Patri. Vere.

℣. Pósuit fines tuos pacem. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

AD SEXTAM.

Aña. Et dixi.

Capitulum. *Isaiae* xii.

DICETIS in illa die : Confitémini Dño, et invocáte nomen ejus : et mementóte quóniam excélsum est nomen ejus.

℟. br. Pósuit * Fines tuos pacem. Pósuit. ℣. Et ádipe fruménti sátiat te. Fines. Glória Patri. Pósuit.

℣. Dirupísti, Dómine, víncula mea. ℟. Tibi sacrificábo hóstiam laudis.

AD NONAM.

Ańa. Pone me.

Capitulum. *Isaiae* xii.

CANTATE Dómino, quóniam mirífice fecit, annuntiáte hoc in univérsa terra. Exúlta et lauda habitátio Sion, quia magnus in médio tui Sanctus Israël.

℟. br. Dirupísti, Dómine, * Víncula mea. Dirupísti. ℣. Tibi sacrificábo hóstiam laudis. Víncula mea. Glória Patri. Dirupísti.

℣. Erit Dóminus nominátus in signum aetérnum. ℟. Quod non auferétur.

In secundis Vesp. omnia ut in primis. 399. praeter sequentia.

℣. Hauriétis aquas in gáudio. ℟. De fóntibus Salvatóris.

Ad Magnificat, Ańa. Ad Jesum autem cum venissent, ut vidérunt eum mórtuum, non fregérunt ejus crura: sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis, et aqua.

Oratio. Concéde quaesumus, ut supra. 406.

FESTA JUNII.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum.

DIE II. JUNII.

SS. Marcellini, Petri, atque Erasmi Martyrum.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beatórum Mártyrum tuórum Marcellíni, Petri, atque Erásmi solemnitáte laetíficas: praesta quaesumus; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Lectio ii.

PETRUS exorcísta, Diocletiáno imperatóre, Romae a Seréno júdice propter christiánae fídei confessiónem missus in cárcerem, Paulínam Artémii, qui cárceri praeerat, fíliam a daemone agitátam, liberávit. Quo facto et paréntes puéllae cum tota família, et vicínos, qui ad rei novitátem concúrrerant, Jesu Christo conciliátos ad Marcellínum Presbyterum addúxit, a quo omnes baptizáti sunt. Quod ubi rescívit Serénus, Petrum et Marcellínum ad se vocátos aspérius objúrgat, et ad verbórum acerbitátem minas ac terróres adjúngit, nisi Christo renúntient. Cui cum Marcellínus christiána libertáte respondéret: pugnis contúsum, et a Petro sejúnctum, nudum inclúdit in cárcerem stratum

vitri fragméntis, sine cibo ac sine lúmine. Petrum item constringi ímperat arctíssimis vínculis. Sed cum utríque ex torméntis fides et ánimus crésceret, constánti confessióne, et abscísso cápite, illústre testimónium Jesu Christo dedérunt.

Lectio iii.

ERASMUS Epíscopus, imperatóribus Diocletiáno et Maximiáno, in Campánia plumbátis et fústibus cæsus, resína quoque, súlphure, plumbo liquefácto, et fervénti pice, cera, oleóque perfúsus, inde tamen ínteger et inviolátus evásit. Quo miráculo multi se ad Christi fidem convertérunt. Verum is íterum detrúsus in cárcerem, constrictus férreis gravissimísque vínculis, inde ab Angelo mirabíliter eréptus est. Deínde Fórmiis a Maximiáno váriis affléctus supplíciis, tunicáque aerea candénti indútus, illa étiam torménta divína virtúte superávit. Dénique plúrimis et in fide confirmátis, et ad fidem convérsis, insígnem martyrii palmam adéptus est.

Te Deum laudámus. 17.

DIE IV. JUNII.

In festo S. Francisci Caracciolo Conf. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui beátum Francíscum novi órdinis institutórem orándi stúdio, et poeniténtiae amóre decorásti: da fámulis tuis in ejus imitatióne ita proffícere, ut semper orántes, et corpus in servitútem redigéntes ad coeléstem glóriam pervenire mereántur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

FRANCISCUS, dictus ántea Ascánius, ex nóbili familia Caracciolo in óppido sanctae Maríae de Villa in Aprútio ortus, a primis annis exímio enítuit pietátis cultu. Adoléscens gráviter aegrótans státuit sese prorsus Dei, proximíque mancipáre servítio. Neápolim profléctus, sacerdótio initiátus, sacróque adscríptus sodalítio, contemplatióni, lucrandísque animábus se totum devóvit, ac extrémo supplício damnátis hortatórem se praebuit assíduum. Cóntigit autem, ut epistólium álteri destinátum ei per errórem redderétur,

quo a piíssimis viris Joánne Augustíno Adórno, et Fabrício Caráccciolo ad novi religiósi institúti fundatiónem vocabátur. Rei novitáte, captus, et divínae voluntátis demírátus consília, álacri ánimo sese illis adjúnxit. Cónditis autem in Camaldulénsium erémo, quo secésserant, novi órdinis légibus, inde Romam simul profécti, confirmatiónem a Sixto quinto impetrárunt, qui eósdem Cléricos Regulares Minóres appellári vóluit áddito ad tria consuéta áltero de non ambiéndis dignitátibus voto.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio v.

SOLEMNI emíssa professióne, ob singulárem ejus in divum Franciscum Assisinátem cultum, Francísci nomen assúmpsit. Adórno biénnio post vita functo, ipse toti religióni, quamquam invítus, praefícitur, quo in múnere virtútum ómnium praeclára praebuit exémpla. Institúti amplificándi studiosíssimus, id assíduis oratiónibus, lácrymis, et jugi córporis maceratióne enixe a Deo postulábat. Quamóbrem tértio in Hispániam se cóntulit peregríni hábitu indútus, victúmque ostiátim mendícans. In itínere aspérrima quaeque perpéssus, Omnipoténtis auxílium mirum in modum expértus, navim, quam conscénderat ab imminénti naufrágio oratiónis praesídio servávit incólumem. Ut in regnis illis voti compos fíeret, plúrimum laborávit ; sed ejus sanctitátis fama praelucénte, amplissimáque catholicórum regum Philíppi secúndi, et Philíppi tértii munificéntia, adversariórũ conátibus singulári ánimi fortitúdine superátis, plura sui órdinis domicília fundávit : quod pari evéntu per Itáliam praestitit.

℟. Amávit eum Dñus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

HUMILITATE ádeo excélluit, ut Romam véniens in páuperum hospítio recéptus se lepróso sociáverit; et eccliesiásticas dignitátes a Paulo quinto sibi oblátas constantíssime recusáverit. Illibátam per-

pétuo servávit virginitátem, effrontésque muíeres ejus castimóniae insidiántes Christo lucrifécit. Erga diviníssimum Eucharistiae mystérium ardénti aestuans amóre, noctes pene íntegras in ejus adoratióne insómnes ducébat: quod pium exercítium, véluti sui órdinis tésseram, in eo perpétuo servándum constítuit. Deíparae Virginis cultum impénse fovit. In próximum exímia exársit charitáte. Prophetíae dono, et córdiũ scrutatióne ditátus fuit. Quadragésimum quartum aetátis suae annum agens, dum in sacra Lauretána aede in oratióne persísteret, sibi vitae finem imminére cognóvit. Aprútium statim defléxit, et in óppido Agnóni apud alúmnos sancti Philíppi Nérii lethali febre corréptus, Sacraméntis Ecclésiae devotíssime suscéptis, prídie Nonas Júnii anni millésimi sexcentésimi octávi, in pervigílio festi Córporis Christi, placidíssime obdormívit in Dómino. Sacrum ejus corpus Neápolim delátum, in ecclésia sanctae Maríae Majóris, ubi prima sui órdinis jécerat fundaménta, honorífice cónditum fuit. Eum póstea miráculis clarum Clemens decimusquártus Póntifex máximus solémni ritu inter Beátos; Pius vero séptimus Póntifex máximus novis fulgéntem signis, anno millésimo octingentésimo séptimo, Sanctórum albo adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Sint lumbi vestri, de Communi Confessoris non Pontificis. xcii.

DIE V. JUNII.

In festo sancti Bonifacii, Episcopi et Martyris. Duplex.

Omnia de Communi unius Martyris. xxvii. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui multitúdinem popuiórum beáti Bonifácii Mártyris tui atque Pontíficis zelo, ad agnitiónem tui nóminis vocáre dignátus es: concéde propítius; ut cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BONIFACIUS ántea Winfrídus appellátus, apud Anglos natus est exeúnte saeculo séptimo, et ab ipsa infántia mundum aversátus, vitam monásticam in votis hábuit. Cum ejus pater ánimum saeculi illécebris permutáre frustra tentásset, monastérium ingréditur, et sub beáti Wolphárdi disciplína ómnium virtútum, ac scientiárum génere imbúitur. Annum agens trigésimum sacerdótio insignítur, ac verbi divíni praedicátor assíduus, magno animárum lucro hoc in múnere versátur. Attamen regnum Christi adaugére desíderans, contínuo flebat ingéntem multitúdinem barbarórum, qui ignorántiae ténebris immérsi daemoni famulabántur. Qui quidem animárum zelus cum in dies inextinguíbili ardóre accréseret, divíno númine per lácrymas et oratiónes exploráto, facultátem a monastérii praepósito obtínuit ad Germánicas oras proficiscéndi.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : ℣. Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

EX Anglia duóbus cum sóciis navem solvens, Dorestádium in Frísiae óppidum venit. Cum autem bellum gravíssimum inter Frisónam regem Radbódum, et Cárolum Martéllum exarsísset, sine fructu Evangélium praedicávit : quapropter in Angliam revérsus, ad suum redívit monastérium, cui invítus praefícitur : post elápsum biénnium ex consénsu Epíscopi Vintoniénsis munus abdicávit, et Romam proféctus est, ut apostólica auctoritáte ad Gentílium conversiónem delegarétur. Cum ad Urbem pervenísset a Gregório secúndo benígne excípitur, pro Winfrido Bonifácius a Pontífice nominátur. In Germániam diréctus, Thuríngiae Saxoniaeque pópulis Christum annuntiávit. Cum intérea Radbódus Frísiae rex ac infestíssimus christiáni nóminis hostis occubuísset, Bonifácius ad Frisónes rédiit, ubi sancti Willebrórdi sócius per triénnium tanto cum fructu Evangélium praedicávit, ut destrúctis idolórum simulácris, innúmerae vero Deo ecclésiae excitaréntur.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Et voluntáte.

Lectio vi.

A SANCTO Willebrórdo ad episcopále munus expetítus, illud detrectávit ut prómptius infidélium salúti instáret. In Germániam proféctus plura Hassórum míllia a daemonis superstitióne avocávit. A Gregório Pontífice Romam evocátus, post insígnē fídei professiónem Epíscopus consecrátur. Exínde ad Germános redux, Hássiam, et Thuríngiam ab idololatríae relíquiis pénitus expurgávit. Tanta propter mérita Bonifácius a Gregório tértio ad dignitátem archiepiscopálem evéhitur, et tértio Romam proféctus a summo Pontífice sedis apostólicae legátus constitúitur, qua insignítus auctoritáte quátuor episcopátus instítuit, et várias synodos celebrávit, inter quas concílium Leptinénse memorábile est apud Belgas in Cameracénsi dioecési celebrátum, quo quidem témpore ad fidem in Bélgio adaugéndam egrégie cóntulit. A Zacharía Papa creátus Moguntínus Archiepíscopus, ipso Pontífice jubénte Pipínum in regem Francórum unxit. Post mortem sancti Willebrórdi Ultrajecténsem Ecclésiam gubernándam suscépit, primo per Eobánum, deínde per seípsum dum ab Ecclésia Moguntína absolútus Ultrajécti resédit. Frisónibus ad idololatríam relápsis, Evangéliū praedicáre rursus aggréditur, cumque offício pastorali occuparétur, a bárbaris et ímpiis homínibus juxta Bosnam flúvium cum Eobáno Coepíscopo, multísque áliis cruénta caede perémptus martyrii palma condecorátur. Corpus sancti Bonifácii Mogúntiam translátum, ut ipse vivens petíerat, in Fuldénsi monastério, quod extrúxerat, recónditum fuit, ubi multis miráculis incláruit. Pius autem nonus Póntifex máximus, ejus Offícium et Missam ad univérsam Ecclésiam exténdit.

℟. Stola jucunditátis induit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae et intellectus : et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum.—Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* v.

IN illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem ; et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

De Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. i. *de sermone Domini in monte cap.* ii. *et* iii.

BEATI mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt. Quam ergo stulti sunt, qui Deum istis exterióribus óculis quaerunt, cum corde videátur, sicut álibi scriptum est : Et in simplicitáte cordis quaerite illum. Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor. Et quemádmodum lumen hoc vidéri non potest, nisi óculis mundis ; ita nec Deus vidétur, nisi mundum sit illud, quo vidéri potest. Beáti pacífici : quóniam ipsi fílii Dei vocabúntur. In pace perféctio est, ubi nihil repúgnat, et ídeo fílii Dei pacífici, quóniam nihil in his resístit Deo, et útique fílii similitúdinem Patris habére debent.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Expréssa.

Lectio viii.

PACIFICI autem in semetípsis sunt, qui omnes ánimi sui motus componéntes, et subjiciéntes ratióni, id est menti et spíritui ; carnalésque concupiscéntias habéntes edómitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordináta ómnia, ut id quod est in hómine praecípuum et excéllens, hoc ímperet, caeteris non reluctántibus quae sunt nobis bestiísque commúnia : atque idípsum quod excéllit in hómine, id est mens et rátio, subjiciátur potióri, quod est ipsa véritas, Unigénitus fílius Dei. Neque enim imperáre inferióribus potest, nisi superióri se ipse subjíciat. Et haec est pax, quae datur in terra homínibus bonae voluntátis : haec vita consummáti perfectíque sapiéntis.

℟. Hic est vere martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénae dignitátis glóriam quaesívit, sed ad coeléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit

illi regnum Dei.—Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

DE hujúsmodi regno pacatíssimo et ordinatíssimo missus est foras princeps hujus saeculi, qui pervérsis inordinatísque dominátur. Hac pace intrínsecus constitúta atque firmáta, quascúmque persecutiónes ille, qui foras missus est, forínsecus concitáverit, auget glóriam quae secúndum Deum est : non áliquid in illo aedifício labefáctans, sed deficiéntibus máchinis suis innotéscere fáciens quanta firmitas intus extrúcta sit. Ideo séquitur : Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam : quóniam ipsórum est regnum coelórum. Te Deum laudámus. 17. Vesperae a Capitulo de sequenti, Commemoratio praecedentis.

DIE VI. JUNII.

In festo S. Norberti, Episcopi et Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui beátum Norbértum Confessórem tuum atque Pontíficem, verbi tui praecónem exímium effecísti, et per eum Ecclésiam tuam nova prole foecundásti : praesta quaesumus ; ut ejúsdem suffragántibus méritis, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte exercére valeámus. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

NORBERTUS, nobilíssimis paréntibus natus, adoléscens liberálibus disciplínis erudítus, in ipsa póstea imperatóris aula, spretis mundi illécebris, ecclesiásticae militíae adscríbi vóluit. Sacris initiátus, rejéctis móllibus ac splendídis véstibus, pellícea melóte indútus, praedicatióni verbi Dei se totum dedit. Abdicátis ecclesiásticis provéntibus satis amplis, et património in páuperes erogáto, semel in die sub vésperam solo cibo quadragesimáli utens, nudísque pédibus, et lácera veste sub brumáli rigóre incédens, mirae austeritátis vitam est aggréssus. Potens ígitur ópere et sermóne, innúmeros haeréticos ad fidem, peccatóres ad poeniténtiam, dissidéntes ad pacem et concórdiam revocávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inímicus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.

CUM Laudúni esset, abEpíscopo rogátus, ne a sua dioecési discéderet, desértum in ea locum, qui Praemonstrátus dicebátur, sibi delégit ; ibíque trédecim sóciis aggregátis, Praemonstraténsem órdinem instítuit, divínitus accépta per visum régula a sancto Augustíno. Cum vero ejus fama sanctitátis in dies magis augerétur, ac plúrimi ad eum quotídie discípuli convenírent, idem ordo ab Honório secúndo aliísque summis Pontifícibus confirmátus, ac plúribus ab eo monastériis aedificátis, mirífice propagátus est.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vi.

ANTUERPIAM accersítus, in ea urbe Tanchelíni nefáriam haeresim profligávit. Prophético spíritu, et miráculis cláruit. Archiepíscopus tandem (licet relúctans) Magdeburgénsis creátus, ecclesiásticam disciplínã, praesértim coelibátum, constánter propugnávit. Rhemis in concílio Innocéntium secúndum egrégie adjúvit ; et Romam cum áliis Epíscopis proféctus, schisma Petri Leónis compréssit. Postrémo vir Dei, méritis et Spíritu sancto plenus, Magdebúrgi obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo centésimo, trigésimo quarto, die sexta Júnii.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi et pervénit ad coeléstia regna. —Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evang. **Homo péregre**, de Commúni Confessoris Pontificis. lxx.

DIE IX. JUNII.

SS. Primi et Feliciani, Martyrum.

Oratio.

FAC nos, quaesumus Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Primi et Feliciáni semper festa sectári : quorum suffrágiis

protectiónis tuae dona sentiámus. Per Dóminum.

Lectio ii.

QUIMUS et Feliciánus fratres, in persecutióne Diocletiáni et Maximiáni accusáti christiánae religiónis, in víncula conjiciúntur : quibus solúti, inde eripiúntur ab Angelo. Mox ad praetórem addúcti, cum christiánam fidem acérrime tueréntur, alter ab áltero distrácti sunt : ac primum várie tentáta est constántia Feliciáni. Sed cum suasóres impietátis se posse quidquam verbis proícere desperárent, affíxis stípiti mánibus ejus et pédibus, ipsum sine cibo et potu inde tríduum pendéntem reliquérunt. Postrídie ejus diéi praetor vocátum ad se Primum sic affátur : Vides, quanto sit prudéntior, quam tu, frater tuus, qui obsecútus imperatóribus, apud ipsos est honorátus ? Quem si tu quoque imitári volúeris, párticeps eris ejus honóris et grátiae.

℟. Haec est vera fratérnitas, quae nunquam pótuit violári certámine : qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum ; * Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna coeléstia. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum!— Contemnéntes aulam. Glória Patri. Contemnéntes aulam.

Lectio iii.

CUI Primus : Quid fa-étum sit fratri meo, cognóvi ex Angelo. Utinam quemádmodum sum cum eo voluntáte conjunctíssimus, sic ab eódem ne martyrio disjúngar. Quo dicto excánduit praetor, et ad caeteros cruciátus, quibus Primum affécit, praesénte jam Feliciáno, liquátum igne plumbum in os ejus jussit infúndi. Mox utrúmque perdúci imperat in theátrum, in eósque immítti duos leónes : qui prostráti ad eórum génua, cápite et cauda ipsis blandiebántur. Ad id spectáculum cum ámplius duódecim míllia hóminum convenísssent, quingénti cum suis famíliis christiánam religiónem suscepérunt. Quibus rebus permótus praetor eos secúri percúti jussit.

Te Deum laudámus. 17.

DIE X. JUNII.

In festo S. Margaritae, Reginae Scotiae Viduae. Semiduplex.

Omnia de Communi Sanctárum nec Virginum nec Martyrum, cxxiii. praeter ea quae hic habentur.

Oratio.

DEUS, qui beátam Margarítam regínam exímia in páuperes charitáte mirábilem effecísti : da, ut ejus intercessióne et exémplo, tua in córdibus nostris cháritas júgiter augeátur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MARGARITA, Scotórum regína, patérno Angliae regum, matérno Caesarum sánguine claríssima, illústrior adhuc fuit christiána virtúte. Haec in Hungária nata, ubi pater tunc témporis exulábat, post exáctam summa cum pietáte puerílem aetátem, una cum genitóre, qui a sancto Eduárdo pátruo, Anglórum rege, ad patérni regni fastígium vocabátur, in Angliam venit. Mox alternánte paréntum fortúna, ex Angliae líttore solvens, vi tempestátis expúlsa, seu vérius divínae providéntiae consílio dedúcta est in oram maritimam Scótiae. Ibi cum ex matris império Malchólmo tértio Scotórum regi, egrégiis ejus dótibus capto, nupsísset, sanctimóniae ac pietátis opéribus trigínta, quibus regnávit annis, toti regno mirífice prófuit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam :* Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Et dedúcet.

Lectio v.

INTER regáles delícias corpus afflictatiónibus, ac vigíliis mácerans, magnâ noctis partem piis precatiónibus extrahébat. Praeterália jejúnia, quae idéntidem usurpábat, íntegros quadragínta dies ante natalítia festa tanta cum severitáte jejunáre consuévit, ut ne in graviíssimis quidem dolóribus intermíserit. Divíno cúltui addictíssima, templa plúrima et coenóbia partim ex íntegro excitávit, partim resarcívit, et sacra supelléctili, ac largo censu ditávit. Regem cónjugem ad meliórem frugem, et ad simília suis exercitatiónibus ópera salubérrimo exémplo tradúxit, liberósque omnes tam sancte et felíciter educávit, ut eórum plerique quemádmodum et Agatha mater, et Christína soror, sanctíssimum vitae genus ampléxi sint. Univérsi demum regni felicitáti cónsulens, a vítiis ómnibus, quae furtim irrépserant, pópulos expurgávit, eísque mores christiána pietáte dignos restítuit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea unxit.

Lectio vi.

NIHIL tamen aeque in illa mirábile fuit, ac flagrantíssima cháritas erga próximos, praesértim egénos, quorum numerósis grégibus non modo stipem áffatim suppeditáre, verum étiam trecéntis quotídie matérna benignitáte dapes praebére, flexis génibus in morem ancíllae ministráre, régiis mánibus pedes ablúere, et pressis étiam ósculis úlcera fovére, solémne hábuit. His porro aliísque piis súmptibus non régias tantum vestes, et pretiósa monília distráxit, sed ipsum non semel exháusit aerárium. Tolerátis demum ad patiéntiae miráculum acerbíssimis dolóribus, ánimam seméstri córporis aegrotatióne purgátam Auctóri suo quarto Idus Júnii réddidit. Quo témporis momento fácies ejus diutúrni morbi mácie ac pallóre foedáta, insólita quadam venustáte reflóruit. Miris étiam post mortem prodígiis clara, et Cleméntis décimi auctoritáte in Scótiae Patrónam accépta, ubíque terrárum religiosíssime cólitur.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.—Múlier. Gloria Patri. Múlier.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium: Símile est regnum coelórum thesáuro, ut in Communi non Virginum. cxxvi.

Vesperae de S. Barnaba Apostolo, cum Commemoratione S. Margaritae.

DIE XI. JUNII.

In festo S. Barnabae, Apostoli. Duplex.

Omnia de Communi Apostolorum. ii. praeter ea quae hic sunt propria.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Bárnabae Apóstoli tui méritis et intercessióne laetíficas : concéde propítius ; ut qui tua per eum benefícia póscimus, dono tuae grátiae consequámur. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio S. Margaritae, Ańa. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Oratio. Deus qui beátam. 417.

In primo Nocturno.

De Actibus Apostolórum.

Lectio i. *Cap.* xiii. *f.*

CUM dimíssa esset synagóga, secúti sunt multi Judaeórum, et coléntium advenárũ, Paulum et Bárnabam: qui loquéntes suadébant eis ut permanérent in grátia Dei. Sequénti vero Sábbato, pene univérsa cívitas convénit audíre verbum Dei. Vidéntes autem turbas Judaei, repléti sunt zelo, et contradicébant his quae a Paulo dicebántur, blasphemántes. Tunc constánter Paulus et Bárnabas dixérunt: Vobis oportébat primum loqui verbum Dei: sed quóniam repéllitis illud, et indígnos vos judicátis aetérnae vitae, ecce convértimur ad Gentes. Sic enim praecépit nobis Dóminus: Pósui te in lucem Géntium, ut sis in salútem usque ad extrémum terrae.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus: * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbae. ℣. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis. — Estóte ergo.

Lectio ii.

AUDIENTES autem Gentes gavísae sunt, et glorificábant verbum Dómini: et credidérunt quotquot erant praeordináti ad vitam aetérnam. Disseminabátur autem verbum Dñi per univérsam regiónem. Judaei autem concitavérunt mulíeres religiósas et honéstas, et primos civitátis, et excitavérunt persecutiónem in Paulum et Bárnabam: et ejecérunt eos de fínibus suis. At illi excússo púlvere pedum in eos, venérunt Icónium. Discípuli quoque replebántur gaudio, et Spíritu sancto.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde: * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum.

Lectio iii. *Cap.* xiv.

FACTUM est autem Icónii, ut simul introírent in synagógam Judaeórum, et loqueréntur, ita ut créderet Judaeórum et Graecórum copiósa multitúdo. Qui vero incréduli fuérunt Judaei, suscitavérunt, et ad iracúndiam concitavérunt ánimas Géntium

advérsus fratres. Multo ígitur témpore demoráti sunt, fiduciáliter agéntes in Dómino, testimónium perhibénte verbo grátiae suae, dante signa et prodígia fíeri per manus eórum.

℟. Dum stetéritis ante reges et praesides, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini: * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini: sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. – Dábitur. Glória Patri. Dábitur.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BARNABAS Levítes, Cyprius génere, qui et Joseph, cum Paulo Géntium Apóstolus ordinátus est ad praedicándum Jesu Christi Evangélium. Is, agro véndito, quem habébat, redáctam ex eo pecúniam áttulit Apóstolis. Missus autem Antiochíam praedicatiónis causa, cum ibi multos ad Christi Dómini fidem convérsos esse comperísset, incredibíliter laetátus, eos hortabátur, ut in Christi fide permanérent. Qua cohortatióne multum proficiébat, quod ab ómnibus vir bonus, et Spíritu sancto plenus habebátur.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium coelum, voce magna clamántem, et dicéntem. — Isti.

Lectio v.

PROFECTUS inde Tarsum, ut quaereret Paulum, cum eo Antiochíam venit. In ejus urbis Ecclésia annum commoráti, christiánae fídei et vitae illis homínibus praecépta dedérunt: ubi étiam Jesu Christi cultóres primum Christiáni sunt appellláti. Discípuli autem Pauli et Bárnabae suis facultátibus Christiános, qui in Judaea erant, sustentábant, eo mitténtes pecúniam per Paulum et Bárnabam. Qui perfúncti illo charitátis officio, adhíbito Joánne, cui cognómen erat Marcus, rediérunt Antiochíam.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: * Gaudéte et exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in coelis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum

tamquam malum, propter Fílium hóminis.—Gaudéte.

Lectio vi.

QUM autem Antiochiae in Ecclésia, cum caeteris Prophétis et Doctóribus, Paulus et Bárnabas in jejúnio et oratióne Dño deservírent, dixit Spíritus sanctus: Segregáte mihi Saulum et Bárnabam in opus, ad quod assúmpsi eos. Tunc jejunántes et oránte, imponentésque eis manus, dimisérunt illos. Itaque Seleucíam venérunt, inde in Cyprum: ac multas praetérea urbes regionésque, praedicántes Evangélium, summa cum audiéntium utilitáte peragrárunt. Postrémo Bárnabas digréssus a Paulo, una cum Joánne, qui cognominátus est Marcus, návigávit in Cyprum: ibíque circiter séptimum Neróne annum, tértio Idus Júnii, ad Apostólici múneris laudem, martyrii corónam adjúnxit. Ejus corpus, Zenóne imperatóre, repértum est in ínsula Cypro; ad cujus pectus erat Evangélium Matthaei, Bárnabae manu conscríptum.

℣. Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt praemia aetérna: * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.—Modo. Glória Patri. Modo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* x. *b.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia xxxiv. *in Matth., post initium.*

QUM Dñus omnem sollicitúdinem a discipulórũ córdibus ejécerit, et ostensióne signórum arnáverit, atque ab ómnibus negótiis saeculáribus alienátos, et ab omni temporálium rerum cura liberátos, férreos quodámmodo atque adamántinos fécerit, tum dénique eventúra illis advérsa praedícit. Multa enim ex hac praedictióne futurárum rerum cómmoda consequebántur. Primum, ut ejus praesciéntiae vim dísceerent. Deínde, ut nemo suspicarétur, ex magístri infirmitáte tam grávia mala descéndere. Praetérea, ne qui ea passúri erant, súbito ac inopináto rerum

evéntu perturbaréntur. Dénique, ne, cum ista sub ipsum passiónis suae tempus audírent, nímium commoveréntur.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo : * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus éorum, et in fines orbis terrae verba eórum.— Cálicem.

Lectio viii.

JAM vero, ut intélligant novum hoc esse belli genus, et insólitum praeliándi morem, cum illos nudos mítteret, una indútos túnica, sine cálceis, absque virga, et absque zona et pera, et ab excipiéntibus ali jubéret : non fecit hic dicéndi finem, sed inexplicábilem virtútem suam próferens, Etiam sic eúntes, inquit, mansuetúdinẽ tamen óvium osténdite, quamvis ad lupos itúri, nec simplíciter ad lupos, sed étiam in médio lupórum : (neque vero óvium tantum mansuetúdinem habére jubet, sed étiam colúmbae simplicitátem ;) sic enim virtútem meam máxime osténdam, cum ab óvibus lupi superabúntur : et quamvis illae sint in médio lupórum, et innúmeris mórsibus laceréntur, non modo non consúmptae fúerint, verum étiam illos in sui natúram transmutáverint.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in charitáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna : operáti sunt justítiam. — Quorum. Glória Patri. Quorum.

Lectio ix.

QUAJUS certe atque admirabílius est, mentem adversarióru commutáre, et ánimum in divérsum transférre, quam illos occídere : praesértim cum duódecim tantum essent, et lupis plenus esset orbis univérsus. Erubescámus ígitur, qui longe divérsa faciéntes, tamquam lupi in adversários rúimus. Nam quámdiu oves fuérimus, víncimus : étiam si mille circúmstent lupi, superámus, et victóres sumus: quod si lupi fuérimus, víncimur. Tunc enim a nobis pastóris auxílium recédit, qui non lupos, sed oves pascit.

Te Deum laudámus. 17.

In secundis Vesperis fit Commemor. S. Joannis a S. Facundo, ac sanctorum Basilidis et sociorum Martyrum.

DIE XII. JUNII.

In festo
S. Joannis a S. Facundo, Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. xxxiii. praeter ea quae sequuntur.

Oratio.

DEUS auctor pacis, et amátor charitátis, qui beátum Joánnem Confessórem tuum mirífica dissidéntes componéndi grátia decorásti : ejus méritis, et intercessióne concéde ; ut in tua charitáte firmáti, nullis a te tentatiónibus separémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio sanctorum Basilidis, Cyrini, Naboris, et Nazarii Mart. Ańa. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

SANCTORUM Mártyrum tuórum Basilidis, Cyríni, Náboris atque Nazárii, quaesumus Dómine, natalítia nobis votíva resplendeant : et quod illis cóntulit excelléntia sempitérna, frúctibus nostrae devotiónis accréscat. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOANNEM, Sahagúni in Hispánia nóbili génere natum, paréntes cum diu prole caruíssent, piis opéribus, et oratiónibus a Deo impetrárunt. Ab ineúnte aetáte egrégium futúrae sanctitátis spécimen dedit ; nam e loco superióri ad caeteros púeros crebro verba faciébat, quibus eos ad virtútem, et Dei cultum hortabátur, eorúmque dissídia componébat. In pátria mónachis sancti Facúndi, órdinis sancti Benedícti, primis litterárū rudiméntis imbuéndus tráditur ; dum iis óperam daret, curávit pater, ut párochus Ecclésiam administráret, quod munus júvenis nullis ratiónibus addúci pótuit, ut retinéret. Inter familiáres Episcopi Burgénsis adscríptus, ob spectátam ipsíus probitátem íntimus ei fuit, ab eóque Présbyter, et Canónicus factus, multis benefíciis auctus est. Sed relícta aula Episcopi, ut Deo quiétius serviret, ómnibus Ecclésiae proventíbus abdicátis, se cuídam sacéllo addíxit, ubi sacrum quotídie faciébat, ac de rebus divínis magna cum

auditórum aedificatióne frequénter concionabátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

POSTEA, studiórum causa, Salmánticam profectus, in célebre collégium divi Bartholomaei cooptátus, Sacerdótis munus ita exércuit, ut simul optátis stúdiis incúmberet, et in sacris étiam conciónibus assídue versarétur. Cum vero in gravíssimum morbum incidísset, arctióris disciplínae voto se obstrínxit, quod ut rédderet, cum prius cuídam páuperi, pene nudo ex duábus, quas tantum habébat vestes, meliórem dedísset, ad coenóbiũ sancti Augustíni severióri disciplína tum máxime florens, se cóntulit, in quo admíssus, obediéntia, ánimi demissióne, vigíliis ac oratióne provectióres anteíbat. Triclínii cura cum ipsi demandáta esset, vini dolíolũ ipso attingénte ómnibus mónachis per annum abúnde suffécit. Exácto tirocínii anno, praefécti jussu munus concionándi suscépit. Salmánticae id témporis ádeo cruéntis factiónibus divína, humánaque ómnia permíxta erant, ut síngulis propémodum horis caedes fierent, et ómnium órdinũ, ac praesértim nobílium sánguine non viae solum, et fora, sed templa étiam redundárent.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

AT Joánnes, tum conciónibus, tum privátis collóquiis cívium ánimos demúlcens, ad tranquillitátem urbem redúxit. Virum príncipem gráviter offéndit, quod illíus in súbditos saevítiam increpásset. Qua de causa équites duos immísit, qui eum in itínere confóderent : jamque ad ipsum propinquáverant, cum, stupóre divínitus immísso, simul cum equis immóbiles stetérunt, donec ad pedes sancti viri provolúti, scéleris véniam precaréntur. Ipse quoque princeps, repentino terróre percúlsus, jam de salúte desperáverat, cum revocáto Joánne, facti poenitens incolumitáti réddidus est. Factiósi étiam hómines, cum

eum fústibus péterent, bráchiis dirigueére, nec ante rédditae vires quam delícti véniam precaréntur. Christum Dñum, dum Sacrum fáceret, praeséntem contuéri, atque ex ipso divinitátis fonte coeléstia mystéria haurire sólitus. Abdita cordis inspícere, ac futúra raro eventu praesagíre frequens illi fuit, fratrísque fíliam septénnem mórtuam excitávit. Dénique mortis die praenuntiáto, et Eccléstae sacraméntis devotíssime suscéptis, extrémum diem clausit, multis ante et post óbitum miráculis gloriósus. Quibus rite probátis Alexánder octávus Sanctórum número eum adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Sint lumbi vestri praecíncti, ut in Communi Confessoris non Pontificis. xcii.

Pro SS. Basilide, Cyrino, Nabore, et Nazario, Martyribus.

Lectio ix.

BASILIDES, Cyrínus, Nabor, et Nazárius, Románi mílites, nóbiles génere, et virtúte illústres, christiána religióne suscépta, cum Christum Dei Fílium, Diocletiáno imperatóre, praedicárent, ab Aurélio praefécto Urbis comprehénsi, et ut diis sacra fácerent admóniti, ejus jussa contemnéntes, missi sunt in cárcerem. Quibus orántibus, cum súbito claríssima lux obórta ómnium óculis, qui ibídem essent, cárcerem collustrásset, illo coelésti splendóre commótus Marcéllus custódiae praepósitus, multíque álii, Christo Dómino credidérunt. Verum póstea e cárcere emíssi ab imperatóre Maximiáno, cum ejus étiam neglécto império, unum Christum Deum et Dñum in ore habérent, scorpiónibus cruciáti, íterum conjiciúntur in víncula, unde séptimo die edúcti, et ante pedes imperatóris constitúti, perstitérunt in irrisióne inánium deórum, Jesum Christum Deum constantíssime confiténtes. Quamóbrem damnáti, secúri feriúntur. Quorum córpora feris objécta, nec ab illis tacta, a Christiánis honorífice sepúlta sunt.

Te Deum laudámus. 17.

In Laud. fit Commemoratio SS. Martyrum, Añia. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio ut supra. 423.

Vesperae a Capítulo de S. Antonio Confessore, cum Commemoratione S. Joannis a S. Facundo.

DIE XIII. JUNII.

In festo S. Antonii de Padua, Confess. Duplex.

Omnia de Comm. Confess. non Pont. lxxxiii. praeter ea quae hic habentur.

Oratio.

ECCLESIAM tuam, Deus, beáti Antónii Confessóris tui solémnitas votíva laetíficet: ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gáudiis pérfrui mereátur aetérnis. Per Dóminum.

Deinde fit Commemor. S. Joannis a S. Facundo.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANTONIUS, Ulyssipóne in Lusitánia honéstis ortis paréntibus, et ab iis pie educátus, adoléscens institútum Canonicórum Regulárium suscépit. Sed cum córpora beatórum quinque Mártyrum fratrum Minórum Conímbriam transferréntur, qui paulo ante apud Marróchium pro Christi fide passi erant, martyrii desidério incénsus ad Franciscánum órdinem transívit. Mox eódem ardóre impúlsus, ad Saracénos ire perréxit: sed advérsa valetúdine afflíctus, et redíre coáctus, cum navi ad Hispániae líttora ténderet, ventórum vi in Sicíliam delátus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio v.

ASSISIUM e Sicília ad capítulum generále venit: inde in erémum montis Pauli in Æmília secéssit, ubi divínis contemplatiónibus, jejúniis et vigíliis diu vacávit. Póstea sacris ordínibus initiátus, et ad praedicándum Evangélium missus, dicéndi sapiéntia et cópia tantum profécit, tantámque sui admiratiónem commóvit, ut eum summus Póntifex

aliquándo concionántem áudiens, arcam testaménti appellárit. In primis vero haereses summa vi profligávit, ideóque perpétuus haereticórum málleus est vocátus.

℟. Amávit eum Dñus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

PRIMUS ex suo órdine, ob doctrínae praestántiam, Bonóniae et álibi sacras lítteras est interpretátus, fratrúmque suórum stúdiis praefuit. Multis vero peragrátis provínciis, anno ante óbitum Patávium venit, ubi illústria sanctitátis suae monuménta relíquit. Dénique magnis labóribus pro glória Dei perfúnctus, méritis et miráculis clarus, obdormívit in Dómino Idibus Júnii, anno salútis millésimo ducentésimo trigésimo primo : quem Gregórius nonus Póntifex máximus sanctórum Confessórum número adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.

℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium : Sint lumbi, de Communi Confessoris non Pontificis. xcii.

Vesperae a Capitulo de sancto Basilio, cum Commemoratione S. Antonii.

DIE XIV. JUNII.

In festo S. Basilii Magni, Episcopi, Confess. et Ecclesiae Doctor. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter ea quae hic sequuntur.

In Hymno Vesperarum dicatur :

Hac die laetus méruit supremos
Laudis honóres.

Ad Magnif. in utrisque Vesperis, Añа. O Doctor óptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte Basíli, divínae legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio.

EXAUDI, quaesumus Dómine, preces nostras, quas in beáti Basilii Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dñum.

Deinde fit Commemoratio S. Antonii, Añ. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans, divítias coelo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio. Ecclésiam tuam, ut supra. 426.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BASILIUS nóbilis Cáppadox, Athénis una cum GregórioNazianzéno, ejus amicíssimo, saeculáribus lítteris, deínde in monastério sacris mirabíliter erudítus, eum brevi cursum fecit ad omnem doctrínae et morum excellentiam, ut inde Magni cognómen invénerit. Is ad praedicándum Jesu Christi Evangéliũ in Pontum accersítus, eam provínciam a christiánis institútis aberrántem, ad viam salútis revocávit. Mox ab Eusébio Caesaréae Epíscopo ad erudiéndam eam civitátem adjútor adhibétur : in cujus locum póstea succéssit. Is Fílium Patri consubstantiálem esse in primis defendit, ac Valéntem imperatórem, sibi irátum, miráculis ádeo flexit, ut incumbéntem ad voluntátem ejiciéndi ipsum in exílium, a sententia discédere coégerit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum :* Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus

Lectio v.

NAM et Valéntis sella, in qua factúrus decrétum de ejiciéndo e civitáte Basilío, sedére volébat, confrácta est ; et tribus ab eo cálamis adhíbitis ad scribéndam exílii legem, nullus eórum réddidit atraméntum : et cum nihilóminus in propósito scribéndi ímpium decrétum persísteret, ipsíus déxtera, dissolútis nervis, tota contrémuit. His commótus Valens chartam utráque manu conscídit. Ea autem nocte, quae ad deliberándum Basilío data est, Valéntis uxor íntimis est cruciáta dolóribus, et únicus fílius in gravem morbum íncidit. Quibus ille pertérritus, iniquitátem suam recognóscens, Basilíum accérsit ; quo praesénte puer coepit convaléscere : verum, vocátis a Valénte ad viséndum púerum haeréticis, paulo post móritur.

℟. Posui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábi-

tur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus enim mea.

Lectio vi.

ABSTINENTIA et continéntia fuit admirábili : una túnica conténtus erat : in jejúnio servándo diligentíssimus, in oratióne assíduus, in qua saepe totam noctem consumébat. Virginitátem perpétuo cóluit. Monastériis extrúctis, ita monachórum institútum temperávit, ut solitáriae atque actuósae vitae utilitátes praecláre simul conjúngeret. Multa erudíte scripsit ; ac nemo, teste Gregório Nazianzéno, sacrae Scripturae libros vérius aut ubérius explicávit. Obiit Kaléndis Januárii, cum tantum spíritu vivens, praeter ossa et pellem, nulla praetérea córporis parte constáre viderétur.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xiv. *f.*

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et réliqua.

Homília sancti Basilii Episcopi.

Lib. Regul. fusius explic. ad interrog. viii.

CERFECTA quidem renuntiátio in eo consístit, ut id assequámur, ne ad ipsíus étiam vitae affectiónem propénsi simus, et respónsum mortis habeámus, ut non simus fidéntes in nobis ipsis. Hujúsmodi autem renuntiátio inítium sumit ab alienatióne rerum externárum, véluti a possessiónibus, ab iáni glória, a vivéndi consuetúdine, a rerum inutílium amóre : quemádmodum étiam suo exémplo nobis ostendérunt sancti Dómini nostri discípuli, Jacóbus quidem et Joánnes, relícto patre Zebedaeo, et ipsa quoque navícula, de qua omnis illórum victus rátio pendébat : Matthaeus vero, cum ab ipso telónio surréxit, ac Dóminum secútus est.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam

glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio viii.

SED quid opus est nostris ratiónibus, aut sanctórum virórum exémplis, id quod dícimus, confirmáre, cum ipsa Dómini verba in médium líceat afférre, iísque ipsis religiósam ac Deum timéntem ánimam commovére, quibus ille perspícue, et sine controvérsia protestátur, dicens: Sic ígitur quicúmque ex vobis non renuntiáverit ómnibus quae póssidet, non potest meus esse discípulus. Et álio in loco, cum prius dixísset: Si vis perféctus esse, vade et vende ómnia quae habes, et da paupéribus: póstea subjúnxit: Veni: séquere me.

℟. In médio Ecclésiae apéruit os ejus, * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiae et intelléctus. ℣. Jucunditátem et exultatiónem thesaurizávit super eum.—Et implévit. Glória Patri. Et implévit.

Lectio ix.

EST ígitur renuntiátio, quemádmodum docúimus, vinculórum terrénae hujus ac temporális vitae solútio, atque ab humánis negótiis liberátio, per quam ad ineúndam viam, qua ad Deum pervenítur, aptióres et promptióres efficímur: et expedíta rátio ad acquisitiónem usúmque rerum, quae super aurum et lápidem pretiósum multum longe sunt pretiosióres: et in summa, cordis humáni ad coeléstem conversatiónem translátio, ita ut dícere líceat: Nostra conversátio in coelis est: et (quod máximum est) inítium unde ad Christi similitúdinem evádimus, qui cum dives esset, propter nos pauper est factus.

Te Deum laudámus. 17. In secundis Vesperis fit Commemoratio sanctorum Viti et sociorum.

DIE XV. JUNII.

Sanctorum Viti, Modesti, atque Crescentiae, Martyrum.

Aña. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dño, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

DA Ecclésiae tuae, quaesumus Dómine, sanctis Martyribus tuis Vito, Modésto, atque Crescéntia intercedéntibus, supérbe

non sápere, sed tibi plácita humilitáte profícere: ut prava despíciens, quaecúmque recta sunt, líbera exérceat charitáte. Per Dóminum.

Lectio ii.

ITUS ádmodum puer ínscio patre baptizátus est: quod cum ille resciísset, nihil praetermísit, quo fílium a christiána religióne removéret. Qua in voluntáte permanéntem, Valeriáno júdici verbéribus castigándum trádidit. Sed nihilóminus in sententia persístens, patri rédditus est. Sed dum eum pater grávius púnire cógitat, Vitus Angeli mónitu, comítibus Modésto et Crescéntia, ejus educatóribus, migrat in aliénas terras: ibique eam sanctitátis laudem adéptus est, ut ejus fama ad Diocletiánum perláta, ipsum imperátor accérseret, ut fílium suum a daemone vexátum liberáret: quo liberáto, cum ei amplíssimis praemiis ingrátus imperátor, ut deos cóleret, persuadére non potuísset, una cum Modésto et Crescéntia vínculis constrictum mittit in cárcerem.

Lectio iii.

QUOS ubi constantióres esse cómperit, demítti jubet in ingens vas liquáto plumbo, fervénti resína ac pice plenum, in quo cum trium Hebraeórum puerórum more divínos hymnos cánerent, inde erépti leóni objiciúntur: qui prostérnens se, eórum pedes lambébat. Quare inflammátus ira imperátor, quod multitúdinem vidébat miráculo commovéri, eos in catásta sterni jubet, et ita caedi eórum membra, atque ossa divélli. Quo témpore tonítrua, fúlgura, magníque terraemótus fuére, quibus templa deórum corruérunt, et multi oppréssi sunt. Eórum relíquias Floréntia nóbilis foemina, unguéntis condítas honorífice sepelívit.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XVIII. JUNII.

SS. Marci et Marcelliani, Martyrum.

Oratio.

PRAESTA quaesumus omnípotens Deus: ut qui sanctórum Mártyrum tuórum Marci et Marcelliáni natalítia cólimus; a cunctis malis imminéntibus eórum intercessiónibus liberémur. Per Dóminum.

℟. ii. Haec est vera fratérnitas, quae nunquam pótuit violári certámine: qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum: Con-

temnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna coeléstia. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum!— Contemnéntes aulam. Glória Patri. Contemnéntes aulam.

Lectio iii.

MARCUS et Marcelliánus fratres Románi, propter christiánæ fidem a Fabiáno duce comprehénsi, ad stípitem alligáti sunt, pédibus clavis confíxis. Ad quos cum ita loquerétur judex: Resipíscite míseri, et vos ipsos ab his cruciátibus erípite; respondérunt: Nunquam tam jucúnde epuláti sumus, quam haec libénter Jesu Christi causa perférimus, in cujus amóre nunc fixi esse coepimus: útinam tamdiu nos haec pati sinat, quámdiu hoc corruptíbili córpore vestíti érimus. Qui diem noctémque in torméntis divínas laudes canéntes, dénique telis transfíxi, ad martyrii glóriam pervenérunt. Quorum córpora via Ardeatína sepúlta sunt.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XIX. JUNII.

In festo S. Julianae de Falconeriis, Virginis. Duplex.

Omnia de Communi Virginum. ciii. praeter sequent.

AD VESPERAS.

Hymnus.

QUOELESTIS Agni núptias
O Juliána, dum petis,
Domum patérnam déseris,
Chorúmque ducis Vírginum.
Sponsúmque suffíxum Cruci
Noctes, diésque dum gemis,
Dolóris ictu cúspide
Sponsi refers imáginem.
Quin septifórmi vúlnere
Fles ad genu Defparae:
Sed crescit infúsa fletu,
Flammásque tollit cháritas.
Hinc morte fessam próxima
Non usitáto te modo,
Solátur et nútrit Deus,
Dapem supérnæ pórrigens.
Ætérne rerum Cónditor,
Ætérne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Soli tibi sit glória. Amen.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif., Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum.

Oratio.

DEUS, qui beátam Juliánam Vírginem tuam extrémo morbo laborántem pretióso Fílii tui Córpore mirabíliter recreáre dignátus es: concéde quaesumus; ut ejus intercedéntibus méritis, nos

quoque eódem in mortis agóne refécti ac roboráti, ad coeléstem pátriam perducámur. Per eúmdem Dñum.

Deinde fit Commemoratio SS. Gervasii, et Protasii Martyrum, Aña. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Gervásii, et Protásii solemnitáte laetíficas : concéde propítius ; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Hymnus. Coeléstis, ut ad Vesperas. 432.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JULIANA ex nóbili Falconéria família, claríssimo patre, qui templum Deíparae ab Angelo salutátae aere suo magnífice a fundaméntis Florentiae, ut nunc vísitur, eréxit, matre Reguardáta, amb6bus jam senescéntibus ac ad id tempus stérilibus, nata est anno millésimo ducentésimo septuagésimo. Ab incunábulis non exíguũ futúrae sanctitátis spécimen dedit ; vagiéntibus quippe labris, suavíssima Jesu, et Maríae nómina ultro proférre audíta est. Puerítiam póstmodum ingréssa, totam se christiánis virtútibus mancipávit, in quibus ádeo excélluit, ut beátus Aléxius pátruus, cujus institútis ac exémplis instruebátur, matri dícere non dubitáverit, ipsam non foeminam peperísse, sed Angelum ; nam ita modésto vultu, animóque ab omni, vel levíssima erróris mácula pura fuit, ut óculos nunquam in toto vitae cursu ad hóminis fáciem intuéndam eréxerit, auditóque peccáti vocábulo contremúerit, immo scéleris narratióne percúlsa, íllico prope exánimis corrúerit. Expléto nondum décimo quinto aetátis suae anno, re familiári, licet opulénta, terrenísque posthábitis núptiis, Deo virginitátem in mánibus divi Philippi Benítii solémniter vovit, ab eóque ómnium prima religiósum Mantellatárum hábitum, ut dicunt, sumpsit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣.

Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Et dedúcet te.

Lectio v.

JULIANAE exémplum secútae sunt plúrimae ex nobilióribus famíliis foeminae, ac mater ipsa filiae sese religióse instituéndam dedit, ita ut, aucto paulátim número, órdinem Mantellatárum institúerit, ac illi pie vivéndi leges summa prudéntia ac sanctitáte tradíderit. Ejus virtútes cum óptime perspéctas divus Benítius habéret, morti próximus nulli mélius, quam Juliánae, non foeminas tantum, sed et totum Servórum órdinem cujus propagátor, et moderátor extíterat, commendátum vóluit. Verum ipsa demísse semper de se cogitábat; et cum caeterárũ esset magístra, in re quaque doméstica, licet vili, soróribus famulábatur. Assiduitáte orándi íntegras insumébat dies, in éxtasim saepíssime rapta, et si réliquum, in sedándis cívium dissídiis, criminósis a via iniquitátis retraháendis, ac in inserviéndis impendébat aegrótis, quorum quandóque sániem ex ulcéribus manántem, admóto ore lambens, eos sanitáti restituébat. Corpus suum flagris, nodósis funículis, férreis cíngulis, vigíliis, humi nudae cubándo, térere sólita fuit. Parcíssimo cibo, et hoc vili, quátuor hebdómadae diébus, et réliquis duóbus solo Angelórum pane conténta, excépto die sábbati, quo pane solo et aqua nutriebátur,

℣. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi.

DURA hujúsmodi vivéndi ratióne in stómachi morbum íncidit, quo ingravescénte, cum septuagésimum aetátis annum ágeret, ad extrémum vitae spátium redácta est. Diutúrnae valetúdinis incómmoda hílari vultu constantíque ánimo pértulit, de uno tantum cónqueri audíta est, quod cum cibum cápere, ac retinére nullo modo posset, ab Eucharística mensa ob sacraménti reveréntiam arcerétur. Verum his in angústiis constitúta, Sacerdótem rogávit, ut allátum divínum panem, quem ore súmere nequíbat, péctori saltem extérius admovéret. Précibus illíus morem gessit Sacérdos : et mirum ! eódem témporis moménto, divínus panis dispáruit, et Juliána

seréno ac ridénti vultu expirávit. Res supra fidem támdiu fuit, donec virgíneum de more curarétur corpus; invénta enim est circa sinístrum péctoris latus carni véluti sigíllo impréssa forma hóstiae, quae Christi Crucifíxi effígiem repraesentábat. Hujus prodígii fama, cacterorúmque miraculórum non Florántiae tantum, sed totíus christiáni orbis veneratiónem illi conciliávit, ac per quátuor prope íntegra saecula ádeo aucta est, ut tandem Benedíctus Papa decimustértius in ejus celebritáte offícium próprium recitári ab univérso órdine beátae Maríae Vírginis Servórum jússerit. Clemens vero duodécimus, munificentíssimus ejúsdem órdinis protéctor, novis in dies miráculis coruscántem sanctárum Vírginum catálogo adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximae ejus, * Afferéntur tibi in laetítia et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In tertio Nocturno.

Lectiones de Homilia sancti Gregorii Papae in Evangelium: Símile erit, ex eodem Communi. cxv.

Pro SS. Gervasio et Protasio, Martyribus.

Lectio ix.

GERVASIUS et Protásius, Vitális et Valériae fílii, quorum pater Ravénnae, mater Medioláni pro Christi Dómini fide martyrium subiérunt, distribúto paupéribus património, domésticos servos libertáte donárunt. Quo facto Gentílium sacerdótes immáne in illos concéptum ódium habébant. Quare cum Astásius comes in bellum proficísci vellet, hanc occasiónem perdéndi pios fratres se nactos esse putavérunt. Itaque Astásio persuádent, se a diis admónitos esse, nullo modo eum in bello victórem futúrum, nisi Gervásio et Protásio coáctis Christum negáre, eósdem ad sacra diis faciénda compélleret. Quod cum illi detestaréntur, Astásius imperávit, Gervásium támdiu caedi, dum inter vérbera expiráret: Protásium fústibus contúsum secúri pércuti jubet. Quorum córpora Philíppus Christi servus clam sústulit, et in suis aedibus sepelívit: quae póstea sanctus Ambrósius, Dei mónitu invénta, in loco sacro et insígni collocánda curávit. Passi sunt Medioláni decimotértio Kaléndas Júlii.

Te Deum laudámus. ℣. In Laudibus fit Comm. eorumdem sanctorum Martyrum, Añа. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio ut supra. 433.

In secundis Vesperis Commemoratio sequentis.

DIE XX. JUNII.

S. Silverii, Papae et Mart.

Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice, omnípotens Deus : et quia pondus própriae actiónis gravat, beáti Silvérii Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Lectio ii.

SILVERIUS Campánus, post Agapítum próxime Póntifex creátus est : cujus doctrína et sánctitas illúxit in insectándis haeréticis, et constántis ánimi magnitúdo perspécta est in tuéndo judício Agapíti. Nam Anthimum, quem, quia Eutychiánam haeresim defendébat, Agapítus ab Episcopátu Constantinopolitáno deposúerat, cum a Theodóra Augústa saepíssime rogátus esset, restitúere nóluit.

℟. Dómine, praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in saeculum saeculi. — Posuísti in cápite. Glória Patri. Posuísti in cápite.

Lectio iii.

QUAMOBREM iráta múlier mandat Belisário, ut Silvérium mittat in exílium. Qui exulávit in ínsula Póntia, unde his verbis scripsísse fertur ad Amatórem Episcopum : Susténtor pane tribulatiónis, et aqua angústiae, nec tamen dimísi, aut dimítto offícium meum. Quod re ipsa probávit : nam ibi coácto concílio multórum Episcopórum, quaedam constítuit, quae ad integritátem fídei cathólicae, et ad restituéndam ecclesiásticam disciplínam pertinébant. Ubi brevi incómmodis aerumnísque conféctus, obdormívit in Dómino, duodécimo Kaléndas Júlii : cujus sepúlchrum multis miráculis illustrátum fuit : cum Ecclésiae praefuísset annos tres, et ámplius, creátis mense Decémbri Presbyteris trédecim, Diáconis quinque,

Die xx. Junii. In Festo S. Silverii Pont. et Mart.

Lectio ij.

SILVERIUS Campánus, post Agapítum próxime Póntifex creátus est: cujus doctrína et sánctitas illúxit in insectándis hæréticis: et constántis ánimi magnitúdo perspécta est in tuéndo judício Agapíti. Nam Anthímum, quem, quia Eutychiánam hæresim defendébat, Agapítus ab Episcopátu Constantinopolitáno deposúerat, cum a Theodóra Augústa sæpíssime rogátus esset, restitúere nóluit.

Lectio iij.

QUAMOBREM iráta múlier mandat Belisário ut Silvérium mittat in exílium. Qui exulávit in ínsula Póntia, unde hæc verba scripsísse fertur ad Amatórem Episcopum: Susténtor pane tribulatiónis, et aqua angústiæ, nec tamen dimísi, aut dimítto officium meum. Et sane brevi incómmodis ærumnísque confectus, obdormívit in Dómino, duodécimo Kaléndas Júlii; cujus corpus Romam delátum, et in Basílica Vaticána depósitum, multis miráculis illustrátum fuit. Præfuit Ecclésiæ annos tres et ámplius, creátis mense Decémbri Presbyteris trésdecim, Diáconis quinque, Episcopis per divérsa loca decem et novem.

Epíscopis per divérsa loca decem et novem.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XXI. JUNII.

In festo S. Aloisii Gonzagae, Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea quae hic propria adnotantur.

Oratio.

QOELESTIUM donórum distribútor Deus, qui in angélico júvene Aloísio miram vitae innocéntiam pari cum poeniténtia sociásti: ejus méritis et précibus concéde; ut innocéntem non secúti, poeniténtem imitémur. Per Dñum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ALOISIUS, Ferdinándi Gonzágae Castelliónis Stiverórum Marchiónis fílius, festináto propter vitae perículum baptísmo, prius coelo, quam terris nasci visus, primam illam grátiam tam constánter retínuit, ut in ea confirmátus crederétur. A primo ratiónis usu, quo se Deo statim óbtulit, vitam duxit quotídie sanctiórem. Novénnis Floréntiae ante aram beátae Vírginis, quam paréntis loco semper hábuit, perpétuam virginitátem vovit: eámque insígni Dei benefício, nulla mentis, aut córporis pugna tentátam servávit. Réliquas ánimi perturbatiónes coepit aetáte illa tam fórtiter comprímere, ut ne primo quidem eárum motu deínde incitarétur. Sensus étiam, óculos praecípue, ita cohíbuit, ut non modo illos nunquam in fáciem inténderit Maríae Austríacae, quam plures annos inter honorários Hispaniárum príncipis ephébos fere quotídie salutávit; sed a matris étiam vultu continéret. Homo proptérea sine carne, aut Angelus in carne mérito appellátus.

℟. Honéstum fecit illum Dñus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: ℣ Et dedit illi claritátem aetérnam. ℟. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit illi.

Lectio v.

ADJECIT sénsuum custódiae córporis cruciátum. Tria síngulis hebdómadis jejúnia, éaque plerúmque módico pane et aqua tolerábat. Quamquam perpétuum fuísse per id tempus ipsíus jejúnium

vidéri potest, cum ejus prándia ferme vix únciam aequárent. Saepe étiam ter in die se fúnibus, aut caténis cruentábat : flagélla quandóque canum loris, cilícia equórum calcáribus supplévit. Mollem léctulum clam injéctis ásserum fragméntis asperábat, eo étiam, ut cítius ad orándum excitarétur. Magnam quippe nóctis partem, summa étiam hieme, solo tectus indúsio, pósitis humi génibus, vel prae languóre jacens ac pronus, in coeléstium contemplatióne traducébat. Interdiu quoque tres, quátuor, quinque horas in ea perstábat immótus, donec unam saltem ánimo nusquam distráeto percurrísset. Cujus constántiae praemium fuit stabílitas mentis inter orándum álio non vagántis; imo perpétua velut éxtasi in Deo defíxae. Ei demum ut únice adhaeréret, victo post triennále acérrimum certámen patre, et avíti principátus jure in fratrem transláto, Societáti Jesu, ad quam coelésti voce Matríti fúerat accítus, Romae se adjúnxit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, ℣. Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

IN tyrocínio ipso virtútum ómnium magíster habéri coepit. Exactíssima in eo erat legum étiam minimárum custódia, mundi contémptus singuláris, implacábile ódium sui : Dei vero amor tam ardens, ut corpus étiam sensim absúmeret. Jussus proptérea mentem a divínis rebus tantísper avértere, occurréntem sibi ubíque Deum írrito conátu fugiébat. Mira étiam próximos charitáte amplexus, in públicis, quibus alácriter ministrábat, nosocomíis, contagiósam luem traxit. Qua lente consúmptus, die quem praedíxerat, undécimo Kalendas Júlii, aetátis anno quarto et vigésimo jam inchoáto, cum ántea flagéllis caedi, atque humi stratus mori postulásset, migrávit in coelum. Ibi eum sancta María Magdaléna de Pazzis tanta frui glória, Deo monstránte, vidit, quantam vix esse in coelo credidísset ; ipsúmque sanctimónia insígnem, et charitáte Mártyrem incógnitum fuísse praedicávit. Multis étiam, magnísque cláruit miráculis. Quibus rite probátis, Benedíctus decimustértius Sanctórum fastis angélicum júvenem adscrípsit, atque innocéntiae et castitátis

exémplar simul et patrónũ studiósae praesértim juventúti dedit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xxii. *v.* xxix.

IN illo témpore : Respóndens Jesus ait Sadducaeis : Errátis nesciéntes Scriptúras, neque virtútem Dei : in resurrectióne enim neque nubent, neque nubéntur : sed erunt sicut Angeli Dei in coelo. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Libro de Virginitate.

VIRGINITAS est bona : id ego quoque fáteor. Atqui núptiis étiam mélior; et istud tibi asséntior: ac si libet, illud adjúngam, tanto núptiis eam praestáre, quanto coelum terrae, quanto homínibus Angeli antecéllunt : ac, si quid praetérea addéndum est, étiam magis. Nam si neque nubunt Angeli, neque uxórem ducunt; non étiam carne et sánguine coagmentáti sunt : in terris praetérea non commorántur, non cupiditátum, aut libídinum perturbatiónibus sunt obnóxii; non cibi índigent, aut potus; non sunt ejúsmodi, ut eos dulcis sonus aut cantus mollis, aut praeclára spécies possit allícere; nulla dénique ejus géneris illécebra capiúntur.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℟. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.—Ipse.

Lectio viii.

AT humánũ genus cum natúra beátis illis méntibus inférius sit, omni vi studióque conténdit, ut quoad ejus fieri potest, illas assequátur. Quómodo? Non nubunt Angeli; at neque étiam virgo. Assisténtes illi semper ad Deum, eídem insérviunt; et istud ipsum virgo. Quod si vírgines, quámdiu córporis ónere deprimúntur, quemádmodum Angeli in coelum néqueunt ascéndere, illud eo vel máximo solátio compénsant, quod modo spíritu

et córpore sancti sint, coeli Regem recípiunt. Vidésne virginitátis praestántiam? quómodo terrárum íncolas sic affíciat, ut qui córpore vestíti sunt, eos incorpóreis méntibus exaequet?

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris : ✠ Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

QUA enim, quaeso, re differébant ab Angelis Elías, Eliséus, Joánnes, veri hi virginitátis amatóres? nulla, nisi quod mortáli natúra constábant. Nam caetera si quis diligénter inquírat, hi níhilo minus affécti reperiéntur, quam beátae illae mentes : et idípsum, quo inferióre conditióne vidéntur esse, in magna est eórum laude ponéndum. Ut enim terrárum íncolae, et ii qui essent mortáli natúra, possent ad illam virtútem vi et contentióne pervenire; vide quanta eos fortitúdine, quanta vitae ratióne praeditos fuísse opórteat.

Te Deum laudámus. 17.

In secundis Vesperis fit Commemoratio sequentis.

DIE XXII. JUNII.

Sancti Paulini, Episcopi et Confessoris.

Oratio.

OA, quaesumus omnípotens Deus: ut beáti Paulíni Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis augeat et salútem. Per Dóminum.

Lectio ii.

AULINUS NolaeEpíscopus, erudítus stúdiis humanitátis, doctus étiam divínis lítteris, multa eleganter et ornáte scripsit versibus, et solúta oratióne. Hujus viri cháritas praecípue celebrátur, quod vastáta a Gothis Campánia, omnem facultátem, ne relictis quidem sibi rebus ad vitam necessáriis, in aléndos páuperes, et captívos rediméndos, contúlerit. Quo témpore, ut scribit sanctus Augustínus, ex opulentíssimo dívite voluntáte paupérrimus, et copiosíssime sanctus, captus a bárbaris sic Deum precabátur : Dñe, ne excrúcier propter aurum et argéntum : ubi enim sint ómnia mea, tu scis. Póstea vero Wándalis eásdem regiónes infestántibus, cum ab eo póscerent vídua ut fílium sibi redímeret, consúmptis

rebus ómnibus in offício pietátis, seípsum pro illo in servitútem trádidit.

Lectio iii.

IGITUR in Africam proféctus, dómini sui, qui regis erat gener, hortum coléndum suscépit. Verum cum prophetíae dono regis mortem ipsi dómino praedixísset, et rex in somnis Paulínum sedéntem médium inter duos júdices, sibíque de mánibus eripiéntem flagéllum vidísset; tantus vir cógnitus honorificentíssime dimíssus est, condonátis ei ómnibus suis cívibus, qui captívi fúerant. Nolam revérsus ad episcopále offícium, cum verbo et exémplo omnes ad pietátem christiánam inflammáret, láterum dolóre corréptus est; mox cubículum, in quo jacébat, terraemótu contrémuit, ac paulo post ánimam Deo réddidit.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XXIII. JUNII.

In Vigilia S. Joannis Bapt.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio i. *Cap.* i.

EXIT in diébus Heródis, regis Judaeae, sacérdos quidam nómine Zacharías, de vice Abía; et uxor illíus de filiábus Aaron, et nomen ejus Elísabeth. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Libro i. *in Lucam.*

NOCET nos Scriptúra divína, non solum mores in iis qui praedicábiles sunt, sed étiam paréntes oportére laudári: ut véluti transmíssa immaculátae puritátis haeréditas, in iis quos vólumus laudáre, praecéllat. Quae enim ália inténtio hoc loco sancti Evangelístae, nisi ut sanctus Joánnes Baptísta nobilitétur paréntibus, miráculis, móribus, múnere, passióne? Sic étiam sancti Sámuel mater Anna laudátur: sic Isaac a paréntibus nobilitátem pietátis accépit, quam pósteris derelíquit. Sacérdos ítaque Zacharías, nec solum sacérdos, sed étiam de vice Abía, id est, nóbilis inter superióres famílias.

Responsória de Feria currente.

Lectio ii.

ET uxor, inquit, illi de filiábus Aaron. Non solum ígitur a paréntibus, sed étiam a majóribus sancti Joánnis nobílitas propagátur, non saeculári potestáte sublímis, sed religiónis successióne venerábilis. Tales enim majóres habére débuit praenúntius Christi:

ut non repénte concéptam, sed a majóribus accéptam, et ipso infúsam jure natúrae, praedicáre fidem Domínici viderétur advéntus. Erant, inquit, ambo justi ante Deum, incedéntes in ómnibus mandátis et justificatiónibus Dñi sine queréla. Quid ad hoc réferunt, qui peccátis suis solátia praeferéntes, sine peccátis frequéntibus hóminem putant esse non posse: et utúntur versículo, quia scriptum est in Job: Nemo mundus a sorde, nec si unius diéi vita ejus sit in terra.

Lectio iii.

QUIBUS respondéndū est, prius ut, quid sit hóminem sine peccáto esse, defíniant: utrum nunquam omníno peccásse, an desiísse peccáre. Si enim hoc putant sine peccáto esse, nunquam omníno peccásse; et ipse conséntio. Omnes enim peccavérunt, et egent glória Dei. Sin autem eum qui véterem errórem corréxerit, et in eam se vitae transformáverit qualitátem, ut témperet a peccáto, negant abstinére a delíctis; non possum in eórum convenire senténtiam, cum legámus: Quia sic Dóminus diléxit Ecclésiam, ut exhíbeat ipsam sibi gloriósam, et non habéntem máculam, aut rugam, aut áliquid ejúsmodi, sed ut sit sancta et immaculáta.

Ańa ad Benedictus, ut in Psalterio; et post Antiphonam dicuntur Preces feriales flexis genibus. 62.

Oratio.

PRAESTA quaesumus, omnípotens Deus: ut família tua per viam salútis incédat; et beáti Joánnis praecursóris hortaménta sectándo, ad eum quem praedíxit, secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit.

Notandum, quod si sequenti die xxiv. occurrerit solemnitas SS. Corporis Christi, agendum erit de praedicta solemnitate: Festum vero S. Joannis Baptistae tunc reponatur in diem xxv. tamquam in sedem propriam, translato quocumque alio festo duplici, si alicubi occurrat post Octavam; sed si fuerit primae vel secundae classis, transfertur in primam diem officio duplici non impeditam, etiam infra Octavam SS. Corporis Christi.

DIE XXIV. JUNII.

In Nativitate S. Joannis Baptistae. Duplex.

AD VESPERAS.

Ańae. 1. Ipse praeíbit ante illum in spíritu et virtúte

Elíae paráre Dño plebem perféctam. Ps. Dixit Dñus, cum reliquis de Dominica. 133. et loco ultimi, Psalm. Laudáte Dóminum omnes Gentes. 137.

2. Joánnes est nomen ejus : vinum et síceram non bibet, et multi in nativitáte ejus gaudébunt.

3. Ex útero senectútis et stérili Joánnes natus est praecúrsor Dómini.

4. Iste puer magnus coram Dómino: nam et manus ejus cum ipso est.

5. Nazaraeus vocábitur puer iste : vinum et síceram non bibet, et omne immúndum non manducábit ex útero matris suae.

Capitulum. *Isaiae* xlix.

AUDITE, ínsulae, et atténdite, pópuli de longe : Dóminus ab útero vocávit me, de ventre matris meae recordátus est nóminis mei.

Hymnus.

UT queant laxis resonáre fibris
Mira gestórũ fámuli tuórũ,
Solve pollúti lábii reátum,
Sancte Joánnes.

Núntius celso véniens Olympo,
Te patri magnum fore nascitúrum,
Nomen, et vitae sériem geréndae,
Ordine promit.

Ille promíssi dúbius supérni,
Pérdidit promptae módulos loquélae :
Sed reformásti génitus perémptae
Organa vocis.

Ventris obstrúso récubans cubíli,
Sénseras Regem thálamo manéntem :
Hinc parens, nati méritis, utérque
Abdita pandit.

Sit decus Patri, genitaeque Proli,
Et tibi, compar utriúsque virtus,
Spíritus semper, Deus unus, omni
Témporis aevo. Amen.

℣. Fuit homo missus a Deo. ℟. Cui nomen erat Joánnes.

Ad Magnif. Añа. Ingrésso Zacharía templum Dñi, appáruit ei Gábriel Angelus, stans a dextris altáris incénsi.

Oratio.

DEUS, qui praeséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum ; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis aetérnae. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem Praecursóris Dóminum, Veníte

adorémus. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

ANTRA desérti téneris sub annis,
Cívium turmas fúgiens, petísti,
Ne levi posses maculáre vitam
Crímine linguae.
Praebuit durum tégumen camélus
Artubus sacris, stróphium bidéntes ;
Cui latex haustum, sociáta pastum
Mella locústis.
Caeteri tantum cecinére Vatum
Corde praeságo jubar affutúrum :
Tu quidem mundi scelus auferéntem
Indice prodis.
Non fuit vasti spátium per orbis
Sánctior quisquam génitus Joánne ;
Qui nefas saecli méruit lavántem
Tíngere lymphis.
Sit decus Patri, genitaeque Proli,
Et tibi, compar utriúsque virtus,
Spíritus semper, Deus unus, omni
Témporis aevo. Amen.

In primo Nocturno.

Aña. Priúsquam te formárem * in útero, novi te : et ántequam progrederéris, sanctificávi te. Ps. Beátus vir, cum reliquis de Comm. Confess. non Pont. lxxxiv.

Aña. Ad ómnia quae mittam te, * dicit Dóminus, ibis: ne tímeas, et quae mandávero tibi, loquéris ad eos.

Aña. Ne tímeas * a fácie eórum, quia ego tecum sum, dicit Dóminus.

℣. Fuit homo missus a Deo. ℟. Cui nomen erat Joánnes.

Incipit Jeremías Prophéta.

Lectio i. *Cap.* i.

VERBA Jeremíae fílii Helcíae, de sacerdótibus, qui fuérunt in Anathoth, in terra Bénjamin. Quod factum est verbum Dómini ad eum in diébus Josíae fílii Amon regis Juda, in tertiodécimo anno regni ejus. Et factum est in diébus Jóakim fílii Josíae regis Juda, usque ad consummatiónem undécimi anni Sedecíae fílii Josíae regis Juda, usque ad transmigratiónem Jerúsalem, in mense quinto. Et factum est verbum Dómini ad me, dicens : Priúsquam te formárem in útero, novi te : et ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, et Prophétam in Géntibus dedi te.

℟. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes : ✠ Hic venit in testimónium, ut testimónium

perhibéret de lúmine, et paráret Dómino plebem perféctam. ℣. Erat Joánnes in desérto praedicans baptísmum poeniténtiae. — Hic venit.

Lectio ii.

ET dixi, A, a, a, Dñe Deus: ecce néscio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dóminus ad me : Noli dícere: Puer sum : quóniam ad ómnia, quae mittam te, ibis : et univérsa quaecúmque mandávero tibi, loquéris. Ne tímeas a fácie eórum : quia tecum ego sum, ut éruam te, dicit Dóminus. Et misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum : et dixit Dóminus ad me : Ecce dedi verba mea in ore tuo : ecce constítuite hódie super Gentes, et super regna, ut evéllas, et déstruas, et dispérdas, et dissipes, et aedífices, et plantes.

℟. Elísabeth Zacharíae magnum virum génuit, Joánnem Baptístam praecursórem Dómini : Qui viam Dómino praeparávit in erémo. ℣. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes.—Qui viam.

Lectio iii.

TU ergo accínge lumbos tuos, et surge, et lóquere ad eos ómnia quae ego praecípio tibi. Ne formídes a fácie eórum : nec enim timére te fáciam vultum eórum. Ego quippe dedi te hódie in civitátem munítam, et in colúmnam férreã, et in murum aereum, super omnem terram, régibus Juda, princípibus ejus, et sacerdótibus, et pópulo terrae. Et bellábunt advérsum te, et non praevalébunt : quia ego tecum sum, ait Dóminus, ut líberem te.

℟. Priúsquam te formárem in útero, novi te : et ántequam exíres de ventre, sanctificávi te : Et Prophétam in Géntibus dedi te. ℣. Vir diléctus a Deo, et homínibus, honorátus est.—Et Prophétam. Glória Patri. Et Prophétam.

In secundo Nocturno.

Aña. Misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum, et Prophétam in Géntibus dedit me Dóminus.

Aña. Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constítui te super Gentes et regna.

Aña. Dóminus ab útero vocávit me, de ventre matris meae recordátus est nóminis mei.

℣. Inter natos mulíerum non surréxit major, ℟. Joánne Baptísta.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. xx. *de Sanctis.*

Lectio iv.

POST illum sacrosánctum Dñi natális diem, nullíus hóminum nativitátem légimus celebrári, nisi solíus beáti Joánnis Baptístae. In áliis sanctis et eléctis Dei nóvimus illum diem coli, quo illos, post consummatiónem labórum, et devíctum triumphatúmque mundum, in perpétuas aeternitátes praesens haec vita partúriit. In áliis consummáta últimi diéi mérita celebrántur ; in hoc étiam prima dies, et ipsa étiam hóminis inítia consecrántur : pro hac absque dúbio causa, quia per hunc Dóminus advéntum suum, ne súbito hómines insperátum non agnóscerent, vóluit esse testátum. Joánnes autem figúra fuit véteris testaménti, et in se formam praetulit legis : et ídeo Joánnes praenuntiávit Salvatórem, sicut lex grátiam praecucúrrit.

℟. Descéndit Angelus Dñi ad Zacharíam, dicens : Accipe púerum in senectúte tua : * Et habébit nomen Joánnes Baptísta. ℣. Iste puer magnus coram Dómino : nam et manus ejus cum ipso est. — Et habébit.

Lectio v.

QUOD autem nondum natus, de secréto matérni úteri prophetávit, et expers lucis, jam testis est veritátis : hoc est intelligéndum, quod latens sub velámine et carne lítterae, et Redemptórem mundo spíritu praedicávit, et nobis Dóminum nostrum de quodam legis útero proclamávit. Ergo quia Judaei erravérunt a ventre, id est, a lege, quae a Christo grávida erat, erravérunt a ventre, locúti sunt falsa : ídeo hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine.

℟. Hic est praecúrsor diléctus, et lucérna lucens ante Dóminum : * Ipse est enim Joánnes, qui viam Dómino praeparávit in erémo ; sed et Agnum Dei demonstrávit, et illuminávit mentes hóminum. ℣. Ipse praefbit ante illum in spíritu et virtúte Elíae. — Ipse.

Lectio vi.

QUOD autem Joánnes in cárcere constitútus, ad Christum discípulos suos órdinat : lex ad Evangélium transmíttit. Quae lex juxta typum Joánnis, quasi ignorántiae clausa cárcere, in obscúro et in occúlto jacébat, et Judáica caecitáte sensus intra lítteram tenebátur inclúsus. De hoc beátus Evangelísta prolóquitur : Ille erat lucérna ardens, id est, Spíritus sancti igne succénsus, ut mundo

ignorántiae nocte possésso, lumen salútis osténderet, et quasi inter densíssimas delictórum ténebras, splendidíssimum justítiae solem lucis, suae rádio demonstráret, de seípso dicens: Ego vox clamántis in desérto.

℣. Innuébant patri ejus, quem vellet vocári eum: et póstulans pugillárem, scripsit, dicens: * Joannes est nomen ejus. ℣. Apértum est os Zacharíae, et prophetávit, dicens. — Joánnes. Glória Patri. Joánnes.

In tertio Nocturno.

Ant. Pósuit os meum * Dñus quasi gládium acútum: sub umbra manus suae protéxit me.

Psalmus xiv.

DOMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justitiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus: * timéntes autem Dóminum glorificat:

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit haec, * non movébitur in aetérnum.

Ant. Pósuit os meum Dóminus quasi gládium acútum: sub umbra manus suae protéxit me.

Ant. Formans me ex útero * servum sibi Dñus, dicit: Dedi te in lucem Géntium, ut sis salus mea usque ad extrémum terrae.

Psalmus xx.

DOMINE, in virtúte tua laetábitur rex: * et super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei: * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te: * et tribuísti ei longitúdinem diérum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in saeculum saeculi: * laetificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi, non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quae non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in reliquiis tuis praeparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Antiphona. Formans me ex útero servum sibi Dóminus, dicit : Dedi te in lucem Géntium, ut sis salus mea usque ad extrémum terrae.

Ańa. Reges vidébunt, et consúrgent príncipes, et adorábunt Dóminum Deum tuum, qui elégit te.

Psalmus xxxiii.

BENEDICAM Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et laeténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illumináminí : * et fácies vestrae non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dñus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timentium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dñum, omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos ?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dñi super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multae tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dñus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Reges vidébunt, et consúrgent príncipes, et adorábunt Dóminum Deum tuum, qui elégit te.

℣. Elísabeth Zacharíae magnum virum génuit. ℟. Joánnem Baptístam praecursórem Dómini.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* i. *f.*

ELISABETH implétum est tempus pariéndi, et péperit fílium. Et audiérunt vicíni et cognáti ejus, quia magnificávit Dóminus misericórdiam suam cum illa, et congratulabántur ei. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. *Comment. in Lucae cap.* i. *ante finem.*

EPERIT fílium Elísabeth, et congratulabántur vicíni. Habet sanctórum edítio laetítiam plurimórum, quia commúne est bonum. Justítia enim commúnis est virtus : et ídeo in ortu justi futúrae vitae insígne praemíttitur, et grátia secutúrae virtútis exultatióne vicinórum praefiguránte signátur. Pulchre autem tempus, quo fuit in útero Prophéta, describitur, ne Maríae praeséntia taceátur : sed tempus silétur infántiae, eo quia infántiae impedimenta nescívit. Et ídeo in Evangélio nihil super eo légimus, nisi ortum ejus, et oráculum, exultatiónem in útero, vocem in déserto.

℟. Praecúrsor Dómini venit, de quo ipse testátur: Nullus major inter natos mulíerum Joánne Baptísta. ℣. Hic est enim Prophéta, et plus quam Prophéta, de quo Salvátor ait. — Nullus.

Lectio viii.

NEQUE enim ullam infántiae sensit aetátem, qui supra natúram,

supra aetátem in útero pósitus matris, a mensúra coepit aetátis plenitúdinis Christi. Mire sanctus Evangelísta praemitténdum putávit, quod plúrimi infántem patris nómine Zacharíam appellándum putáverint : ut advértas matri non nomen alicújus displicuísse degéneris, sed id sancto infúsum Spíritu, quod ab Angelo ante Zacharíae fúerat praenuntiátum. Et quidem ille mutus intimáre vocábulum fílii nequívit uxóri : sed per prophetíam Elísabeth dídicit, quod non didícerat a maríto.

℟. Gábriel Angelus appáruit Zacharíae dicens : Nascétur tibi fílius, nomen ejus Joánnes vocábitur : * Et multi in nativitáte ejus gaudébunt. ℣. Erit enim magnus coram Dño, vinum et síceram non bibet. —Et multi. Glória Patri. Et multi.

Lectio ix.

JOANNES est, inquit, nomen ejus : hoc est, non nos ei nomen impónimus, qui jam a Deo nomen accépit. Habet vocábulum suum, quod agnóvimus, non quod elégimus. Habent hoc mérita sanctórum, ut a Deo nomen accípiant. Sic Jacob Israël dícitur, quia Deum vidit. Sic Dóminus noster Jesus nominátus est ántequam natus, cui non Angelus, sed Pater nomen impósuit. Vides Angelos, quae audíerint, non quae usurpáverint, nuntiáre. Nec miréris, si nomen múlier, quod non audívit, asséruit, quando Spíritus ei sanctus, qui Angelo mandáverat, revelávit.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Elísabeth Zacharíae * magnum virum génuit, Joánnem Baptístam praecursórem Dñi. Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Innuébant patri ejus, * quem vellet vocári eum : et scripsit, dicens: Joánnes est nomen ejus.

3. Joánnes vocábitur * nomen ejus : et in nativitáte ejus multi gaudébunt.

4. Inter natos mulíerum * non surréxit major Joánne Baptísta.

5. Tu puer, * Prophéta Altíssimi vocáberis : praeíbis ante Dñum paráre vias ejus.

Capitulum. *Isaiae* xlix.

AUDITE, ínsulae, et atténdite, pópuli de longe : Dóminus ab útero vocávit me, de ventre matris meae recordátus est nóminis mei.

Hymnus.

ONIMIS felix, meritíque celsi,
Nésciens labem nívei pudóris,

Praepotens Martyr, nemorúmque cultor,
Máxime Vatum.
Serta ter denis álios corónant
Aucta creméntis, duplicáta quosdam ;
Trina te fructu cumuláta centum
Néxibus ornant.
Nunc potens nostri méritis opímis
Péctoris duros lápides revélle,
Asperum planans iter, et refléxos
Dírige calles.
Ut pius mundi Sator, et Redémptor,
Méntibus culpae sine labe puris,
Rite dignétur véniens beátos
Pónere gressus.
Láudibus cives célebrent supérni
Te, Deus simplex, paritérque trine,
Súpplices et nos véniam precámur :
Parce redémptis. Amen.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Ad Bened. Ańa. Apértum est * os Zacharíae, et prophetávit, dicens: Benedíctus Deus Israël.

Oratio.

DEUS, qui praeséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum ; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis aetérnae. Per Dóminum nostrum.

AD TERTIAM.

Ańa. Innuébant patri ejus.

Capitulum. Audíte, ínsulae, ut supra.

℟. br. Fuit homo, Missus a Deo. Fuit. ℣. Cui nomen erat Joánnes. Missus. Glória Patri. Fuit.

℣. Inter natos mulíerum non surréxit major, ℟. Joánne Baptísta.

AD SEXTAM.

Ańa. Joánnes vocábitur.

Capitulum. *Isaiae* xlix.

ET nunc haec dicit Dóminus, formans me ex útero servum sibi : Dedi te in lucem Géntium, ut sis salus mea usque ad extrémum terrae.

℟. br. Inter natos mulíerum * non surréxit major. Inter. ℣. Joánne Baptísta. Non. Glória Patri. Inter.

℣. Elísabeth Zacharíae magnum virum génuit. ℟. Joánnem Baptístam praecursórem Dómini.

AD NONAM.

Ańa. Tu puer.

Capitulum. *Isaiae* xlix. *b.*

REGES vidébunt, et consúrgent príncipes, et adorábunt Dóminum

Deum tuum, et sanctum Israël, qui elégit te.

℟. br. Elísabeth Zacharíae * magnum virum génuit. Elísabeth. ℣. Joánnem Baptístam praecursórem Dómini. Magnum virum. Glória Patri. Elísabeth.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

AD VESPERAS.

Ańa. Elísabeth Zacharíae, cum reliquis de Laudibus, ut supra. 450.

Psalmi, Capitulum, et Hymnus, ut in primis Vesperis. 442.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Ad Magníf. Ańa. Puer, * qui natus est nobis, plus quam Prophéta est: hic est enim, de quo Salvátor ait: Inter natos muliérum non surréxit major Joánne Baptísta.

Oratio. Deus, qui praeséntem, ut supra. 451.

DIE XXV. JUNII.

In festo S. Gulielmi, Abbatis. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Póntif. lxxxiii. praeter ea, quae hic habentur propria.

Oratio.

DEUS, qui infirmitáti nostrae ad teréndam salútis viam in Sanctis tuis exémplum, et praesídium collocásti, da nobis, ita beáti Guliélmi Abbátis mérita venerári, ut ejúsdem excipiámus suffrágia, et vestígia prosequámur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

GULIELMUS nobílibus paréntibus Vercéllis in Insúbria natus, vix quartum décimum aetátis annum expléverat, cum miro quodam pietátis ardóre flagrans, Compostellánam peregrinatiónem ad celeberrimum sancti Jacóbi templum aggréssus est. Quod iter una amíctus túnica, ac dúplici férreo círculo praecíctus, nudísque pédibus prosecútus, aspérrima frígoris et aestus, famis et sitis summo cum vitae discrímine perpéssus est incómmoda. Revérsus in Itáliam, novam ad sanctum Dómini sepúlchrum peregrinatiónem molítur: Sed quo minus propósitum exequátur, vária atque gravíssima intercédunt impedimenta, divíno núnine

ad altióra, et sanctióra religiósam júvenis índolem retrahénte. Porro in solículo monte biénnium inter assíduas preces, vigílias, chameunias, et jejúnia commorátus, divína subníxus ope, caeco lumen restítuit; cujus miráculi fama percrebrescénte, jam Guliélmus latére non póterat : quare íterum Hierosólymam cógitat, et álacris se itíneri commíttit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : ℣. Et dedit illi claritátem aetérnam. ℟. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.— Et dedit illi.

Lectio v.

DEI autem mónitu, qui eídem appáruit, a propósito revocátur, utílior ac fructuósior tam apud Italos, quam apud éxteras natiónes futúrus. Tum monastérium in Virgiliáni montis cacúmine, quod deínde Vírginis est appellátum, loco áspero, et inaccésso miránda exaedíficat celeritáte. Sócios deínde viros, et religiósos adscíscit, eósque ad vivéndi normam evangélicis praeceptis et consíliis summópere accomodátam tum certis légibus ex beáti Benedícti institútis magna ex parte desúmptis, tum verbo et sanctíssimae vitae exémplis infórmat.

℟. Amávit eum Dñus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, ℣. Et ad portas paradísi coronávit eum. ℟. Induit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

ALIIS deínde monastériis eréctis, clárior in dies Guliélmi facta sánctitas multos ad eum úndique viros perdúcit, sanctitátis odóre, et miraculórum fama alléctos. Nam muti loquélam, surdi audítum, áridi vigórem, varióque et immedicábili morbo laborántes, sanitátem ipsíus intercessióne recepérunt. Aquam in vinum convértit, áliaque complúra mirabília patrávit : inter quae illud non siléndum, quod, muliércula ad ejus castitátem tentándam missa, in ardéntibus prunis humi stratis illaesum se volutávit. De qua re cértior factus Rogérius Neápolis rex, in summam viri Dei veneratiónem addúcitur. Demum témpore sui óbitus regi, aliísque praenuntiáto, innúmeris virtútibus, et miráculis clarus obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo centésimo quadragésimo secúndo.

℟. **Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiē meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.** ℣. **Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.**

In tertio Nocturno, Homilia sancti. Hieronymi Presbyteri in Evangelium : **Ecce nos relíquimus ómnia,** de Comm. Abbatum. **xcix.**

In Laudibus fit Commemoratio Octavae S. Joannis, Añae. **Apértum est.** ℣. **Iste puer.** Oratio. **Deus, qui praeséntem. 451.**

Vesperae a Capitulo de SS. Joanne et Paulo cum Commem. S. Gulielmi, et Octavae S. Joannis.

DIE XXVI. JUNII.

In festo SS. Joannis et Pauli, Martyrum. Duplex.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum. **xliv.** exceptis his, quae hic sunt propria.

Si ob aliquam causam dici contigerit primas Vesperas hujus festi integras, tunc dicantur Añae de Laudibus, ut infra ; Psalmi de Dominica, **133.** et loco ultimi Ps. **Laudáte Dóminum omnes Gentes. 137.**

Capitulum, Hymnus, ℣. de Communi plurimorum Martyrum.

Ad Magnif. Añae. **Astitérunt justi ante Dóminum, et ab ínvicem non sunt separáti : cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei appellāti sunt.**

Oratio.

QUAESUMUS, omnípotens Deus : ut nos geminata laetítia hodiérnae festivitátis excípiat, quae de beatórum Joánnis et Pauli glorificatióne procédit : quos éadem fides et pássio vere fecit esse germános. **Per Dóminum.**

Deinde fit Commemoratio S. Gulielmi, ac Octavae S. Joannis ut in secundis Vesperis festi.

Oratio. **Deus, qui praeséntem,** ut supra. **451.**

In primo Nocturno.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio i. *Cap.* viii. *c.*

FRATRES, debitóres sumus non carni, ut secúndū carnem vivámus. Si enim secúndum carnem vixéritis, moriémini : si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicúmque enim spíritu Dei agúntur, ii sunt fílii Dei. Non enim accepístis spíritum servitútis íterum in

timóre, sed accepístis spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus : Abba (Pater). Ipse enim Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quod sumus fílii Dei. Si autem fílii, et haerédes : haerédes quidem Dei, cohaerédes autem Christi : si tamen compátimur, ut et conglorificémur. Exístimo enim quod non sunt condígnae passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quae revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúrae, revelatiónem filiórum Dei expéctat.

℟. Isti sunt duo viri misericórdiae, qui assístunt ante Dóminum, * Dominatórem univérsae terrae. ℣. Isti sunt duae olívae, et duo candelábra lucéntia ante Dóminum.—Dominatórem.

Lectio ii.

SCIMUS autem, quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis qui secúndum propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos praescívit, et praedestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem praedestinávit, hos et vocávit : et quos vocávit, hos et justificávit : quos autem justificávit, illos et glorificávit. Quid ergo dicémus ad haec ? Si Deus pro nobis, quis contra nos ? Qui étiam próprio Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum : quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit advérsus eléctos Dei ? Deus qui justificat, quis est qui condémnet ? Christus Jesus, qui mórtuus est, imo qui et resurréxit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpéllat pro nobis.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium coelum, voce magna clamántem, et dicéntem.—Isti sunt.

Lectio iii.

QUIS ergo nos separábit a charitáte Christi? tribulátio, an angústia, an fames, an núditas, an perículum, an persecútio, an gládius ? (sicut scriptum est : Quia propter te mortificámur tota die ; aestimáti sumus sicut oves occisiónis). Sed in his ómnibus superámus propter eum, qui diléxit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principátus, neque Virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque

altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos separáre a charitáte Dei ; quae est in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia : * Et meruérunt habére corónas perpétuas. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.—Et meruérunt. Glória Patri. Et meruérunt.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOANNES et Paulus fratres Románi, cum facultátibus a Constántia Constantíni fília, cui pie fidelitérque servíserant, sibi relíctis, Christi páuperes álerent, a Juliáno apóstata in númerum familiárium suórum invitáti, líbere negavérunt, se apud eum esse velle, qui a Jesu Christo defecísset. Quibus ille ad deliberándum decem dies praefínit, ut nisi ad eam diem ei adhaerére, et Jovi sacrificáre constitúerint, sibi moriéndũ esse certo sciant.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes praecéptis tuis, ut inveniréntur illaesi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquae, et torrénte inundavérunt.—Terra.

Lectio v.

ILLI intra id tempus réliqua sua bona distribuérunt paupéribus, quo expeditióres ad Dóminum migráre possent, et plures juvárent, a quibus in aetérna tabernácula reciperéntur. Die décima Terentiánus praetóriae cohórtis praeféctus, ad eos missus, cum alláta Jovis effígie, ut eam veneraréntur, imperatóris mandátum eis expónit, ut nisi Jovi cultum adhíbeant, moriántur. Qui, ut erant oránte, respondérunt, se pro Christi fide, quem Deum mente et ore venerabántur, non dubitánter mortem subitúros.

℟. Vérbera carnífícum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut haerédes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia.—Ut haerédes.

Lectio vi.

AT Terentiánus véritus ne, si públice interficeréntur, pópulus commoverétur, domi, ubi tunc erant, abscíssis eórum capítibus, sexto Kaléndas Júlii, secréto eos sepeliéndos curávit : rumorémque sparsit, Joánnem et Paulum in exílium ejéctos esse. Verum

eórum mors a spirítibus immúndis, qui multórum córpora vexábant, pervulgáta est : in quibus Terentiáni fílius et ipse oppréssus a daemone, ad sepúlchrum Mártyrum perdúctus, liberátus est. Quo miráculo et is in Christum crédidit, et ejus pater Terentiánus, a quo étiam horum beatórum Mártyrum vita scripta esse dícitur.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocausti hóstiam accépit illos : et in témpore erit respéctus illórum : * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi.—Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xii.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Atténdite a ferménto Pharisaeórum, quod est hypócrisis. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedae Presbyteri.

Lib. 4. *in Lucam, cap.* lii.

EE hoc ferménto Apóstolus praecipit: Itaque epulémur, non in ferménto véteri, neque in ferménto malítiae et nequítiae, sed in ázymis sinceritátis et veritátis. Nam sicut módicum ferméntum totam farínae, cui injícitur, massam corrúmpit, universámque mox conspersiónem suo sapóre commáculat : sic nimírum simulátio, cujus semel ánimum imbúerit, tota virtútum sinceritáte et veritáte fraudábit. Est ergo sensus: Atténdite ne aemulémini simulatóres, quia véniet profécto tempus, in quo et vestra virtus ómnibus, et eórum revelétur hypócrisis.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum!—Quia.

Lectio viii.

UERUM quod séquitur : Quóniam quae in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur : non solum in futúro, quando cuncta córdium abscóndita proferéntur ad lucem, sed et in praesénti témpore potest congruénter áccipi : quóniam quae inter ténebras quondam pressurárum, carcerúmque umbras, vel locúti, vel passi sunt Apóstoli, nunc clarificáta per orbem

Ecclésia, lectis eórum áctibus públice praedicántur. Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus. Si persecutóres sanctórum, occísis corpóribus, non habent ámplius quid contra illos agant; ergo supervácua furunt insánia, qui mórtua Mártyrum membra feris avibúsque discerpénda projíciunt, cum nequáquam omnipoténtiae Dei, quin ea resuscitándo vivíficet, obsístere possint. ℟. Haec est vera fratérnitas, quae nunquam pótuit violári certámine : qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum: * Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna coeléstia. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum! — Contemnéntes. Glória Patri. Contemnéntes.

Lectio ix.

DUO autem sunt génera persecutórum : unum palam saeviéntium, álterum ficte fraudulentérque blandiéntium. Contra utrúmque nos munire atque institúere volens Salvátor, et supra ab hypócrisi Pharisaeórum atténdere, et hic a carnífícum caede praecipit non timére : quia vidélicet post mortem nec horum crudélitas, nec illórum váleat simulátio duráre. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio? Si minutíssima, inquit, animália, et quae quólibet per áera feruntur volatília, Deus oblivísci non potest ; vos, qui ad imáginem facti estis Creatóris, non debétis terréri ab his, qui occídunt corpus : quia, qui irrationabília animália gubérnat, rationabília curáre non désinit.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Paulus et Joánnes* dixérunt Juliáno : Nos unum Deum cólimus, qui fecit coelum et terram. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Paulus et Joánnes* dixérunt Terentiáno : Si tuus dóminus est Juliánus, habéto pacem cum illo : nobis álius non est, nisi Dóminus Jesus Christus.

3. Joánnes et Paulus * agnoscéntes tyránnidem Juliáni, facultátes suas paupéribus erogáre coepérunt.

4. Sancti spíritus et ánimae justórum, hymnum dícite Deo, allelúia.

5. Joánnes et Paulus* dixérunt ad Gallicánum : Fac votum Deo coeli, et eris victor mélius quam fuísti.

Capitulum. *Sap.* iii.

JUSTORUM ánimae in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis

insipiéntium mori, illi autem sunt in pace.

Hymnus. Rex glorióse.

℣. Exultábunt sancti. Iv.

Ad Benedictus. Aña. Isti sunt sancti, qui pro Christi amóre minas hóminum contempsérunt: sancti Mártyres in regno coelórum exúltant cum Angelis : o quam pretiósa est mors sanctórum, qui assídue assístunt ante Dóminum : et ab ínvicem non sunt separáti.

Oratio.

QUAESUMUS, omnípotens Deus : ut nos geminàta laetítia hodiérnae festivitátis excípiat, quae de beatórum Joánnis et Pauli glorificatióne procédit: quos éadem fides et pássio vere fecit esse germános. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio de Octava S. Joannis, Aña. Apértum est os Zacharíae, et prophetávit, dicens : Benedíctus Deus Israël.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Oratio. Deus, qui praeséntem, ut supra. 451.

AD TERTIAM.

Aña. Paulus et Joánnes.

Capit. Justórum ánimae, ut supra.

℟. br. Laetámini in Dómino, * Et exultáte justi. Laetámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et exultáte. Glória Patri. Laetámini.

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delectántur in laetítia.

AD SEXTAM.

Aña. Joánnes et Paulus.

Capitulum. *Sap.* x. *d.*

REDDIDIT Deus mercédem labórum sanctórum suórum, et dedúxit illos in via mirábili : et fuit illis in velaménto diéi, et in luce stellárum nocte.

℟. br. Exúltent justi * In conspéctu Dei. Exúltent. ℣. Et delectántur in laetítia. In conspéctu. Glória Patri. Exúltent.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dñum est merces eórum.

AD NONAM.

Aña. Joánnes et Paulus.

Capitulum. *Sap.* iii.

FULGEBUNT justi, et tamquam scintíllae in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis : et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

℟. br. Justi autem, * In perpétuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In perpétuum. Glória Patri. Justi.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

AD VESPERAS.

Ańa. Paulus et Joánnes, cum reliquis de Laud. 458. Psalmus. Dixit Dñus, cum reliquis de Dominica. 133. et loco ultimi, Psalm. Crédidi. 137.

Capitulum, et Hymnus de Communi. xliv.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Ad Magníficat, Ańa. Isti sunt duae olívae, et duo candelábra lucéntia ante Dóminum, habent potestátem cláudere coelum núbibus, et aperíre portas ejus: quia linguae eórum claves coeli factae sunt.

Oratio. Quaesumus, omnípotens Deus, ut supra. 459.

Deinde fit Commem. de Octava S. Joannis, Ańa. Puer, qui natus est nobis, plus quam Prophéta est: hic est enim, de quo Salvátor ait: Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Oratio ut supra. 451.

DIE XXVII. JUNII.

Quarta die infra Octavam Nativitatis S. Joannis.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Basilii Magni. *Homil.* ii. *in Psalm.* xxviii.

Lectio iv.

VOX Dómini super aquas. Qualis vox? super quas aquas? Velut prophetíam accipiámus quod dictum est. Memíneris Joánnis, qui interrogátus a Judaeis: Tu quis es? quod respónsum dábimus iis qui misérunt nos? respóndit: Ego vox clamántis in desérto. Igitur vox Dómini est Joánnes, Angelus a Deo missus ante fáciem Dñi, ut paráret Dómino plebem perfectam. Haec ígitur vox super aquas, erat super Jordánem, in quo baptizábat praedicans poeniténtiae baptísmum. Et non solum in Jordáne, sed étiam in Ænon prope Salim, quia aquae multae erant illic.

℟. Descéndit. 446.

Lectio v.

IGITUR vox Dómini super aquas, Joánnes est super baptísmum. Illic et Deus majestátis intónuit. Venit enim vox de coelo, dicens: Hic est Fílius meus dilectus, in quo mihi complácui. Tunc étiam Dñus super aquas multas dignátus est descéndere in baptísma Joánnis, ut compléret omnem justítiam quae in

lege est. Vox Dómini in virtúte. Aufert enim debilitátes pópuli per poeniténtiae baptísmum, per ipsum baptízans in aqua ad poeniténtiam. In virtúte est vox, dicens: Poeniténtiam ágite, appropinquávit enim regnum coelórum : et, Fácite fructus dignos poeniténtiae.

℟. Hic est. 446.

Lectio vi.

VOX Dómini confringéntis cedros. Potest dici, quod parans Dómino pópulum perféctum, elátas impietátes, et contra cognitiónem Dei exaltátas confríngens ac cónterens, oblíqua faciébat recta. Qui enim omnem collem ac montem humíliat, hic erat qui confringébat cedros, et Dómino viam adaequábat, per hoc quod ad poeniténtiam inducébat altum, et elátum, et supérbum cor. Unde ejus praeparatiónem suscípiens Dóminus, suo advéntu confrégit oppósitas poténtias, cedros Líbani figuráte dictas. Opórtet enim Dóminum regnáre, donec ponat inimícos sub pedes suos, et cedros istas commínuat.

℟. Innuébant patri. 447.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* i. *f.*

ELISABETH implétum est tempus pariéndi, et péperit fílium. Et audiérunt vicíni et cognáti ejus, quia magnificávit Dñus misericórdiam suam cum illa, et congratulabántur ei. Et réliqua.

De Homília S. Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. *in Luc. cap.* i. *in fine.*

ET Zacharías pater ejus implétus est Spíritu sancto, et prophetábat. Vide quam bonus Deus, et fácilis indulgére peccátis. Non solum abláta restítuit, sed étiam insperáta concédit. Ille dudum mutus prophétat. Haec enim grátia Dei máxima, quod eum, qui negáverat, confitétur. Nemo ergo diffídat, nemo véterum cónscius delictórum praemia divína despéret. Novit Dóminus mutáre senténtiam, si tu nóveris emendáre delíctum.

℟. Praecúrsor. 449.

Lectio viii.

ET tu puer, Prophéta Altíssimi vocáberis. Pulchre, cum de Dño prophetáret, ad Prophétam sua verba convértit, ut hoc quoque benefícium esse Dñi designáret : ne cum públice enumeráret sua, quasi ingrátus tacuísse viderétur, quae agnoscébat in fílio. Sed for-

tásse áliqui quasi irrationábilem mentis excéssum putent, quod octo diérum allóquitur infántem. Verum, si teneámus, intelligémus profécto quod pótuit vocem patris natus audíre, qui Maríae salutatiónē, ántequam nascerétur, audívit.

℟. Gábriel Angelus. 450.

Lectio ix.

SCIEBAT profécto álias esse aures Prophétae, quae Spíritu Dei, non córporis aetáte, reserántur. Habébat intelligéndi sensum, qui exultándi habébat affectum. Simul illud advérte, quam paucis Elísabeth, quam multis Zacharías prophétet : et utérque sancto replétus Spíritu loquebátur : sed disciplína servátur, ut múlier díscere magis quae divína sunt, stúdeat, quam docére.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XXVIII. JUNII.

In festo S. Leonis, Papae et Conf. Semiduplex.

A Capitulo fit de festo cum Commemor. Octavae sancti Joannis.

Si hoc festum venerit in Dominica, transfertur post Oct. Apost. : et in Sabbato, in quo fit de Oct. S. Joannis, legitur nona Lectio de Homilia Vigiliae Apostolorum, cum Commem. ejusdem ad Laudes tantum.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui beátum Leónem Pontíficem sanctórum tuórum méritis coaequásti : concéde propítius ; ut qui commemoratiónis ejus festa percólimus, vitae quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

Pro Commemor. Octavae S. Joannis, Añia. Puer, qui natus est nobis, plus quam Prophéta est : hic est enim, de quo Salvátor ait : Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Oratio.

DEUS, qui praeséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórū ; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis aetérnae. Per Dñum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

EO secúndus, Póntifex máximus, Sículus, humánis et divínis lítteris graece et latíne doctus, músicis étiam eru-

dítus fuit : ipse enim sacros Hymnos et Psalmos in Ecclésia ad concéntum meliórem redúxit. Probávit acta sextae synodi, quae Constantinópoli celebráta est, praesidéntibus legátis apostólicae sedis, praesénte quoque Constantino imperatóre, et duóbus Patriárchis, Constantinopolitáno et Antiochéno, ac centum septuagínta Epíscopis, quam et in Latínum tránstulit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.

IN eo concílio Cyrus, Sérgius, et Pyrrhus condemnáti sunt, unam tantúmmodo voluntátem et operatiónem in Christo praedicántes. Hic fregit supérbiam Antístitum Ravennátum, qui Exarchórum freti poténtia, sedi apostólicae non obtemperábant. Quamóbrem decrévit, ut eléctio cleri Ravennátis írrita esset, nisi Románi Pontíficis auctoritáte comprobarétur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vi.

UERE pater páuperum fuit : Non enim pecúnia solum, sed ópera, labóre, et consíliis egéntium viduárum, et pupillórum inópiam ac solitúdinem sublevábat. Qui dum síngulos non magis praedicatióne, quam vita, ad pie sanctéque vivéndum adhortarétur ; mense sui pontificátus décimo, et diébus decem et septem, obdormívit in Dño, sepultúsque est in basílica sancti Petri quarto Kaléndas Júlii. Ordinatióne una mense Júnio creávit Presbyteros novem, Diáconos tres, Epíscopos divérsis in locis vigínti tres.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno.

Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium: **Homo péregre,** de Communi Confessoris Pontificis. lxx.

Lectio nona de Vigilia sanctorum Apostolorum Petri et Pauli.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Cap. xxi.

IN illo témpore : Dixit Jesus Simóni Petro : Simon Joánnis, díligis me plus his? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. cxxiii. *in Joannem, in medio.*

REDDITUR negatióni trinae trina conféssio, ne minus amóri lingua sérviat, quam timóri: et plus vocis elicuísse videátur mors imminens, quam vita praesens. Sit amóris offícium páscere Domínicum gregem, si fuit timóris indícium negáre pastórem. Qui hoc ánimo pascunt oves Christi, ut suas velint esse, non Christi, se convincúntur amáre, non Christum : vel gloriándi, vel dominándi, vel acquiréndi, cupiditáte, non obediéndi, et subveniéndi, et Deo placéndi charitáte.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Commemoratio de Octava S. Joannis, Ańa. Apértum est os Zacharíae, et prophetávit, dicens : Benedíctus Deus Israël.

℣. Iste puer magnus coram Dño. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Oratio. Deus, qui praeséntem diem. 462.

Deinde pro Commemoratione Vigiliae, Ańa et ℣. de Feria currente ad Benedíctus, ut in Psalterio.

Oratio.

QUAESTA quaesumus, omnípotens Deus : ut nullis nos permíttas perturbatiónibus cóncuti, quos in apostólicae confessiónis petra solidásti. Per Dñum.

DIE XXIX. JUNII.

In festo SS. Apostolorum Petri et Pauli. Duplex.

AD VESPERAS.

Ańa. Petrus et Joánnes, cum reliquis de Laudibus. Psalmus. Dixit Dñus, cum reliquis de Communi Apostolorum. ii.

Capitulum. *Act.* xii.

MISIT Heródes rex manus, ut afflígeret quosdam de Ecclésia. Occídit autem Jacóbum fratrem Joánnis gládio. Videns autem quia placéret Judaeis, appósuit ut apprehénderet et Petrum.

Hymnus.

DECORA lux aeternitátis, áuream
Diem beátis irrigávit ígnibus,
Apostolórum quae corónat Príncipes,
Reísque in astra líberam pandit viam.

Mundi Magíster, atque
coeli Jánitor,
Romae paréntes, arbitríque
géntium,
Per ensis ille, hic per crucis
victor necem
Vitae senátum laureáti pós-
sident.
O Roma felix, quae duó-
rum Príncipum
Es consecráta glorióso sán-
guine :
Horum cruóre purpuráta
caeteras
Excéllis orbis una pulchri-
túdines.
Sit Trinitáti sempitérna
glória,
Honor, potéstas, atque ju-
bilátio,
In unitáte, quae gubérnat
ómnia,
Per univérsa saeculórum
saecula. Amen.

℣. In omnem terram ex-
ívit sonus eórum. ℟. Et in
fines orbis terrae verba
eórum.

Ad Magnificat, Antipho-
na. Tu es pastor óvium,
princeps Apostolórum, tibi
tráditae sunt claves regni
coelórum.

Oratio.

DEUS, qui hodiérnam
diem Apostolórum
tuórum Petri et Pauli mar-
tyrio consecrásti : da Eccle-
siae tuae, eórum in ómni-
bus sequi praecéptum, per
quos religiónis sumpsit ex-
órdium. Per Dóminum.

Et non fit Commemo-
ratio S. Pauli, cum Oratio
sit communis, nec Octávae
S. Joannis.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem
Apostolórum Dóminum, *
Veníte adorémus. Psalmus.
Veníte, exultémus. 2. Hy-
mnus. Ætérna Christi mú-
nera. v.

Aliae etiam, Psalmi, et
℣. Nocturnorum dicuntur
de Communi Apostolo-
rum. v.

In primo Nocturno.

De Actibus Apostolórum.

Lectio i. *Cap.* iii.

PETRUS autem, et
Joánnes ascendé-
bant in templum
ad horam oratió-
nis nonam. Et quidam vir,
qui erat claudus ex útero
matris suae, bajulabátur :
quem ponébant quotídie
ad portam templi, quae
dícitur Speciósa, ut péteret
eleemósynam ab introeún-
tibus in templum. Is, cum
vidísset Petrum et Joán-
nem incipiéntes introíre in
templum, rogábat ut elee-
mósynam accíperet. In-
tuens autem in eum Petrus
cum Joánne, dixit : Ré-
spice in nos. At ille intén-
débat in eos, sperans se
áliquid acceptúrum ab eis.

℟. Simon Petre, ánte-
quam de navi vocárem te,

novi te, et super plebem meam príncipem te constítui, * Et claves regni coelórum trádidi tibi. ℣. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in coelis : et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in coelis.—Et claves.

Lectio ii.

PETRUS autem dixit : Argéntum et aurum non est mihi : quod autem hábeo, hoc tibi do : In nómine Jesu Christi Nazaréni surge, et ámbula. Et apprehénsa manu ejus déxtera, allevávit eum, et prótinus consolidátae sunt bases ejus et plantae. Et exíliens stetit, et ambulábat, et intrávit cum illis in templum ámbulans, et exíliens, et laudans Deum. Et vidit omnis pópulus eum ambulántem et laudántem Deum. Cognoscébant autem illum, quod ipse erat, qui ad eleemósynam sedébat ad Speciósam portam templi : et impléti sunt stupóre et éxtasi, in eo quod contígerat illi.

℟. Si díligis me, Simon Petre, pasce oves meas : Dómine, tu nosti, quia amo te, * Et ánimam meam pono pro te. ℣. Si oportúerit me mori tecum, non te negábo. — Et ánimam meam.

Lectio iii.

CUM tenéret autem Petrum et Joánnem, cucúrrit omnis pópulus ad eos, ad pórticum, quae appellátur Salomónis, stupéntes. Videns autem Petrus, respóndit ad pópulum : Viri Israëlítae, quid mirámini in hoc, aut nos quid intuémini, quasi nostra virtúte aut potestáte fecérimus hunc ambuláre ? Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrórum glorificávit Fílium suum Jesum, quem vos quidem tradidístis et negástis ante fáciem Piláti, judicánte illo dimítti. Vos autem sanctum et justum negástis, et petístis virum homicídam donári vobis : auctórem vero vitae interfecístis, quem Deus suscitávit a mórtuis, cujus nos testes sumus. Et in fide nóminis ejus, hunc, quem vos vidístis, et nostis, confirmávit nomen ejus : et fides, quae per eum est, dedit íntegram sanitátem istam in conspéctu ómnium vestrum.

℟. Tu es Petrus, et super hanc petram aedificábo Ecclésiam meam, et portae ínferi non praevalébunt advérsus eam : * Et tibi dabo claves regni coelórum. ℣. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et

in coelis : et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in coelis.—Et tibi dabo. Glória Patri. Et tibi dabo.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Leónis Papae.
Sermone i. *in natali Apost. Petri et Pauli.*

Lectio iv.

OMNIUM quidem sanctárũ solemnitátum, dilectíssimi, totus mundus est párticeps : et unius fídei pietas éxigit, ut quidquid pro salúte universórũ gestum recólitur, commúnibus ubíque gáudiis celebrétur. Verúmtamen hodiérna festívitas, praeter illam reveréntiam, quam toto terrárum orbe proméruit, speciáli et própria nostrae Urbis exultatióne veneránda est, ut, ubi praecipuórum Apostolórum glorificátus est éxitus, ibi in die martyrii eórum sit laetítiae principátus. Isti enim sunt viri, per quos tibi Evangélium Christi, Roma, resplénduit; et quae eras magístra erróris, facta es discípula veritátis.

℣. Dñe, si tu es, jube me veníre ad te super aquas. * Et exténdens manum, apprehéndit eum, et dixit Jesus : Módicae fídei, quare dubitásti ? ℣. Cumque vidísset ventum válidum veniéntem, tímuit : et cum coepísset mergi, clamávit, dicens : Dómine, salvum me fac.—Et exténdens manum.

Lectio v.

ISTI sunt patres tui, veríque pastóres, qui te regnis coeléstibus inseréndam multo mélius multóque felícius condidérunt, quam illi, quorum stúdio prima moenium tuórum fundaménta locáta sunt : ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fratérna te caede foedávit. Isti sunt, qui te ad hanc glóriam provexérunt, ut gens sancta, pópulus eléctus, cívitas sacerdotális et régia, per sacram beáti Petri Sedem caput orbis effécta, látius praesidéres religióne divína, quam dominatióne terréna. Quamvis enim multis aucta victóriis, jus impérii tui terra maríque protúleris : minus tamen est, quod tibi béllicus labor súbdidit, quam quod pax christiána subjécit.

℣. Surge, Petre, et índue te vestiméntis tuis, áccipe fortitúdinem ad salvándas gentes : * Quia cecidérunt caténae de mánibus tuis. ℣. Angelus Dómini ástitit, et lumen refúlsit in habitáculo cárceris, percussóque látere Petri excitávit eum, dicens : Surge velóciter.—Quia cecidérunt.

Lectio vi.

DISPOSITO namque divínitus óperi máxime congruébat, ut multa regna uno confoederarentur império, et cito pérvios habéret pópulos praedicátio generális, quos uníus teneret régimen civitátis. Haec autem cívitas ignórans suae provectiónis auctórem, cum pene ómnibus dominarétur géntibus, ómnium géntium serviébat erróribus : et magnam sibi videbátur assumpsísse religiónē, quia nullam respuébat falsitátem. Unde quantum erat per diábolum tenácius illigáta, tantum per Christum est mirabílius absolúta.

℣. Tu es pastor óvium, princeps Apostolórum : tibi trádidit Deus ómnia regna mundi : * Et ídeo tibi tráditae sunt claves regni coelórum. ℣. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in coelis : et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in coelis.— Et ídeo tibi tráditae. Glória Patri. Et ídeo tibi tráditae.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xvi. *b.*

IN illo témpore : Venit Jesus in partes Caesaréae Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis ? Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 3. *Comment. in Matth. Cap.* xvi.

QUÆLCHRE intérrogat : Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis ? quia qui de Fílio hóminis loquúntur, hómines sunt : qui vero divinitátem ejus intélligunt, non hómines, sed dii appellántur. At illi dixérunt : Alii Joánnem Baptístam, álii autem Elíam. Miror quosdam intérpretes causas errórum inquírere singulórum, et disputatiónē longíssimam téxere, quare Dóminum nostrum Jesum Christum álii Joánnem putáverint, álii Elíam, álii Jeremíam, aut unum ex Prophétis : cum sic potúerint erráre in Elía et Jeremía, quo modo Heródes errávit in Joánne, dicens : Quem ego decollávi Joánnem, ipse surréxit a mórtuis, et virtútes operántur in eo.

℣. Ego pro te rogávi, Petre, ut non defíciat fides tua : * Et tu aliquándo convérsus confírma fratres tuos. ℣. Caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui est in coelis.—Et tu aliquándo.

Lectio viii.

VOS autem quem me esse dícitis? Prudens lector, atténde, quod ex consequéntibus, textúque sermónis, Apóstoli nequáquam hómines, sed dii appellántur. Cum enim dixísset: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Subjécit: Vos autem quem me esse dícitis? Illis, quia hómines sunt, humána opinántibus, vos qui estis dii, quem me esse existimátis? Petrus ex persóna ómnium Apostolórum profitétur: Tu es Christus Fílius Dei vivi. Deum vivum appéllat, ad distinctiónem eórum deórum qui putántur dii, sed mórtui sunt.

℟. Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? dixit Jesus discípulis suis. Respóndens Petrus, dixit: Tu es Christus Fílius Dei vivi.* Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificábo Ecclésiã meam. ℣. Beátus es, Simon Bar-Jóna, quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui est in coelis.—Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

RESPONDENS autem Jesus, dixit ei: Beátus es, Simon Bar-Jóna. Testimónio de se Apóstoli reddit vicem. Petrus díxerat: Tu es Christus Fílius Dei vivi: mercédem recépit vera confessio. Beátus es, Simon Bar-Jóna. Quare. Quia non revelávit tibi caro et sanguis, sed revelávit Pater. Quod caro et sanguis revelare non pótuit, Spíritus sancti grátia revelátum est. Ergo ex confessióne sortítur vocábulum, quod revelatiónem ex Spíritu sancto hábeat, cujus et fílius appellándus sit. Síquidem Bar-Jóna in nostra lingua sonat, fílius colúmbae.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Petrus et Joánnes * ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Argéntum et aurum * non est mihi: quod autem hábeo, hoc tibi do.

3. Dixit Angelus ad Petrum: * Circúmda tibi vestiméntũ tuum, et séquere me.

4. Misit Dóminus * Angelum suum, et liberávit me de manu Heródis, allelúia.

5. Tu es Petrus, * et super hanc petram aedificábo Ecclésiam meam.

Capitulum. *Act.* xii.

QUISIT Heródes rex manus, ut afflígeret quosdam de Ecclésia. Occídit autem Jacóbum fratrem Joánnis gládio. Videns autem quia placéret

Judaeis, appósuit ut apprehénderet et Petrum.

Hymnus.

BEATE Pastor Petre clemens áccipe
Voces precántum, crimi-
númque víncula
Verbo resólve, cui potéstas
trádita,
Aperíre terris coelum, apér-
tum cláudere.

EGREGIE Doctor Paule, mores ínstrue,
Et nostra tecum péctora in
coelum trahe;
Veláta dum merídiem cer-
nat Fides,
Et solis instar sola regnet
Cháritas.

Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio,
In unitáte quae gubérnat ómnia,
Per univérsa aeternitátis saecula. Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Bened. Aña. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in coelis: et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in coelis, dicit Dóminus Simóni Petro.

Oratio.

DEUS, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martyrio consecrásti: da Ecclésiae tuae, eórum in ómnibus sequi praecéptum, per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Aña. Argéntum et aurum.

Capitulum. Misit Heródes, ut supra.

℟. br. In omnem terram, * Exívit sonus eórum. In omnem. ℣. Et in fines orbis terrae verba eórum. Exívit. Glória Patri. In omnem.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

AD SEXTAM.

Aña. Dixit Angelus.

Capitulum. *Act.* xii.

PETRUS quidem servabátur in cárcere. Orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo.

℟. br. Constítues eos príncipes, * Super omnem terram. Constítues. ℣. Mémores erunt nóminis tui, Dómine. Super. Glória Patri. Constítues.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

AD NONAM.

Aña. Tu es Petrus.

Capitulum. *Act.* xii. *b.*

ET Petrus ad se revérsus dixit: Nunc scio vere, quia misit Dóminus Angelum suum, et erípuit me de manu Heródis, et de omni expectatióne plebis Judaeórum.

℟. br. Nimis honoráti sunt, * Amíci tui, Deus. Nimis. ℣. Nimis confortátus est princípatus eórum. Amíci. Glória Patri. Nimis honoráti.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

AD VESPERAS.

Ubi non est faciendum Officium sancti Pauli in Ecclesia propria, dicitur Aña. Jurávit Dóminus.

Psalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis, ut in Communi Apostolorum. xvii.

Capit. et Hymnus, ut supra in primis Vesperis. 464.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Magnif. Aña. Hódie Simon Petrus ascéndit crucis patíbulum, allelúia: hódie claviculárius regni gaudens migrávit ad Christum: hódie Paulus Apóstolus, lumen orbis terrae, inclináto cápite, pro Christi nómine martyrio coronátus est, allelúia.

Oratio. Deus, qui hodiérnam, ut supra. 470.

Et non fit Commemoratio S. Pauli, nec Octavae S. Joannis.

Ubi vero fit Officium S. Pauli in Ecclesia propria.

AD VESPERAS.

Aña. Ego plantávi, cum reliquis de Laudibus. 477. Psalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis de Communi Apostolorum. ii.

Capitulum. ii. *Tim.* iv. *b.*

BONUM certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiae, quam reddet mihi Dóminus in illa die, justus judex.

Hymnus. Egrégie Doctor Paule. 470.

℣. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole. ℟. Praedicátor veritátis in univérso mundo.

Ad Magnif. Aña. Sancte Paule Apóstole, praedicátor veritátis, et Doctor Géntium, intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit.

Oratio.

DEUS, qui multitúdinem Géntium beáti Pauli Apóstoli praedicatióne docuísti: da nobis quaesumus; ut cujus natalítia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

*

Deinde fit Commemor. S. Petri, Añа. Tu es pastor óvium, princeps Apostolórum, tibi tráditae sunt claves regni coelórum.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram aedificábo Ecclésiam meam.

Oratio.

DEUS, qui beáto Petro Apóstolo tuo, collátis clávibus regni coeléstis, ligándi atque solvéndi pontifícium tradidísti: concéde; ut intercessiónis ejus auxílio, a peccatórum nostrórum néxibus liberémur: Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Et non fit Comm. S. Joannis, neque in Laudibus.

Si Commem. S. Pauli venerit in die Octava Corporis Christi, extra propriam Ecclesiam transfertur in primam diem infra Octavam, Dominica vel festo non impeditam; et totum Officium fit ut in propria Ecclesia.

DIE XXX. JUNII.

In Commemoratione S. Pauli Apostoli. Duplex.

Omnia ut in Communi Apostolorum, **ii.** praeter sequentia.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem Apostolórum Dóminum, * Veníte adorémus. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus. Egrégie Doctor, ut supra. 470.

In primo Nocturno.

Añа. Qui operátus est Petro in Apostolátum, operátus est et mihi inter Gentes : et cognovérunt grátiam, quae data est mihi a Christo Dómino.

Añа. Scio, cui crédidi, et certus sum, quia potens est depósitum meum serváre in illum diem, justus judex.

Antiph. Mihi vívere Christus est, et mori lucrum : gloriári me opórtet in cruce Dómini nostri Jesu Christi.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terrae verba eórum.

De Actibus Apostolórum.

Lectio i. *Cap.* xiii.

RANT autem in Ecclésia quae erat Antiochíae, Prophétae et Doctóres, in quibus Bárnabas, et Simon, qui vocabátur Niger et Lúcius Cyrenénsis, et Mánahen, qui erat Heródis Tetrárchae collactáneus, et Saulus. Ministrántibus autem illis Dómino, et jejunántibus, dixit illis Spíritus sanctus : Segregáte mihi Saulum et Bárnabam in opus, ad quod assúmpsi eos. Tunc jejunántes, et

oránte, imponentésque eis manus, dimisérunt illos. Et ipsi quidem missi a Spíritu sancto abiérunt Seleucíam, et inde navigavérunt Cyprum.

℟. Qui operátus est Petro in Apostolátum, operátus est et mihi inter Gentes : * Et cognovérunt grátiam Dei, quae data est mihi. ℣. Grátia Dei in me vácua non fuit, sed grátia ejus semper in me manet. — Et cognovérunt.

Lectio ii.

ET cum venissent Salamínam, praedicábant verbum Dei in synagógis Judaeórum. Habébant autem et Joánnem in ministério. Et cum perambulássent univérsam ínsulam usque Paphum, invenérunt quemdam virum magum pseudoprophétam, Judaeum, cui nomen erat Barjésu, qui erat cum procónsule Sérgio Paulo, viro prudénte. Hic, accersítis Bárnaba et Saulo, desiderábat audíre verbum Dei. Resistébat autem illis Elymas magus (sic enim interpretátur nomen ejus) quaerens avértere procónsulem a fide.

℟. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi : * Ideóque repósita est mihi coróna justítiae. ℣. Scio cui crédidi, et certus sum, quia potens est depósitum meum serváre in illum diem. — Ideóque.

Lectio iii.

SAULUS autem, qui et Paulus, replétus Spíritu sancto, íntuens in eum, dixit : O plene omni dolo, et omni fallácia, fili diáboli, inimíce omnis justítiae, non désinis subvértere vias Dómini rectas. Et nunc ecce manus Dómini super te, et eris caecus, non videns solem usque ad tempus. Et confestim cécidit in eum calígo, et ténebrae, et circúiens quaerébat, qui ei manum daret. Tunc procónsul cum vidísset factum, crédidit admírans super doctrína Dómini. Et cum a Papho navigássent Paulus, et qui cum eo erant, venérunt Pergen Pamphyliae. Joánnes autem discédens ab eis, revérsus est Jerosólymam.

℟. Repósita est mihi coróna justítiae : * Quam reddet mihi Dóminus in illum diem, justus judex. ℣. Scio cui crédidi, et certus sum, quia potens est depósitum meum serváre in illum diem. — Quam reddet. Glória Patri. Quam reddet.

In secundo Nocturno.

Ańa. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole, praedicátor veritátis in univérso mundo.

Ant. Magnus sanctus Paulus vas electiónis, vere digne est glorificándus, qui et méruit thronum duodécimum possidére.

Ant. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi de grátia et líbero arbítrio.

Lectio iv. *Cap.* vi.

PAULUS POSTOLUS Paulus, quem certe invénimus sine ullis méritis bonis, imo cum multis méritis malis, Dei grátiam consecútum, reddéntis bona pro malis, videámus quid dicat, sua jam propinquánte passióne, scribens ad Timótheum: Ego enim jam ímmolor, inquit, et tempus resolutiónis meae instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. Ista útique jam mérita sua bona commémorat: ut post bona mérita consequátur corónam, qui post mérita mala consecútus est grátiam. Dénique atténdite quid sequátur: Súperest, inquit, mihi coróna justítiae, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex. Cui rédderet corónam justus judex, si non donásset grátiam misércors Pater? Et quómodo esset ista coróna justítiae, nisi praecessísset grátia, quae justíficat ímpium? Quómodo ista débita redderétur, nisi prius illa gratúita donarétur.

℟. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole, praedicátor veritátis in univérso mundo: * Per quem omnes Gentes cognovérunt grátiam Dei. ℣. Intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit. — Per quem omnes.

Lectio v.

PROINDE considerémus ipsa mérita Apóstoli Pauli, quibus dixit corónam redditúrum júdicem justum, et videámus utrum mérita ipsíus, tamquam ipsíus, id est, ex ipso ei comparáta, an dona sint Dei. Bonum, inquit, certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. Primo ista bona ópera, si non ea praecessíssent cogitatiónes bonae, nulla essent. Atténdite ítaque quid de ipsis cogitatiónibus dicat. Ait enim scribens ad Corínthios: Non quia idónei sumus cogitáre áliquid a nobis, tamquam a nobismetípsis; sed sufficiéntia nostra ex Deo est. Deínde síngula inspiciámus.

℟. Grátia Dei sum id quod sum : * Et grátia ejus in me vácua non fuit, sed semper in me manet. ℣. Qui operátus est Petro in Apostolátum, operátus est et mihi inter Gentes.—Et.

Lectio vi.

BONUM, inquit, certámen certávi. Quaero qua virtúte certáverit: utrum quae illi ex semetípso fúerit, an quae désuper data sit? Sed absit, ut tantus doctor ignoráverit legem Dei, cujus vox est in Deuteronómio : Ne dicas in corde tuo: Fortitúdo mea, et poténtia manus meae fecit mihi virtútem magnam hanc : sed memoráberis Dómini Dei tui, quia ipse tibi dat fortitúdinem fácere virtútem. Quid autem prodest bonum certámen, nisi sequátur victória? Et quis dat victóriam, nisi ille, de quo dicit ipse : Grátias Deo, qui dat nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum?

℟. Saulus, qui et Paulus, magnus praedicátor, * A Deo confortátus convalescébat, et confundébat Judaeos. ℣. Osténdens quia hic est Christus Fílius Dei. — A Deo. Glória Patri. A Deo.

In tertio Nocturno.

Aña. Saulus, qui et Paulus, magnus praedicátor, a Deo confortátus convalescébat, et confundébat Judaeos.

Aña. Ne magnitúdo revelatiónum extóllat me, datus est mihi stímulus carnis meae, ángelus sátanae, qui me colaphízet: propter quod ter Dóminum rogávi, ut auferrétur a me, et dixit mihi Dóminus: Súfficit tibi, Paule, grátia mea.

Aña. Repósita est mihi coróna justítiae, quam reddet mihi Dóminus in illa die, justus judex.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* x. *b.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia xxxiv. *in Matth. longe post initium.*

HIC dícere vidétur : Nolite turbári, si cum vos inter lupos mitto, tamquam oves et colúmbas esse júbeo. Nam etsi possum contrárium quoque praestáre, et non permíttere ut grave áliquid patiámini, nec lupis tamquam oves sub-

jécti sitis, sed effícere ut leónibus terribilióres evadátis : tamen sic éxpedit fíeri : hoc et vos quoque illustrióres fáciet, et meam declarábit virtútem. Sic enim póstea dixit Paulo : Súfficit tibi grátia mea ; nam virtus mea in infirmitáte perfícitur. Ipse ígitur vos, ut tales essétis, feci.

℟. Sancte Paule Apóstole, praedicátor veritátis, et Doctor Géntium, Intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit, ut digni efficiámur grátia Dei. ℣. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole, praedicátor veritátis.—Intercéde.

Lectio viii.

SED inspiciámus quam prudéntiam éxigit : serpéntis certe. Nam quemádmodum serpens totum seípsum tradit, nec mínimum curat, si ipsum quoque corpus incídi necésse sit, dúmmodo caput suum íntegrum servet : eódem tu quoque modo, praeter fidem caetera pérdere non cures, sive pecúnias, sive corpus, sive étiam vitam ipsam profúndere necésse sit. Fides enim caput est et radix, qua serváta, étiam si ómnia perdas, ómnia tamen rursus majóre cum glória recuperábis. Idcírco nec símplices solum jussit esse, nec prudéntes solum ; sed ambo haec in unum míscuit, ut ea in virtútem convertántur.

℟. Damásci, praepósitus gentis Arétae regis vóluit me comprehéndere : * Et a frátribus per murum demíssus sum in sporta. ℣. Et sic evási manus ejus in nómine Dómini. ℣. Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi scit quia non méntior.—Et a frátribus. Glória Patri. Et sic.

Lectio ix.

QUOD si rebus ipsis id ita fíeri vidére desíderas, lege Actuum Apostolórum librum : perspícies profécto, cum saepe Judaeórum pópulus in Apóstolos insurréxerit, ac dentes exacúerit, illos colúmbae simplicitátem imitándo, et cum decénti modéstia respondéndo, iram ipsórum superásse, furórem extinxísse, ímpetum retardásse. Nam cum illi dícerent : Nonne praecipiéndo praecépimus vobis, ne docerétis in nómine isto ? quamvis innúmera possent édere miracula, nihil tamen ásperum neque dixérunt, neque fecérunt, sed summa cum mansuetúdine respondéntes, dicébant : Si justum est, vos audíre magis quam Deum, judicáte. Perspexísti simplicitátem colúmbae, vide nunc serpéntis

prudéntiam. Non enim póssumus, ínquiunt, nos quae vídimus, et audívimus, non loqui.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Ego plantávi, * Apóllo rigávit, Deus autem increméntum dedit, allelúia. Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Libénter gloriábor * in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Christi.

3. Grátia Dei * in me vácua non fuit, sed grátia ejus semper in me manet.

4. Damásci, praepósitus gentis Aretae regis vóluit me compreháendere : a frátribus per murum demíssus sum in sporta, et sic evási manus ejus in nómine Dómini.

5. Ter virgis caesus sum, * semel lapidátus sum, ter naufrágiũ pértuli pro Christi nómine.

Capitulum. 2. *Tim.* iv. *b.*

BONUM certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiae, quam reddet mihi Dóminus in illa die, justus judex.

Hymnus.

EXULTET orbis gáudiis :
Coelum resúltet láudibus :
Apostolórum glóriam
Tellus et astra cóncinunt.
Vos saeculórum Júdices,
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium ;
Audíte voces súpplicum.
Qui templa coeli cláuditis,
Serásque verbo sólvitis;
Nos a reátu nóxios
Solvi jubéte, quaesumus.
Praecépta quorum prótinus
Languor salúsque séntiunt ;
Sanáte mentes lánguidas :
Augéte nos virtútibus :
Ut, cum redíbit Arbiter
In fine Christus saeculi,
Nos sempitérni gáudii
Concédat esse cómpotes.
Patri, simúlque Fílio,
Tibíque sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Saeclum per omne glória.
Amen.

℣. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole. ℟. Praedicátor veritátis in univérso mundo.

Ad Bened. Añа. Vos, qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicántes duódecim tribus Israël, dicit Dóminus.

Oratio.

DEUS, qui multitúdinẽ Géntium beáti Pauli Apóstoli praedicatióne docuísti : da nobis quaesumus; ut cujus natalítia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Petri, ut supra in Vesperis. 472. Deinde Octavae S. Joannis.

Ańa. Apértum est os Zacharíae, et prophetávit, dicens : Benedíctus Deus Israël.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Oratio.

DEUS, qui praeséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis Natividáte fecísti: da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis aetérnae. Per Dñum.

AD TERTIAM.

Ańa. Libénter gloriábor.

Capit. Bonum certámen, ut supra. 477.

℟. br. In omnem terram, * Exívit sonus eórum. In omnem. ℣. Et in fines orbis terrae verba eórum. Exívit. Glória Patri. In omnem.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

AD SEXTAM.

Ańa. Grátia Dei.

Capitulum. 2. *Cor.* xii. *c.*

NE magnitúdo revelatiónum extóllat me, datus est mihi stímulus carnis meae, ángelus sátanae, qui me colaphízet : Propter quod ter Dóminum rogávi, ut discéderet a me, et dixit mihi : Súfficit tibi grátia mea.

℟. br. Constítues eos príncipes, * Super omnem terram. Constítues. ℣. Mémores erunt nóminis tui, Dñe. Super. Glória Patri. Constítues.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

AD NONAM.

Ańa. Ter virgis caesus sum.

Capitulum. 1. *Cor.* xv. *b.*

EGO enim sum mínimus Apostolórum, qui non sum dignus vocári Apóstolus, quóniam persecútus sum Ecclésiam Dei. Grátia autem Dei sum id quod sum, et grátia ejus in me vácua non fuit.

℟. br. Nimis honoráti sunt, * Amíci tui, Deus. Nimis. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Amíci. Glória Patri. Nimis.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

AD VESPERAS.

Ańa. Jurávit Dóminus, cum reliqtis de Communi Apostolorum. xvii.

A Capitulo fit de Octava sancti Joannis, ut in primis Vesperis festi.

In fine pro Commemoratione Apostolorum, Añа. Petrus Apóstolus, et Paulus Doctor Géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Oratio.

DEUS qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martyrio consecrásti: da Ecclésiae tuae, eórum in ómnibus sequi praecéptum, per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Sed in Ecclesia S. Pauli Vesperae integrae dicuntur de eo. Añа. Jurávit Dóminus, cum reliquis de Communi Apostolorum. xvii.

Capitulum et reliqua, ut in primis Vesperis, cum Commemoratione S. Petri. 472.

Et Octávae S. Joannis, Añа. Ingrésso Zacharía templum Dómini, appáruit ei Gábriel Angelus, stans a dextris altáris incénsi.

℣. Fuit homo missus a Deo. ℟. Cui nomen erat Joánnes.

Oratio. Deus, qui praeséntem, ut supra. 478.

FESTA JULII.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum. clxxxiii.

DOMINICA PRIMA.

In festo Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi. Duplex.

AD VESPERAS.

Añae. 1. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? Iste formósus in stola sua. Psalmus. Dixit Dñus, cum reliquis. 133. et loco ultimi Psalmus. Laudáte Dóminum omnes Gentes. 137.

2. Ego qui loquor justítiam, et propugnátor sum ad salvándum.

3. Vestítus erat veste aspérsa sánguine, et vocátur nomen ejus Verbum Dei.

4. Quare ergo rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua, sicut calcántium in torculári?

5. Torcúlar calcávi solus, et de géntibus non est vir mecum.

Capitulum. *Hebr.* ix.

FRATRES, Christus assístens Póntifex futurórum bonórũ, per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, id est non hujus creatiónis, neque per sánguinem hircórum, aut vitulórum, sed per próprium Sánguinem introívit semel in sancta, aetérna redemptióne invénta.

Hymnus.

FESTIVIS résonent cómpita vócibus,
Cives laetítiam fróntibus éxplicent,
Taedis flammíferis órdine pródeant
Instrúcti púeri et senes.
Quem dura móriens Christus in árbore
Fudit multíplici vúlnere Sánguinem,
Nos facti mémores dum cólimus, decet
Saltem fúndere lácrymas.
Humáno géneri pernícies gravis
Adámi véteris crímine cóntigit,
Adámi intégritas, et píetas novi
Vitam réddidit ómnibus.
Clamórem válidum summus ab aethere
Languéntis Géniti si Pater áudiit,
Placári pótius Sánguine débuit,
Et nobis véniam dare.
Hoc quicúmque stolam Sánguine próluit,
Abstérgit máculas: et róseum decus,
Quo fiat símilis prótinus Angelis,
Et regi pláceat, capit.
A recto instábilis trámite póstmodum
Se nullus rétrahat; meta sed última
Tangátur; tribuet nóbile praemium
Qui cursum Deus ádjuvat.
Nobis propítius sis, Génitor potens,
Ut quos unígenae Sánguine Fílii
Emísti, et plácido Flámine récreas,
Coeli ad cúlmina tránsferas. Amen.

℣. Redemísti nos, Dómine, in Sánguine tuo. ℟. Et fecísti nos Deo nostro regnum.

Ad Magnif. Ańa. Accessístis ad Sion montem, et civitátem Dei viventis, Jerúsalem coeléstem, et Testaménti novi mediatórem Jesum, et Sánguinis aspersiónem mélius loquéntem, quam Abel.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui unigénitum Fílium tuum mundi Redemptórem constituísti, ac ejus Sánguine placári voluísti: concéde, quaesumus, salútis nostrae prétium solémni cultu ita venerári, atque a praeséntis vitae malis ejus virtúte defendi in terris, ut fructu perpétuo laetémur in coelis: Qui tecum vivit.

Et fit Commemoratio Dominicae.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Dei Fílium, qui suo nos redémit Sánguine, * Veníte, adorémus. Psalmus. Veníte. 2.

Hymnus.

IRA justa Conditóris,
Imbre aquárum víndice,
Criminósum mersit orbem
Noë in arca sóspite :
Mira tandem vis amóris
Lavit orbem Sánguine.
Tam salúbri terra felix
Irrigáta plúvia,
Ante spinis quae scatébat,
Germinávit flósculos :
Inque néctaris sapórem
Transiére absínthia.
Triste prótinus venénum
Dirus anguis pósuit,
Et cruénta belluárum
Désiit ferócia :
Mitis Agni vulneráti
Haec fuit victória.
O sciéntiae supérnae
Altitúdo impérvia !
O suávitas benígni
Praedicánda péctoris !
Servus erat morte dignus,
Rex luit poenam óptimus.
Quando culpis provocámus,
Ultiónem júdicis,
Tunc loquéntis protegámur
Sánguinis praeséntia,
Ingruéntium malórum
Tunc recédant ágmina.
Te redémptus laudet orbis,
Grata servans múnera,
O salútis sempitérnae
Dux et auctor ínclyte,
Qui tenes beáta regna
Cum Paránte et Spíritu.
Amen.

In primo Nocturno.

Ant. Postquam consummáti sunt dies octo, ut circumciderétur Puer, vocátum est nomen ejus Jesus.

Psalmus ii.

QUARE fremuérunt Gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terrae, et príncipes convenérunt in unum, * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in coelis, irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praecéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes haereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terrae.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas figuli confrínges eos.

Et nunc reges intelligite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * et exultáte ei cum tremóre.

Appreheéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Añia. Postquam consummáti sunt dies octo, ut circumcideréture Puer, vocátum est nomen ejus Jesus.

Añia. Factus in agonía, prolíxius orábat, et factus est sudor ejus sicut guttae sánguinis decurréntis in terram.

Psalmus iii.

DOMINE, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimae meae : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, susceptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Añia. Factus in agonía, prolíxius orábat, et factus est sudor ejus sicut guttae sánguinis decurréntis in terram.

Añia. Judas, qui cum trádidit, poeniténtia ductus, rétulit trigínta argénteos, dicens : Peccávi, tradens sánguinem justum.

Psalmus xv.

CONSERVA me, Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátae sunt infirmitátes eórum : * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars haereditátis meae, et cálicis mei : * tu es, qui restítues haereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in praeclaris : * étenim haeréditas mea praeclára est mihi.

Benedícam Dñum, qui tríbuit mihi intelléctum : *

ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper : * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc laetátum est cor meum, et exultávit lingua mea : * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno : * nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitae, adimplébis me laetítia cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Judas, qui eum trádidit, poeniténtia ductus, rétulit triginta argénteos, dicens : Peccávi, tradens sánguinem justum.

℣. Redemísti nos, Dñe,
℟. In sánguine tuo.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebraeos.

Lectio i. *Cap.* ix.

CHRISTUS assístens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perfectius tabernáculum non manufáctum, idest, non hujus creatiónis, neque per sánguinem hircórum, aut vitulórum, sed per próprium Sánguinem introívit semel in sancta, aetérna redemptióne invénta. Si enim sanguis hircórum, et taurórum, et cinis vítulae aspérsus inquinátos sanctificat ad emundatiónem carnis : quanto magis Sanguis Christi, qui per Spíritum sanctum semetípsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviéndum Deo vivénti ? Et ídeo novi Testaménti Mediátor est, ut morte intercedénte in redemptiónem eárum praevaricatiónum quae erant sub prióri Testaménto, repromissiónem accípiant, qui vocáti sunt, aetérnae haereditátis.

℟. Jesus, ut sanctificáret per suum Sánguinem pópulum, extra portam passus est : * Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. ℣. Nondum enim usque ad sánguinem restitístis advérsus peccátum repugnántes.—Exeámus.

Lectio ii.

UBI enim testaméntum est, mors necésse est intercédat testatóris : Testaméntum enim in mórtuis confirmátum est : alióquin nondum valet, dum vivit qui testátus est. Unde nec primum quidem sine sánguine dedicátum est. Lecto enim omni mandáto Legis a Móyse univérso

pópulo, accípiens sánguinem vitulórum, et hircórum cum aqua, et lana coccínea, et hyssópo, ipsum quoque librum, et omnem pópulum aspérsit dicens: Hic sanguis Testaménti quod mandávit ad vos Deus. Etiam tabernáculum, et ómnia vasa ministérii sánguine simíliter aspérsit. Et ómnia pene in sánguine secúndum legem mundántur: et sine sánguinis effusióne non fit remíssio.

℟. Móyses sumptum sánguinem respérsit in pópulum: * Et ait: Hic est sanguis foederis, quod pépigit Dóminus vobíscum. ℣. Fide celebrávit Pascha et sánguinis effusióne, ne qui vastábat primitíva, tángeret eos.—Et ait.

Lectio iii. *Cap.* x.

HABENTES ítaque, fratres, fidúciam in introítu Sanctórum in Sánguine Christi, quam initiávit nobis viam novam, et vivéntem per velámen, id est carnem suam, et Sacerdótem magnum super domum Dei, accedámus cum vero corde in plenitúdine fídei, aspérsi corda a consciéntia mala, et ablúti corpus aqua munda, teneámus spei nostrae confessiónem indeclinábilem (fidélis enim est, qui repromísit): et considerémus ínvicem in provocatiónem charitátis et bonórum óperum.

℟. Vos, qui aliquándo erátis longe, facti estis prope in Sánguine Christi: * Ipse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum. ℣. Complácuit per eum reconciliáre ómnia in ipsum, pacíficans per Sánguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.—Ipse enim est pax. Glória Patri. Ipse enim est pax.

In secundo Nocturno.

Antiphona. Pilátus volens pópulo satisfácere, trádidit illis Jesum flagéllis caesum.

Psalmus xxii.

DOMINUS regit me, et nihil mihi déerit: * in loco páscuae ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiae, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbrae mortis, non timébo mala: * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus: * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum : * et calix meus inébrians quam praeclárus est !

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitae meae :

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Añа. Pilátus volens pópulo satisfácere, trádidit illis Jesum flagéllis caesum.

Añа. Videns autem quia nihil proficeret, accépta aqua, lavit manus coram pópulo, dicens : Innocens ego sum a sánguine Justi hujus.

Psalmus xxix.

EXALTABO te, Dñe, quóniam suscepísti me : * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * et sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam : * salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus : * et confitémini memóriae sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus : * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus : * et ad matutínum laetítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non movébor in aetérnum.

Dómine, in voluntáte tua, * praestitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam a me, * et factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo : * et ad Deum meum deprecábor.

Quae utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem ?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam ?

Audívit Dóminus, et misértus est mei : * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi : * conscidísti saccum meum, et circumdedísti me laetítia :

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar : * Dómine Deus meus, in aetérnum confitébor tibi.

Añа. Videns autem quia nihil proficeret, accépta aqua, lavit manus coram pópulo, dicens : Innocens ego sum a sánguine Justi hujus.

Añа. Et respóndens univérsus pópulus, dixit : Sanguis ejus super nos, et super fílios nostros.

Psalmus lxiii.

EXAUDI, Deus, oratiónem meam cum déprecor : * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium : * a multitúdine operántium iniquitatẽ.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt : * firmavérunt sibi sermónẽ nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos : * dixérunt : Quis vidébit eos ?

Scrutáti sunt iniquitátes : * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum : * et exaltábitur Deus.

Sagíttae parvulórum factae sunt plagae eórum : * et infirmátae sunt contra eos linguae eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei : * et facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dño, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Ańa. Et respóndens univérsus pópulus, dixit : Sanguis ejus super nos, et super fílios nostros.

℣. Sanguis Jesu Christi Fílii Dei. ℟. Emúndat nos ab omni peccáto.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia lxxxiv. *in Joannem, cap.* xix.

Lectio iv.

ULTIS Sánguinis Christi audíre virtútem? Redeámus ad ejus exémplum, et priórem typum recordémur, et prístinam Scriptúram narrémus. In Ægypto, nocte média, Ægyptiis Deus plagam décimam minabátur ut eórum primogénita deperírent, quia primogénitum ejus pópulum detinébant. Sed ne amáta plebs Judaeórum una cum illis periclitarétur, quia unus locus continébat univérsos, remédium discretiónis invéntum est. Proínde exémplum mirábile, ut discas in veritáte virtútem. Ira divínae indignatiónis sperabátur, et domos síngulas mórtifer circuíbat. Quid ígitur Móyses? Occídite, inquit, agnum annículum, et sánguine ejus linite jánuas. Quid ais, Móyses? Sanguis ovis rationálem hóminem liberáre consuévit? Valde, inquit, non eo quod sanguis est, sed quia Domínici Sánguinis per eum demonstrátur exémplum.

℟. In timóre incolátus vestri conversámini, * Sciéntes quod non corruptibílibus auro, vel argénto redémpti estis. ℣. Sed pretióso Sánguine, quasi agni immaculáti Christi. — Sciéntes.

Lectio v.

QUAM sicut regnántium státuae, quae sine causa sunt, et sermóne, nonnúnquam ad se confugiéntibus homínibus ánima, et ratióne decorátis, subveníre consuevérunt, non quia sunt aere confécta, sed quia rétinent imáginem princípalem : ita et sanguis ille, qui irrationális fuit, ánimas habéntes hómines liberávit: non quia sanguis fuit, sed quia hujus Sánguinis ostendébat advéntum. Et tunc Angelus ille vastátor, cum linítos postes, atque áditus pervidéret, transjécit gressus, et non est ausus intráre. Nunc ergo si víderit inimícus, non póstibus impósitum sánguinem typi, sed fidélium ore lucéntem Sánguinem veritátis Christi, templi póstibus dedicátum, multo magis se súbtrahet. Si enim Angelus cessit exémplo, quanto magis terrébitur inimícus, si ipsam perspéxerit veritátem ? Vis et áliam hujus Sánguinis scrutári virtútem? Volo. Unde primum cucúrrit inspícias, et de quo fonte manávit. De ipsa primum Cruce procéssit: latus illud Domínicum inítium fuit. Mórtuo enim, ait, Jesu, et adhuc in Cruce pendénte, appróximat miles, latus láncea percússit, et exínde aqua fluxit, et Sanguis. Unum baptísmatis symbolum, áliud sacraménti. Ideo non ait : Exiit Sanguis et aqua ; sed éxiit aqua primum et Sanguis, quia primum baptísmate dilúimur, et póstea mystério dedicámur.

℟. Empti estis prétio magno : * Glorificáte, et portáte Deum in córpore vestro. ℣. Prétio empti estis : nolíte fíeri servi hóminum.—Glorificáte.

Lectio vi.

LATUS miles apéruit, et templi sancti paríetem patefécit. Et ego thesáurum praeclárum invéni, et fulgéntes divítias me grátulor reperíre. Sic et de illo agno factum est. Judaei ovem occidérunt, et ego fructum de sacraménto cognóvi. De látere Sanguis, et aqua. Nolo tam fácile, audítor, tránseas tanti secréta mystérii. Restat enim mihi mystica, atque secretális orátio. Dixi baptísmatis symbolum et mysteriórum aquam illam, et Sánguinem demonstráre. Ex his enim sancta fundáta est Ecclésia per lavácri regeneratiónem, et renovatiónem Spíritus sancti. Per baptísma, inquam, et mystéria, quae ex látere vidéntur esse proláta. Ex látere ígitur suo Christus

aedificávit Ecclésiam, sicut de látere Adam ejus conjux Heva proláta est. Nam hac de causa Paulus quoque testátur, dicens: De córpore ejus, et de óssibus ejus sumus; latus vidélicet illud significans. Nam sicut de illo látere Deus fecit foeminam procreári, sic et de suo látere Christus aquam nobis et Sánguinem dedit, unde repararétur Eccésia.

℟. Comméndat charitátem suam Deus in nobis: * Quóniam cum adhuc peccatóres essémus, secúndum tempus Christus pro nobis mórtuus est. ℣. Multo ígitur magis nunc justificáti in Sánguine ipsíus, salvi érimus ab ira per ipsum. — Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Nocturno.

Ant. Exívit ergo Jesus, portans corónam spíneam, et purpúreum vestiméntum, et dixit eis : Ecce homo.

Psalmus lxxiii.

T quid, Deus, repulísti in finem: * irátus est furor tuus super oves páscuae tuae ?

Memor esto congregatiónis tuae, * quam possedísti ab inítio.

Redemísti virgam haereditátis tuae : mons Sion, in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem : * quanta malignátus est inimícus in sancto !

Et gloriáti sunt qui odérunt te : * in médio solemnitátis tuae.

Posuérunt signa sua, signa : * et non cognovérunt sicut in éxitu super summum.

Quasi in silva lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idípsum : * in secúri et áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni Sanctuárium tuum : * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul : * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vídimus, jam non est prophéta: * et nos non cognóscet ámplius.

Usquequo, Deus, improperábit inimícus : * irritat adversárius nomen tuum in finem ?

Ut quid avértis manum tuam, et déxteram tuam, * de médio sinu tuo in finem ?

Deus autem Rex noster ante saecula : * operátus est salútem in médio terrae.

Tu confirmásti in virtúte tua mare : * contribulásti cápita draconum in aquis.

Tu confregísti cápita draconis : * dedisti eum escam pópulis Æthíopum.

Tu dirupísti fontes, et torrénte : * tu siccásti flúvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox : * tu fabricátus es auróram et solem.

Tu fecísti omnes términos terrae : * aestátem et ver tu plasmásti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Dño : * et pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi, * et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum : * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terrae dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis fáctus confúsus : * pauper et inops laudábunt nomen tuum.

Exúrge, Deus, júdica causam tuam : * memor esto improperiórum tuórum, eórum quae ab insipiénte sunt tota die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum : * supérbia eórum, qui te odérunt, ascéndit semper.

Antiphona. Exívit ergo Jesus, portans corónam spíneam, et purpúreum vestiméntum, et dixit eis : Ecce homo.

Alia. Et bájulans sibi crucem, exívit in eum, qui dícitur Calváriae, locum : ubi crucifixérunt eum.

Psalmus lxxxvii.

DOMINE Deus salútis meae : * in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea : * inclína aurem tuam ad precem meam :

Quia repléta est malis ánima mea : * et vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum : * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlchris, quorum non es memor ámplius : * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri : * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus : * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me : * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar : * óculi mei languérunt prae inópia.

Clamávi ad te, Dómine, tota die : * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília : * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi ?

Numquid narrábit áliquis in sepúlchro misericórdiam

tuam, * et veritátem tuam in perditióne ?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua : * et justítia tua in terra oblivióni ?

Et ego ad te, Dómine, clamávi : * et mane orátio mea praeveniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratiónem meam : * avértis fáciem tuam a me ?

Pauper sum ego, et in labóribus a juventúte mea : * exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt irae tuae : * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die : * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum, et próximum : * et notos meos a miséria.

Añia. Et bájulans sibi crucem, exívit in eum, qui dícitur Calváriae, locum : ubi cruxifixérunt eum.

Añia. Ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus míllitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.

Psalmus xciii.

DEUS ultiónum Dóminus : * Deus ultiónum líbere egit.

Exaltáre qui júdicas terram : * redde retributiónem supérbis.

Usquequo peccatóres, Dómine, * úsquequo peccatóres gloriabúntur :

Effabúntur, et loquéntur iniquitátem : * loquéntur omnes, qui operántur injustítiam ?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt : * et haereditátem tuam vexavérunt.

Víduam, et ádvenam interfecérunt : * et pupíllos occidérunt.

Et dixérunt : Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite insipiéntes in pópulo : * et stulti aliquándo sápite.

Qui plantávit aurem, non áudiet ? * aut qui finxit óculum, non consíderat ?

Qui córripit Gentes, non árguet : * qui docet hóminem sciéntiam ?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanae sunt.

Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine : * et de lege tua docúeris eum.

Ut mítiges ei a diébus malis : * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam : * et haereditátem suam non derelínquet.

Quoadúsque justítia convertátur in judícium : * et qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consúrget mihi advérsus malignántes ? * aut quis stabit mecum advérsus operántes iniquitátem ?

Nisi quia Dóminus adjúvit me : * paulo minus habitásset in inférno ánima mea.

Si dicébam : Motus est pes meus : * misericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo : * consolatiónes tuae laetificavérunt ánimam meam.

Numquid adhaeret tibi sedes iniquitátis : * qui fingis labórem in praecépto ?

Captábunt in ánimam justi : * et sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium : * et Deus meus in adjutórium spei meae.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum : et in malítia eórum dispérdet eos : * dispérdet illos Dóminus Deus noster.

Ant. Ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.

℣. Christus diléxit nos.

℟. Et lavit nos a peccátis nostris in Sánguine suo.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* xix.

IN illo témpore : Cum accepísset Jesus acétum, dixit : Consummátum est. Et inclináto cápite, trádidit spíritum. Et réliqua.

Homília S. Augustíni Epíscopi.

Tractatu cxx. *in Joannem.*

VIGILANTI verbo Evangelísta usus est, ut non díceret : Latus ejus percússit, aut vulnerávit, aut quid áliud, sed, apéruit: ut illic quodámmodo vitae óstium panderétur, unde Sacraménta Ecclésiae manavérunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intrátur. Ille Sanguis in remissiónem fusus est peccatórum. Aqua illa salutáre témperat póculum ; haec et lavácrum praestat et potum. Hoc praenuntiábat quod Noë in látere arcae óstium fácere jussus est, qua intrárent animália quae non erant dilúvio peritúra, quibus praefigurabátur Ecclésia. Propter hoc prima múlier facta est de látere viri dormiéntis, et appellátа est vita, matérque vivórum. Magnum quippe significávit bonum, ante magnum praevicatiónis malum. ¶ Hic secúndus Adam,

inclináto cápite, in cruce dormívit, ut inde formarétur ei conjux, quae de látere dormiéntis efflúxit. O mors, unde mórtui revivíscunt! Quid isto Sánguine múndius? Quid vúlnere isto salúbrius?

℟. Hic est, qui venit per aquam et Sánguinem, Jesus Christus: * Non in aqua solum, sed in aqua et Sánguine. ℣. In die illa erit fons patens dómui David, et habitántibus Jerúsalem, in ablutiónem peccatóris. — Non in aqua.

Lectio viii.

TENEBANTUR hómines captívi sub diábolo, et daemónibus serviébant, sed redémpti sunt a captivitáte. Véndere enim se potuérunt, sed redímere non potuérunt. ¶ Venit Redémptor, et dedit prétium: fudit Sánguinem suum, et emit orbem terrárum. Quaeritis quid émerit? Vidéte quid déderit, et inveniétis quid émerit. Sanguis Christi prétium est. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis? Quid, nisi omnes gentes? Valde ingráti sunt prétio suo, aut multum supérbi sunt, qui dicunt aut illud tam parum esse, ut solos Afros émerit, aut se tam magnos esse, pro quibus solis illud sit datum. Non ergo exúltent, non supérbiant. Pro toto dedit, quantum dedit.

℟. Praedestinávit nos Deus in adoptiónē filiórum per Jesum Christum, * In quo habémus redemptiónem per Sánguinem ejus. ℣. Remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiae ejus, quae superabundávit in nobis.—In quo. Glória Patri. In quo.

Lectio nona de Homilia Dominicae occurrentis, nisi sit transferendum, quia tunc dividuntur Lectiones juxta signum ¶

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Hi, qui amícti sunt * stolis albis, qui sunt, et unde venérunt? Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis de Dominica. 18.

2. Hi sunt, * qui venérunt de tribulatióne magna; et lavérunt stolas suas in Sánguine Agni.

3. Ideo sunt * ante thronum Dei, et sérviunt ei die, ac nocte,

4. Et ipsi vicérunt draconem propter Sánguinem Agni, et propter Testamentum Verbi sui.

5. Beáti * qui lavant stolas suas in Sánguine Agni.

Capitulum. *Hebr.* ix.

FRATRES, Christus assistens Póntifex futurórum bonórum, per

ámplius, et perféctius tabernáculum non manufáctum, idest, non hujus creatiónis, neque per sánguinem hircórum, aut vitulórum, sed per próprium Sánguinem introívit semel in sancta, aetérna redemptióne invénta.

Hymnus.

SALVETE, Christi vúlnera,
Imménsi amóris pignora,
Quibus perénnes rívuli
Manant rubéntis Sánguinis.

Nitóre stellas víncitis,
Rosas odóre, et bálsama,
Prétio lapíllos Indicos,
Mellis favos dulcédine.

Per vos patet gratíssimum
Nostris asylum méntibus;
Non huc furor minántium
Unquam penétrat hóstium.

Quot Jesus in Praetório
Flagélla nudus éxcipit!
Quod scissa pellis úndique
Stillat cruóris gúttulas!

Frontem venústam, proh dolor!
Coróna pungit spínea,
Clavi retúsa cúspide
Pedes, manúsque pérforant.

Postquam sed ille trádidit
Amans, volénsque spíritum,
Pectus ferítur láncea,
Geminúsque liquor éxilit.

Ut plena sit redémptio,
Sub torculári stríngitur,
Suíque Jesus ímmemor,
Sibi nil resérvat Sánguinis.

Veníte, quotquot crímínum
Funésta labes ínficit,
In hoc salútis bálneo
Qui se lavat, mundábitur.

Summi ad Paréntis déxteram
Sedénti habénda est grátia,
Qui nos redémit Sánguine,
Sanctóque firmat Spíritu.

Amen.

℣. Justificáti in Sánguine Christi. ℟. Salvi érimus ab ira per ipsum.

Ad Benedictus, Ánt. Erit Sanguis Agni vobis in signum, dicit Dóminus: et vidébo Sánguinem, et transíbo vos, nec erit in vobis plaga dispérdens.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui unigénitum Fílium tuum mundi Redemptórem constituísti, ac ejus Sánguine placári voluísti: concéde, quaesumus, salútis nostrae prétium solémni cultu ita venerári, atque a praeséntis vitae malis ejus virtúte deféndi in terris, ut fructu perpétuo laetémur in coelis: Qui tecum vivit.

Et fit Commemoratio Dominicae.

Ad Primam, in ℟. br. Qui tuo nos Sánguine redemísti.

AD TERTIAM.

Ánt. Hi sunt.

Capit. Fratres, ut supra, ℟. br. Redemisti nos Dómine, *In Sánguine tuo. Redemísti ℣. Ex omni

tribu, et lingua, et pópulo, et natióne. In Sánguine. Glória Patri. Redemísti.

℣. Sanguis Jesu Christi Fílii Dei. ℟. Emúndat nos ab omni peccáto.

AD SEXTAM.

Aña. Ideo sunt.

Capitulum. *Hebr.* ix.

SI sanguis hircórum, et taurórum, et cinis vitulae aspérsus inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis : quanto magis Sanguis Christi, qui per Spíritum sanctum semetípsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit conscién-tiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviéndum Deo vivénti ?

℟. br. Sanguis Jesu Christi Fílii Dei * Emúndat nos. Sanguis. ℣. Ab omni peccáto. Emúndat nos. Glória Patri. Sanguis.

℣. Christus diléxit nos. ℟. Et lavit nos in Sánguine suo.

AD NONAM.

Aña. Beáti.

Capitulum. *Hebr.* ix.

ACCIPIENS Móyses sánguinem vitulórum, et hircórum cum aqua, et lana coccínea, et hyssópo, ipsum quoque librum, et omnem pópulum aspérsit, dicens : Hic sanguis Testaménti, quod mandávit ad vos Deus.

℟. br. Christus diléxit nos, et lavit nos * In Sanguine suo. Christus. ℣. Et fecit nos regnum, et sacerdótes Deo, et Patri. In Sánguine. Glória Patri. Christus.

℣. Justificáti in Sánguine Christi. ℟. Salvi érimus ab ira per ipsum.

IN II. VESPERIS.

Antiphonae, Psalmi, Capitulum et Hymnus, ut in primis Vesperis 479. sed loco ultimi Psalmi dicitur Psalmus. Lauda Jerúsalem. 155.

℣. Te ergo quaesumus, tuis fámulis súbveni. ℟. Quos pretióso Sánguine redemísti.

Ad Magnificat, Antiphona. Habébitis autem hunc diem in monuméntum : et celebrábitis eum solémnem Dómino in generatiónibus vestris cultu sempitérno.

Oratio. Omnípotens sempitérne, ut supra.

Et fit Commemoratio Dominicae.

DIE I. JULII.

In die Octava sancti Joannis Baptistae. Duplex.

Omnia dicuntur sicut in die. 442. praeter Lectiones primi Nocturni, quae leguntur de Scriptura occurrente ; et secundi, quae leguntur ut infra.

Sermo S. Máximi Epíscopi. *Homil.* iii. *in Nativ. sancti Joannis Baptistae.*

Lectio iv.

RESTIVITATEM praeséntis diéi, fratres caríssimi, venerándi Joánnis Baptístae genuína natívitas consecrávit: qui idcírco in hoc saeculum supérna dispensatióne diréctus est, ut non solum ipse prophetáli sublimarétur glória, sed ut et ómnium étiam per eum Prophetárum praecónia firmaréntur. Nec immérito illum praecípuo honóre nunc veneránur, qui speciáli quadam grátia, ob hoc Redemptórem mundi novíssimus prophetávit, ut osténderet eum primus. Hic enim solus est Prophetárum, qui Dñum nostrum Jesum Christum, quem álii in longa témpora futúrum praesciérunt, própriis óculis vidére méruit, et annuntiáre praeséntem.

℟. Descéndit Angelus Dómini ad Zacharíam, dicens: Accipe púerum in senectúte tua: *Et habébit nomen Joánnes Baptísta. ℣. Iste puer magnus coram Dómino: nam et manus ejus cum ipso est. — Et.

Lectio v.

HIC est ille, quem, inspiránte Deo, praescius annúntiat Isaías, dicens: Vox clamántis in desérto: Paráte viam Dómini. Quam cóngrue, fratres caríssimi, beátus Joánnes praedicátus est vox, qui coeléstis Verbi et praeco mittebátur, et testis! Hic est ille, cujus per Angelum Gabriélem praenuntiátur natívitas, et nomen, et méritum. Hic est, qui judício coeléstis senténtiae cunctis mortálibus anteférтur, dicénte Dómino: Non surréxit inter natos mulíerum major Joánne Baptísta. Quam pulchre dictum est, inter natos mulíerum non esse majórem: quia ille omnímodis major erat Joánne, qui de Vírgine nascebátur.

℟. Hic est praecúrsor diléctus, et lucérna lucens ante Dóminum: *Ipse est enim Joánnes, qui viam Dómino praeparávit in erémo; sed et Agnum Dei demonstrávit, et illuminávit mentes hóminum. ℣. Ipse praeíbit ante illum in spíritu et virtúte Elíae. — Ipse est enim.

Lectio vi.

QUIBUS perspéctis, advértite, dilectíssimi, quantam huic reveréntiam, quantum devotiónis debeámus impéndere: qui, ut honorábilis sit, a sancto est Spíritu prophetátus, promíssus ab Angelo, laudátus a Dómino, et perpétua

sanctae mortis glória consecrátus. Decébat namque ut mysticam natividtátem ejus mirábilis vita sequerétur, et sanctam perfectámque vitam mors Deo devóta conclúderet. Propter quod, fratres, rectíssime toto hódie orbe, Christi Ecclésia primórdia nativitátis ejus laetíssima festivitáte concélebrat, qui aetérna mortálibus adésse gáudia, stupénti mundo testis fidelíssimus revelávit.

℟. Innuébant patri ejus, quem vellet vocári eum: et póstulans pugillárem, scripsit, dicens: Joánnes est nomen ejus. ℣. Apértum est os Zacharíae, et prophetávit, dicens. — Joánnes. Glória Patri. Joánnes.

In tertio Nocturno, Homilia sancti Ambrosii Episcopi, ut in die festi, quae incipit: Péperit fílium Elísabeth. 449.

Et fit Commemoratio Apostolorum. Ańa. Gloriósi príncipes terrae, quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terrae verba eórum.

Oratio.

DEUS, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martyrio consecrásti: da Ecclésiae tuae, eórum in ómnibus sequi praecéptum, per quos religiónis sumpsit exórdiū. Per Dóminum.

Vesperae de sequenti, Commemoratio praecedentis tantum.

DIE II. JULII.

In festo Visitationis B. Mariae Virginis. Duplex.

AD VESPERAS.

Ańa. Exúrgens María, cum reliq. de Laudibus. 501. Psalmi consueti de S. Maria, ut in festis B. M. V. clviii.

Capitulum. Ab initio. Hymnus. Ave maris stella. clx.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Magnif. Ańa. Beáta es, María, quae credidísti: perficiéntur in te quae dicta sunt tibi a Dómino, allelúia.

Oratio.

FAMULIS tuis, quaesumus Dómine, coeléstis grátiae munus impertíre: ut quibus beátae Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Visitatiónis ejus votíva solémnitas, pacis tríbuat incremèntum. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Joannis. Ańa. Puer, qui natus est nobis, plus quam Prophéta est: hic est enim, de quo Salvátor ait: Inter

natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Oratio.

DEUS, qui praeséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum, et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis aetérnae. Per Dóminum.

Ad Completorium et per Horas diei in fine Hymnorum dicitur :

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine.

AD MATUTINUM.

Invitat. Visitatiónem vírginis Maríae celebrémus, * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymn. Quem terra. clxi.

Añae, Psalmi, et ℣. Nocturnorum, ut in festis B. M. V. per annum. clxi.

In primo Nocturno.

De Cánticis canticórum.

Lectio i. *Cap.* ii.

EGO flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi : et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam viníariam, ordinávit in me charitátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis : quia amóre lángueo. Laeva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliae Jerúsalem, per cápreas cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, quoadúsque ipsa velit.

℟. Surge, própera, amíca mea, formósa mea, et veni : jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit : * Vox túrturis audíta est in terra nostra. ℣. Intrávit María in domum Zacharíae, et salutávit Elísabeth. — Vox túrturis.

Lectio ii.

VOX dilécti mei, ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles : símilis est diléctus meus cápreae, hinnulóque cervórum. En ipse stat post paríetem nostrum, respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos. En diléctus meus lóquitur mihi : Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus

putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terra nostra: ficus prótulit grossos suos: víneae floréntes dedérunt odórem suum.

℟. Quae est ista, quae procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliae Sion, et beátam dixérunt, et regínae laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállių.—Vidérunt.

Lectio iii.

SURGE, amíca mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea in foramínibus petrae, in cavérna macériae, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra. Cápite nobis vulpes párvulas, quae demoliúntur víneas: nam vínea nostra flóruit. Diléctus meus mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília, donec aspíret dies, et inclinéntur umbrae. Revértere: símilis esto, dilécte mi, cápreae, hinnulóque cervórum super montes Bether.

℟. Repléta est Spíritu sancto Elísabeth, et exclamávit: Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui: * Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? ℣. Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuae in áuribus meis, exultávit in gáudio infans in útero meo. — Et unde. Glória Patri. Et unde.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Apud Metaphr. mense Julio.

Lectio iv.

CUM ad nos advenísset Redémptor nostri géneris, venit prótinus ad suum amícum Joánnem, dum adhuc esset in ventre matris. Quem cum ex útero in útero aspexísset Joánnes, términos natúrae concútiens, exclámat: Vídeo Dñum, qui natúrae impósuit términos, et non expécto tempus nascéndi: novem ménsium tempus mihi non est hic necessárium: in me est enim, qui est aetérnus: egrédiar ex hoc tenebróso tabernáculo, rerum admirabílium compendiósam praedicábo cognitiónem. Sum signum: significábo Christi advéntum. Sum tuba: próferam Fílii Dei in carne dispensatiónem. Tuba canam, eo ipso patérnae linguae benedícam, et eam traham, ut loquátur. Tuba canam, et úterum matérnum vivificábo.

℟. Ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles: * Símilis est diléctus

meus cápreae, hinnulóque cervórum. ℣. Exultávit ut gigas ad curréndam viam, a summo coelo egréssio ejus. — Símilis est.

Lectio v.

VIDES, o dilécte, quam sit novum et admirábile mystériu. Nondum náscitur, et sáltibus lóquitur : nondum appáret, et minas inténtat : nondum ei permíttitur clamáre, et per facta audítur : nondum ducit vitam, et Deum praedicat : nondum áspicit lucem, et solem índicat : nondum páritur, et próperat praecúrrere : non fert enim, praesénte Dómino, continéri : non sústinet natúrae expectáre términos ; sed conténdit rúmpere cárcerem ventris, et studet praesignificáre veniéntem Salvatórem. Accéssit, inquit, qui solvit víncula : et quid ego sédeo vinctus, et retíneor ut máneam? Venit Verbum, ut ómnia constítuat : et ego adhuc máneo deténtus? Exíbo, praecúrram, et praedicábo ómnibus : Ecce Agnus Dei, qui tollit peccátum mundi.

℟. Congratulámini mihi omnes qui dilígitis Dñum, quia, cum essem párvula, plácui Altíssimo : * Et de meis viscéribus génui Deum et hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus.—Et de meis.

Lectio vi.

SED dic nobis, Joánnes, cum adhuc in tenebróso matris útero contineáris, quómodo intuéris et audis? quómodo res divínas contempláris? quómodo éxilis et exúltas? Magnum est, inquit, quod perágitur mystérium, et actus ab humána remótus comprehensióne. Mérito ínnovo natúram propter eum, qui est innovatúrus ea quae sunt supra natúram. Vídeo, etsi adhuc in útero sim, quóniam in útero gestári vídeo solem justítiae. Auribus percípio, quóniam nascor vox magni Verbi. Exclámo, quóniam Fílium Patris unigénitum consídero carne indútum. Exúlto, quóniam univérsi effectórem vídeo formam hóminis suscípere. Exílio, quóniam mundi Redemptórem cógito incorporátum, praecúrro advéntum ejus, et quodámmodo vobis praeco confessióne.

℟. Beáta quae credidísti, quóniam perficiéntur in te quae dicta sunt tibi a Dño. Et ait María : * Magníficat ánima mea Dñum. ℣. Veníte et audíte, et narrábo quanta fecit Deus ánimae meae. — Magníficat. Glória Patri. Magníficat.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* i. *d.*

IN illo témpore : Exúrgens María, ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda. Et intrávit in domum Zacharíae, et salutávit Elísabeth. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. *Comment. in Lucae cap.* i. *post initium.*

CONTUENDUM est, quia supérior venit ad inferiórem, ut inférior adjuvétur, María ad Elísabeth, Christus ad Joánnem. Dénique étiam póstea, ut sanctificáret baptísmum Joánnis, Dóminus venit ad baptísmum. Cito quoque advéntus Maríae, et praeséntiae divínae benefícia declarántur. Vide distinctiónem, singulorúmque verbórum proprietátem. Vocem prior Elísabeth audívit, sed Joánnes prior grátiam sensit. Illa natúrae órdine audívit, iste exultávit ratióne mystérii. Illa Maríae, iste Dñi sensit advéntum. Istae grátiam loquúntur, illi intus operántur, pietatísque mystérium matérnis adoriúntur profféctibus: duplicíque miráculo prophétant matres spíritu parvulórum. Exultávit infans, repléta est mater. Non prius mater repléta quam fílius : sed cum fílius esset replétus Spíritu sancto, replévit et matrem.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dñus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. — Quia fecit. Bened. Cujus festum cólimus ipsa Virgo vírginum.

Lectio viii.

ET unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? Hoc est, quo tantum bonum mihi áccidit, ut mater Dómini mei véniat ad me? Miráculum séntio, agnósco mystérium: mater Dómini Verbo foeta, Deo plena est. Mansit autem María cum illa ménsibus tribus, et revérsa est in domum suam. Bene indúcitur sancta María et exhibuísse offícium, et mysticũ númerum custodísse. Non enim sola familiaritátis est causa quod diu mansit, sed étiam tanti Vatis profféctus. Nam si primo ingréssu tantus profféctus éxtitit, ut ad salutatiónem Maríae exultáret infans in útero, replerétur Spíritu sancto mater infántis : quantum putámus usu tanti témporis

sanctae Maríae addidísse praeséntiam? Ungebátur ítaque, et quasi bonus athléta exercebátur in útero matris Prophéta: amplíssimo enim virtus ejus certámini parabátur.

℟. Felix namque es, sacra virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiae, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Visitatiónem. — Quia. Glória Patri. Christus.

Pro SS. Martyribus Processo et Martiniano.

Lectio ix.

QUO témpore Petrus et Paulus tenebántur sub custódia Mamertíni in monte Tarpéjo, duo custódes, Processus et Martiniánus cum áliis quadragínta, Apostolórum praedicatióne miraculísque commóti, se ad Jesu Christi fidem convertérunt: et cum repénte fons e saxo ortus esset, baptizáti sunt. Qui permisérunt Apóstolis, ut si vellent, abírent. Sed Paulínus míllitum praeféctus, re cógnita, Processum et Martiniánum a suscépto consílio revocáre conátur. Qui cum frustra tempus contéreret, ipsórum ora saxo contúndi, dentésque commínui jubet. Mox ad Jovis státuam addúctos, cumeádem constántia veneratúros se idóla negárent, ímperat equúleo torquéri, candéntibus lámínis ad eórum corpus admótis, ac caedi fústibus. Quibus in cruciátibus una haec illórum vox audiebátur: Sit nomen Dñi benedíctum. Dénique conjécti in cárcerem, paulo post extra Urbem via Aurélia secúri feriúntur. Quorum córpora Lucína in praedio suo sepelívit, sexto Nonas Júlii: quae póstea in Urbem transláta, in basílica príncipis Apostolórum cóndita sunt.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Exúrgens María, * ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis, 18.

2. Intrávit María * in domum Zacharíae, et salutávit Elísabeth.

3. Ut audivit * salutatiónem Maríae Elísabeth, exultávit infans in útero ejus, et repléta est Spíritu sancto, alleluia.

4. Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui.

5. Ex quo facta est * vox salutatiónis tuae in áuribus meis, exultávit infans in útero meo, allelúia.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

AB inítio, et ante saecula creáta sum, et usque ad futúrum saeculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymn. O gloriósa. clxxi.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Benedictus, Antiphona. Cum audísset salutatiónem Maríae Elísabeth, exclamávit voce magna et dixit: Unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? allelúia.

Oratio.

FAMULIS tuis, quaesumus Dñe, coeléstis grátiae munus impertíre: ut quibus beátae Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Visitatiónis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio SS. Processi et Martiniani Mart., Aña. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio.

DEUS, qui nos sanctórum Mártyrum tuórum Procéssi et Martiniáni gloriósis confessiónibus circúmdas et prótegis: da nobis et eórum imitatióne proffcere, et intercessióne gaudére. Per Dóminum.

Ad Primam in ℟. brevi dicitur ℟. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM.

Aña. Intrávit María.

Capit. Ab initio, ut supra.

℟. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie tua.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM.

Aña. Ut audívit.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei haeréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus vultu. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM.

Ána. Ex quo facta ést.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

IN platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et praeelégit eam. Elégit eam. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et praeelégit. Glória Patri. Elégit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

In secundis Vesp. omnia ut in primis.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Magníf. Ána. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus, allelúia.

Oratio. Fámulis tuis, ut supra. 502.

Deinde fit Commemor. de Octava Apostolorum. Ána. Petrus Apóstolus. ℣. Constítues. Oratio. Deus, qui hodiérnam, ut infra.

Infra Octavam SS. Petri et Pauli omnia dicuntur de Communi Apostolorum, praeter Lectiones et Ánas ad Benedictus, et ad Magnificat, quae dicuntur, ut infra notantur.

Ad Bened. Ána. Gloriósi príncipes terrae, quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terrae verba eórum.

Ad Magnificat, Ána. Petrus Apóstolus, et Paulus Doctor Géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Oratio.

DEUS, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martyrio consecrásti : da Ecclésiae tuae, eórum in ómnibus sequi praecéptum, per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

DIE III. JULII.

Quinta die infra Octavam Apostolorum Petri et Pauli.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermóne sancti Leónis Papae.

Ex Serm. i. *in natali Apost. Petri, et Pauli, in fine.*

*

Lectio iv.

PRETIOSA est in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus: nec ullo crudelitátis génere déstrui potest sacraménto crucis Christi fundáta relígio. Non minúitur persecutiónibus Ecclésia, sed augétur: et semper Domínicus ager ségete ditióri vestítur, dum grana, quae síngula cadunt, multiplicáta nascúntur. Unde duo ista praeclára divíni séminis gérmina in quantam sóbolem germinárint, beatórum míllia Mártyrum protestántur, qui apostolicórum aemuli triumphórū, Urbem nostram purpurátis, et longe latéque rutilántibus pópulis ambiérunt, et quasi ex multárum honóre gemmárum consérto uno diadémate coronárunt.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium coelum, voce magna clamántem, et dicéntem.— Isti sunt.

Lectio v.

DE quorum praesídio, dilectíssimi divínitus nobis ad exémplum patiéntiae, et confirmatiónem fídei praeparáto, universáliter quidem in ómnium Sanctórum commemoratióne laetándum est: sed in horum excellántia Patrum mérito est excellántius gloriándum, quos grátia Dei in tantum ápicem inter ómnia Ecclésiae membra provéxit, ut eos in córpore, cui caput est Christus, quasi géminum constitúeret lumen oculórum. De quorum méritis atque virtútibus, quae omnem loquéndi súperant facultátem, nihil divérsum, nihil debémus sentíre discrétum: quia illos et eléctio pares, et labor símiles, et finis fecit aequáles.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: * Gaudéte et exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in coelis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis. —Gaudéte.

Lectio vi.

SICUT autem et nos expérti sumus, et nostri probavére majóres, crédimus atque confídimus inter omnes labóres istíus vitae ad obtinéndam misericórdiam Dei semper nos speciálium patronórum

oratiónibus adjuvándos: ut, quantum própriis peccátis deprímimur, tantum apostólicis méritis erigámur. Per Dñum nostrum Jesum Christum, cui est cum Patre et sancto Spíritu éadem potéstas, una divínitas, in saecula saeculórum. Amen.

℟. Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt praemia aetérna: Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.—Modo. Glória Patri. Modo.

In tertio Nocturno. Homília venerabilis Bedae Presbyteri in Evang. Ecce nos relíquimus, de Comm. Apost. secundo loco. xxi.

DIE IV. JULII.

Sexta die infra Octávam Apostolorum Petri et Pauli.

In secundo Nocturno.

De Expositióne sancti Joánnis Chrysóstomi in Epístolam ad Romános. *Sermone* xxxii. *in morali exhortatione.*

Lectio iv.

UM Paulus Apóstolus grátiam Dñi nostri Jesu Christi, matrem ómnium bonórum, nobis precétur, réliquum est, ut nos tali patrocínio dignos exhibeámus, ut non hic solum vocem Pauli audiámus, sed et postquam illuc migravérimus, athlétam Christi vidére mereámur. Imo si hic audivérimus, et illic ipsum omníno vidébimus, licet non e propínquo stantes, vidébimus tamen prope regálem thronum splendéntem, ubi Chérubim Deum glorífícant, ubi Séraphim volant, illic Paulum vidébimus cum Petro sanctórum chori príncipem ac ducem, et ejus germána charitáte fruémur.

℟. Vidi conjúnctos. 504.

Lectio v.

SI enim, cum hic esset, usque ádeo diligébat homines, ut, cum dissólvi et cum Christo esse cúperet, elégerit tamen hic esse: multo magis illic ferventiórem charitátem osténdet. Ego et Romam propterea díligo, tamétsi aliúnde illam laudáre queam, nempe a magnitúdine, ab antiquitáte, a pulchritúdine, a multitúdine, ab império, a divítiis, et a rebus in bello fórtiter gestis. Sed his ómnibus omíssis, ob id illam beátam praedico, quod erga illos Paulus, dum víveret, ádeo fuit benévolus, ádeo illos amávit, et coram disséruit, et postrémo vitam

apud eos finívit. Cujus sanctum corpus ipsi póssident: et proptérea cívitas illa hinc facta est insígnis magis quam ab áliis rebus ómnibus: et tamquam corpus magnum ac válidum duos habet óculos fulgéntes, sanctórum vidélicet horum córpora.

℟. Beáti estis. 504.

Lectio vi.

NON ita coelum splendéscit quando rádios sol demíttit, quemádmodum Romanórum Urbs duos istos fulgóres ubíque terrárum emíttens. Hinc rapiétur Paulus, hinc Petrus. Consideráte, et horréte, quale spectáculum visúra sit Roma: Paulum vidélicet repénte ex theca illa cum Petro resurgéntem in occúrsum Dómini sursum ferri. Qualem rosam Christo mittet Roma? quálibus corónis duábus ornátur Urbs ista? quálibus caténis áureis cincta est? quales habet fontes? Proptérea admíror hanc Urbem, non propter cópiam auri, non propter colúmnas, neque propter áliam quamcúmque rerum spéciem, sed propter colúmnas illas Ecclésiae. Quis mihi nunc dabit circumvólvi córpori Pauli, affígi sepúlchro, vidére púlverem córporis illíus, quae adhuc in Christo déerant adimpléntis, stígmata illíus gestántis, praedicatiónem Evangélii ubíque semináns?

℟. Isti sunt. 505.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xiv. *b.*

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

De Homília venerábilis Bedae Presbyteri.

In natali sancti Benedicti.

QUO sunt órdines electórum in judício futúri: unus judicántium cum Dño, de quibus hoc loco mémorat, qui reliquérunt ómnia, et secúti sunt illum: álius judicandórum a Dño, qui non quidem ómnia sua páriter reliquérunt, sed de his tamen, quae habébant, quotidiánas dare eleemósynas Christi paupéribus curábant: unde et auditúri sunt in judício: Veníte, benedícti patris mei, possidéte praeparátum vobis regnum a constitutióne mundi. Esurívi enim, et dedístis mihi manducáre: sitívi, et dedísti mihi bíbere.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo: * Cálicem Dómini bibérunt.

et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum.— Cálicem.

Lectio viii.

SED et reprobórum duos ibi futúros órdines, Dómino narránte comperímus : unum eórum, qui fidei christiánae mystériis initiáti, ópera fidei exercére contémnunt, quibus in judício testátur : Discédite a me, maledícti, in ignem aetérnum, qui praeparátus est diábolo, et ángelis ejus : esurívi enim, et non dedístis mihi manducáre. Alterum eórum, qui fidem et mystéria Christi vel nunquam suscepére, vel suscéptam per apostasíam deseruére : de quibus dicit : Qui autem non credit, jam judicátus est : quia non credit in nómine unigéniti Fílii Dei.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in charitáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam: Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna : operáti sunt justítiam. — Quorum. Glória Patri. Quorum.

Lectio ix.

UERUM his cum timóre et pavóre débito paulísper commemorátis, ad laetíssima pótius Dómini et Salvatóris nostri promíssa convertámus audítum. Videámus quae tantae grátia pietátis : non aetérnae tantúmmodo vitae praemia suis sequácibus, sed et praeséntis múnera pollicétur exímia. Et omnis, inquit, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam aetérnam possidébit. Qui enim terrénis affféctibus sive possessiónibus pro Christi discipulátu renuntiáverit, quo plus in ejus amórem profécerit, eo plures invéniet, qui se intérno suscípere affféctu, et suis gáudeant sustentáre substántiis.

Te Deum laudámus. 17.

DIE V. JULII.

Septima die infra Octavam Apostolorum Petri et Pauli.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Máximi Episcopi. *Homil.* v. *de SS. Apost. Petro et Paulo, post init.*

Lectio iv.

NON sine causa factum putémus, fratres caríssimi, quod gloriosíssimi christiánae fídei príncipes Petrus et Paulus, una die, uno in loco, uníus tyránni

toleravére sententiam. Una die passi sunt, ut ad Christum páriter pervenírent : uno in loco, ne álteri Roma deésset : sub uno persecutóre, ut aequális crudélitas utrúmque constríngeret. Dies ergo, puto, pro mérito, locus pro glória, persecútor decrétus est pro virtúte. Et in quo tandem loco martyrium pertulérunt? In urbe Roma, quae principátum et caput óbtinet natiónum : scílicet, ut ubi caput superstitiónis erat, illic caput quiésceret sanctitátis : et ubi gentílium príncipes habitábant, illic Ecclesiárum príncipes moreréntur.

℟. Vidi conjúnctos. 504.

Lectio v.

QUJUS autem mériti sint beatíssimi Petrus et Paulus, hinc póssumus intellígere, quod, cum Dñus Oriéntis regiónem própria illustráverit passióne ; Occidéntis plagam, ne quid minus esset, vice sui, Apostolórũ sánguine illumináre dignátus est. Et licet illíus pássio nobis sufficiat ad salútem, tamen étiam horum martyrium nobis cóntulitad exémplum. Hodiérna ígitur die beáti Apóstoli sánguinẽ profudérunt. Sed videámus causam, quare ista perpéssi sunt : scílicet, quod inter caetera mirabília étiam magum illum Simónem oratiónibus suis de áeris vácuo praecípiti ruína prostravérunt.

℟. Beáti estis. 504.

Lectio vi.

CUM enim idem Simon se Christum díceret, et tamquam fílium ad patrem asséreret volándo se posse conscéndere, atque elátus súbito mágicis ártibus voláre coepísset : tunc Petrus fixis génibus precátus est Dóminum, et precatióne sancta vicit mágicam levitátem. Prior enim ascéndit ad Dóminum orátio, quam volátus : et ante pervénit justa petítio, quam iníqua praesúmptio : ante Petrus in terris pósitus obtínuit quod petébat, quam Simon perveníret in coeléstibus, quo tendébat. Tunc ígitur Petrus velut vinctum illum de sublími áere depósuit, et quodam praecipítio in saxo elídens, ejus crura confrégit ; et hoc in oppróbrio facti illíus, ut qui paulo ante voláre tentáverat, súbito ambuláre non posset : et qui pennas assúmpserat, plantas amítteret.

℟. Isti sunt. 505.

In tertio Nocturno, Homilia sancti Hieronymi in Evangelium : Ecce nos reliquimus ómnia, ut in Communi Apostolorum. xiv.

DIE VI. JULII.

In Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli. Duplex.

AD VESPERAS.

Ańa. Hoc est praecéptum, cum reliquis Añis et Psalmis, Capitulo et Hymno, ut in primis Vesperis de Communi Apostolorum. ii.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Ad Magnif. Ańa. Petrus Apóstolus, et Paulus Doctor Géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

Oratio.

DEUS, cujus déxtera beátum Petrum ambulántem in flúctibus, ne mergerétur, eréxit, et coapóstolum ejus Paulum, tértio naufragántem, de profúndo pélagi liberávit : exáudi nos propítius, et concéde, ut ambórum méritis aeternitátis glóriam consequámur : Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Ad Matutinum, et alias Horas, omnia dicuntur de Communi Apostolorum, sicut infra Octavam.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.
Apud Metaphrasten.

Lectio iv.

QUASNAM vobis, o beáti Apóstoli, referémus grátias, qui tantum pro nobis laborástis? Mémini tui, Petre, et obstupésco : recórdor tui, Paule, et excédens mente, ópprimor lácrymis. Quid enim dicam, aut quid loquar, vestras contémplans afflictiónes, néscio. Quot cárceres sanctificástis ? quot caténas decorástis ? quot torménta sustinuístis? quot maledícta tolerástis ? quómodo Christum portástis ? quómodo praedicatióne Ecclésias laetificástis ? Sunt benedícta vestrae linguae instruménta: sánguine conspérsa sunt membra vestra propter Ecclésiam. Vos Christum imitáti estis in ómnibus. In omnem terram éxiit vester sonus, et verba vestra in fines orbis terrae.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : * Isti sunt viri sancti facti amici Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium coelum, voce magna clamántem, et dicéntem. -- Isti sunt.

Lectio v.

GAUDEAS Petre, cui datum est, ut ligno crucis Christi frueréris. Et

ad Magístri quidem similitúdinem voluísti crucifígi, non recta quidem figúra, ut Christus Dóminus, sed cápite in terram verso, tamquam qui a terra in coelum iter fáceres. Beáti clavi, qui sancta illa membra penetrárunt. Tu cum omni fidúcia in manus Dómini ánimam tradidísti, qui assídue ei, et ejus sponsae Ecclésiae servísti, qui fervénti spíritu Dóminum dilexísti ómnium Apostolórum fidelíssimus.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum adversum vos, mentiéntes, propter me: * Gaudéte et exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in coelis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis.—Gaudéte et exultáte.

Lectio vi.

GAUDEAS et tu, beáte Paule, cui caput fuit gládio amputátum, cujus virtútes nullis verbis explicári possunt. Quisnam gládius sanctum guttur tuum pervásit, Domínicum, inquam, instruméntum, quod a coelo habétur in admiratióne, et quod terra reverétur? Quisnam locus tuum sánguinem excépit, lactis spécie in ejus, qui te percússit, túnica apparéntem? qui ánimam illíus bárbari supra modum dulciórem reddens, fidélem effécit cum sóciis. Sit mihi gládius ille pro coróna, et clavi Petri pro gemmis infíxis in diadémate.

℟. Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt praemia aetérna: * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.—Modo. Glória Patri. Modo

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xiv. *c.*

IN illo témpore: Cómpulit Jesus discípulos ascéndere in navículam, et praecédere eum trans fretum, donec dimítteret turbas. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Libro 2. Commentar. in cap. xiv. *Matthaei.*

DISCIPULIS Dóminus praecépit transfretáre, et cómpulit ut ascénderent navículă. Quo sermóne osténditur, invítos eos a Dómino recessísse,

dum amóre praeceptóris ne punctum quidem témporis ab eo volunt separári. Et, dimíssa turba, ascéndit in montem solus oráre. Si fuíssent cum eo discípuli Petrus et Jacóbus et Joánnes, qui víderant glóriam transformáti, fórsitan ascendíssent in montem cum eo : sed turba ad sublímia sequi non potest, nisi docúerit eam juxta mare in líttore, et alúerit in desérto.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo : Cálicem Dñi bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum. — Cálicem.

Lectio viii.

QUOD autem ascéndit solus oráre, non ad eum réferas, qui de quinque pánibus quinque míllia saturávit hóminum, excéptis párvulis et muliéribus ; sed ad eum, qui audíta morte Joánnis, secéssit in solitúdinem : non quod persónam Dómini separémus, sed quod ópera ejus inter Deum hominémque divísa sint. Navícula autem in médio mari jactabátur flúctibus. Recte quasi invíti et retractántes Apóstoli a Dómino recésserant, ne illo absénte naufrágia sustinérent.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dñus in charitáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna : operáti sunt justítiam. — Quorum. Glória Patri. Quorum.

Lectio ix.

DENIQUE Dómino in montis cacúmine commoránte, statim ventus contrárius óritur, et turbat mare, et periclitántur Apóstoli : et támdiu imminens naufrágium persevérat, quámdiu Jesus véniat. Quarta autem vigília noctis venit ad eos ámbulans supra mare. Statiónes et vigíliae militáres in terna horárum spátia dividúntur. Quando ergo dicit, quarta vigília noctis venísse ad eos Dóminum, osténdit tota nocte periclitátos et extrémo noctis, atque in consummatióne mundi, eis auxílium praebitúrum.

Te Deum laudámus. 17.

IN LAUDIBUS.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terrae verba eórum.

Ad Benedictus, Ana. Gloriósi príncipes terrae, quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

Oratio.

DEUS, cujus déxtera beátum Petrum ambulántem in flúctibus, ne mergerétur, eréxit, et coapóstolum ejus Paulum, tértio naufragántem, de profúndo pélagi liberávit: exáudi nos propítius, et concéde, ut ambórum méritis aeternitátis glóriam consequámur: Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

IN II. VESPERIS.

Aña. Jurávit Dóminus, cum reliquis Antiphonis et Psalmis de Communi Apostolorum. xvii.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Ad Magnificat, Antiphona. Petrus Apóstolus, et Paulus Doctor Géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

Oratio. Deus, cujus déxtera, ut supra.

DIE VIII. JULII.

In festo S. Elisabeth Reginae Portugalliae, Viduae. Semiduplex.

AD VESPERAS.

Antiphona. Dum esset Rex, cum reliquis de Laudibus. 517.

Psalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis de Communi Virginum. ciii.

Capitulum. *Prov.* xxxi. *b.*

MULIEREM fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétiũ ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

Hymnus.

DOMARE cordis ímpetus Elísabeth
Fortis, inópsque Deo
Servíre regno praetulit.
En fúlgidis recépta coeli sédibus,
Sidereaeque domus
Ditáta sanctis gáudiis.
Nunc regnat inter Coelites beátior,
Et premit astra, docens
Quae vera sint regni bona.
Patri potéstas, Filióque glória,
Perpetuúmque decus
Tibi sit, alme Spíritus.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáta Elísabeth. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Aña. Et nunc, reges, intellígite, erudímini, qui judicátis terram.

Oratio.

CLEMENTISSIME Deus, qui beátam Elísabeth regínam, inter caeteras egrégias dotes, bélici furóris sedándi praerogatíva decorásti: da nobis ejus intercessióne, post mortális vitae, quam supplíciter

pétimus, pacem, ad aetérna gáudia perveníre. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invit. Laudémus Deum nostrum, * In sanctis opéribus beátae Elísabeth. Ps. Veníte, exultémus. 2.

Hymn. Domáre, ut supra.

In primo Nocturno.

Aña. Eleváta est * magnificéntia Elísabeth super coelos. Psalmus. Dómine Dóminus noster, cum reliquis ut in Communi Virginum. cvii.

Aña. Veni, elécta mea, * et ponam in te thronum meum quia concupívit Rex spéciem tuam.

Aña. Accépit benedictiónem * a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo.

℣. Multae fíliae congregavérunt divítias. ℟. Tu supergréssa es univérsas.

De Parábolis Salomónis.

Lectio i. *Cap.* xxxi. *b.*

MULIEREM fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitae suae. Quaesívit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque praedam domésticis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum : de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum.

℟. Regáli exórta progénie triúmphat in coelis Elísabeth, tríplici circúmdata varietáte meritórum: * Nam in terra in tríplici vitae gradu pósteris imitánda virtútum relíquit exémpla. ℣. Virginálem statum, conjugálem, et viduálem inoffénso pede cucúrrit. — Nam.

Lectio ii.

GUSTAVIT, et vidit quia bona est negotiátio ejus : non extinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suae a frigóribus nivis : omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stra gulátam vestem fecit sibi : byssus et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terrae. Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananaeo.

℟. Os suum apéruit sapiéntiae, * Et lex cleméntiae

in lingua ejus. ℣. Quóniam praevenísti eam in benedictiónibus dulcédinis. — Et lex cleméntiae.

Lectio iii.

FORTITUDO et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiae, et lex cleméntiae in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suae, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam praedicavérunt : vir ejus, et laudávit eam. Multae fíliae congregavérunt divítias, tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum : et laudent eam in portis ópera ejus.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eam. ℣. Scuto bonae voluntátis tuae coronásti eam, Dómine. — Et voluntáte. Glória Patri. Et.

In secundo Nocturno.

Ańa. Propter veritátem * et mansuetúdinem, et justítiam dedúcet te mirabíliter déxtera tua. Psalmus. Eructávit, cum reliquis ut in Communi Virginum, cx.

Ańa. Arcum cónteret * et confrínget arma, et scuta combúret igni.

Ańa. Justítia * et misericórdia plena est déxtera tua.

℣. Virga tua, et báculus tuus. ℟. Ipsa me consoláta sunt.

Lectio iv.

SLISABETH Aragóniae régibus ortam, Christi anno millésimo ducentésimo septuagésimo primo, in praeságium futúrae sanctimóniae paréntes, praeter morem, relícto matris aviaeque nómine, a magna ejus matértera, Thuríngiae dómina, sancta Elísabeth, in baptísmo nominátam voluére. Ubi nata est, statim pátuit, quam felix regum regnorúmque esset futúra pacátrix : natalítia enim ejus laetítia perniciósas avi patrísque dissensiónes in concórdiam convértit. Pater vero crescéntis póstea fíliae admirátus índolem, affirmábat fore, ut una Elísabeth réliquas Aragoniórum regum sánguine creátas foeminas virtúte longe superáret. Sic coeléstem ipsíus vitam in contemnéndo córporis ornátu, in fugiéndis voluptátibus, in jejúniis frequentándis, in divínis précibus assídue recitándis, in charitátis opéribus exercéndis, veneratus, rerum suárum regníque felicitátem uníus fíliae

méritis referébat accéptam. Tandem ubíque nota, et a multis princípibus exoptáta, Dionysio Lusitániae regi christiánis caeremóniis rite est in matrimónium collocáta.

℣. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam, et oblíviscere pópulum tuum, et domum patris tui : * Et concupíscet Rex decórem tuum. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.— Et concupíscet.

Lectio v.

JUNCTA conjúgio, non minórem excoléndis virtútibus, quam líberis educándis óperam dabat, viro placére studens, sed magis Deo. Médiam fere anni partem solo pane tolerábat et aqua : quae in quodam ipsíus morbo divínitus versa est in vinum, cum id a médicis praescríptum bíbere recusásset. Páuperis foeminae ulcus horréndum exosculáta, derepénte sanávit. Pecúnias paupéribus distribuéndas, ut regem latérent, hibérno témpore in rosas convértit. Vírginem caecam a nativitáte illuminávit : multos álios solo Crucis signo a gravíssimis morbis liberávit : plúrima id genus mirácula patrávit. Monastéria, collégia, et templa non modo extrúxit, sed étiam magnífice dotávit. In regum discórdiis componéndis admirábilis fuit : in privátis publicísque mortálium sublevándis calamitátibus indeféssa.

℣. Manum suam misit ad fórtia : * Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in saeculum saeculi.—Manum suam.

Lectio vi.

DEFUNCTO rege Dionysio, sicut virgínibus in prima aetáte, in matrimónio conjúgibus, ita víduis in solitúdine fuit ómnium virtútum exémplar. Illico enim religiósis sanctae Clarae véstibus indúta, régio fúneri constánter intérfuit, ac paulo post Compostéllam proficíscens, multa ex holosérico, argénto, auro, gemmísque donária pro regis ánima óbtulit. Inde revérsa domum, quidquid sibi carum aut pretiósum supérerat, in sacros ac pios usus convértit : absolvendóque suo vere régio Conimbricénsi vírginum coenóbio, et aléndis paupéribus, et protegéndis víduis, defendéndis pupíllis, míseris ómnibus juvándis inténta, non sibi, sed Deo, et mortálium ómnium cómmodis vivébat.

Reges duos, fílium et génerum pacificatúra, Stremótiũ nóbile óppidum véniens, morbo ex itínere contráćto, ibídem a Vírgine Deípara visitáta, sanćtíssime óbiit, anno millésimo trecentésimo trigésimo sexto, die quarta Júlii. Post mortem multis miráculis cláruit, praesértim suavíssimo córporis jam per annos fere trecéntos incorrúpti odóre; semper étiam regínae sanćtae cognoménto célebris. Tandem anno jubilaei, et nostrae salútis millésimo sexcentésimo vigesimoquínto, totíus christiáni orbis concúrsu et appláusu, ab Urbáno octávo rite inter Sanćtos adscrípta est.

℟. Regnum mundi, et omnem ornátum saeculi contémpsi, propter amórem Dómini mei Jesu Christi:* Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi.—Quem. Glória Patri. Quem.

In tertio Nocturno.

Antiphona. Conféssio, * et pulchritúdo in conpéctu ejus, sánctitas, et magnificéntia in sanctificatióne ejus. Psalmus. Cantáte Dómino, cum reliquis ut in Communi Virginum. cxiv.

Aña. Annuntiavérunt * coeli justítiam ejus, et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Aña. Judicávit* in justítia, et pópulos in aequitáte.

℣. Ignis ante ipsam praecédet. ℟. Et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lećtio vii. *Cap.* xiii. *f.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum coelórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papae.

Homilia xi. *in Evangelia.*

COELORUM regnum, fratres caríssimi, idcírco terrénis rebus símile dícitur, ut ex his, quae ánimus novit, surgat ad incógnita, quae non novit: quátenus exémplo visibílium se ad invisibília rápiat, et per ea quae usu dídicit, quasi confricátus incaléscat: ut per hoc quod scit notum dilígere, discat et incógnita amáre. Ecce enim coelórum regnum thesáuro abscóndito in agro comparátur: quem qui ínvenit homo, abscóndit, et prae gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quae habet, et emit agrum illum.

℟. Os suum apéruit sapiéntiae, et lex cleméntiae

in lingua ejus : considerávit sémitas domus suae, * Et loquebátur de testimóniis Dómini. ℣. Gustávit et vidit quia bona est negotiátio ejus : non extinguétur in nocte lucérna ejus.—Et loquebátur.

Lectio viii.

QUA in re hoc quoque notándum est, quod inventus thesáurus abscónditur, ut servétur : quia stúdium coeléstis desidérii a malígnis spirítibus custodíre non súfficit, qui hoc ab humánis láudibus non abscóndit. In praesénti étenim vita, quasi in via sumus, qua ad pátriam pérgimus. Malígni autem spíritus iter nostrum quasi quidam latrúnculi óbsident. Depraedári ergo desíderat, qui thesáurum públice portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant, cum scriptum sit : Vídeant ópera vestra bona, et glorífícent Patrem vestrum, qui in coelis est : sed ut per hoc, quod ágimus, laudes extérius non quaerámus. Sic autem sit opus in públicо, quátenus inténtio máneat in occúlto : ut et de bono ópere próximis praebeámus exémplũ, et tamen per intentiónem, qua Deo soli placére quaerimus, semper optémus secrétum.

℟. Invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiae, et praepósui illam regnis et sédibus : * Et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. ℣. Mélior est enim sapiéntia cunctis ópibus pretiosíssimis. — Et divítias. Glória Patri. Et divítias.

Lectio ix.

THESAURUS autem coeléste est desidérium : ager vero, in quo thesáurus abscónditur, discíplina stúdii coeléstis. Quem profécto agrum, vénditis ómnibus, cómparat, qui voluptátibus carnis renúntians, cuncta sua terréna desidéria per disciplínae coeléstis custódiam calcat : ut nihil jam, quod caro blandítur, líbeat; nihil, quod carnálem vitam trucídat, spíritus perhorréscat.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Dum esset Rex * in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Et concupíscet Rex * decórem tuum, quia ipse est Dóminus Deus tuus.

3. Potens in ópere et sermóne, lenívit iracúndiam Dómini, et conciliávit cor patris ad fílium.

4. Quasi arcus refúlgens * inter nébulas glóriae, et

quasi flos rosárum in diébus vernis.

5. Quasi stella matutína* in médio nébulae, et quasi luna plena in diébus suis.

Capitulum. *Prov.* xxxi. *b.*

MULIEREM fortem quis inveniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

Hymnus.

OPES, decúsque régium relíqueras
Elísabeth, Dei dicáta númini :
Recépta nunc beáris inter Angelos ;
Libens ab hóstium tuére nos dolis.
Praei, viámque dux salútis índica :
Sequémur. O sit una mens fidélium,
Odor bonus sit omnis áctio! tuis
Id ínnuit rosis opérta chárítas.
Beáta chárítas, in arce síderum
Potens locáre nos per omne saeculum :
Patríque, Filióque summa glória,
Tibíque laus perénnis alme Spíritus. Amen.

℣. Méritis et précibus beátae Elísabeth. ℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo.

Ad Bened. Ant. Tu glória Jerúsalem, * tu laetítia Israël, tu honorificéntia pópuli tui.

Oratio.

CLEMENTISSIME Deus, qui beátam Elísabeth regínam, inter caeteras egrégias dotes, bélici furóris sedándi praerogatíva decorásti : da nobis ejus intercessióne, post mortális vitae, quam supplíciter pétimus, pacem, ad aetérna gáudia pervenire. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Ant. Et concupíscet Rex.

Capitulum. Mulíerem fortem, ut supra.

℟. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie tua.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM.

Ant. Potens in ópere.

Capitulum. *Prov.* xxxi. *c.*

MANUM suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suae a frigóribus nivis.

℟. br. Adjuvábit eam, * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus vultu. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM.

Ánt. Quasi stella matutína.

Capitulum. *Prov.* xxxi. *d.*

MULTAE fíliae congregavérunt divítias; tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur.

℟. br. Elégit eam Deus, " Et praeelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et praeelégit. Glória Patri. Elégit. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

IN II. VESPERIS.

Ánt. Dum esset Rex, ut supra in Laudibus. 517.

Psalmi de Communi Virginum. ciii.

Capitulum, Hymnus et ℣. ut in primis Vesp. 512.

Ad Magnif. Ánt. Elísabeth pacis et pátriae mater, in coelo triúmphans, dona nobis pacem.

Oratio. Clementíssime Deus, ut supra. 518.

DIE X. JULII.

In festo SS. Septem Fratrum, ac Rufinae et Secundae, Virginum et Martyrum. Semiduplex.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum. xliv. praeter sequentia.

Oratio.

PRAESTA quaesumus omnípotens Deus : ut qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SEPTEM fratres, fílii sanctae Felicitátis, Romae in persecutióne Marci Aurélii Antoníni a Públio praefécto primum blandítiis, deínde terróribus tentáti, ut Christo renuntiántes, deos veneraréntur, et sua virtúte, et matre hortánte, in fidei confessióne perseveránte, várie necáti sunt. Januárius plumbátis caesus: Felix et Philíppus fústibus contúsi : Silvánus ex altíssimo loco praeceps dejéctus est : Alexánder, Vitális, et Martiális cápite plectúntur. Mater eórum quarto post mense eámdem martyrii palmam consecúta est : illi sexto Idus Júlii spíritum Dómino reddidérunt.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes praecéptis tuis, ut inveniréntur illaesi in

aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquae, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v.

RUFINA et Secúnda, soróres vírgines Románae, rejécto connúbio Armentárii et Veríni, quibus a paréntibus despónsae fúerant, quod Jesu Christo virginitátem vovíssent, Valeriáno et Gallién̄o imperatóribus, comprehendúntur. Quas cum nec promíssis, nec terróre Június praeféctus a propósito posset abdúcere, Rufinam primum virgis caedi jubet ; in cujus verbéribus Secúnda júdicem sic interpéllat : Quid est, quod sorórem meam honóre, me áfficis ignomínia ? Jube ambas simul caedi, quae simul Christum Deum confitémur. Quibus verbis incénsus judex ímperat utrámque detrúdi in tenebricósum et foetidum cárcerem. Quo loco statim claríssima luce et suavíssimo odóre compléto, in ardénte bálnei sólio includúntur. Et cum inde étiam íntegrae evasíssent, mox saxo ad collum alligáto, in Tíberim projéctae sunt ; unde ab Angelo liberátae, extra Urbem via Aurélia milliário décimo cápite plectúntur. Quarum córpora a Plautílla matróna in ejus praedio sepúlta, ac póstea in Urbem transláta, in basílica Constantiniána prope baptistérium cóndita sunt.

℟. Vérbera carnífícum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut haerédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut haerédes.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.
Serm. cx. *de diversis.*

Lectio vi.

QUAGNUM spectáculũ, fratres, pósitum est ante óculos fídei nostrae. Aure audívimus, corde vídimus optántem matrem ante se fínire istam vitam fílios suos, longe contráriis votis consuetúdini humánae. Omnes enim hómines fílios suos, ex hac vita migrándo, praecédere volunt, non sequi : illa autem optávit postérior mori. Non enim amittébat fílios, sed praemittébat : nec intuebátur quam vitam finírent, sed quam inchoárent. Desinébant enim vívere, ubi quandóque fúerant moritúri, et incipiébant vívere, sine fine victúri. Parum est fuísse spectatrícem: miráti sumus

pótius hortatrícem. Foecúndior virtútibus, quam foetibus : videns certántes, in quibus ómnibus ipsa certábat, et in ómnibus vincéntibus ipsa vincébat.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos: et in témpore erit respéctus illórum : * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. — Quóniam donum. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xii. *d.*

IN illo témpore : Loquénte Jesu ad turbas, ecce mater ejus et fratres stabant foris, quaeréntes loqui ei. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papae.

Homilia iii. *in Evangelia.*

SANCTI Evangélii, fratres carísimi, brevis est léctio recitáta, sed magnis mysteriórum ponderibus grávida. Jesus étenim Cónditor et Redémptor noster, matrem se nosse dissímulat, et quae ei mater sit, et qui propínqui, non per cognatiónem carnis, sed per conjunctiónem spíritus desígnat, dicens : Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei? Quicúmque enim fécerit voluntátem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est. Quibus nobis verbis quid áliud ínnuit, nisi quod obsequéntes jussiónibus suis multos ex Gentilitáte cólligit : et Judaeam, ex cujus carne est génitus, non agnóscit?

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum! — Quia.

Lectio viii.

SED cum is, qui voluntátem Patris fécerit, soror et frater Dómini dícitur, propter utrúmque sexum qui ad fidem collígitur, mirándum non est : mirándum vero valde est, quómodo étiam mater dicátur. Fidéles enim discípulos fratres vocáre dignátus est, dicens: Ite, nuntiáte frátribus meis. Qui ergo frater Dómini fíeri ad fidem veniéndo potúerit, quaeréndum est, quómodo étiam et mater esse possit.

℟. Haec est vera fraternitas, quae nunquam pótuit violári certámine: qui effúso

sánguine secúti sunt Dóminum : * Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna coeléstia. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum hábitare fratres in unum ! — Contemnéntes. Glória Patri. Contemnéntes.

Lectio ix.

SED sciéndum nobis est, quia qui Christi soror et frater est credéndo, mater efficitur praedicándo, Quasi enim parit Dóminum, quem cordi audiéntis infúderit; et mater ejus praedicándo efficitur, si per ejus vocem amor Dómini in próximi mente generátur. Ad quam rem nobis idónee confirmándam adest beáta Felícitas, cujus hódie natalítia celebrámus, quae credéndo éxtitit ancílla Christi, et praedicándo facta est mater Christi. Septem quippe fílios, sicut in gestis ejus emendatióribus légitur, sic post se tímuit vivos in carne relínquere, sicut carnáles paréntes solent metúere, ne mórtuos praemíttant.

Te Deum laudámus, 17. In secundis Vesperis fit Commemoratio S. Pii.

DIE XI. JULII.

S. Pii, Papae et Martyris.

Aña. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera manuum tuárum.

Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice, omnípotens Deus : et quia pondus própriae actiónis gravat, beáti Pii Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dñum nostrum.

Lectio iii.

CIUS Aquilejénsis, imperatóre Antoníno Pio, Póntifex creátus, poenam státuit in sacerdótem, cujus negligéntia de sánguine Dñi áliquid stillá-verit. Poeniténtiam enim, inquit, agant quadragínta diébus, si in terram áliquid decíderit : si super altáre, tribus diébus : si super línteum supérius, quátuor : si in inférius deflúxerit, novem diébus : si usque ad quartum, vigínti diébus : ubicúmque cecíderit, si récipi potest, lambátur : sin áliter, aut lavétur, aut radátur : quidquid lotum, aut rasum est, comburátur, et cinis in sacrárium reponátur. Multis praetérea utíliter decrétis martyrio coronátur, et sepelítur in Vaticáno,

Die xi. Julii. In Festo S. Pii I. Pont. et Mart.

Lectio iij.

PIUS, hujus nóminis primus, Aquileiénsis, Ruffíni fílius, ex Presbytero Sanctæ Románæ Eccléſiæ Summus Póntifex creátus est Antoníno Pio et Marco Aurélio Imperatóribus Augústis. Quinque Ordinatiónibus, mense Decémbri, Epíscopos duódecim, octódecim Presbyteros creávit. Extant nonnúlla ab eo præcláre institúta, præsértim ut Resurréctio Dómini nonnísi die Domínico celebrarétur. Pudéntis domum in ecclésiam mutávit, eámque ob præstántiam supra céteros Títulos, útpote Románi Pontificis mansiónem, Titulo Pastóris dicávit, et in qua sæpe rem sacram fecit, et multos ad fidem convérsos baptizávit, ac in fidélium número adscrípsit. Dum vero boni Pastóris munus obíret, fuso pro suis óvibus et Summo Pastóre Christo sánguine, martyrio coronátus est quinto Idus Júlii, ac sepúltus in Vaticáno.

quinto Idus Júlii: cum sedísset annos novem, menses quinque, dies vigínti septem, et Presbyteros decem et octo, Diáconos vigínti unum, Epíscopos per divérsa loca duódecim, mense Decémbri quinque ordinatiónibus creásset.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XII. JULII.

In festo S. Joannis Gualberti, Abbatis. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea, quae hic habentur propria.

Oratio.

INTERCESSIO nos, quaesumus Dómine, beáti Joánnis Abbátis comméndet: ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Et fit Commem. SS. Naboris et Felicis Mart. Añ. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dño, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

PRAESTA, quaesumus Dómine: ut sicut nos sanctórum Mártyrum tuórum Náboris et Felícis natalítia celebránda non déserunt; ita júgiter suffrágiis comiténtur. Per Dñum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOANNES Gualbértus Floréntiae nóbili génere ortus, dum patri óbsequens rem militárem séquitur, Ugo, únicus ejus frater, occíditur a consanguíneo: quem cum solum et inérmem sancto Parascéves die Joánnes armis ac milítibus stipátus óbvium habéret, ubi neuter álterum póterat declináre, ob sanctae crucis reveréntiã, quam homicída supplex, mortem jamjam subitúrus, bráchiis signábat, vitam ei cleménter indúlget. Hoste in fratrem recépto, próximum sancti Miniátis templum oratúrus ingréditur, ubi adorátam Crucifíxi imáginem caput sibi fléctere cónspicit. Quo mirábili facto permótus Joánnes, Deo exínde, étiam invíto patre, militáre decérnit, atque ibídem própriis sibi mánibus comam totóndit, ac monásticum hábitum índuit: adeóque piis ac religiósis virtútibus brevi corúscat, ut multis se perfectiónis spécimen ac normam praebéret; ita ut,

ejúsdem loci Abbáte defúncto, cómmuni ómnium voto in superiórem eligerétur. At Dei fámulus cúpiens subésse pótius, quam praeésse, ad majóra divína voluntáte servátus, ad Camaldulénsis erémi íncolam Romuáldum proficíscitur : a quo coelicum sui institúti vaticínium áccipit : tum suum órdinem sub régula sancti Benedícti apud Umbrósam vallem instítuit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum:* Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.— Et dedit illi claritátem.

Lectio v.

DEINDE plúrimis ad eum ob ejus sanctitátis famam úndique convolántibus, una cum iis in sócios adscítis, ad haeréticam et simoníacam pravitátem extirpándam, et apostólicam fidem propagándam sédulo incúmbit, innúmera proptérea in se et suis incómmoda expértus. Nam ut eum ejúsque sócios adversárii perdant, noctu sancti Sálvii coenóbium repénte aggrediúntur, templum incéndunt, aedes demoliúntur et mónachos omnes letháli vúlnere sáuciant ; quos vir Dei único crucis signo incólumes prótinus reddit; et Petro ejus mónacho per imménsum ardentissimúmque ignem illaeso mirabíliter transeúnte, optátam sibi et suis tranquillitátem óbtinet. Inde simoníacam labem ab Etrúria éxpulit, ac in tota Itália fidem prístinae integritáti restítuit.

℟. Amávit eum Dñus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum,* Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas paradísi.

Lectio vi.

QULTA fúnditus erexit monastéria, eadémque etália aedifíciis ac regulári observántia instaurata, sanctis légibus communívit. Ad egénos aléndos sacram supellectílem véndidit : ad ímprobos coercéndos eleménta sibi famulári conspéxit : ad daemones compriméndos crucem quasi ensem adhíbuit. Demum abstinéntiis, vigíliis, jejúniis, oratiónibus, carnis maceratiónibus, ac sénio confectus, dum infírma valetúdine gravarétur, Davídica illa verba persaepe repetébat: Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei? Jamque morti próximus, convocátos

discípulos ad fratérnam concórdiam cohortátur, et in brevículo, cui consepelíri vóluit, jussit haec scribi : Ego Joánnes credo, et confíteor fidem, quam sancti Apóstoli praedicavérunt, et sancti Patres in quátuor concíliis confirmavérunt. Tandem triduáno Angelórum obséquio dignátus, septuagésimum octávum annum agens, apud Passinián̄um, ubi summa veneratióne cólitur, migrávit ad Dñum, anno salútis millésimo septuagésimo tértio, quarto Idus Júlii. Quem Coelestínus tértius innúmeris miráculis clarum in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiē meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* v. *g.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Audístis quia dictum est : Díliges proxímum tuum, et ódio habébis inimícum tuum. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 1. *Comment. in cap.* v. *Matthaei.*

EGO autem dico vobis : Dilígite inimícos vestros, benefácite his, qui odérunt vos. Multi praecépta Dei imbecillitáte sua, non Sanctórū víribus aestimántes, putant esse impossíbilia, quae praecépta sunt, et dicunt sufficere virtútibus, non odísse inimícos : caeterum dilígere, plus praecipi, quam humána natúra patiátur. Sciéndum est ergo, Christum non impossibília praecípere, sed perfécta. Quae fecit David in Saul, et in Absalom : Stéphanus quoque Martyr pro inimícis lapidántibus deprecátus est: et Paulus anáthema cupit esse pro persecutóribus suis: haec autem Jesus et dócuit, et fecit, dicens : Pater, ignósce illis : quod enim fáciunt, nésciunt.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.—Ipse intercédat.

Lectio viii.

IN réliquis opéribus bonis intérdum potest áliquis qualemcúmque excusatiónem praeténdere : ad habéndam vero dilectiónem nullus se póterit excusáre. Potest mihi áliquis dícere, non possum jejunáre: numquid potest dícere, non possum amáre? Potest áliquis dícere, virginitátem non possum serváre, non possum res totas véndere, et paupéribus erogáre : numquid potest dícere, non possum dilígere inimícos ?

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris : Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.— Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

NON enim ibi aut pedes labórant curréndo, aures audiéndo, aut manus operándo laxántur, ut nos per ipsam excusatiónem liberáre conémur. Non nobis dícitur : Ite ad Oriéntem, et quaerite charitátem ; navigáte ad Occidéntem, et inveniétis dilectiónem. Intus in nostro corde est, ubi redíre jubémur, dicénte Prophéta : Redíte, praevaricatóres. ad cor. Non enim in longínquis regiónibus invenítur quod a nobis pétitur.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Comm. SS. Naboris et Felicis Martyrum, Añа. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio. Praesta, quaesumus, ut supra. 523.

In secundis Vesperis fit Commem. S. Anacleti.

DIE XIII. JULII.

In festo S. Anacleti, Papae et Mart. Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris. xxvii. praeter sequentia.

Añа. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Anacléti Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte laetíficas: concéde propítius ; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem

étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANACLETUS Athenién̄sis, Trajáno imperatóre rexit Eccl̄esiam. Decrevit, ut Epíscopus a tribus Epíscopis, neque a paucióribus consecrarétur, et clérici sacris ordínibus públice a próprio Epíscopo initiaréntur : et ut in Missa, peráeta consecratióne, omnes communicárent. Beáti Petri sepúlchrum ornávit, Pontificúmque sepultúrae locum attríbuit. Fecit ordinatiónes duas mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros quinque, Diáconos tres, Epíscopos sex. Sedit annos novem, menses tres, dies decem. Martyrio coronátus, sepúltus est in Vaticáno.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam: et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit illi claritátem.

De Expositióne sancti Ambrósii Epíscopi in Psalmum centésimum décimum octávum.

Lectio v. *Serm.* xxi.

PRINCIPES persecúti sunt me gratis : et a verbis tuis trepidávit cor meum. Bene hoc Martyr dicit, quod injúste persecutiónum torménta sustíneat: qui nihil rapúerit, nullum violéntus opprésserit, nullíus sánguinem fúderit, nullíus thorum putáverit esse violándum: qui nihil légibus débeat, et gravióra latrónum sustinére cogátur supplícia : qui loquátur juste, et non audiátur : qui loquátur plena salútis, et impugnétur : ut possit dícere : Cum loquébar illis, impugnábant me gratis. Gratis ígitur persecutiónem pátitur, qui impugnátur sine crímine, impugnátur ut nóxius, cum sit in tali confessióne laudábilis : impugnátur quasi venéficus, qui in nómine Dómini gloriátur, cum píetas virtútum ómnium fundaméntum sit. ℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dñe, Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Et.

Lectio vi.

VERE frustra impugnátur, qui apud ímpios et infídos impietátis arcéssitur, cum fídei sit magíster.

Verum qui gratis impugnátur, fortis debet esse et constans. Quómodo ergo subtéxuit : Et a verbis tuis trepidávit cor meum ? Trepidáre infirmitátis est, timóris atque formídinis. Sed est étiam infírmitas ad salútem, est étiam timor sanctórum. Timéte Dóminum omnes sancti ejus : et : Beátus vir, qui timet Dóminum. Qua ratióne beátus? Quia in mandátis ejus cupit nimis.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae et intellectus : et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum.—Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium : Si quis venit ad me, de Communi unius Martyris, xxxvi.

Vesperae de sequenti, Commemor. praecedentis.

DIE XIV. JULII.

In festo S. Bonaventurae, Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontif. lxi. praeter sequentia.

Ad Magnificat in utrisque Vesperis, Ańa. O Doctor óptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte Bonaventúra, divínae legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio.

DEUS, qui pópulo tuo aetérnae salútis beátum Bonaventúram minístrum tribuísti : praesta quaesumus ; ut quem Doctórem vitae habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in coelis. Per Dóminum.

Deinde fit Comm. S. Anacleti, Ańa. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Deus, qui nos beáti Anacléti. 526.

Lectiones primi Nocturni de libro Ecclesiast. Sapiéntiam ómnium antiquórum, ut in Communi Doctorum. lxxvii.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BONAVENTURA, Balneorégii in Etrúria natus, cum infans incidísset in vitae periculũ, mater ejus vovit, si inde evasísset, se eum religióni beáti Francísci dicatúram. Itaque adoléscens in órdinem fratrum Minórum adscríbi vóluit : ubi Alexándro de Ales

magístro, ad eam doctrínae perfectiónem brevi pervénit, ut séptimo post anno libros Sententiárum Parísiis públice summa cum laude sit interpretátus: quos étiam praecláris póstea commentáriis illustrávit. Post sex annos sui órdinis generális minister Romae factus, ea prudéntiae ac sanctitátis laude ministérium gessit, ut in ómnium ore et admiratióne esset.

℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : ℟. Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.

MULTA scripsit, in quibus summam eruditiónem cum pari pietátis ardóre conjúngens, lectórẽ docéndo movet. Quem Gregórius décimus, ejus sanctimóniae et sapiéntiae fama commótus, Cardinálem et Episcopum Albanénsem creávit. Eúmdem adhuc vivéntem beátus Thomas Aquínas sanctum appellávit. Cum enim vitam sancti Francísci scribéntem comperísset : Sinámus, inquit, sanctum pro sancto laboráre. Migrávit e vita prídie Idus Júlii, in concílio Lugdunénsi, quinquagínta tres annos natus, multis éditis miráculis. Quem Xystus quartus Póntifex máximus rétulit in Sanctórum número.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : ℣. Manus enim mea auxiliábitur ei. ℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papae.

Lectio vi. *Lib.* 9. *Cap.* vi.

QUI post Oríonas Hyadum nómine, nisi Doctóres sanctae Ecclésiae designántur? Qui subdúctis Martyribus, eo jam témpore ad mundi notítiam venérunt, quo fides clárius elúcet : et représsa infidelitátis híeme, áltius per corda fidélium sol veritátis calet. Quia remóta tempestáte persecutiónis, explétis longis nóctibus infidelitátis, tunc sanctae Ecclésiae orti sunt, cum ei jam per credulitátis vernum lucídior annus aperítur.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : ℣. Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℟. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Nocturno, Homilia sancti Joannis Chrysostomi in Evangelium : **Vos estis sal terrae,** de Communi Doctorum tertio loco. lxxxii.

In secundis Vesperis fit Commemorat. sancti Henrici Confessoris.

DIE XV. JULII.

In festo S. Henrici, Imperatoris Confessoris. Semiduplex.

Omnia dicuntur de Communi Confessoris non Pontificis. **lxxxiii.** praeter ea quae hic habentur propria.

Antiphona. **Similábo eum viro sapiénti, qui aedificávit domum suam supra petram.**

℣. **Amávit eum Dñus, et ornávit eum.** ℟. **Stólam glóriae índuit eum.**

Oratio.

DEUS, qui hodiérna die beátum Henrícum Confessórem tuum e terréni cúlmine impérii ad regnum aetérnum transtulísti : te súpplices exorámus ; ut sicut illum, grátiae tuae ubertáte praevéntum, illécebras saeculi superáre fecísti, ita nos fácias, ejus imitatióne, mundi hujus blandiménta vitáre, et ad te puris méntibus pervenire. Per Dóminum nostrum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

HENRICUS, cognoménto Pius, e duce Baváriae rex Germániae, ac póstmodum Romanórum imperátor, temporális regni non conténtus angústiis, pro adipiscénda immortalitátis coróna sédulam aetérno Regi exhíbuit servitútem. Adépto enim império, religióni amplificándae studióse incúmbens, ecclésias ab infidélibus destrúctas, magnificéntius reparávit, plurimísque largitiónibus et praediis locupletávit. Monastéria áliaque loca pia vel ipse aedificávit, vel assignátis redítibus auxit. Episcopátum Bambergénsem haereditáriis ópibus fundátum, beáto Petro, Romanóque Pontífici vectigálem fecit. Benedíctum octávum, a quo impérii corónam accéperat, prófugum excépit, suaeque sedi restítuit.

℟. **Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum :** ℣. **Et dedit illi claritátem aetérnam.** ℣. **Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.** — **Et dedit.**

Léctio v.

IN Cassinénsi monastério gravi deténtus infirmitáte, a sancto Benedícto, insígni miráculo, sanátus est. Románam Ecclésiam amplíssimo diplómate munerátus, eídem tuéndae bellum advérsus Graecos suscépit, et Apúliam, diu ab illis possédsam, recuperávit. Nihil sine précibus ággredi sólitus, Angelum Dómini, sanctósque mártyres tuteláres pro se pugnántes ante áciem intérdum vidit. Divína autem protéctus ope, bárbaras natiónes précibus magis quam armis expugnávit. Pannóniam adhuc infidélem, trádita Stéphano regi soróre sua in uxórem, eóque baptizáto, ad Christi fidem perdúxit. Virginitátem, raro exémplo, matrimónio junxit, sanctámque Cunegúndam, cónjugem suam, propínquis ejus, morti próximus, illibátam restítuit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum,* Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Léctio vi.

DENIQUE rebus ómnibus, quae ad impérii honórem et utilitátem pertinébant, summa prudéntia dispósitis, et illústribus per Gálliam, Itáliam, et Germániam religiósae munificéntiae vestigiis passim relíctis, postquam heróicae virtútis suavíssimum odórem longe latéque diffúderat, sanctitáte quam sceptro clárior, ad regni coeléstis praemia, consummátis vitae labóribus, a Dómino vocátus est, anno salútis millésimo vigésimo quarto. Cujus corpus in ecclésia beatórum Apostolórum Petri et Pauli Bambérgae cónditum fuit; statímque ad ejus túmulum multa mirácula, Deo ipsum glorificánte, patráta sunt: quibus póstea rite probátis, Eugénius tértius Sanctórum número illum adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam:* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium: Sint lumbi, de Communi Confessoris non Pontificis. xcii.

DIE XVI. JULII.

In festo Commemorationis B. Mariae V. de Monte Carmelo. Duplex.

AD VESPERAS.

Añae, Psalmi, Capitulum et Hymnus ut in festis B. M. V. per annum. clviii.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútē contra hostes tuos.

Ad Magnif. Añа. Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam solémnem Commemoratiónem.

Oratio.

DEUS, qui beatíssimae semper Vírginis et Genitrícis tuae Maríae singulári título Carméli órdinem decorásti: concéde propítius; ut cujus hódie Commemoratiónē solémni celebrámus offício, ejus muníti praesídiis, ad gáudia sempitérna pervenire mereámur: Qui vivis.

Pro Commemor. sancti Henrici, Añа. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans, divítias coelo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio ut supra. 530.

AD MATUTINUM.

Invitator. Sancta María Dei Génitrix Virgo, Intercéde pro nobis. Psalmus. Veníte, exultémus. 2. Hymnus. Quem terra. clxi.

In primo Noct. Lectiones: Ego sapiéntia. clxiii.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

UM sacra Pentecóstes die Apóstoli coelitus afflati, váriis linguis loquerentur, et invocáto augustíssimo Jesu nómine, mira multa patrárent: viri plúrimi (ut fertur), qui vestígiis sanctórum Prophetárū Elíae ac Elisei insíterant, et Joánnis Baptístae praecónio ad Christi advéntum comparáti fúerant, rerum veritáte perspécta, atque probáta, evangélicam fidem confésti̇m amplexáti sunt, ac peculiári quodam affectu beatíssimam Vírginem (cujus collóquiis ac familiaritáte feliciter frui potuére) ádeo venerári coepérunt, ut primi ómnium in eo montis Carméli loco, ubi Elías olim ascendéntem nébulam, Vírginis typo insígnem, conspéxerat, eídem purissimae Vírgini sacéllum constrúxerint.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, ✠ Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. ℟. Dedi suavitátem.

Lectio v.

AD novum ergo sacéllum saepe quotídie conveniéntes, rítibus piis, precatiónibus ac láudibus beatíssimam Vírginem, velut singulárem órdinis tutélam, colébant. Quamóbrem fratres beátae Maríae de monte Carmélo passim ab ómnibus appellári coepérunt, eúmque títulum summi Pontífices non modo confirmárunt, sed et indulgéntias peculiáres iis, qui eo título vel órdinem vel fratres síngulos nuncupárent, concessére. Nec vero nomenclatúram tantum magnificentíssima Virgo tríbuit et tutélam; verum et insígne sacri scapuláris, quod beáto Simóni Anglico praebuit, ut coelésti hac veste ordo ille sacer dignoscerétur, et a malis ingruéntibus protegerétur. Ac demum cum olim in Europa ordo esset ignótus, et ob id apud Honórium tértium non pauci pro illíus extinctióne instárent, ástitit Honório noctu piíssima Virgo María, planéque jussit, ut institútum et hómines benígne complecterétur.

℟. Quae est ista, quae procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliae Sion, et beátam dixérunt, et regínae laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. — Vidérunt.

Lectio vi.

NON in hoc tantum saeculo órdinem sibi tam accéptum multis praerogatívis beatíssima Virgo insignívit; verum et in álio (cum ubíque et poténtia et misericórdia plúrimum váleat) fílios in scapuláris societátem relátos, qui abstinéntiam módicam, precésque paucas eis praescríptas frequentárunt, ac pro sui status ratióne castitátem coluérunt, matérno plane affécto, dum igne purgatórii expiántur, solári, ac in coeléstem pátriam obténtu suo quantócyus pie créditur efférre. Tot ergo tantísque benefíciis ordo cumulátus, solémnem beatíssimae Vírginis Commemoratiónem ritu perpétuo ad ejúsdem Vírginis glóriam quotánnis celebrándam instítuit.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dñus concupívit: * Et vidéntes eam fíliae Sion, beatíssimă praedicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. — Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xi. *d.*

IN illo témpore : Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quaedam múlier de turba dixit illi : Beátus venter, qui te portávit. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedae Presbyteri.

Lib. 4. *cap.* xlix. *in Luc.* ix.

BAGNAE devotiónis et fídei haec múlier osténditur, quae Scribis et Pharisaeis Dóminum tentántibus, simul et blasphemántibus, tanta ejus incarnatiónem prae ómnibus sinceritáte cognóscit, tanta fidúcia confitétur, ut et praeséntium prócerum calúmniam, et futurórum confúndat haereticórum perfídiam. Nam sicut tunc Judaei, sancti Spíritus ópera blasphemándo, verum consubstantialémque Patri Dei Fílium negábant : sic haerétici póstea negándo Maríam semper Vírginem, sancti Spíritus operánte virtúte, nascitúro cum humánis membris Unigénito Dei, carnis suae matériam ministrásse, verum consubstantialémque matri fílium hóminis fatéri non debére dixérunt.

℟. Felix namque es, sacra virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est sol justítiae, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam solémnem Commemoratiónem.—Quia.

Lectio viii.

SED si caro Verbi Dei secúndum carnem nascéntis a carne Vírginis matris pronuntiátur extránea, sine causa venter qui eam portásset, úbera quae lactássent, beatificántur. Dicit autem Apóstolus : Quia misit Deus Fílium suum factum ex mulíere, factum sub lege. Neque audiéndi sunt qui legéndum putant : Natum ex mulíere, factum sub lege ; sed : Factum ex mulíere : quia concéptus ex útero virgináli, carnem non de níhilo, non aliúnde, sed matérna traxit ex carne : alióquin nec vere Filius hóminis dicerétur, qui originé non habéret ex hómine. Et nos ígitur his contra Eutychen dictis, extollámus vocem cum Ecclésia cathólica, cujus haec múlier typum gessit, extollámus et mentem de médio turbárum, dicamúsque Salvatóri: Beátus venter qui te portávit,

et úbera quae suxísti. Vere enim beáta parens, quae sicut quidam ait : Enixa est puérpera Regem, qui coelum terrámque tenet per saecula.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes : *Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum.— Quia fecit. Glória Patri. Quia fecit.

Lectio ix.

QUINIMMO beáti qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt. Pulchre Salvátor attestatióni mulíeris ánnuit, non eam tantúmmodo quae Verbum Dei corporáliter generáre merúerat, sed et omnes qui idem Verbum spiritáliter audítu fídei concípere, et boni óperis custódia, vel in suo, vel in proximórum corde párere, et quasi álere studúerint, assevérans esse beátos : quia et eádem Dei Génitrix, et inde quidem beáta, quia Verbi incarnándi minístra facta est temporális : sed inde multo beátior, quia ejúsdem semper amándi custos manébat aetérna.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Laudes et per Horas, omnia ut in festis B. M. V. per annum. clxxi.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Ad Benedictus, Antiph. Caput tuum ut Carmélus, et comae cápitis tui sicut púrpura regis vincta canálibus.

Oratio.

DEUS, qui beatíssimae semper Vírginis et Genitrícis tuae Maríae singulári título Carméli órdinem decorásti : concéde propítius ; ut cujus hódie Commemoratiónē solémni celebrámus offício, ejus muníti praesídiis, ad gáudia sempitérna pervenire mereámur : Qui vivis et regnas.

Ad secundas Vesperas, omnia ut in primis. 532.

Ad Magníficat, Antiph. Glória Líbani data est ei, decor Carméli, et Saron, allelúia.

Oratio. Deus, qui beatíssimae, ut supra. 532.

Deinde fit Commemoratio S. Alexii.

DIE XVII. JULII.

In festo
sancti Alexii, Confessoris.
Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea quae sequuntur.

*

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Alexii Confessóris tui ánnua solemnitáte laetíficas : concéde propítius ; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ALEXIUS Romanórum nobilíssimus, propter exímium Jesu Christi amórem, prima nocte nuptiárum peculiári Dei mónitu relínquens intáctam sponsam, illústrium orbis terrae ecclesiárum peregrinatiónem suscépit. Quibus in itinéribus cum ignótus septémdecim annos fuísset, aliquándo apud Edéssam Syriae urbem, per imáginem sanctíssimae Maríae Vírginis ejus nómine divulgáto, inde navi discéssit. Ad portum Románum appúlsus, a patre suo tamquam aliénus pauper hospítio accípitur : apud quem, ómnibus incógnitus, cum decem et septem annos vixísset, relícto scripto sui nóminis, sánguinis, ac totíus vitae cursus, migrávit in coelum, Innocéntio primo summo Pontífice.

℣. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : ℟. Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. —Et.

Lectio v.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papae.

DERIDETUR justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est, cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre ; quae falsa sunt, vera osténdere ; quae vera sunt, falsa demonstráre. Haec nimírum prudéntia usu a júvenibus scitur, haec a púeris prétio díscitur : hanc qui sciunt, caeteros despiciéndo supérbiunt : hanc qui nésciunt, subjécti et tímidi in áliis mirántur : quia ab eis haec éadem duplicitátis iníquitas nómine palliáta dilígitur, dum mentis pervérsitas urbánitas vocátur. Haec sibi obsequéntibus praecipit honórum cúlmina quaerere, adépta temporális glóriae vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplícius réddere : cum vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere : cum virtútis possibílitas deest, quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas. Glória Patri. Et ad portas.

Lectio vi.

AT contra, sapiéntia justórum est : nil per ostensiónem fíngere, sensum verbis aperíre, vera ut sunt dilígere, falsa devitáre, bona gratis exhibére, mala libéntius toleráre, quam fácere : nullam injúriae ultiónem quaerere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed haec justórum simplícitas deridétur : quia ab hujus mundi sapiéntibus, puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim quod innocénter ágitur, ab eis proculdúbio stultum putátur : et quidquid in ópere véritas ápprobat, carnáli sapiéntiae fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur mundo, quam mentem verbis osténdere, nil cállida machinatióne simuláre, nullas injúriis contumélias réddere, pro maledicéntibus oráre, paupertátem quaerere, posséssa relínquere, rapiénti non resístere, percutiénti álteram maxíllam praebére ?

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia te vidi justum. Glória Patri. Quia te vidi justum.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia sancti Hieronymi Presbyteri in Evangelium : **Ecce nos relíquimus ómnia,** ut in Communi Abbatum primo loco. **xcix.**

Vesperae de sequenti cum Commemor. praecedentis ac S. Symphorosae cum septem fíliis Martyribus.

DIE XVIII. JULII.

In festo S. Camilli de Lellis, Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. **lxxxiii.** exceptis iis, quae sequuntur.

In Hymno mutatur tertius versus.

Oratio.

DEUS, qui sanctum Camíllum, ad animárum in extrémo agóne luctántium subsídium, singulári charitátis praerogatíva decorásti : ejus, quaesumus, méritis spíritum nobis tuae dilectiónis infún-

de; ut in hora éxitus nostri hostem víncere, et ad coeléstem mereámur corónam pervenire. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus.

Deinde fit Commemorat. S. Alexii, Antiphona. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans, divítias coelo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio. Deus, qui nos beáti. 536.

Pro SS. Symphorosa et septem filiis ejus Martyribus, Antiphona. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrũ tuórum Symphorósae et filiórum ejus natalítia cólere : da nobis in aetérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CAMILLUS Buclánici, Theatínae dioecésis óppido ex nóbili Lelliórum familia natus est matre sexagenária, cui grávidae visum est per quiétem, puérulum crucis signo in péctore munítum, et ágmini puerórum idem signum gestántium praeeúntem, se peperísse. Adoléscens rem militárem secútus, saeculi vítiis aliquámdiu indúlsit; donec vigésimum quintum agens aetátis annum, tanto supérnae grátiae lumíne, divinaeque offénsae dolóre corréptus fuit, ut ubérrimo lacrymárum imbre íllico perfúsus, anteáctae vitae sordes indesinénter abstérgere, novúmque indúere hóminem fírmiter decréverit. Quare ipso, quo id cóntigit, Purificatiónis beatíssimae Vírginis festo die, ad fratres Minóres, quos Capuccínos vocant, cónvolans, ut eórum número adscriberétur, summis précibus exorávit. Voti compos semel, atque íterum factus est; sed foedo úlcere, quo aliquándo laboráverat, in ejus tíbia iteráto recrude-

scénte, divínae providéntiae majóra de eo disponéntis consílio humíliter se subjécit, suíque victor, illíus religiónis bis expetítum, et susceptum hábitum bis dimísit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit illi claritátem.

Léctio v.

ROMAM profectus, in Nosocomíum, quod Insanabílium dícitur, recéptus est: cujus étiam administratiónem, ob perspectas ejus virtútes sibi demandátam, summa integritáte, ac sollicitúdine vere patérna perégit. Omnium aegrórum servum se réputans, eórum stérnere léctulos, sordes térgere, ulcéribus medéri, agoníque extrémo piis précibus, et cohortatiónibus opem ferre solémne hábuit; quibus in munéribus praeclára praebuit admirábilis patiéntiae, invictae fortitúdinis, et heróicae charitátis exémpla. Verum cum animárum in extrémis periclitántium, quod únice intendébat, levámini subsídium litterárum plúrimum conférre intellígeret, trigínta duos annos natus in primis grammáticae eleméntis tyrocínium inter púeros íterû subíre non erúbuit. Sacerdótio póstea rite initiátus, nonnúllis sibi adjúnctis sóciis, prima jecit congregatiónis clericórum Regulárium infírmis ministrántium fundaménta, írrito conátu obniténte humáni géneris hoste ; nam Camíllus coelésti voce e Christi crucifíxi, manus étiam de ligno avúlsas admirándo prodígio protendéntis, simulácro emíssa mirabíliter confirmátus, órdinem suum a sede apostólica approbári obtínuit, sodálibus quarto obstrictis máxime árduo voto, infírmis, quos étiam pestis infécerit, ministrándi. Quod institútû, quam foret Deo accéptum, et animárum salúti profícuum, sanctus Philíppus Nérius, qui Camíllo a sacris confessiónibus erat, comprobávit, dum ejus alúmnis decedéntium agóni opem feréntibus Angelos suggeréntes verba saepius se vidísse testátus est.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

ARCTIORIBUS hisce vínculis aegrotántium ministério mancipátus, mirum est qua alacritáte, nullis fractus labóribus, nullis detérritus vitae perículis, diu noctúque ad suprémum usque spíritum, eórum cómmodis vigiláverit. Omnibus ómnia factus, vilíssima quaeque offícia demissíssimo obséquio, flexísque plerúmque génibus, véluti Christum ipsum cérneret in infírmis, hílari promptóque ánimo arripiébat : utque ómnium indigéntiis praesto esset, generálem órdinis praefectúram, coelíque delícias, quibus in contemplatióne defíxus affluébat, sponte dimísit. Patérnus vero illíus erga míseros amor tum máxime effúlsit, dum et Urbs contagióso morbo primum, deínde extréma annónae laboráret inópia, et Nolae in Campánia dira pestis grassarétur. Tanta dénique in Deum et próximum charitáte exársit, ut ángelus nuncupári, et Angelórum opem in vário itínerum discrímine experíri promererétur. Prophetíae dono, et grátia sanitátum praeditus, arcána quoque córdium inspéxit ; ejúsque précibus nunc cibária multiplicáta sunt, nunc aqua in vinum convérsa. Tandem vigíliis, jejúniis, et assíduis attrítus labóribus, cum pelle tantum et óssibus constáre viderétur, quinque moléstis aeque ac diútinis morbis, quos misericórdias Dómini appellábat, fórtiter tolerátis, Sacraméntis munítus, Romae inter suavíssima Jesu et Maríae nómina, ad ea verba : Mitis atque festívus Christi Jesu tibi aspéctus appáreat : qua praedíxerat hora, obdormívit in Dómino, prídie Idus Júlii, anno salútis millésimo sexcentésimo décimo quarto, aetátis suae sexagésimo quinto : quem plúribus illústrem miráculis Benedíctus decimusquártus solémni ritu Sanctórum fastis adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia te vidi. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* xv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Hoc est praecéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Et réliqua.

Homília S. Augustíni Episc. *Tr.* lxxxiii. *in Joan. Evang.*

QUID putámus, fratres mei? numquídnam solum ejus de ista dilectióne mandátum est, qua diligimus ínvicem? Nonne est et aliud majus ut diligámus Deum? Aut vero de sola Deus nobis dilectióne mandávit, utália non requirámus? Tria certe commendat Apóstolus, dicens: Manent autem fides, spes, cháritas, tria haec; major autem horum cháritas. Et si in charitáte, hoc est in dilectióne, concludúntur duo illa praecépta, major tamen dicta est esse, non sola. De fide ígitur nobis quam multa mandata sunt, quam multa de spe! Quis potest cuncta collígere, quis enumerándo suffícere? Sed intueámur, quod ait idem Apóstolus: Plenitúdo legis cháritas.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dñum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.—Ipse.

Lectio viii.

UBI ergo cháritas est, quid est, quod possit deésse? Ubi autem non est, quid est, quod possit prodésse? Daemon credit, nec díligit: nemo díligit, qui non crédit. Frustra quidem, sed tamen potest speráre véniam qui non díligit: nemo autem potest desperáre qui díligit. Itaque ubi diléctio est, ibi necessário fides, et spes; et ubi diléctio próximi, ibi necessário étiam diléctio Dei. Qui enim non díligit Deum, quómodo díligit próximum tamquam se ipsum? Quandóquidem non díligit et se ipsum? Est quippe ímpius, et iníquus: qui autem díligit iniquitátem, non plane díligit, sed odit ánimam suam.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dñus vester ventúrus sit.—Et vos. Glória Patri. Et vos.

Pro S. Symphorosa et septem filiis Martyribus.

Lectio ix.

SYMPHOROSA Tiburtína, Getúlii Mártyris uxor, ex eo septem fílios péperit, Crescéntium, Juliánum, Nemésium, Primitívum, Justínum, Stácteum, et Eugénium: qui omnes propter christiánae

fídei professiónem una cum matre, Adriáno imperatóre, comprehénsi sunt. Quorum píetas multis varísque tentáta supplíciis, cum stábilis permanéret, mater, quae fíliis fídei magístra fúerat, dux eísdem ad martyrium éxtitit. Nam saxo ad collum alligáto, in profluéntem dejícitur: cujus corpus conquisítum a fratre ejus Eugénio sepelítur. Postrídie ejus diéi, qui fuit décimo quinto Kaléndas Augústi, septem fratres sínguli ad palum alligáti, várie sunt interfécti. Crescéntio guttur ferro transfígitur: Juliáno pectus confóditur: Nemésio cor transverberátur: Primitívo trájicitur umbílicus: Justínus membrátim secátur: Stácteus telis confígitur: Eugénius a péctore in duas partes divíditur. Ita octo hóstiae Deo gratíssimae sunt immolátae. Córpora in altíssimam fóveam projécta sunt, via Tiburtína, nono ab Urbe lápide: quae póstea Romam transláta, cóndita sunt in eccléstia sancti Angeli in piscína.

Quando autem transfertur.

Lectio ix.

HOC ergo praecéptum Dómini teneámus, ut nos ínvicem diligámus, et quidquid áliud praecépit, faciémus: quóniam quidquid est áliud, hic habémus. Discérnitur quippe ista diléctio ab illa dilectióne, qua se ínvicem díligunt hómines: nam ut discerneréture, adjúnctum est: Sicut diléxi vos. Ut quid enim díligit nos Christus, nisi ut regnáre possímus cum Christo? Ad hoc ergo et nos ínvicem diligámus, ut dilectiónem nostram discernámus a caeteris, qui non ad hoc se ínvicem díligunt, quia nec díligunt. Qui autem se propter habéndum Deum díligunt, ipsi se díligunt; ergo ut se díligant, Deum díligunt. Non est haec diléctio in ómnibus homínibus: Pauci se proptérea díligunt, ut sit Deus ómnia in ómnibus.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Commemoratio SS. Symphorosae et filiorum ejus Martyrum.

Antiphona. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio. Deus, qui nos concédis. 538.

Vesperae a Capitulo de sequenti, Commemoratio praecedentis.

DIE XIX. JULII.

In festo S. Vincentii a Paulo, Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui ad evangelizándum paupéribus, et ecclesiástici órdinis decórem promovéndum, beátum Vincéntium apostólica virtúte roborásti: praesta quaesumus, ut cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque instruámur exémplis. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio S. Camilli, Aña. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans, divítias coelo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio. Deus qui sanctum Camíllum. 537.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SINCENTIUS a Paulo, natióne Gallus, Pódii non procul ab Aquis Tarbéllis in Aquitánia natus, jam tum a púero exímiam in páuperes charitátē prae se tulit. A custódia patérni gregis ad lítteras evocátus, humánas Aquis, divínas cum Tolósae, tum Caesaraugústae dídicit. Sacerdótio initiátus, ac theológiae láurea insignítus, in Turcas incidit, qui captívum in Africam abduxérunt. Sed in captivitáte pósitus herum ipsum Christo rursus lucrifécit. Cum eo ígitur ex bárbaris oris, opitulánte Deípara, sese prorípiens, ad apostólica límina iter instítuit; unde in Gálliam revérsus, Clippíaci primum, mox Castelliónis paroecias sanctíssime rexit. Renuntiátus a rege primárius sacrórum minister in Gálliae trirémibus, mirum quo zelo et ducum et rémigum salúti óperam posúerit. Moniálibus Visitatiónis a sancto Francísco Salésio praepósitus, tanta prudéntia per annos circiter quadragínta eam curam sustínuit, ut máxime comprobáverit judícium sanctíssimi Praesulis, qui Sacerdótem Vincéntio digniórem nullum se nosse fatebátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. – Et dedit.

Lectio v.

EVANGELIZANDIS paupéribus, praesértim rurícolis, ad decrépitam usque aetátem, indefésſus incúbuit ; eíque apostólico óperi tum se, tum alúmnos congregatiónis, quam sub nómine Presbyterórum saeculárium missiónis instítuit, perpétuo voto a sancta sede confirmáto, speciátim obstrínxit. Quantum autem augéndae cleri disciplínae adlaboráverit, testántur erécta majórum clericórum seminária : collatiónum de divínis inter Sacerdótes frequéntia : et sacrae ordinatióni praemitténda exercítia ; ad quae, sicut et ad pios laicórum secéssus, instítúti sui domicília libénter patére vóluit. Insuper ad amplificándam fidem, et pietátem, evangélicos misit operários, non in solas Gálliae províncias, sed et in Itáliam, Polóniam, Scótiam, Hibérniam, atque ad Bárbaros, et Indos. Ipse vero, vita functo Ludovíco decimotértio, cui moriénti hortátor ástitit, a regína Anna Austríaca, matre Ludovíci decimiquárti, in sánctius consílium accítus, studiosíssime egit, ut nonnísi dignióres Ecclésiis, ac monastériis praeficeréntur; civíles discórdiae, singulária certámina, serpéntes erróres, quos simul sensit, et exhórruit, amputaréntur ; débitaque judíciis apostólicis obediéntia praestarétur ab ómnibus.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, ℣. Et ad portas paradísi coronávit eum. ℟. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

NULLUM fuit calamitátis genus, cui patérne non occúrrerit. Fidéles sub Turcárum jugo geméntes, infántes expósitos, júvenes díscolos, vírgines periclitántes, moniáles dispérsas, mulíeres lapsas, ad trirémes damnátos, peregrínos infírmos, artífices inválidos, ipsósque mente captos, ac innúmeros mendícos subsídiis, et hospítiis, etiámnum superstítibus excépit, ac pie fovit. Lotharíngiam, Campániam, Picardíam, aliásque regiónes peste, fame, bellóque vastátas, prolíxe refécit. Plúrima ad perquiréndos, et sublevándos míseros sodalítia fundávit ; inter quae célebris matronárũ coetus, et late diffúsa sub nómine Charitátis puellárum societas. Puéllas quoque tum de Cruce, tum de Providéntia, ac sanctae Genovéfae ad sequióris sexus

educatiónem erigéndas curávit. Haec inter, et ália gravíssima negótia Deo júgiter inténtus, cunctis affábilis, ac sibi semper constans, simplex, rectus, húmilis, ab honóribus, divítiis, ac delíciis semper abhórruit; audítus dícere: rem nullam sibi placére, praetérquam in Christo Jesu, quem in ómnibus studébat imitári. Córporis demum afflictatióne, labóribus, senióque attrítus, die vigésima séptima Septembris, anno salútis supra millésimum sexcentésimo sexagésimo, aetátis suae octogésimo quinto, Parísiis in domo sancti Lázari, quae caput est congregatiónis Missiónis, plácide obdormívit: quem virtútibus, méritis, ac miráculis clarum Clemens duodécimus inter Sanctos rétulit, ipsíus celebritáti die décima nona mensis Júlii quotánnis assignáta.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiē meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* x.

IN illo témpore: Desígnávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam, in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papae.

Homilia xvii. *in Evangelia.*

DOMINUS et Salvátor noster, fratres carissimi, aliquándo nos sermónibus, aliquándo vero opéribus ádmonet. Ipsa étenim facta ejus, praecépta sunt: quia dum áliquid tácitus facit, quid ágere debeámus innotéscit. Ecce enim binos in praedicatiónem discípulos mittit: quia duo sunt praecépta charitátis, Dei vidélicet amor et próximi: et minus, quam inter duos, cháritas habéri non potest. Nemo enim próprie ad semetípsum habére charitátem dícitur: sed diléctio in álterum tendit, ut cháritas esse possit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dñum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.—Ipse.

Lectio viii.

ECCE enim binos ad praedicándum discípulos Dóminus mittit : quátenus hoc nobis tácitus ínnuat, quia qui charitátem erga álterum non habet, praedicatiónis officium suscípere nullátenus debet. Bene autem dícitur, quia misit eos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Praedicatóres enim suos Dóminus séquitur : quia praedicátio praevenit, et tunc ad mentis nostrae habitáculum Dóminus venit, quando verba exhortatiónis praecúrrunt : atque per hoc véritas in mente suscípitur.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.—Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

HINC namque eísdem praedicatóribus Isaías dicit : Paráte viam Dñi, rectas fácite sémitas Dei nostri. Hinc fíliis Psalmísta ait : Iter fácite ei qui ascéndit super occásum. Super occásum namque Dóminus ascéndit : quia unde in passióne occúbuit, inde majórem suam glóriam resurgéndo manifestávit. Super occásum vidélicet ascéndit, quia mortem quam pértulit, resurgéndo calcávit. Ei ergo qui ascéndit super occásum, iter fácimus, cum nos ejus glóriam vestris méntibus praedicámus, ut eas et ipse post véniens, per amóris sui praeséntiam illústret.

Te Deum laudámus. 17.

Vesperae a Capitulo de sequenti, Commemoratio praecedentis ac S. Margaritae Virginis Martyris.

DIE XX. JULII.

In festo S. Hieronymi Æmiliani, Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea, quae sequuntur.

In Hymno mutátur tértius versus.

Oratio.

DEUS misericordiárum Pater, per mérita et intercessiónem beáti Hierónymi, quem órphanis adjutórem et patrem esse voluísti : concéde ; ut spíritum adoptiónis, quo fílii tui nominámur et sumus, fidéliter custodiámus. Per Dóminum.

Fit Commemor. S. Vincentii, Antiphona. Hic vir

despíciens mundum, et terréna, triúmphans, divítias coelo cóndidit ore, manu. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio. Deus, qui ad evangelizándum. 543.

Pro S. Margaríta, Virgine et Martyre, Añа. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio.

INDULGENTIAM nobis, quaesumus Dómine, beáta Margaríta Virgo et Martyr implóret: quae tibi grata semper éxtitit et mérito castitátis, et tuae professióne virtútis. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

HIERONYMUS, e gente patrícia Æmiliána Venétiis ortus, a prima adolescéntia milítiae addíctus, difficíllimis reipúblicae tempóribus Castro novo ad Quarum in móntibus Tarvisínis praeficitur. Arce ab hóstibus capta, ipse in tetérrimum cárcerem detrúditur, mánibus ac pédibus vinctus; cui omni humána ope destitúto, beatíssima Virgo, ejus précibus exoráta, clemens adest, víncula solvit, et per médios hostes, qui vias omnes obséderant, in Tarvísii conspéctum incólumem ducit. Urbem ingréssus, ad Deíparae aram, cui se vóverat, mánicas, cómpedes, caténas, quas secum detúlerat, in accépti benefícii testimónium suspéndit. Revérsus Venétias, coepit pietátis stúdia impénsius cólere, in páuperes mire effúsus, sed puerórum praesértim misértus, qui paréntibus orbáti, egéni et sórdidi per Urbem vagabántur, quos in aedes a se condúctas recépit de suo aléndos, et christiánis móribus imbuéndos.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio v.

PER eos dies Venétias appúlerant beátus Cajetánus, et Joánnes Petrus Caráffa, póstmodum Paulus quartus, qui Hierónymi spíritu, novóque institúto colligéndi órphanos

probáto, illum in incurabílium hospitále adduxérunt, in quo órphanos simul educáret, atque aegrótis pari charitáte inservíret. Mox eorúmdem hortátu in próximam continéntem proféctus, Brixiae primum, deínde Bérgomi, atque Novocómi orphanotrophía eréxit: Bérgomi praesértim, ubi praeter duo, pro púeris unum, et pro puéllis álterũ, domum excipiéndis, novo in illis regiónibus exémplo, muliéribus a turpi vita ad poeniténtiã convérsis, apéruit. Somáschae demum subsístens, in húmili pago agri Bergoménsis ad Vénetae ditiónis fines, sibi, ac suis ibi sedem constítuit, formámque indúxit congregatiónis, cui proptérea a Somáscha nomen factum, quam subínde auctam, et propagátam, nedum orphanórum regímini, et Ecclesiárum cúltui, sed ad majórem christiánae reipúblicae utilitátem, adolescéntium in lítteris et bonis móribus institutióni in collégiis, académiis et seminários addíctam, sanctus Pius quintus inter religiósos órdines adscrípsit, caeteríque Pontífices privilégiis ornárunt.

℟. Amávit eum Dñus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas paradísi.

Lectio vi.

ORPHANIS colligéndis inténtus Mediolánum proficíscitur, atque Ticínum; et utrobíque colléctis agmínibus puerórum, tectum, victum, vestem, magístros, nobílibus viris favéntibus, próvide constítuit. Inde Somáscham redux, ómnibus ómnia factus, a nullo abhorrébat ópere, quod in próximi bonum cédere praevidéret. Agrícolis immíxtus per agros sparsis, dum se illis adjutórem in meténdis frúgibus praebet, mystéria fídei explicábat, puerórum cápita porrígine foeda abstérgens, et patiénter tractans curábat; pútridis rusticórum vulnéribus medebátur eo succéssu, ut grátia curatiónum donátus censerétur. In monte, qui Somáschae imminet, repérta specu, in illam se ábdidit, ubi se flagéllis caedens, dies íntegros jejúnus tránsigens, oratióne in plúrimam noctem protrácta, super nudo saxo brevem somnum carpens, sui aliorúmque noxárum poenas luébat. In hujus specus interióri recéssu ex árido sílice extíllat aqua précibus servi Dei, ut constans tradítio est, impetrá-

ta, quae usque in hodiérnã diem júgiter manans, et in várias regiónes delápsa, aegris sanitátem plerúmque conclíat. Tandem ex contagióne, quae per omnem vallem serpébat, dum aegrotántibus insérvit, et vita functos própriis húmeris ad sepultúrã defert, contráćto morbo, annos natus sex et quinquagínta, quam paulo ante praedíxerat, pretiósam mortem óbiit, anno millésimo quingentésimo trigésimo séptimo; quem plúribus in vita, et post mortem miráculis illústrem Benedíctus décimus quártus Beatórum, Clemens vero décimus tértius Sanctórum fastis solémniter adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam:* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xix. *v.* xiii.

IN illo témpore: Oblá-ti sunt ei párvuli, ut manus eis impóneret, et oráret. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia. xxv. *in Matth.*

CUR discípuli púeros abigébant? Dignitátis causa. Quid ergo ille? Ut dóceat illos modéste sápere, fastúmque mundánum conculcáre, et súscipit, et ulnis compléctitur, talibúsque regnum coelórum pollicétur: id quod étiam dixit supérius. Et nos ígitur, si vólumus haerédes esse coelórum, hanc virtútem cum diligéntia magna sectémur. Hoc est enim philosóphiae culmen, símplicem esse cum prudéntia. Haec vita est angélica; ánima enim puéruli ómnibus ánimi morbis vácua est: non memóriam rétinet injuriárum, sed eas inferéntes adit ut amícos, ac si nihil factum esset. Et quamvis a matre verbéribus caedátur, eam semper quaerit, et ómnibus antepónit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum:* Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse intercédat.

Lectio viii.

SI regínam ipsi osténdas diadémate ornátam, non praefert eam matri pannis detrítis vestítae, mallétque illam incúltam vidére, quam regínam mirífice amíctam. Nam quod suum, quod aliénum est, non ex paupertáte, vel divítiis, sed ex amóre existimáre solet, et nihil plus requírit, quam necessária ; atque ut lacte replétus est, statim a mamma abscédit. Non eísdem, quibus nos, aerúmnis prémitur, nec pecuniárum jactúra, rebúsque simílibus, nec iísdem, quibus nos, fluxis rebus laetátur, neque córporum pulchritúdinem mirátur. Ideo dicébat : Tálium est enim regnum coelórum, ut ex propósito voluntátis illa operémur, quae natúra sua púeri fáciunt.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris : ℣. Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℟. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

QUIA enim Pharisaei non aliúnde, quam a nequítia, et arrogántia ad agéndū ferebántur, ídeo ubíque discípulos suos símplices esse jubet, illósque subíndicat, dum hos instítuit. Nihil enim ita supérbiam parit, ut principátus, et primi conséssus. Quóniam ígitur discípuli per totum terrárum orbem multum honóris consecutúri erant, ipsórum ánimos praevenit, nec sinit eos humánum quid pati, nec honórem a vulgo expétere, vel ante álios sese efférre. Nam etiámsi haec parva vidéntur esse, at malis ingéntibus causam praebent. Sic enim institúti Pharisaei in malórum culmen ascendérunt : salutatiónes, primos conséssus, et médios requiréntes, hinc in ardéntem glóriae cupiditátem, inde vero in impietátem lapsi sunt.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Commemoratio S. Margaritae, Virginis et Martyris. Ańa. Símile est regnum coelórum hómini negotiatóri quaerénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Orat. Indulgéntiam. 547.

In secundis Vesperis fit Commemorat. S. Praxedis.

DIE XXI. JULII.

In festo S. Praxedis, Virg.

Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutáris noster : ut, sicut de beátae Praxédis, Vírginis tuae festivitáte gaudémus ; ita piae devotiónis erudiámur affféctu. Per Dóminum.

Lectio iii.

PRAXEDES virgo Romána, Pudentiánae vírginis soror, Marco Antoníno imperatóre Christiános persequénte, eos facultátibus, ópera, consolatióne, et omni charitátis offício prosequebátur. Nam álios domi occultábat : álios ad fídei constántiam hortabátur : aliórum córpora sepeliébat : iis, qui in cárcere inclúsi erant, qui in ergástulis exercebántur, nulla re déerat. Quae cum tantam Christianórum stragem jam ferre non posset, Deum precáta est, ut, si mori expedíret, se e tantis malis eríperet. Itaque duodécimo Kaléndas Augústi ad pietátis praemia vocátur in coelum. Cujus corpus a Pastóre Presbytero in patris et soróris Pudentiánae sepúlchrũ illátum est, quod erat in coemetério Priscíllae, via Salária.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XXII. JULII.

In festo
S. Mariae Magdalenae.
Duplex.

AD VESPERAS.

Ant. Dum esset Rex, cum reliquis Antis, et Psalmis, ut in Communi nec Virginis nec Mart. cxxiii.

Capitulum. *Prov.* xxxi. *b.*

MULIEREM fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

Hymnus.

PATER supérni lúminis,
Cum Magdalénam réspicis,
Flammas amóris éxcitas,
Gelúque solvis péctoris.

Amóre currit sáucia
Pedes beátos úngere,
Laváre fletu, térgere
Comis, et ore lámbere.

Adstáre non timet Cruci,
Sepúlchro inhaeret ánxia,
Truces nec horret mílites,
Pellit timórem cháritas.

O vera, Christe, cháritas,
Tu nostra purga crímina,
Tu corda reple grátia,
Tu redde coeli praemia.

Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Saeclum per omne glória.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Ad Magnif. Ant. Múlier, quae erat in civitáte peccátrix, ut cognóvit quod Jesus accúbuit in domo Simónis leprósi, áttulit alabástrum unguénti, et stans retro secus pedes Jesu, lácrymis coepit rigáre pedes ejus, et capíllis cápitis sui tergébat, et osculabátur pedes ejus, et unguénto ungébat.

Oratio.

BEATAE Maríae Magdalénae, quaesumus Dómine, suffrágiis adjuvémur : cujus précibus exorátus, quatriduánum fratrem Lázarum vivum ab ínferis resuscitásti : Qui vivis.

AD MATUTINUM.

Invit. Laudémus Deum nostrum, * In conversióne Maríae Magdalénae. Ps. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

MARIA castis ósculis
Lambit Dei vestígia:
Fletu rigat, tergit comis,
Detérsa nardo pérlinit.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne saeculum. Amen.

Ant. Psalmi, et ℣. Nocturnorum de Communi nec Virginis nec Mart. cxxiv.

In primo Nocturno.

De Cánticis canticórum.

Lectio i. *Cap.* iii.

IN léctulo meo per noctes quaesívi quem díligit ánima mea : quaesívi illum, et non invéni. Surgam, et circuíbo civitátem : per vicos et platéas quaeram quem díligit ánima mea : quaesívi illum, et non invéni. Invenérunt me vígiles, qui custódiunt civitátem : Num quem díligit ánima mea, vidístis? Páululum cum pertransíssem eos, invéni quem diligit ánima mea : ténui eum, nec dimíttam, donec introdúcam illum in domum matris meae, et in cubículum genitrícis meae.

℟. María Magdaléne, et áltera María ibant dilúculo ad monuméntum : * Jesus, quem quaeritis, non est hic: surréxit, sicut locútus est : praecédet vos in Galilaeam, ibi eum vidébitis. ℣. Et valde mane una sabbatórũ véniunt ad monuméntum orto jam sole: et introeúntes vidérunt júvenem sedéntem in dextris, qui dixit illis.— Jesus, quem quaeritis.

Lectio ii. *Cap.* viii.

QUIS mihi det te fratrem meum sugéntẽ úbera matris meae, ut invéniam te foris, et deósculer

te, et jam me nemo despíciat? Apprehéndam te, et ducam in domum matris meae : ibi me docébis, et dabo tibi póculum ex vino condíto, et mustum malórum granatórum meórum. Laeva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliae Jerúsalem, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis dilécta̅m, donec ipsa velit.

℟. Congratulámini mihi omnes qui dilígitis Dn̄um, quia quem quaerébam, appáruit mihi : * Et dum flerem ad monuméntum, vidi Dn̄um meum, allelúia. ℣. Recedéntibus discípulis non recedébam, et amóris ejus igne succénsa ardébam desidério.—Et dum.

Lectio iii.

QUAE est ista, quae ascéndit de desérto, delíciis áffluens, inníxa super dilécta̅m suum? Sub árbore malo suscitávi te : ibi corrúpta est mater tua, ibi violáta est génitrix tua. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, quia fortis est ut mors dilécta̅tio : dura sicut inférnus aemulátio : lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum. Aquae multae non potuérunt extínguere charitátem, nec flúmina óbruent illam.

℟. Tulérunt Dóminum meum, et nésciо ubi posuérunt eum. Dicunt ei Angeli : Múlier, quid ploras? surréxit, sicut dixit : * Praecédet vos in Galilaeam, ibi eum vidébitis. ℣. Dum ergo fleret, inclinávit se, et prospéxit in monuméntum, et vidit duos Angelos in albis sedéntes, qui dicunt ei.— Praecédet. Glória Patri. Praecédet.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Gregórii Papae. *Homil.* xxv. *in Evang.*

Lectio iv.

MARIA Magdaléne quae fúerat in civitáte peccátrix, amándo veritátem, lavit lácrymis máculas críminis, et vox veritátis implétur, qua dícitur : Dimíssa sunt ei peccáta multa, quia diléxit multum. Quae enim prius frígida peccándo remánserat, póstmodum amándo fórtiter ardébat. Quae a monuménto Dómini, étiam discípulis recedéntibus, non recedébat: exquirébat, quem non invénerat: flebat inquiréndo, et amóris sui igne succénsa, ejus, quem ablátum crédidit, ardébat desidério. Unde cóntigit, ut eum sola tunc vidéret, quae remánserat ut quaereret: quia nimírum virtus boni óperis perseveránti a est.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Et dedúcet.

Lectio v.

QUAESIVIT ergo prius, et mínime invénit: perseverávit ut quaereret, unde et cóntigit ut inveníret : actúmque est, ut desidéria diláta créscerent, et crescéntia cáperent quod invenissent. Hinc est enim, quod de eódem sponsa Ecclésia in Cánticis canticórum dicit: In léctulo meo per noctes quaesívi quem díligit ánima mea. Diléctum namque in léctulo quaerimus, quando in praesénti vitae aliquántula réquie Redemptóris nostri desidério suspirámus. Per noctem quaerimus: quia etsi jam in illo mens vígilat, tamen adhuc óculus calígat.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi.

SED qui diléctum suum non ínvenit, restat ut surgat, civitátem circúmeat, id est, sanctam electórum Ecclésiam mente et inquisitióne percúrrat : per vicos eum et platéas quaerat, id est, per angústa et lata gradiéntes aspíciat ; ut si qua invenire in eis váleat, ejus vestígia exquírat : quia sunt nonnúlli étiam vitae saeculáris, qui imitándum áliquid hábeant de actióne virtútis. Quaeréntes autem nos vígiles invéniunt, qui custódiunt civitátem : quia sancti Patres, qui Ecclésiae statum custódiunt, bonis nostris stúdiis occúrrunt, ut suo vel verbo vel scripto nos dóceant. Quos cum páululum pertransímus, invenímus quem dilígimus : quia Redémptor noster, etsi humilitáte homo inter hómines, divinitáte tamen super hómines fuit.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.—Múlier. Glória Patri. Múlier.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* vii. *f.*

IN illo témpore : Rogábat Jesum quidam de Pharisaeis, ut manducáret cum illo. Et ingréssus domum Pharisaei, discúbuit. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 50. *Homil.* xxiii. *tom.* 10.

EVANGELIUM cum legerétur, attentíssime audístis : et res gesta narráta atque versáta est ante óculos cordis vestri. Vidístis enim non carne, sed mente, Dóminum Jesum Christum in domo Pharisaei recumbéntem, et ab illo invitátum non fastidiéntem. Vidístis étiam in civitáte mulíerem famósam, mala útique fama, quae erat peccátrix, non invitátam irruísse convívio, ubi suus médicus recumbébat, et quaesísse pia impudéntia sanitátem : írruens, quasi importúna convívio, opportúna benefício. Nóverat enim quanto morbo laboráret : et illum ad sanándum esse idóneum, ad quem vénerat, sciébat.

℟. Os suum apéruit sapiéntiae, et lex cleméntiae in lingua ejus : considerávit sémitas domus suae, * Et panem otiósa non comédit. ℣. Gustávit et vidit quia bona est negotiátio ejus : non extinguétur in nocte lucérna ejus.—Et panem.

Lectio viii.

ACCESSIT ergo non ad caput Dómini, sed ad pedes. Et quae diu male ambuláverat, vestígia recta quaerébat. Prius fudit lácrymas cordis, et lavit Dómini pedes obséquio confessiónis, capíllis suis tersit, osculáta est, unxit : tácita loquebátur, non sermónem promébat, sed devotiónem ostendébat. Quia ergo tétigit Dñum rigándo, osculándo, tergéndo, ungéndo pedes ejus, Pharisaeus, qui invitáverat Dóminum Jesum Christum, quia ex illo génere erat hóminum superbórũ, de quibus Isaías Prophéta dicit : Qui dicunt, Recéde longe a me, noli me tángere, quóniam mundus sum : putávit Dñum nescísse mulíerem.

℟. Regnum mundi, et omnem ornátum saeculi contémpsi, propter amórem Dómini mei Jesu Christi: * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi.—Quem. Glória Patri. Quem.

Lectio ix.

O PHARISAEE, invitátor et irrísor Dñi, Dóminum pascis, et a quo pascéndus sis, non intélligis? Unde scis Dóminum nescísse quae fúerit illa múlier, nisi quia permíssa est accédere, nisi quia, illo patiénte, osculáta est pedes ejus, nisi quia tersit, nisi quia unxit? Haec enim non

débuit permítti fácere in pédibus mundis múlier immúnda? Ad illíus ergo Pharisaei pedes, si talis múlier accessísset, dictúrus erat, quod Isaías de tálibus dicit: Recéde a me, noli me tángere, quóniam mundus sum. Accéssit autem ad Dóminum immúnda, ut redíret munda : accéssit aegra, ut redíret sana : accéssit conféssa, ut redíret profécssa.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES.

Añae de Comm. cxxviii.

Capitulum. *Prov.* xxxi. *b.*

QULIEREM fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

Hymnus.

SUMMI Paréntis Unice,
Vultu pio nos réspice,
Vocans ad arcem glóriae
Cor Magdalénae poenitens.

Amíssa drachma régio
Recóndita est aerário ;
Et gemma, detérso luto,
Nitóre vincit sídera.

Jesu, medéla vúlnerum,
Spes una poeniténtium,
Per Magdalénae lácrymas
Peccáta nostra díluas.

Dei Parens piíssima,
Hevae nepótes flébiles
De mille vitae flúctibus
Salútis in portum vehas.

Uni Deo sit glória,
Pro multifórmi grátia,
Peccántium qui crímina
Remíttit, et dat praemia.

Amen.

V. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. R. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Bened. Ańa. María unxit pedes Jesu, et extérsit capíllis suis, et domus impléta est ex odóre unguénti.

Oratio.

BEATAE Maríae Magdalénae, quaesumus Dómine, suffrágiis adjuvémur : cujus précibus exorátus, quatriduánum fratrem Lázarum vivum ab ínferis resuscitásti : Qui vivis.

Ad Horas ut in Communi non Virginum. cxxix.

Vesperae a Capitulo de S. Apollinari, cum Commemorat. S. Mariae Magdalenae, et S. Liborii.

DIE XXIII. JULII.

In festo S. Apollinaris, Episcopi et Martyris. Duplex.

Omnia dicuntur de Communi unius Martyris. xxvii. praeter ea quae hic ponuntur propria.

Oratio.

DEUS, fidélium remunerátor animárum, qui hunc diem beáti Apollinári-

ris Sacerdótis tui martyrio consecrásti : tríbue nobis, quaesumus, fámulis tuis; ut, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus ejus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Deinde fit Commem. S. Mariae Magdalenae, Añia. Múlier, quae erat in civitáte peccátrix, áttulit alabástrum unguénti, et stans retro secus pedes Dómini, lácrymis coepit rigáre pedes ejus, et capíllis cápitis sui tergébat.

℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Oratio. Beátae Maríae, ut supra. 556.

Postea fit Commemoratio S. Liborii, Episcopi et Confessoris, Antiphona. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dñus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Oratio.

DA, quaesumus omnípotens Deus : ut beáti Libórii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

APOLLINARIS cum príncipe Apostolórum Antiochía Romam venit : a quo ordinátus Epíscopus, Ravénnam ad Christi Dómini Evangélium praedicándum míttitur: ubi cum ad Christi fidem plúrimos convérteret, captus ab idolórum sacerdótibus gráviter caesus est. Cumque, ipso oránte, Bonifácius nóbilis vir, qui diu mutus fúerat, loquerétur, ejúsque fília immúndo spíritu liberáta esset, íterum est in illum commóta sedítio. Itaque virgis caesus, ardéntes carbónes nudis pédibus prémere cógitur : quem cum subjéctus ignis nihil laederet, ejícitur extra urbem.

℟. Honéstum fecit illum Dñus, et custodivit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum.—Et dedit.

Lectio v.

ITS vero latens aliquámdiu cum quibúsdam Christiánis, inde profécTus est in Æmíliam, ubi Rufíni patrítii fíliam mórtuam ad vitam revocávit: ut propter ea tota Rufíni família in

Jesum Christum créderet. Quare veheménter incénsus praeféctus accérsit Apollinárem, et cum eo grávius agit, ut finem fáciat disseminándi in urbe Christi fidem. Cujus cum Apollináris jussa neglígeret, equúleo cruciátur ; in cujus plagas aqua fervens infúnditur, saxóque os túnditur: mox férreis vínculis constrictus inclúditur in cárcere. Quarto die impósitus in navem, míttitur in exílium : ac facto naufrágio venit in Mysiam, inde ad ripam Danúbii, póstea in Thráciam.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.— Et voluntáte.

Lectio vi.

CUM autem in Serápidis templo daemon se respónsa datúrum negáret, dum ibídem Petri Apóstoli discípulus morarétur, diu conquisítus invéntus est Apollináris : qui íterum jubétur navigáre. Ita revérsus Ravénnam, ab iísdem illis idolórum sacerdótibus accusátus, centurióni custodiéndus tráditur : qui, cum occúlte Christum cóleret, noctu Appollinárĕ dimísit. Re cógnita, satéllites eum persequúntur, et plagis in itínere confectum, quod mórtuum créderent, relínquunt. Quem cum inde Christiáni sustulíssent, séptimo die exhórtans illos ad fídei constántiam, martyrii glória clarus migrávit e vita. Cujus corpus prope murum urbis sepúltum est.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae et intellectus : et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum.—Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xxii. *c.*

IN illo témpore : Facta est contentio inter discípulos, quis eórum vidérétur esse major. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 10. *in Lucae cap.* xxii. *post initium.*

REGNUM Dei non est de hoc mundo. Non ergo aequalitátis hóminis ad Deum, sed similitúdinis aemulátio est. Solus enim Christus est plena

imágo Dei, propter expréssam in se patérnae claritúdinis unitátẽ. Justus autem homo ad imáginem Dei est, si, propter imitándum divínae conversatiónis similitúdinem, mundum hunc Dei cognitióne conténmat, voluptatésque terrénas verbi perceptióne despíciat, quo álimur in vitam : unde et corpus Christi édimus, ut vitae aetérnae possímus esse partícipes.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Expréssa.

Lectio viii.

DON enim victus et potus nobis praemii loco spondétur et honóris, sed communicátio grátiae coeléstis et vitae. Neque duódecim throni tamquam áliqua corporális sunt receptácula sessiónis : sed quia sicut secúndum divínam similitúdinẽ júdicat Christus, cognitióne córdium, non interrogatióne factórum, virtútem remúnerans, impietatémque condémnans : ita et Apóstoli in judícium spiritále formántur remuneratióne fídei, et execratióne perfídiae, virtúte errórem redarguéntes, sacrílegos ódio persequéntes.

℟. Hic est vere martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénae dignitátis glóriam quaesívit, sed ad coeléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui. Glória Patri. Qui.

Lectio ix.

CONVERTAMUR ígitur, et caveámus, ne in perditiónem áliqua inter nos de praelatióne possit esse conténtio. Si enim contendébant Apóstoli, non excusatióni obténditur, sed cautióni propónitur. Si Petrus aliquándo convértitur, qui ad primam Dómini secútus est vocem: quis potest dícere, cito se esse convérsum? Cave ergo jactántiam, cave saeculum. Ille enim confirmáre jubétur fratres suos, qui dixit : Omnia dimísimus, et secúti sumus te.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Commem. S. Liborii, Episcopi et Conf. Ańa. Euge serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio. Da, quaesumus, ut supra. 557.

Si vero hodie fuerit Sabbatum, nona Lectio erit de Vigilia anticipata S. Jacobi Apostoli cum ejus Commemor. in Laudibus ; et tunc pro Commemor. S. Liborii dicatur Oratio. Exáudi, quaesumus, ut in Communi Confessoris Pontificis. lxxii.

In secundis Vesperis fit Commemor. S. Christinae, Virginis et Martyris, Añæ. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dñus praeparávit in aetérnum.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio.

INDULGENTIAM nobis, quaesumus Dómine, beáta Christína Virgo et Martyr implóret : quae tibi grata semper éxtitit et mérito castitátis, et tuae professióne virtútis. Per Dóminum.

DIE XXIV. JULII.

In Vigilia S. Jacobi, Apost.

Tres Lectiones de Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium : Hoc est praecéptum meum, ut in Vigiliis Apostolorum. i.

Ad Laudes ut in Psalterio : et dicuntur Preces feriales flexis genibus. 62.

Oratio.

DA, quaesumus omnípotens Deus : ut beáti Jacóbi Apóstoli tui, quam praevenímus, veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Deinde fit Commem. S. Christinae, Añæ. Símile est regnum coelórum hómini negotiatóri quaerénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Oratio. Indulgéntiam, ut supra.

DIE XXV. JULII.

In festo S. Jacobi, Apostoli. Duplex.

Omnia de Communi Apostolorum. ii. praeter ea quae sequuntur.

Oratio.

ESTO, Dómine, plebi tuae sanctificátor et custos : ut Apóstoli tui Jacóbi munita praesídiis, et conversatióne tibi pláceat, et secúra mente desérviat. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Epistola prima ad Corinthios : Sic nos exístimet homo, de Communi Apostolorum. viii.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ACOBUS, Zebedaei fílius, Joánnis Apóstoli germánus frater, Galilaeus, inter primos Apóstolos vocátus cum fratre, relíctis patre ac rétibus, secútus est Dñum, et ambo ab ipso Jesu Boanérges, id est, tonítrui fílii, sunt appellláti. Is unus fuit ex tribus Apóstolis, quos Salvátor máxime diléxit, et testes esse vóluit suae transfiguratiónis, et interésse miráculo, cum archisynagógi fíliam a mórtuis excitávit, et adésse cum secéssit in montem Olivéti, Patrem oratúrus, ántequam a Judaeis comprehenderétur.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium coelum, voce magna clamántem, et dicéntem.—Isti sunt.

Lectio v.

POST Jesu Christi ascénsum in coelum, in Judaea et Samaría ejus divinitátē praedicans, plúrimos ad christiánam fidem perdúxit. Mox in Hispániā profíctus, ibi áliquos ad Christum convértit: ex quorum número septem póstea Episcopi a beáto Petro ordináti, in Hispániam primi dirécti sunt. Deinde Jerosólymam revérsus, cum inter álios Hermógenem magum fídei veritáte imbuísset, Heródes Agríppa, Cláudio imperatóre, ad regnum elátus, ut a Judaeis grátiam iníret, Jacóbum líbere Jesum Christum Deum confiténtem cápitis condemnávit. Quem cum is, qui eum dúxerat ad tribúnal, fórtiter martyrium subeúntem vidísset, statim se et ipse Christiánum esse profétsus est.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me : * Gaudéte et exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in coelis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis.—Gaudéte.

Lectio vi.

AD supplícium cum raperéntur, pétiit ille a Jacóbo véniam : quem Jacóbus osculátus, Pax, inquit, tibi sit. Itaque utérque est secúri percússus, cum paulo ante Jacóbus paralyticum sanásset. Corpus ejus

póstea Compostéllam translátum est, ubi summa celebritáte cólitur, conveniéntibus eo religiónis et voti causa ex toto terrárum orbe peregrínis. Memória ipsíus natális hodiérno die, qui translatiónis dies est, ab Ecclésia celebrátur, cum ipse circa festum Paschae primus Apostolórum, Jerosólymis profúso sánguine testimónium Jesu Christo déderit.

℟. Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt praemia aetérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.—Modo. Glória Patri. Modo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xx. *c.*

IN illo témpore : Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedaei cum fíliis suis, adórans et petens áliquid ab eo. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia lxvi. *in Matth.*

NON turbétur quisquam, si ádeo imperféctos dícimus Apóstolos fuísse : nondum enim mystérium crucis erat consummátum, nondum grátia Spíritus in corda ipsórum infúsa. Quod si virtútem ipsórum díscere cupis, quales post datam grátiam Spíritus fúerint, consídera, et vidébis omnem ab illis pervérsam affectiónem fuísse superátam. Hac enim de causa eórum modo imperféctio revelátur, ut apérte percípere possis, quales súbito per grátiam effécti fuérunt. Quod ígitur nihil spiritále petébant, nec de coelésti regno quidquam cogitábant, perspícuum est. Sed tamen inspiciámus étiam quómodo accédant, et quid dicant. Vólumus, inquiunt, ut quodcúmque petiérimus, fácias nobis. Ad quod Christus: Quid vultis? respóndit : non ignórans certe, sed ut eos respondére cogat, et ulcus détegat, et ita medicaméntum appónat.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo : * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum.—Cálicem.

Lectio viii.

ILLI vero cum erubéscerent, et verecúndia prohiberéntur, quóniam humáno affécto eo devénerant,

seórsum ab áliis discípulis Christum accipiéntes, interrogavérunt. Progréssi sunt enim, inquit, ne illis manifésti fíerent, et ita demum ea, quae volébant, dixérunt. Volébant autem, ut ego conjício, quóniam super duódecim sedes sessúros discípulos audiérunt, primátum hujus conséssus impetráre: et praepóni quidem se caeteris sciébant; Petrum vero sibi praeférri formidántes, dícere ausi sunt: Dic ut unus a dextris, alter a sinístris sédeat. Et urgent dicéntes: Dic. Quid ígitur ipse? Ut significáret eos nihil pétere spirituále, sed nec scire quidem quid póstulent: non enim pétere audérent, si scirent: Nescítis, ait, quid petátis: nescítis quam magnum hoc sit, quam mirábile, ac ipsas superióres excédens virtútes.

℣. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in charitáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam:* Quórum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna: operáti sunt justítiam.—Quórum. lória Patri. Quórum.

Lectio ix.

ET adjécit: Potéstis bíbere cálicem, quem ego bibitúrus sum: et baptísmo, quo ego baptízor, baptizári? Perpéndis quómodo statim ab hac opinióne ipsos remóvit, contrária eis dísserens. Nam vos, inquit, de honóribus et de corónis mecum ágitis: ego vero de luctámine atque sudóre díssero. Non praemiórum hoc tempus est, nec illa glória mea modo apparébit: sed caedis ac periculórum tempus praesens est. Pérspice autem, quáliter ipso interrogatiónis modo, et hortátur et állicit. Non enim dixit: Potestísne caedem subíre, potestísne vestrum effúndere sánguinem? Sed, quonam pacto potéstis bíbere cálicem? Deínde allíciens, inquit: Quem ego bibitúrus sum: ut ipsa cum eo communicatióne labórum promptióres redderéntur.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus tantum fit Commem. S. Christophori, Martyris, Añia. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

PRAESTA quaesumus omnípotens Deus: ut qui beáti Christóphori Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in

tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum nostrum.

In secundis Vesperis fit Commemoratio S. Annae, Matris Beatae Mariae Virginis.

DIE XXVI. JULII.

In festo S. Annae, Matris B. Mariae Virginis. Duplex.

Omnia de Communi nec Virg. nec Martyris, cxxiii. exceptis his quae hic sunt propria.

Ant. Símile est regnum coelórum hómini negotiatóri quaeránti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio.

DEUS, qui beátae Annae grátiam conférre dignátus es, ut Genitrícis unigéniti Fílii tui mater éffici mererétur ; concéde propítius ; ut cujus solémnia celebrámus, ejus apud te patrocíniis adjuvémur. Per eúmdem Dñum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Parabolis Salomonis : Mulíerem fortem, ut in Communi nec Virginis nec Martyris, cxxiv.

In secundo Nocturno. Sermo sancti Joánnis Damasceni. *Oratione* ii. *de Nativitate B. Mariae, prope finem.*

Lectio iv.

ROPONITUR nobis Annae thálamus, conjugális vitae simul et virginitátis formam réferens, illam matris, hanc fíliae : quarum áltera recens sterilitáte liberáta est, áltera autem aliquánto post, Christi partum ad nostrae natúrae conditiónem divíno opifício formátum, supra natúram est editúra. Mérito ígitur Anna divíno Spíritu plena, laeto hilaríque ánimo pérsonat : Congaudéte mecum, quae promissiónis germen ex stérili ventre péperi, ac benedictiónis fructum ubéribus meis, ut optáveram, nútrio. Sterilitátis moestítiam éxui, ac laetam foecunditátis vestem índui. Congáudeat mecum hódie Anna illa Phenénnae adversária : et nomen hoc atque inopinátum miráculum, quod in me gestum est, suo exémplo concélebret.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Et dedúcet.

Lectio v.

EXULTET Sara senîli gáudio géstiens, meúmque ab sterilitáte concéptum praefigúrans. Cónciliant simul stériles et infoecúndae visitatiónem meam admirábili modo coelitus factam. Dicant item matres omnes hac foecunditáte praeditae : Benedíctus qui orántibus, id quod optábant, largítus est, et foecunditátem stérili dedit, ac felicíssimum illud germen Vírginis concéssit, quae Mater Dei secúndum carnem fuit, cujus venter coelum est, in qua habitávit is, qui nullo loco capi potest. Cónsonam his nos quoque ipsi, quae vocabátur stérilis, nunc autem virgínei thálami mater éxtitit, laudem offerámus. Dicámus ad eam cum Scriptúra : Quam beáta domus David, ex qua prodísti, et venter, in quo Deus sanctificatiónis arcam, hoc est, eam, a qua ipse sine sémine concéptus est, fabricávit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátē : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinē, et justítiam.—Proptérea.

Lectio vi.

VERE beáta es, ac ter beáta, quae beatitúdine donátam a Deo infántē, hoc est, Maríam, nómine quoque ipso magnópere venerándam peperísti: ex qua Christus vitae flos éxtitit, cujus Vírginis et gloriósus fuit ortus, et partus mundo sublímior. Nos quoque, o beatíssima foemina, tibi gratulámur. Etenim nostrum ómniū spem divínitus concéssam, hoc est, promissiónis foetum peperísti. Beáta revéra es, et beátus fructus ventris tui. Piórum autem lingua germen tuum magnificat, ac sermo omnis laetus partum tuum praedicat. Dignum sane quidem, ac máxime dignum est eam laudáre, quae divína benignitáte oráculum accépit, ac talem et tantum nobis fructum édidit, ex quo dulcis Jesus pródiit.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.—Múlier. Glória Patri. Múlier.

In tertio Nocturno, Homília S. Gregorii Papae in Evang. Símile est regnum coelórum thesáuro, de Communi nec Vírginis nec Martyris. cxxvi.

In secundis Vesperis fit Commemoratio S. Pantaleonis.

DIE XXVII. JULII.

In festo
S. Pantaleonis, Martyris.

Ańa. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

PRAESTA quaesumus omnípotens Deus : ut intercedénte beáto Pantaleóne Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Lectio iii.

ANTALEON Nicomediénsis, nóbilis médicus, ab Hermoláo Presbytero in Jesu Christi fide erudítus, baptizátus est: qui mox patri Eustórgio persuásit, ut Christiánus fieret. Quare cum Nicomedíae póstea Christi Dómini fidem líbere praedicáret, et ad ejus doctrínam omnes cohortarétur, Diocletiáno imperatóre, equúleo tortus, et admótis ad ejus corpus láminis candéntibus, cruciátus est : quam tormentórum vim aequo et forti ánimo ferens, ad extrémum gládio percússus, martyrii corónam adéptus est.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XXVIII. JULII.

In festo sanctorum Nazarii et Celsi, Martyrum, Victoris Papae et Martyris, ac Innocentii, Papae et Conf.
Semiduplex.

Omnia de Communi plurimorum Mart. xliv. praeter ea, quae hic habentur.

Oratio.

SANCTORUM tuórum nos, Dómine, Nazárii, Celsi, Victóris, ac Innocéntii confessio beáta commúniat : et fragilitáti nostrae subsídium dignánter exóret. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

NAZARIUS, a beáto Lino Papa baptizátus, cum in Gálliam profectus esset, ibi Celsum púerum, a se christiánis praeceptis prius instrúctū, baptizávit: qui una Tréverim eúntes, Neróne persecutióne, in mare utérque dejícitur, unde mirabíliter evaséfunt. Póstea Mediolánum veniéntes, cum ibi

Christi fidem dissemináret, ab Anolíno praefécto, constantíssime Christum Deum confiténtes, cápite plectúntur : quorum córpora extra portam Románam sepúlta sunt. Quae cum diu latuíssent, Dei mónitu a beáto Ambrósio conspérsa recénti sánguine sunt invénta, tamquam si paulo ante martyrium passi essent : unde in Urbem transláta, honorífico sepúlchro contécta sunt.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes praecéptis tuis, ut inveniréntur illaesi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquae, et torrénte inundavérunt.—Terra appáruit.

Lectio v.

VICTOR in Africa natus, Sevéro imperatóre, rexit Ecclésiam. Confirmávit decrétum Pii primi, ut sacrum Pascha die Domínico celebrarétur : qui ritus ut póstea in mores inducerétur, hábita sunt multis in locis concília : et in Nicaena dénique prima synodo sanctum est, ut Paschae dies festus post quartam décimam lunam agerétur, ne Christiáni Judaeos imitári videréntur. Státuit, ut quavis aqua, modo naturáli, si necéssitas cógeret, quicúmque baptizári posset. Theódotum Coriárium Byzantínum, docéntem Christum tantúmmodo hóminẽ fuísse, ejécit ex Ecclésia. Scripsit de quaestióne Paschae etália quaedam opúscula. Creávit duábus ordinatiónibus mense Decémbri Presbyteros quátuor, Diáconos septem, Epíscopos per divérsa loca duódecim. Martyrio coronátus, sepelítur in Vaticáno, quinto Kaléndas Augústi. Sedit annos novem, mensem unum, dies vigínti octo.

℟. Vérbera carnificum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut haerédes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia.—Ut haerédes.

Lectio vi.

INNOCENTIUS Albanénsis, sancti Hierónymi et Augustíni aetáte flóruit : de quo ille ad Demetríadẽ vírginem : Sancti Innocéntii, qui apostólicae cáthedrae, et beátae memóriae Anastásii succéssor et fílius est, téneas fidem, nec peregrínam, quamvis tibi prudens cállidaque videáris, doctrínam recípias. Eum tamquam justum Lot

subtráctum Dei providéntia ad Ravénnam servátum fuísse, scribit Orósius, ne Románi pópuli vidéret excídium. Is, Pelágio et Coeléstio damnátis, contra eórum haeresim decrétum fecit, ut párvuli ex christiána étiam mulíere nati, per baptísmum renásci debérent; ut in eis regeneratióne mundétur, quod generatióne contraxérunt. Probávit étiam, ut Sábbato ob memóriam Christi Dñi sepultúrae jejúnium servarétur. Sedit annos quíndecim, mensem unum, dies decem. Quátuor ordinatiónibus mense Decémbri creávit Presbyteros trigínta, Diáconos quíndecim, Epíscopos per divérsa loca quinquagínta quátuor. Sepúltus est in coemetério ad Ursum pileátum.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dñus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos : et in témpore erit respéctus illórum : ℣. Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi.—Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Nocturno, Homilia sancti Gregorii Papae in Evangelium : **Cum audiéritis praelia,** de Communi plurimorum Martyrum. **liii.**

In secundis Vesperis a Capitulo fit de sancta Martha.

DIE XXIX. JULII.

In festo sanctae Marthae, Virg. Semiduplex.

Omnia de Communi Virginum. **ciii.** praeter sequentia.

Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutáris noster : ut, sicut de beátae Marthae Vírginis tuae festivitáte gaudémus ; ita piae devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Postea fit Commemor. SS. Nazarii, Celsi, etc. Aña. Gaudent in coelis ánimae sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ideo cum Christo exúltant sine fine.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio. Sanctórum tuórum nos, Dñe, 566.

Et fit Commem. SS. Felicis, Simplicii, Faustini, et Beatricis Mart., Aña. **Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.**

℣. Laetámini in Dño, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

PRAESTA quaesumus Dómine, ut sicut pópulus christiánus mártyrũ tuórum Felícis, Simplícii, Faustíni, et Beatrícis temporáli solemnitáte congáudet, ita perfruátur aetérna; et quod votis célebrat, comprehéndat effectu. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MARTHA, nobílibus et copiósis paréntibus nata, sed Christi Dómini hospítio clárior, post ejus ascénsum in coelum, cum fratre, soróre, et Marcélla pedíssequa, ac Maximíno, uno ex septuagínta duóbus discípulis Christi Dómini, qui totam illam domum baptizáverat, multísque áliis Christiánis, comprehénsa a Judaeis, in navem sine velo ac remígio impónitur, vastissimóque mari ad certum naufrágium committitur: sed navis, Deo gubernánte, salvis ómnibus, Massíliam appúlsa est. ℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Et dedúcet.

Lectio v.

HO miráculo, et horum praedicatióne, primum Massiliénses, mox Aquénses, ac finítimae gentes in Christum credidérunt, Lazarúsque Massiliénsium, et Maximínus Aquénsiũ Epíscopus creátur. Magdaléna vero assuéta oratióni et pédibus Dómini, ut óptima parte contemplándae coeléstis beatitúdinis, quam elégerat, fruerétur, in vastam altíssimi montis spelúncam se cóntulit: ubi trigínta annos vixit, ab omni hóminum consuetúdine disjúncta, quotidiéque per id tempus ad audiéndas coeléstium laudes in altum ab Angelis eláta. ℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam.—Proptérea.

Lectio vi.

MARTHA autem, mirábili vitae sanctitáte et charitáte, ómnium Massiliénsiũ ánimis in sui amórem et admiratiónem addúctis, in locum a viris remótũ cum áliquot honestíssimis

foeminis se recépit; ubi summa cum laude pietátis et prudéntiae diu vixit : ac demum, morte sua multo ante praedícta, miráculis clara migrávit ad Dñum, quarto Kaléndas Augústi. Cujus corpus apud Taráscum magnam habet veneratiónem.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximae ejus, Afferéntur tibi in laetítia et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* x. *g.*

IN illo témpore : Intrávit Jesus in quoddam castéllum, et múlier quaedam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Sermone xxvi. *de Verbis Domini.*

VERBA Dómini nostri Jesu Christi, quae modo ex Evangélio recitáta sunt, ádmonent nos, esse unum áliquid quo tendámus, quando in hujus saeculi multitúdine laborámus. Téndimus autem adhuc peregrinántes, nondum manéntes : adhuc in via, nondum in pátria : adhuc desiderándo, nondum fruéndo. Tamen tendámus, et sine pigrítia et sine intermissióne tendámus, ut aliquándo pervenire valeámus. Martha et María duae soróres erant, ambae non solum carne, sed étiam religióne germánae : ambae Dño cohaesérunt, ambae Dómino in carne praesénti concórditer serviérunt.

℟. Haec est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quae accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.—Et veniénte.

Lectio viii.

SUSCEPIT eum Martha, sicut solent súscipi peregríni : sed tamen suscépit fámula Dóminum, aegra Salvatórem, creatúra Creatórem. Suscépit autem spíritu pascénda, in carne pascéndum. Vóluit enim Dóminus formam servi accípere, et accépta forma servi, in illa pasci a servis, dignatióne, non conditióne. Nam et ista dignátio fuit, se praebére pascéndum. Habébat carnem, in qua esuíret quidem, et sitíret : sed nescítis, quia in erémo

esuriénti Angeli ministrábant ? Ergo quod pasci vóluit, pascénti praestitit. Quid autem mirum, si et de sancto Elía praestitit víduae, quem prius corvo ministránte pascébat? Numquid pascéndo defécerat, quando ad víduam mittébat? Nequáquam, sed religiósam víduam per obséquium exhíbitum servo suo, benedícere disponébat.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades.—Ecce sponsus. Glória Patri. Ecce sponsus.

Lectio ix.

SIC ergo suscéptus est Dóminus tamquam hospes, qui in sua própria venit, et sui eum non recepérunt : sed quotquot recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fieri : adóptans servos, et líberos fáciens : rédimens captívos, et fáciens cohaerédes. Ne quis tamen vestrum fórsitan dicat : O beáti, qui Christum suscípere in domum própriam meruérunt ! Noli dolére, noli murmuráre, quia tempóribus natus es, quando jam Dóminum non vides in carne. Non tibi ábstulit istam dignatiónem. Cum uni, inquit, ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis. Haec de Dómino pascéndo in carne, sed pascénte in spíritu, pauca pro témpore dixérimus.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Commemoratio SS. Martyrum Felicis, Simplicii, etc. Aña. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio. Praesta quaesumus, ut supra. 569.

In secundis Vésperis Commemoratio SS. Abdon et Sennen.

DIE XXX. JULII.

In festo
SS. Abdon et Sennen,
Martyrum.

Aña. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dño, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

DEUS, qui sanctis tuis Abdon et Sennen ad hanc glóriam veniéndi copiósum munus grátiae contulísti : da fámulis tuis suórum véniam peccatórum ;

ut Sanctórum tuórum intercedéntibus méritis, ab ómnibus mereámur adversitátibus liberári. Per Dñum.

Lectio iii.

ABDON et Sennen, Persae, Décio imperatóre accusáti, quod córpora Christianórum, quae inhumáta projiciebántur, in suo praedio sepelíssent, jussu imperatóris comprehendúntur, et diis jubéntur sacrificáre. Quod cum fácere neglígerent, et Jesum Christum Deum constantíssime praedicárent: tráditos in arctam custódiam, Romam póstea rédiens Décius, vinctos duxit in triúmpho. Qui cum in Urbe ad simulácra attrácti essent, ea detestáti conspuérunt. Quamóbrem ursis ac leónibus objécti sunt: quos ferae non audébant attíngere. Demum gládiis trucidáti, colligátis pédibus, tracti sunt ante Solis simulácrum: quorum córpora clam inde asportáta, Quirínus Diáconus sepelívit in suis aedibus.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XXXI. JULII.

In festo S. Ignatii, Confess. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea quae sequuntur.

Oratio.

DEUS, qui ad majórem tui nóminis glóriam propagándā, novo per beátum Ignátium subsídio militántem Ecclésiā roborásti: concéde, ut ejus auxílio et imitatióne certántes in terris coronár cum ipso mereámur in coelis: Per Dñum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

IGNATIUS natióne Hispánus, nóbili génere, Loyólae in Cantábria natus, primo cathólici regis aulam, deínde militiam secútus est. In propugnatióne Pampelonénsi accépto vúlnere gráviter decúmbens, ex fortuíta piórum librórum lectióne, ad Christi Sanctorúmque sectánda vestígia mirabíliter exársit. Ad montem Serrátum profectus, ante aram beátae Vírginis suspénsis armis, noctem éxcubans, sacrae militiae tyrocínium pósuit. Inde, ut erat indútus sacco, tráditis ántea mendíco pretiósis véstibus, Manrésam secéssit: ubi emendicáto pane et aqua víctitans, exceptísque diébus Domínicis jejúnans, áspera caténa cilicióque carnem domans, humi cubans, et férreis se

flagéllis cruéntans, per annum commorátus est : claris ádeo illustratiónibus a Deo recreátus, ut póstea dícere sólitus sit : Si sacrae lítterae non extárent, se tamen pro fide mori parátum ex iis solum, quae sibi Manrésae patefécerat Dñus. Quo témpore homo litterárum plane rudis, admirábilem illum compósuit exercitiórum librum, sedis apostólicae judício et ómnium utilitáte comprobátum.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio v.

UT vero se ad animárum lucra rite formáret, subsídium litterárum, a grammática inter púeros exórsus, adhibére státuit. Cumque nihil ínterim omítteret de stúdio aliénae salútis, mirum est quas ubíque locórum aerúmnas ac ludíbria devoráverit, aspérrima quaeque, et víncula, et vérbera pene ad mortem usque perpéssus : quibus tamen longe plura pro Dómini sui glória semper expetébat. Lutétiae Parisiórum adjúnctis sibi ex illa Academía variárum natiónum sóciis novem, qui omnes ártium magistériis et theologíae grádibus insígnes erant, ibídem in monte Mártyrum prima órdinis fundaménta jecit : quem póstea Romae instítuens, ad tria consuéta quarto áddito de missiónibus voto, sedi apostólicae árctius adstrínxit : et Paulus tértius primo recépit, confirmavítque : mox álii Pontífices ac Tridentína synodus probavére. Ipse autem, misso ad praedicándum Indis Evangéliũ sancto Francísco Xavério, aliísque in álias mundi plagas ad religiónem propagándam disseminátis, éthnicae superstitióni haeresíque bellum indíxit, eo succéssu continuátum, ut constans fúerit ómnium sensus, étiam Pontifício confirmátus oráculo, Deum, sicut álios áliis témporibus sanctos viros, ita Luthéro, ejusdémque témporis haeréticis, Ignátium, et institútam ab eo Societátem objecísse.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

SED in primis inter cathólicos instauráre pietátem curae fuit.

Templórum nitor, catechísmi tradítio, conciónum ac sacramentórum frequéntia ab ipso increméntum accepére. Ipse, apértis ubíque locórum ad juventútem erudiéndam in lítteris ac pietáte gymnásiis ; eréctis Romae Germanórum collégio, male nuptárum et periclitántium puellárum coenóbiis ; utriúsque sexus tam orphanórum quam catechumenórum dómibus, aliísque pietátis opéribus, indefésus lucrándis Deo ánimis instábat : audítus aliquándo dícere : Si óptio darétur, malle se beatitúdinis incértū vívere, et ínterim Deo inservíre, et proximórum salúti, quam certum ejúsdem glóriae statim mori. In daemones mirum exércuit impérium. Vultum ejus coelésti luce radiántem sanctus Philíppus Nérius aliíque conspexére. Dénique aetátis anno sexagésimo quinto, ad Dómini sui ampléxum, cujus majórem glóriam in ore semper habúerat, semper in ómnibus quaesíerat, emigrávit. Quem Gregórius décimus quintus, magnis in Ecclésiam méritis et miráculis illústrem, Sanctórum fastis adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam: Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium : Designávit Dóminus. 545.

FESTA AUGUSTI.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum, infra.

DIE I. AUGUSTI.

In festo S. Petri ad Vincula. Duplex.

AD VESPERAS.

Ana. Heródes rex, cum reliquis de Laudibus. 579. Psalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis de Communi Apostolorum. ii.

Capitulum. *Act.* xii.

MISIT Heródes rex manus, ut afflígeret quosdam de Ecclésia. Occídit autem Jacóbum fratrem Joánnis gládio. Videns autem quia placéret Judaeis, appósuit ut apprehénderet et Petrum.

Hymnus.

QUIRIS modis repénte liber, férrea, Christo jubénte, vincla Petrus éxuit :

Ovílis ille Pastor, et Rector gregis,
Vitae reclúdit páscua, et fontes sacros,
Ovésque servat créditas, arcet lupos.
Patri perénne sit per aevum glória,
Tibíque laudes concinámus inclytas,
Ætérne Nate ; sit supérne Spíritus
Honor tibi, decúsque: sancta júgiter
Laudétur omne Trínitas per saeculum. Amen.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram aedificábo Ecclésiam meam.

Ad Magníficat, Añа. Tu es pastor óvium, princeps Apostolórum, tibi tráditae sunt claves regni coelórum.

Oratio.

DEUS, qui beátum Petrum Apóstolum, a vínculis absolútum, illaesum abíre fecísti : nostrórũ, quaesumus, absólve víncula peccatórum ; et ómnia mala a nobis propitiátus exclúde. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio S. Pauli, Añа. Sancte Paule Apóstole, praedicátor veritátis, et Doctor Géntium, intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit.

℣. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole. ℟. Praedicátor veritátis in univérso mundo.

Oratio.

DEUS, qui multitúdinem Géntium beáti Pauli Apóstoli praedicatióne docuísti : da nobis, quaesumus ; ut, cujus commemoratiónem cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus.

Et fit Comm. S. Ignatii, Añа. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias coelo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

DEUS, qui ad majórem tui nóminis glóriam propagándam, novo per beátum Ignátium subsídio militántem Ecclésiam roborásti : concéde, ut ejus auxílio et imitatióne certántes in terris, coronári cum ipso mereámur in coelis.

Postea SS. Martyrum Machabaeorum, Añа. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

ETERNA nos, Dómine, Martyrum tuórum coróna laetíficet :

quae et fídei nostrae praebeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invit. Regem Apostolórum Dóminum, * Veníte adorémus. Ps. Veníte. 2.

Hymnus.

QUODCUMQUE in orbe néxibus revínxeris,
Erit revínctum, Petre, in arce síderum :
Et quod resólvit hic potéstas trádita,
Erit solútum coeli in alto vértice :
In fine mundi judicábis saeculum.
Patri perénne sit per aevum glória,
Tibíque laudes concinámus ínclytas,
Ætérne Nate ; sit supérne Spíritus
Honor tibi, decúsque : sancta júgiter
Laudétur omne Trínitas per saeculum. Amen.

Añae, Psalmi et VV. Nocturnorum dicuntur de Communi Apostolorum. v.

In primo Nocturno.

De Actibus Apostolórum.

Lectio i. *Cap.* xii.

MISIT Heródes rex manus, ut afflígeret quosdam de Ecclésia. Occídit autem Jacóbum fratrem Joánnis gládio. Videns autem quia placéret Judaeis, appósuit ut apprehénderet et Petrum. Erant autem dies azymórum. Quem cum apprehendísset, misit in cárcerem, tradens quátuor quaterniónibus mílitum custodiéndũ, volens post Pascha produ̇cere eum pópulo. Et Petrus quidem servabátur in cárcere. Orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo.

℟. Simon Petre, ántequam de navi vocárem te, novi te, et super plebem meam príncipem te constítui, * Et claves regni coelórum trádidi tibi. ℣. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in coelis : et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in coelis. — Et.

Lectio ii.

CUM autem produ̇ctúrus eum esset Heródes, in ipsa nocte erat Petrus dórmiens inter duos mílites, vinctus caténis duábus; et custódes ante óstium custodiébant cárcerem. Et ecce, Angelus Dñi ástitit, et lumen refúlsit in habitáculo, percussóque látere Petri, excitávit eum, dicens: Surge velóciter. Et cecidérunt caténae de mánibus ejus. Dixit autem Angelus ad eum : Praecíngere, et cálcea te cáligas tuas. Et

fecit sic. Et dixit illi : Circúmda tibi vestiméntum tuum, et séquere me.

℟. Si díligis me, Simon Petre, pasce oves meas : Dómine, tu nosti quia amo te, * Et ánimam meam pono pro te. ℣. Si oportúerit me mori tecum, non te negábo.—Et ánimam.

Lectio iii.

ET éxiens sequebátur eum, et nesciébat, quia verum est, quod fiébat per Angelum ; existimábat autem se visum vidére. Transeúntes autem primam et secúndam custódiam, venérunt ad portam férream, quae ducit ad civitátem, quae ultro apérta est eis. Et exeúntes processérunt vicum unum, et contínuo discéssit Angelus ab eo. Et Petrus ad se revérsus, dixit : Nunc scio vere, quia misit Dóminus Angelum suum, et erípuit me de manu Heródis, et de omni expectatióne plebis Judaeórum.

℟. Tu es Petrus, et super hanc petram aedificábo Ecclésiam meam, et portae ínferi non praevalébunt advérsus eam: * Et tibi dabo claves regni coelórum. ℣. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in coelis : et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in coelis. — Et tibi. Glória Patri. Et tibi.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

HEODOSIO junióre imperánte, cum Eudócia ejus uxor Jerosólymam, solvéndi voti causa, venísset, ibi multis est affécta munéribus : prae caeteris insígne donum accépit férreae caténae, auro gemmísque ornátae : quam illam esse affirmábant, qua Petrus Apóstolus ab Heróde vinctus fúerat. Eudócia caténam pie veneráta, eam póstea Romam ad fíliam Eudóxiam misit, quae illam Pontífici máximo détulit : isque vicíssim illi monstrávit álteram caténam : qua, Neróne imperatóre, idem Apóstolus constrictus fúerat.

℟. Dómine, si tu es, jube me veníre ad te super aquas. * Et exténdens manum apprehéndit eum, et dixit Jesus : Módicae fídei, quare dubitásti ? ℣. Cumque vidísset ventum válidum veniéntem, tímuit : et cum coepísset mergi, clamávit, dicens: Dñe, salvum me fac.—Et exténdens.

Lectio v.

CUM ígitur Póntifex Románam caténam cum ea, quae Jerosólymis allata fúerat, contulísset, factum est, ut illae inter se

sic connecteréntur, ut non duae, sed una caténa ab eódem artífice confécta esse viderétur. Quo miráculo tantus honor sacris illis vínculis habéri coepit, ut propterea hoc nómine sancti Petri ad Víncula ecclésia, título Eudóxiae, dedicáta sit in Exquíliis, ejúsque memóriae dies festus institútus Kaléndis Augústi.

℟. Surge, Petre, et índue te vestiméntis tuis, áccipe fortitúdinem ad salvándas gentes: * Quia cecidérunt caténae de mánibus tuis. ℣. Angelus Dómini ástitit, et lumen refúlsit in habitáculo cárceris; percussóque látere Petri, excitávit eum, dicens: Surge velóciter. — Quia cecidérunt.

Lectio vi.

QUO ex témpore hónos, qui eo die profánis Gentílium celebritátibus tríbui sólitus erat, Petri vínculis habéri coepit: quae tacta aegros sanábant, et daemones ejiciébant. Quo in género anno salútis humánae nongentésimo sexagesimonóno áccidit, ut quidam comes, Othónis imperatóris familiáris, occupátus ab immúndo spíritu, seípsum déntibus dilaniáret. Quare is, jussu imperatóris, ad Joánnem Pontíficem dúcitur, qui, ut sacra caténa cómitis collum áttigit, erúmpens nefárius spíritus hóminem líberum relíquit: ac deínceps in Urbe sanctórum vinculórum relígio propagáta est.

℟. Tu es pastor óvium, princeps Apostolórum: tibi trádidit Deus ómnia regna mundi: * Et ídeo tibi tráditae sunt claves regni coelórum. ℣. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in coelis: et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in coelis. — Et ídeo. Glória Patri. Et ídeo

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xvi. *b.*

IN illo témpore: Venit Jesus in partes Caesaréae Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Ex xxix. *serm. de Sanctis, in medio.*

SOLUS Petrus inter Apóstolos méruit audíre: Amen dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificábo Ecclésiam meam. Dignus certe, qui aedificándis in domo Dei pópulis lapis esset ad fundaméntum, colúmna ad sustentáculum, clavis ad

regnum. De hoc ait sermo divínus : Et ponébant, inquit, infírmos suos, ut umbra saltem transeúntis Petri obumbráret eos. Si tunc opem ferre póterat umbra córporis, quanto magis nunc plenitúdo virtútis? si tunc supplicántibus próderat aura quaedam pertranseúntis, quanto magis grátia nunc permanéntis? Mérito per omnes Christi Ecclésias auro pretiósius habétur ferrum illud poenálium vinculórum.

℟. Ego pro te rogávi, Petre, ut non defíciat fides tua : * Et tu aliquándo convérsus confírma fratres tuos. ℣. Caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui est in coelis.— Et tu.

Lectio viii.

Si tam medicábilis fuit obumbrátio visitántis, quanto magis caténa vinciéntis? Si inánis quaedam spécies vácuae imáginis habére pótuit in se vim salútis, quanto plus de córpore meruérunt attráhere salubritátis férreo póndere sacris impréssa membris víncula passiónis? Si ad praesídia supplicántiũ tam potens fuit ante martyrium, quanto magis éfficax post triúmphum? Felíces illi nexus, qui de mánicis et compédibus in corónam mutándi, Apóstolum contingéntes mártyrem reddidérunt. Felícia víncula, quae reum suum usque ad Christi crucem non tam condemnatúra, quam consecratúra miserunt.

℟. Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? dixit Jesus discípulis suis. Respóndens Petrus, dixit : Tu es Christus Fílius Dei vivi. * Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificábo Ecclésiam meam. ℣. Beátus es, Simon Bar-Jóna, quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui est in coelis.—Et ego dico. Glória Patri. Et ego dico.

Pro sanctis Machabaeis, nisi veniant in Dominica.

Sermo sancti Gregórii Nazianzéni.
Orat. xx. *in Machabaeos.*

Lectio ix.

QUIDNAM Machabaei? Horum enim nómine dies festus praesénti frequéntia celebrátur. Qui etsi apud multos non sunt in honóre, quod illud certámen post Christum non suscepérunt : tamen digni sunt qui ab ómnibus honoréntur, quia pro pátriis légibus et institútis fortes constantésque se praebuérunt. Nam qui martyrium

subiére ante Christi passiónem, quid factúri erant, si post Christum persecutióně passi fuíssent, ejúsque mortem nostrae salútis causa susceptam, ad imitándum propósitam habuíssent? Quorum enim, nullo propósito exémplo, talis tántaque virtus fuit, an non ii exémplum illud intuéntes, fórtius in certámen descendíssent? Quin étiam mystica quaedam et occúlta rátio mihi quidem, atque ómnibus Dei amatóribus valde probábilis est, néminem eórum, qui ante Christi advéntum martyrio consummáti sunt, id sine fide in Christum cónsequi potuísse.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Heródes rex * appósuit ut apprehénderet et Petrum: quem cum apprehendísset, misit in cárcerem, volens post Pascha produ̇cere eum pópulo. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Petrus quidem * servabátur in cárcere; orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo.

3. Dixit Angelus * ad Petrum: Circúmda tibi vestiméntum tuum, et séquere me.

4. Misit Dñus Angelum suum, et liberávit me de manu Heródis, alleluia.

5. Tu es Petrus, * et super hanc petram aedificábo Ecclésiam meam.

Capitulum. *Act.* xii.

QUISIT Heródes rex manus, ut afflígeret quosdam de Ecclésia. Occídit autem Jacóbum fratrem Joánnis gládio. Videns autem quia placéret Judaeis, appósuit ut apprehénderet et Petrum.

Hymnus.

BEATE Pastor Petre, clemens áccipe
Voces precántum, crimi-
númque víncula
Verbo resólve, cui potéstas
trádita
Aperíre terris coelum, apértum cláudere.
Sit Trinitáti sempitérna
glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio,
In unitáte quae gubérnat
ómnia,
Per univérsa aeternitátis
saecula. Amen.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram aedificábo Ecclésiam meam.

Ad Bened. Añae. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in coelis: et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in coelis, dicit Dóminus Simóni Petro.

Oratio.

DEUS, qui beátum Petrum Apóstolum, a vínculis absolútum, illaesum abíre fecísti : nostrórum, quaesúmus, absólve víncula peccatórum; et ómnia mala a nobis propitiátus exclúde. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Pauli, Aña. Sancte Paule Apóstole, praedicátor veritátis, et Doctor Géntium, intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit.

℣. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole. ℟. Praedicátor veritátis in univérso mundo.

Oratio.

DEUS, qui multitúdinē Géntium beáti Pauli Apóstoli praedicatióne docuísti: da nobis quaesumus; ut cujus commemoratiónem cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus.

Et sanctorum Machabaeorum. Aña. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio.

FRATERNA nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna laetíficet : quae et fídei nostrae praebeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Aña. Petrus quidem.

Capitulum. Misit Heródes, ut supra. 580.

℟. br. In omnem terram, * Exívit sonus eórum. In omnem. ℣. Et in fines orbis terrae verba eórum. Exívit. Glória Patri. In omnem.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

AD SEXTAM.

Aña. Dixit Angelus.

Capitulum. *Act.* xii.

PETRUS quidem servabátur in cárcere. Orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo.

℟. br. Constítues eos príncipes, * Super omnem terram. Constítues. ℣. Mémores erunt nóminis tui, Dómine. Super. Glória Patri. Constítues.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

AD NONAM.

Aña. Tu es Petrus.

Capitulum. *Act.* xii. *b.*

ET Petrus ad se revérsus, dixit : Nunc scio vere quia misit Dóminus

Angelum suum, et erípuit me de manu Heródis, et de omni expectatióne plebis Judaeórum.

℟. br. Nimis honoráti sunt, Amíci tui, Deus. Nimis. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Amíci tui. Glória Patri. Nimis honoráti.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

AD VESPERAS.

Ana. Heródes rex, cum reliquis de Laudibus. 580. Psalmi, ut in secundis Vesperis de Communi Apostolorum. xvii.

Capitulum, Hymnus et ℣. ut in primis Vesp. 574.

Ad Magníficat, Ana. Solve, jubénte Deo, terrárum, Petre, caténas, qui facis ut páteant coeléstia regna beátis.

Oratio. Deus, qui beátum Petrum. 581.

Deinde fit Commemoratio S. Pauli, ut supra; festi sequentis, ac S. Stephani, Papae et Martyris, ut infra.

DIE II. AUGUSTI.

In festo S. Alphonsi Mariae de Ligorio Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontif. Ixi. praeter ea quae hic habentur.

Ad Magníficat in utrísque Vesperis, Ana. O Doctor óptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte Alphónse María, divínae legis amátor, deprecáre pro nobis fílium Dei.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Oratio.

DEUS, qui per beátum Alphónsum Maríam, Confessórem tuum atque Pontíficem, animárum zelo succénsum, Ecclésiam tuam nova prole foecundásti: quaesumus; ut ejus salutáribus mónitis edócti, et exémplis roboráti, ad te perveníre felíciter valeámus. Per Dóminum.

Pro Commem. S. Stephani, Papae et Martyris, Ana. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Stéphani Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte laetíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dñum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones : Sapiéntiam, ut in Communi Doctorum. lxxvii.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ALPHONSUS María de Ligório, Neápoli nobílibus paréntibus natus, ab ineúnte aetáte non obscúra praebuit sanctitátis indícia. Eum adhuc infántem cum paréntes obtulíssent sancto Francísco de Hierónymo e Societáte Jesu, is bene precátus edíxit eúmdem ad nonagésimum usque annum perventúrum, ad episcopálem dignitátem evéctum iri, maximóque Ecclésiae bono futúrum. Jam tum a puerítia a ludis abhórrens, nóbiles ephébos ad christiánam modéstiam verbo et exémplo componébat. Adoléscens, dato piis sodalitátibus nómine, in públicis nosocomíis aegrótis inservíre, jugi in templis oratióni vacáre, ac sacra mystéria frequénter obíre in deliciis habébat. Pietátem litterárum stúdiis ádeo conjúnxit, ut séxdecim vix annos natus utriúsque juris láuream in pátria Universitáte fúerit assecútus. Patri obtémperans causárum patrocínia suscépit, in quo múnere obeúndo, etsi magnam sibi laudem comparásset, fori tamen percula expértus, ejúsmodi vitae institútum ultro dimísit. Spreto ígitur praecláro conjúgio sibi a patre propósito, avita primogenitúra abdicáta, et ad aram Vírginis de Mercéde ense suspénso, divínis ministériis se mancipávit. Sacérdos factus, tanto zelo írruit in vítia, ut apostólico múnere fungens, huc illuc pérvolans, ingéntes perditórum hóminum conversiónes perágeret. Páuperum praesértim, et ruricolárum miserátus, congregatiónem Presbyterórum instítuit sanctíssimi Redemptóris, qui ipsum Redemptórem secúti per agros, pagos, et castélla paupéribus evangelizárent.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.

NE autem a propósito unquam divérteret, perpétuo se voto obstrínxit, nullam témporis jactúram faciéndi. Hinc animárum zelo succénsus, tum divíni verbi praedicatióne, tum scriptis sacra eruditióne et pietáte refértis, ánimas Christo lucrifácere, et ad perfectiórem vitam addúcere stúduit. Mirum sane

quot ódia extínxerit, quot dévios ad rectum salútis iter revocáverit. Dei Genitrícis cultor exímius de illíus láudibus librum édidit, ac de iis dum ferventius concionándo dísserit, a Vírginis imágine in eum immísso miro splendóre totus fácie coruscáre, et in écstasim rapi coram univérso pópulo non semel visus est. Domínicae passiónis, et sacrae Eucharístiae contemplátor assíduus, ejus cultum mirífice propagávit. Dum vero ad ejus aram oráret, vel sacrum fáceret, quod nunquam omísit, prae amóris vehemèntia, vel seráphicis liquescébat ardóribus, vel insólitis quatiebátur mótibus, vel abstrahebátur a sénsibus. Miram vitae innocéntiam, quam nulla unquam letháli labe foedávit, pari cum poenitèntia sócians, corpus suum inédia, férreis caténulis, cilíciis, cruentáque flagellatióne castigábat. Inter haec prophetíae, scrutatiónis córdium, bilocatiónis, et miraculórum donis incláruit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus enim mea.

Lectio vi.

Ab ecclesiásticis dignitátibus sibi oblátis constantíssime abhórruit. At Clementis decimitértii Pontificis auctoritáte coáctus sanctae Agathae Gothórum Ecclésiā gubernándam suscépit. Episcopus extérnum dumtáxat hábitum, non autem sevéram vivéndi ratiónem immutávit. Eadem frugálitas, summus christiánae disciplínae zelus, impénsum in vítiis coercéndis arcendísque erróribus, et in réliquis pastorálibus munéribus obeúndis stúdium. Liberális in páuperes, omnes Ecclésiae proventus iísdem distribuébat, ac, urgénte annónae charitáte, ipsam doméstican supellectílē in aléndis famélicis erogávit. Omnibus ómnia factus, sanctimoniáles ad perfectiórem vivéndi formam redégit, suaeque congregatiónis moniálium monastérium constituéndum curávit. Episcopátu ob graves habitualésque morbos dimisso, ad alúmnos suos, a quibus pauper discésserat, revértitur pauper. Demum quamvis sénio, laboribúsque, diutúrna arthrítide, aliísque gravíssimis morbis fractus córpore, spíritu tamen alácrior de coelestibus rebus disseréndi, aut scri-

béndi finem nunquam adhíbuit, donec nonagenárius, Kaléndis Augústi, anno millésimo septingentésimo octogésimo séptimo, Nucériae Paganórum, inter suórum alumnórum lácrymas, placidíssime expirávit. Eum inde virtútibus et miráculis clarum Pius séptimus Póntifex máximus anno millésimo octingentésimo décimo sexto Beatórum fastis, novísque fulgéntem signis, Gregórius decimussextus in festo sanctíssimae Trinitátis, anno millésimo octingentésimo trigésimo nono solémni ritu Sanctórum catálogo accénsuit; tandem Pius nonus, Póntifex máximus ex Sacrórum Rituum Congregatiónis consúlto universális Ecclésiae Doctórem declarávit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* x.

IN illo témpore: Designávit Dñus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam, in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papae.

Homilia xvii. *in Evang.*

DOMINUS et Salvátor noster, fratres caríssimi, aliquándo nos sermónibus, aliquándo vero opéribus ádmonet. Ipsa étenim facta ejus, praecépta sunt: quia dum áliquid tácitus facit, quid ágere debeámus, innotéscit. Ecce enim binos in praedicatiónem discípulos mittit: quia duo sunt praecépta charitátis, Dei vidélicet amor, et próximi: et minus quam inter duos, cháritas habéri non potest. Nemo enim próprie ad semetípsum habére charitátem dícitur: sed diléctio in álterum tendit, ut cháritas esse possit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio viii.

ECCE enim binos ad praedicándum discípulos Dóminus mittit: quátenus hoc nobis tácitus ínnuat, quia qui charitátem erga álterum non habet,

praedicatiónis offícium suscípere nullátenus debet. Bene autem dícitur : Quia misit eos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Praedicatóres enim suos Dóminus séquitur : quia praedicátio praevenit, et tunc ad mentis nostrae habitáculum Dóminus venit, quando verba exhortatiónis praecúrrunt : atque per hoc véritas in mente suscípitur.

℟. In médio Ecclésiae apéruit os ejus, * et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiae et intelléctus. ℣. Jucunditátem et exultatiónem thesaurizávit super eum. — Et implévit eum. Glória Patri. Et implévit eum.

Pro S. Stephano, Papa et Martyre.

Lectio ix.

STEPHANUS Románus pontificátum gessit, Valeriáno et Gallién imperatóribus. Instítuit ut Sacerdótes et Diáconi nusquam sacris véstibus, nisi in ecclésia, uteréntur. Baptizátos ab haeréticis, íterum baptizári vétuit, rescríbens sancto Cypriáno verbis illis : Nihil innovétur, nisi quod tráditum est. Multos étiam ad Christum convértit : in iis Olympium tribúnum cum uxóre Exupéria, et fílio Theodúlo ; item Nemésium tribúnum cum tota família, óculis Lucíllae ejus fíliae restitútis : qui omnes Jesu Christi mártyres fuérunt. Sed vehemántius jam ingravescénte persecutióne imperatórum, Stéphanus, convocáto Clero, ad martyrium suos hortabátur, in cryptísque Mártyrum assídue missas et concília celebrábat. Qui cum aliquándo raptus esset ab infidélibus ad templum Martis, ut ei sacrificáret, líbere negávit, se daemónibus eum honórem velle tribúere, qui uni Deo deberétur. Quibus in verbis Martis státua terraemótu cóncidit, templúmque contrémuit. Quare ómnibus aufugiéntibus, qui Stéphanum tenébant, Póntifex ad suos revértitur in coemetérium Lucínae : quos divínis praecéptis instruens, sacraménto Córporis Christi communicávit : ibíque dum missárum solémnia pérficit, adveniéntibus íterum imperatórum satellítibus, ei in sua sede caput abscínditur. Corpus cum eádem sede conspérsa Mártyris sánguine, a Cléricis sepúltum est in coemetério Callísti, quarto Nonas Augústi. Vixit in pontificátu annos tres, menses tres, dies vigínti duos. Hábuit ordinatiónes

duas mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros sex, Diáconos quinque, Epíscopos tres.

℣. Te Deum laudámus. ℟. In Laudibus fit Comm. S. Stephani, Añe. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio ut supra. 582.

In Vesperis fit Commem. festi sequentis.

DIE III. AUGUSTI.

In Inventione S. Stephani, Protomartyris. Semidupl.

Añe. Stéphanus autem plenus grátia et fortitúdine, faciébat signa magna in pópulo.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

DA nobis, quaesumus Dómine, imitári quod cólimus, ut discámus et inimícos dilígere: quia ejus Inventiónem celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dñum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit.

AD MATUTINUM.

Invitatorium, Hymnus, Añae, Psalmi et ℣. Nocturnorum de Communi unius Martyris. xxviii.

In primo Nocturno.

De Actibus Apostolórum.

Lectio i. *Cap.* vii. *f. et* viii.

DURA cervíce, et incircumcísis córdibus et áuribus, vos semper Spirítui sancto resístitis, sicut patres vestri, ita et vos. Quem Prophetárum non sunt persecúti patres vestri? Et occidérunt eos, qui praenuntiábant de advéntu Justi, cujus vos nunc proditóres et homicídae fuístis: qui accepístis legem in dispositióne Angelórum, et non custodístis. Audiéntes autem haec, dissecabántur córdibus suis et stridébant déntibus in eum.

℟. Stéphanus autem plenus grátia et fortitúdine, * Faciébat prodígia et signa magna in pópulo. ℣. Surrexérunt quidam de synagóga, disputántes cum Stéphano, et non póterant resístere sapiéntiae, et spirítui, qui loquebátur. — Faciébat.

Lectio ii.

CUM autem esset plenus Spíritu sancto, inténdens in coelum, vidit glóriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei. Et ait: Ecce vídeo coelos apértos, et Fílium hóminis stantem

a dextris Dei. Exclamántes autem voce magna, continuérunt aures suas, et ímpetum fecérunt unanímiter in eum. Et ejiciéntes eum extra civitátem lapidábant: et testes deposuérunt vestiménta sua secus pedes adolescéntis, qui vocabátur Saulus. Et lapidábant Stéphanum invocántem, et dicéntem : Dómine Jesu, súscipe spíritum meum.

℟. Vidébant omnes Stéphanum, qui erant in concílio:* Et intuebántur vultum ejus tamquam vultum Angeli stantis inter illos. ℣. Plenus grátia et fortitúdine, faciébat prodígia et signa magna in pópulo.—Et.

Lectio iii.

POSITIS autem génibus, clamávit voce magna, dicens : Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cum hoc dixísset, obdormívit in Dño. Saulus autem erat conséntiens neci ejus. Facta est autem in illa die persecútio magna in Ecclésia, quae erat Jerosólymis : et omnes dispérsi sunt per regiónes Judaeae et Samaríae, praeter Apóstolos. Curavérunt autem Stéphanum viri timoráti, et fecérunt planctum magnum super eum.

℟. Intuens in coelum beátus Stéphanus, vidit glóriam Dei, et ait : * Ecce vídeo coelos apértos, et Fílium hóminis stantem a dextris virtútis Dei. ℣. Cum autem esset Stéphanus plenus Spíritu sancto, inténdens in coelum vidit glóriam Dei, et ait.—Ecce. Glória Patri. Ecce.

In secundo Nocturno.

Lectio iv

SANCTORUM córpora, Stéphani Protomártyris, Gamaliélis, Nicodémi, et Abibónis, quae diu in obscúro ac sórdido loco jacúerant, Honório imperatóre, Luciáno Presbytero divínitus admónito, invénta sunt prope Jerosólymam. Cui Gamáliel cum in somnis apparuísset, gravi quadam et praeclára senis spécie, locum jacéntium córporum commonstrávit, ímperans, ut Joánnem Jerosolymitánum Antístitem adíret, agerétque cum eo, ut honéstius illa córpora sepeliréntur.

℟. Lapidábant Stéphanum invocántem et dicéntem : * Dñe Jesu Christe, áccipe spíritum meum : et ne státuas illis hoc peccátum. ℣. Pósitis autem génibus clamávit voce magna, dicens.—Dómine.

Lectio v.

QUIBUS audítis Jerosolymórum Antístes, finitímarum úrbium Epí-

scopis Presbyterísque convocátis, ad locum pergit : defóssos lóculos invenit, únde suavíssimus odor efflabátur. Cujus rei fama commóta magna hóminum multitúdo eo convénit, multíque ex váriis morbis aegróti ac débiles, sani et íntegri domum redíerunt. Sacrum autem sancti Stéphani corpus, quod summa tunc celebritáte in sanctam ecclésiam Sion illátum est, sub Theodósio junióre Constantinópolim, inde Romam, Peláqio primo summo Pontífice, translátum, in agro Veráno in sepúlchro sancti Lauréntii Mártyris collocátum est.

℟. Impetum fecérunt unanímiter in eum, et ejecérunt eum extra civitátem, invocántem et dicéntem : * Dñe Jesu, áccipe spíritum meum. ℣. Et testes deposuérunt vestiménta sua secus pedes adolescéntis, qui vocabátur Saulus : et lapidábant Stéphanum invocántem et dicéntem. —Dñe.

Ex libro S. Augustíni Epíscopi de Civitáte Dei. *Lib.* 22. *cap.* viii. *circa med.*

Lectio vi.

AD aquas Tibilitánas Epíscopo afferénte Projécto relíquias Mártyris gloriosíssimi Stéphani, ad ejus memóriam veniébat magnae multitúdinis concúrsus et occúrsus. Ibi caeca múlier, ut ad Epíscopum portántem pignora sacra ducerétur, orávit : flores, quos ferébat, dedit : recépit, óculis admóvit, prótinus vidit. Stupéntibus qui áderant, praeíbat exúltans, viam carpens, et viae ducem ultérius non requírens. Memoráti memória Mártyris, quae pósita est in castéllo Synicénsi, quod Hipponénsi colóniae vicínum est, ejúsdem loci Lucíllus Epíscopus, pópulo praecedénte atque sequénte, portábat : fístula, cujus moléstia jámdiu laboráverat, et familiaríssimi sui médici, qui eam secáret, opperiebátur manus, illíus piae sárcinae vectatióne, repénte sanáta est.

℟. Impii super justum jactúram fecérunt, ut eum morti tráderent : * At ille gaudens suscépit lápides, ut mererétur accípere corónam glóriae. ℣. Continuérunt aures suas, et ímpetum fecérunt unanímiter in eum. — At ille. Glória Patri. At ille.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xxiii. *d.*

IN illo témpore : Dicébat Jesus Scribis et Pharisaeis : Ecce ego mitto ad vos Prophétas, et sapiéntes, et Scribas : et ex

illis occidétis, et crucifigétis. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 4. *Comm. in cap.* xxiii. *Matthaei.*

HOC quod ántea dixerámus : Impléte mensúram patrum vestrórũ, ad persónam Dómini pertinére, eo quod occidéndus esset ab eis, potest et ad discípulos ejus referri, de quibus nunc dicit : Ecce ego mitto ad vos prophétas, et sapiéntes, et scribas. Simúlque obsérva, juxta Apóstolum scribéntem ad Corínthios, vária esse dona discipulórum Christi : álios prophétas, qui ventúra praedícent : álios sapiéntes qui novérunt quando débeant proférre sermónem : álios scribas in lege doctíssimos, ex quibus lapidátus est Stéphanus, Paulus occísus, crucifíxus Petrus, flagelláti in Actibus Apostolórum discípuli.

℟. Stéphanus, servus Dei, quem lapidábant Judaei, vidit coelos apértos : vidit et introívit : * Beátus homo, cui coeli patébant. ℣. Cum ígitur saxórum crepitántium túrbine quaterétur, inter aethéreos aulae coeléstis sinus divína ei cláritas fulsit.—Beátus homo.

Lectio viii.

QUAERIMUS, quis iste sit Zacharías fílius Barachíae : quia multos légimus Zacharías. Et ne líbera nobis tribuerétur erróris facúltas, ádditum est : Quem occidístis inter templum et altáre. In divérsis divérsa legi: et débeo singulórum opiniónes pónere. Alii Zacharíam fílium Barachíae dicunt, qui in duódecim Prophétis undécimus est, patrísque in eo nomen conséntit ; sed ubi occísus sit inter templum et altáre, Scriptúra non lóquitur: máxime cum tempóribus ejus vix ruínae templi fúerint. Alii Zacharíam patrem Joánnis intélligi volunt, ex quibúsdam apocryphórum sómniis approbántes, quod proptérea occísus sit, quia Salvatóris praedicáverit advéntum.

℟. Patefáctae sunt jánuae coeli Christi Mártyri beáto Stéphano, qui in número Mártyrum invéntus est primus: * Et ídeo triúmphat in coelis coronátus. ℣. Mortem enim, quam Salvátor noster dignátus est pro nobis pati, hanc ille primus réddidit Salvatóri.—Et ídeo. Glória Patri. Et ídeo.

Lectio ix.

ALII istum volunt esse Zacharíam, qui occísus est a Joas rege Judae

inter templum et altáre, sicut Regum narrat história. Sed observándum, quod ille Zacharías non sit fílius Barachíae, sed fílius Jójadae sacerdótis : unde et Scriptúra refert: Nòn fuit recordátus Joas patris ejus Jójadae quia sibi fecísset bona. Cum ergo et Zachariam teneámus, et occisiónis conséntiat locus, quaerimus, quare Barachíae dicátur fílius, et non Jójadae ? Barachías lingua nostra Benedíctus Dómini dícitur, et sacerdótis Jójadae justítia Hebraeo nómine demonstrátur. In Evangélio, quo utúntur Nazaréni, pro fílio Barachíae, fílium Jójadae reperímus scriptum.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Lápidavérunt Stéphanum, * et ipse invocábat Dñum, dicens : Ne státuas illis hoc peccátum. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Lápides torréntis * illi dulces fuérunt : ipsum sequúntur omnes ánimae justae.

3. Adhaesit ánima mea * post te, quia caro mea lapidáta est pro te, Deus meus.

4. Stéphanus vidit * coelos apértos, vidit et introívit : beátus homo, cui coeli patébant.

5. Ecce vídeo * coelos apértos, et Jesum stantem a dextris virtútis Dei.

Capitulum. *Act.* vi. *b.*

STEPHANUS autem plenus grátia et fortitúdine, faciébat prodígia, et signa magna in pópulo.

Hymnus. Invícte Martyr. xxxviii.

℣. Sepeliérunt Stéphanum viri timoráti. ℟. Et fecérunt planctum magnum super eum.

Ad Bened. Aña. Stéphanus autem * plenus grátia et fortitúdine, faciébat signa magna in pópulo.

Oratio.

DA nobis, quaesumus Dñe, imitári quod cólimus, ut discámus et inimícos dilígere : quia ejus Inventiónem celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum.

AD TERTIAM.

Aña. Lápides torréntis.

Capitulum. Stéphanus autem, ut supra.

℟. br. Glória et honóre, * Coronásti eum, Dómine. Glória et honóre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

AD SEXTAM.

Ańa. Adhaesit ánima mea.

Capitulum. *Act.* vi. *c.*

SURREXERUNT autem quidam de synagóga, quae appellátur Libertinórum, et Cyrenénsium, et Alexandrinórum, et eórum qui erant a Cilícia, et Asia, disputántes cum Stéphano : et non póterant resístere sapiéntiae, et spirítui, qui loquebátur.

℟. br. Posuísti, Dñe, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória Patri. Posuísti. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM.

Ańa. Ecce vídeo.

Capitulum. *Act.* vii. *g.*

POSITIS autem génibus, clamávit voce magna, dicens : Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cum hoc dixísset, obdormívit in Dómino.

℟. br. Magna est glória ejus, * In salutári tuo. Magna. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In salutári. Glória Patri. Magna est.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Vesperae de sequenti.

DIE IV. AUGUSTI.

In festo
S. Dominici, Confessoris.
Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. exceptis his quae hic habentur.

In Hymno Vesperarum et Matutini mutatur tertius versus.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici Confessóris tui illumináre dignátus es méritis et doctrínis : concéde ; ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat increméntis. Per Dñum.

Deinde fit Commemorat. S. Stephani, Ańa. Sepeliérunt Stéphanum viri timoráti, et fecérunt planctum magnum super eum.

℣. Stéphanus vidit coelos apértos. ℟. Vidit et intro-ívit : beátus homo, cui coeli patébant.

Oratio. Da nobis, quaesumus, ut supra. 591.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

DOMINICUS, Calarógae in Hispánia ex nóbili Gusmanórum família natus, Paléntiae

liberálibus disciplínis et theológiae óperam dedit : quo in stúdio cum plúrimum profecísset, prius Oxoménsis Ecclésiae Canónicus reguláris, deínde órdinis fratrum Praedicatórum auctor fuit. Hujus mater grávida sibi visa est in quiéte continére in alvo cátulum ore praeferéntem facem, qua éditus in lucem, orbem terrárum incénderet. Quo sómnio significabátur, fore ut splendóre sanctitátis ac doctrínae, gentes ad christiánam pietátem inflammaréntur. Veritátem éxitus comprobávit : id enim et praestitit per se, et per sui órdinis sócios deínceps est consecútus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio v.

HUJUS autem ingénium ac virtus máxime enítuit in everténdis haeréticis, qui perniciósis erróribus Tolosátes pervértere conabántur. Quo in negótio septem consúmpsit annos. Póstea Romam venit ad Lateranénse concílium cum Epíscopo Tolosáno, ut ordo, quem instítuerat, ab Innocéntio tértio confirmarétur. Quae res dum in deliberatióne versátur, Domínicus hortátu Pontíficis ad suos revértitur, ut sibi régulam delígeret. Romam rédiens, ab Honório tértio, qui próximus Innocéntio succésserat, confirmatiónem órdinis Praedicatórum ímpetrat. Romae autem duo instítuit monastéria, álterum virórum, mulíerum álterum. Tres étiam mórtuos ad vitam revocávit, múltaqueália édidit mirácula, quibus ordo Praedicatórum mirífice propagári coepit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vi.

UERUM cum ejus ópera ubíque terrárum monastéria jam aedificaréntur, innumerabilésque hómines religiósam ac piam vitam instítuerent, Bonóniae anno Christi ducentésimo vigésimo primo supra millésimum, in febrem incidit, ex qua cum se moritúrum intellígeret, convocátis frátribus et alúmnis suae disciplínae, eos ad innocéntiam et integritátem cohortátus est. Postrémo charitátem, humilitátem, paupertátem,

tamquam certum patrimónium eis testaménto relíquit: Fratribúsque orántibus, in illis verbis: Subveníte, Sancti Dei, occúrrite Angeli, obdormívit in Dómino, octávo Idus Augústi: quem póstea Gregórius nonus Póntifex rétulit in Sanctórum número.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evang. **Sint lumbi vestri praecincti,** de Commun Confess. non Pontif. **xcii.**

Vesperae de sequenti cum Commem. S. Dominici.

DIE V. AUGUSTI.

In festo S. Mariae ad Nives. Duplex.

Omnia ut in festis Beatae M. V. **clviii.** praeter sequentia.

Pro Commem. S. Dominici, Añ. **Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias coelo cóndidit ore, manu.**

℣. **Justum dedúxit Dñus per vias rectas.** ℟. **Et osténdit illi regnum Dei.**

Oratio. Deus, qui Eccléslam, ut supra. 592.

In secundo Nocturno

Lectio iv.

IBERIO summo Pontífice, Joánnes patrícius Románus, et uxor pari nobilitáte, cum líberos non suscepíssent, quos bonórum haeredes relínquerent, suam haereditátem sanctíssimae Vírgini Dei Matri vovérunt, ab ea summis précibus assídue peténtes, ut in quod pium opus eam pecúniam potíssimum erogári vellet, áliquo modo significáret. Quorum preces et vota ex ánimo facta, beáta Virgo María benígne áudiens, miráculo comprobávit.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta,* Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatizans.—Dedi.

Lectio v.

NONIS ígitur Augústi, quo témpore in Urbe máxime calóres esse solent, noctu nix partem collis Exquilíni contéxit. Qua nocte Dei Mater separátim Joánnem et cónjugem in somnis admónuit, ut quem locum nive conspérsum vidérent, in eo ecclésiã aedificárent, quae Maríae Vírginis nómine dedicarétur: se enim ita

velle ab ipsis haerédem instítui. Quod Joánnes ad Libérium Pontíficem détulit, qui idem per sómnium sibi contigísse affirmávit.

℟. Quae est ista, quae procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliae Sion, et beátam dixérunt, et regínae laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília conválliũ.—Vidérunt.

Lectio vi.

QUARE solémni sacerdótum et pópuli supplicatióne ad collem venit nive coopértum, et in eo locum ecclésiae designávit, quae Joánnis et uxóris pecúnia extrúcta est, póstea a Xysto tértio restitúta. Váriis nomínibus primum est appellâta: Basílica Libérii, Sancta María ad Praesépe. Sed cum multae jam essent in Urbe ecclésiae sub nómine sanctae Maríae Vírginis, ut quae basílica novitáte miráculi ac dignitáte caeteris ejúsdem nóminis basílicis praestáret, vocábuli étiam excelléntia significarétur, ecclésia sanctae Maríae Majóris dicta est. Cujus dedicatiónis memória ex nive, quae hac die mirabíliter cécidit, anniversária celebritáte cólitur.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliae Sion, beatíssimã praedicavérunt, dicéntes: * Unguéntũ effúsum nomen tuum. ℣. Astítit regina a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. — Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum

In tertio Nocturno, Homilia venerabilis Bedae Presbyteri in Evangelium: Loquénte Jesu. clxix.

Vesperae de sequenti cum Comm. praec. et SS. Xysti et sociorum Mart.

DIE VI. AUGUSTI.

In festo Transfigurationis D. N. J. C. Duplex.

AD VESPERAS.

Ana. Assúmpsit Jesus, cum reliquis de Laudibus. Psalmus. Dixit Dñus, cum reliquis de Dominica. 133. et loco ultimi Psalmi. Laudáte Dñum omnes Gentes. 137.

Capitulum. *Philip.* iii. *d.*

SALVATOREM expectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostrae, configurátum córpori claritátis suae.

Hymnus.

QUICUMQUE Christum quaeritis,
Oculos in altum tóllite:
Illic licébit vísere
Signum perénnis glóriae.

Illústre quiddam cérnimus,
Quod nésciat finem pati,
Sublíme, celsum, intérminũ,
Antíquius coelo et chao.

Hic ille Rex est Géntium,
Populíque Rex Judáici,
Promíssus Abrahae patri,
Ejúsque in aevum sémini.

Hunc et Prophétis téstibus,
Iisdémque signatóribus,
Testátor et Pater jubet
Audíre nos et crédere.

Jesu, tibi sit glória,
Qui te revélas párvulis,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

Sic terminantur Hymni per omnes Horas.

℣. Gloriósus apparuísti in conspéctu Dómini. ℟. Proptérea decórem índuit te Dóminus.

Ad Magníficat. Ańa. Christus Jesus, splendor Patris, et figúra substántiae ejus, portans ómnia verbo virtútis suae, purgatiónem peccatórum fáciens, in monte excélso gloriósus apparére hódie dignátus est.

Oratio.

DEUS, qui fídei sacraménta in Unigéniti tui gloriósa Transfiguratióne, patrum testimónio roborásti, et adoptiónem filiórum perfectam, voce delápsa in nube lúcida, mirabíliter praesignásti : concéde propítius; ut ipsíus Regis glóriae nos cohaerédes effícias, et ejúsdem glóriae tríbuas esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

Pro Commem. S. Mariae ad Nives, Ańa. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancillam húmilem respéxit Deus.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Oratio. Concéde nos fámulos. clx.

Deinde fit Commemoratio SS. Xysti, Felicíssimi, et Agapíti Martyrum, Ańa. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Xysti, Felicíssimi, et Agapíti natalítia cólere : da nobis in aetérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Summum Regem glóriae, * Christum adorémus. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus. Quicúmque, ut supra in Vesperis. 595.

In primo Nocturno.

Ańa. Paulo minus ab Angelis minorátus, glória et honóre coronátus est, et constitútus super ópera mánuum Dei.

Psalmus viii.

DOMINE Dñus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super coelos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam et stellas, quae tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas: ínsuper et pécora campi.

Vólucres coeli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dñe Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ańa. Paulo minus ab Angelis minorátus, glória et honóre coronátus est, et constitútus super ópera mánuum Dei.

Ańa. Revelávit Dóminus condénsa: et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Psalmus xxviii.

AFFERTE Dómino, fílii Dei: * afférte Dómino fílios aríetum.

Afférte Dómino glóriam et honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas, Deus majestátis intónuit: * Dñus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte: * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros: * et confrínget Dóminus cedros Líbani:

Et commínuet eas tamquam vítulum Líbani: * et diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis: * vox Dómini concutiéntis desértum: et commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini praeparántis cervos, et revelábit condénsa: * et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit: *et sedébit Dóminus Rex in aetérnum.

Dñus virtútem pópulo suo dabit: * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Ańa. Revelávit Dóminus condénsa: et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Ańa. Speciósus forma prae fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis.

Psalmus xliv.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribae, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma prae fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis: * propterea benedíxit te Deus in aetérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum,* potentíssime.

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna.

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttae tuae acútae, pópuli sub te cadent,* in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi:* virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * propterea unxit te Deus Deus tuus óleo laetítiae prae consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te fíliae regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deaurato: * circúmdata varietáte.

Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam: * et oblíviscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dñus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliae Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur: omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliae Regis ab intus,* in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam: * próximae ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in laetítia et exultatióne: * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in aetérnum: * et in saeculum saeculi.

Ant. Speciósus forma prae fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℣. Glorióſus apparuísti in conſpéctu Dómini. ℟. Propterea decórem índuit te Dóminus.

Pater noster. Absolutio. Exáudi, Dómine. ℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Benedictióne perpétua.

De Epístola secúnda beáti Petri Apóstoli.

Lectio i. *Cap.* i. *b.*

FRATRES, magis sátagite, ut per bona ópera certam vestram vocatiónem et electiónem faciátis : haec enim faciéntes, non peccábitis aliquándo. Sic enim abundánter ministrábitur vobis introítus in aetérnum regnum Dómini nostri et Salvatóris Jesu Christi. Propter quod incípiam vos semper commonére de his ; et quidem sciéntes et confirmátos vos in praesénti veritáte. Justum autem árbitror, quámdiu sum in hoc tabernáculo, suscitáre vos in commonitióne : certus quod velox est depositio tabernáculi mei, secúndum quod et Dóminus noster Jesus Christus significávit mihi.

℟. Surge, illumináre, Jerúsalem, quia venit lumen tuum : * Et glória Dómini super te orta est. ℣. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui.—Et glória. Benedictio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ii.

DABO autem óperam et frequénter habére vos post óbitum meum, ut horum memóriam faciátis. Non enim doctas fábulas secúti, notam fécimus vobis Dómini nostri Jesu Christi virtútem et praeséntiam : sed speculatóres facti illíus magnitúdinis. Accípiens enim a Deo Patre honórem et glóriam, voce delápsa ad eum hujuscémodi a magnífica glória : Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi complácui : ipsum audíte.

℟. In splendénti nube Spíritus sanctus visus est, Patérna vox audíta est : * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui : ipsum audíte. ℣. Appáruit nubes obúmbrans, et vox Patris intónuit.—Hic est. Bened. Spíritus sancti grátia.

Lectio iii.

ET hanc vocem nos audívimus de coelo allátam, cum essémus cum ipso in monte sancto. Et habémus firmiórem prophéticum sermónem, cui bene fácitis attendéntes, quasi lucérnae lucénti in caliginóso loco, donec dies elu-

céscat, et lúcifer oriátur in córdibus vestris : hoc primum intelligéntes, quod omnis prophetía Scriptúrae própria interpretatióne non fit. Non enim voluntáte humána allata est aliquándo prophetía : sed Spíritu sancto inspiráti, locúti sunt sancti Dei hómines.

℟. Vidéte qualem charitátem dedit nobis Deus Pater,* Ut fílii Dei nominémur, et simus. ℣. Scimus quóniam cum apparúerit, símiles ei érimus, quóniam vidébimus eum sícuti est.— Ut fílii. Glória Patri. Ut fílii.

In secundo Nocturno.

Ańa. Illúminans tu mirabíliter a móntibus aetérnis : turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Psalmus lxxv.

NOTUS in Judaea Deus : * in Israël magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus : * et habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, et bellum.

Illúminans tu mirabíliter a móntibus aetérnis : * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum : * et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, et quis resístet tibi? * ex tunc ira tua.

De coelo audítum fecísti judícium : * terra trémuit et quiévit,

Cum exúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terrae.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi: * et relíquiae cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, et réddite Dño Deo vestro : * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera.

Terríbili et ei qui aufert spíritum príncipum, * terríbili apud reges terrae.

Ańa. Illúminans tu mirabíliter a móntibus aetérnis : turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Ańa. Mélior est dies una in átriis tuis super míllia.

Psalmus lxxxiii.

QUAM dilécta tabernácula tua, Dñe virtútum: * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum : * rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dñe: * in saecula saeculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dñe Deus virtútum, exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus: * et réspice in fáciem Christi tui:

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei: * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam et veritátem díligit Deus: * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia: * Dñe virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Ańa. Mélior est dies una in átriis tuis super míllia.

Ańa. Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.

Psalmus lxxxvi.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis: * díligit Dñus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenae, et Tyrus, et pópulus Æthiopū, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea: * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum: * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut laetántium ómnium * habitátio est in te.

Ańa. Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Pater noster. Absolutio. Ipsíus píetas. ℣ Jube, domne. Benedictio. Deus Pater omnípotens.

Sermo sancti Leónis Papae.

Sermone de Transfiguratione, ante medium.

Lectio iv.

PERIT Dóminus coram eléctis téstibus glóriam suam, et commúnem illam cum caeteris córporis formam tanto splendóre clarificat, ut et fácies ejus solis fulgóri símilis, et vestítus candóri nívium esset aequális. In qua transfiguratióne illud quidem

principáliter agebátur, ut de córdibus discipulórum crucis scándalum tolleréture, nec conturbáret eórum fidem voluntáriae humílitas passiónis, quibus revelata esset absconditae excellentia dignitátis. Sed non minóre providéntia spes sanctae Ecclésiae fundabátur, ut totum Christi corpus agnósceret, quali esset commutatióne donándum, ut ejus sibi honóris consórtium membra promítterent, qui in cápite praefulsísset.

℟. Inebriáti sunt ab ubertáte domus tuae : * Et torrénte voluptátis tuae potásti eos. ℣. Quóniam apud te est fons vitae, et in lúmine tuo vidébimus lumen.—Et torrénte. Bened. Christus perpétuae.

Lectio v.

CONFIRMANDIS vero Apóstolis, et ad omnem sciéntiam provehéndis,ália quoque in illo miráculo accéssit instrúctio. Móyses enim et Elías, Lex scílicet et Prophétae, apparuérunt cum Dómino loquéntes : ut veríssime in illa quinque virórum praeséntia complerétur quod dictum est : In duóbus vel tribus téstibus stat omne verbum. Quid hoc stabílius, quid fírmius verbo, in cujus praedicatióne véteris et novi Testaménti cóncinit tuba, et cum evangélica doctrína antiquárum protestatiónum instrumenta concúrrunt ? Adstipulántur enim sibi ínvicem utriúsque foederis páginae, et quem sub velámine mysteriórum praecedéntia signa promíserant, maniféstum atque perspícuum praeséntis glóriae splendor osténdit.

℟. Praecéptor, bonum est nos hic esse: * Faciámus hic tria tabernácula ; tibi unum, Móysi unum, et Elíae unum. ℣. Non enim sciébat quid díceret.—Faciámus. Benedictio. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

HIS ergo sacramentórũ revelatiónibus Petrus Apóstolus incitátus, mundána spernens, et terréna fastídiens, in aeternórum desidérium quodam mentis rapiebátur excéssu : et gáudio totíus visiónis implétus, ibi cum Jesu optábat habitáre, ubi manifésta ejus glória laetabátur. Unde et ait : Dómine, bonum est nos hic esse; si vis, faciámus hic tria tabernácula, tibi unum, Móysi unum, et Elíae unum. Sed huic suggestióni Dóminus non respóndit, significans, non quidem ímprobum, sed inordinátum esse quod cúperet, cum salvári mundus, nisi Christi morte, non pos-

set : et exémplo ómini in hoc vocarétur credéntium fides, ut licet non oportéret de beatitúdinis promissiónibus dubitári, intelligerémus tamen inter tentatiónes hujus vitae prius nobis tolerántiam postulándam esse, quam glóriam.

℣. Si ministrátio mortis, lítteris deformáta in lapídibus, fuit in glória, ita ut non possent intèndere fílii Israël in fáciem Móysi propter glóriam vultus ejus, quae evacuátur : * Multo magis ministrátio spíritus, quae manet, erit in glória. ℣. Amplióris enim glóriae Christus prae Móyse dignus est hábitus, quanto ampliórem honórem habet domo, qui fabricávit eam.—Multo magis. Glória Patri. Multo magis.

In tertio Nocturno.

Ant. Thabor et Hermon in nómine tuo exultábunt, tuum bráchium cum poténtia.

Psalmus lxxxviii.

ISERICORDIAS Dñi, * in aetérnum cantábo. In generatiónem et generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

Quóniam dixísti : In aetérnum misericórdia aedificábitur in coelis : * praeparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testaméntum eléctis meis, jurávi David servo meo ? * usque in aetérnum praeparábo semen tuum.

Et aedificábo in generatiónem, et generatiónem * sedem tuam.

Confitebúntur coeli mirabília tua, Dómine : * étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus aequábitur Dómino : * símilis erit Deo in fíliis Dei ?

Deus, qui glorificátur in consílio sanctórum : * magnus et terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt.

Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi ? * potens es, Dómine, et véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris : * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, supérbum : * in bráchio virtútis tuae dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt coeli, et tua est terra, orbem terrae et plenitúdinem ejus tu fundásti : * aquilónem, et mare tu creásti.

Thabor et Hermon in nómine tuo exultábunt : * tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, et exaltétur déxtera tua : *

justítia et judícium praeparátio sedis tuae.

Misericórdia et véritas, praecédent fáciem tuam : * beátus pópulus, qui scit jubilatiónem.

Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt, et in nómine tuo exultábunt tota die : * et in justítia tua exaltabúntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es : * et in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra : * et sancti Israël regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, et dixísti : * Pósui adjutórium in poténte : et exaltávi eléctum de plebe mea.

Invéni David servum meum : * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei : * et bráchium meum confortábit eum.

Nihil profíciet inimícus in eo, * et fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam a fácie ipsíus inimícos ejus : * et odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea, et misericórdia mea cum ipso : * et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus : * et in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me : Pater meus es tu : * Deus meus, et suscéptor salútis meae :

Et ego primogénitum ponam illum * excélsum prae régibus terrae.

In aetérnum servábo illi misericórdiam meam : * et testaméntum meum fidéle ipsi.

Et ponam in saeculum saeculi semen ejus : * et thronum ejus sicut dies coeli.

Si autem derelíquerint fílii ejus legem meam : * et in judíciis meis non ambuláverint :

Si justítias meas profanáverint : * et mandáta mea non custodíerint :

Visitábo in virga iniquitátes eórum : * et in verbéribus peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispérgam ab eo : * neque nocébo in veritáte mea :

Neque profanábo testaméntum meum : * et quae procédunt de lábiis meis non fáciam írrita.

Semel jurávi in sancto meo, si David méntiar : * semen ejus in aetérnum manébit.

Et thronus ejus sicut sol in conspéctu meo, * et sicut luna perfécta in aetérnum : et testis in coelo fidélis.

Tu vero repulísti et despexísti : * distulísti Christum tuum.

Evertísti testaméntum servi tui : * profanásti in terra sanctuárium ejus.

Destruxísti omnes sepes ejus : * posuísti firmaméntum ejus formidinem.

Diripuérunt eum omnes transeúntes viam : * factus est oppróbrium vicínis suis.

Exaltásti déxteram deprimentium eum : * laetificásti omnes inimícos ejus.

Avertísti adjutórium gládii ejus : * et non es auxiliátus ei in bello.

Destruxísti eum ab emundatióne : * et sedem ejus in terram collisísti.

Minorásti dies témporis ejus : * perfudísti eum confusióne.

Usquequo, Dñe, avértis in finem : * exardéscet sicut ignis ira tua?

Memoráre quae mea substántia : * numquid enim vane constituísti omnes filios hóminum?

Quis est homo, qui vivet, et non vidébit mortem : * éruet ánimam suam de manu ínferi?

Ubi sunt misericórdiae tuae antiquae, Dómine, * sicut jurásti David in veritáte tua?

Memoresto, Dómine, oppróbrii servórum tuórum * (quod contínui in sinu meo) multárum Géntium.

Quod exprobravérunt inimíci tui, Dómine, * quod exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedíctus Dóminus in aetérnum : * fiat, fiat.

Añs. Thabor et Hermon in nómine tuo exultábunt, tuum bráchium eum poténtia.

Añs. Lux orta est justo, et rectis corde laetítia.

Psalmus xcvi.

DOMINUS regnávit, exúltet terra : * laeténtur ínsulae multae.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terrae : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dñi : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt coeli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et laetáta est Sion.

Et exultavérunt fíliae Judae, * propter judícia tua, Dómine :

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem

terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dñum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde laetítia.

Laetámini justi in Dómino : * et confitémini memóriae sanctificatiónis ejus.

Aña. Lux orta est justo, et rectis corde laetítia.

Aña. Confessiónem et decórem índuit, amíctus lúmine sicut vestiménto.

Psalmus ciii.

BENEDIC ánima mea Dómino : * Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.

Confessiónem, et decórem indulsti : * amíctus lúmine sicut vestiménto :

Exténdens coelum sicut pellem : * qui tegis aquis superióra ejus.

Qui ponis nubem ascénsum tuum : * qui ámbulas super pennas ventórum.

Qui facis ángelos tuos, spíritus : * et minístros tuos ignem uréntem.

Qui fundásti terram super stabilitátem suam : * non inclinábitur in saeculum saeculi.

Abyssus, sicut vestiméntum amíctus ejus : * super montes stabunt aquae.

Ab increpatióne tua fúgient : * a voce tonítrui tui formidábunt.

Ascéndunt montes : et descéndunt campi * in locum, quem fundásti eis.

Términum posuísti, quem non transgrediéntur : * neque converténtur operíre terram.

Qui emíttis fontes in convállibus : * inter médium móntium pertransíbunt aquae.

Potábunt omnes béstiae agri : * expectábunt ónagri in siti sua.

Super ea vólucres coeli habitábunt : * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis : * de fructu óperum tuórum satiábitur terra :

Prodúcens foenum juméntis, * et herbam servitúti hóminum :

Ut edúcas panem de terra : * et vinum laetíficet cor hóminis :

Ut exhílaret fáciem in óleo : * et panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi, et cedri Líbani, quas plantávit : * illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum : * montes excélsi cervis : petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora : * sol cognóvit occásum suum.

Posuísti ténebras, et facta est nox: * in ipsa pertransíbunt omnes béstiae silvae.

Cátuli leónum rugiéntes, ut rápiant, * et quaerant a Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregáti sunt: * et in cubílibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum: * et ad operatiónem suam usque ad vésperum.

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dñe! * ómnia in sapiéntia fecísti: impléta est terra possessióne tua.

Hoc mare magnum, et spatiósum mánibus: * illic reptília, quorum non est número.

Animália pusílla cum magnis: * illic naves pertransíbunt.

Draco iste, quem formásti ad illudéndum ei: * ómnia a te expéctant, ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent: * aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciem, turbabúntur: * áuferes spíritum eórum, et defícient, et in púlverem suum reverténtur.

Emíttes spíritum tuum, et creabúntur: * et renovábis fáciem terrae.

Sit glória Dómini in saeculum: * laetábitur Dóminus in opéribus suis:

Qui réspicit terram, et facit eam trémere: * qui tangit montes, et fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea: * psallam Deo meo quámdiu sum.

Jucúndum sit ei elóquium meum: * ego vero delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres a terra, et iníqui ita ut non sint: * bénedic ánima mea Dómino.

Añs. Confessiónem et decórem índuit, amíctus lúmine sicut vestiménto.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube, domne. Benedictio. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xvii.

IN illo témpore: Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum: et transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. lvii. *in Matth. in init.*

QUONIAM multa de perículis, multa de passióne sua, multa de morte, et de caede discípu-

lórum locútus est Dóminus, et áspera complúra atque árdua eis injúnxit, et illa quidem in praesénti vita, et jam imminébant; bona vero in spe et expectatióne erant: ut puta, quia servárent ánimam suam, si pérderent eam; quia in glória Patris sui ventúrus sit, et praemia redditúrus: ut visu étiam certióres fáceret, et osténderet quidnam sit illa glória, cum qua ventúrus est, quantum cápere póterant in hac praesénti vita illis osténdit, eámque détegit, ne aut sua, aut Dómini morte dóleant, et máxime Petrus.

℟. Vocávit nos Deus vocatióne sua sancta, secúndum grátiam suam, quae manifestáta est nunc,* Per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi. ℣. Qui destrúxit mortem, illumináv it autem vitam in incorruptiónem. — Per illuminatiónem. Benedictio. Divínum auxílium.

Lectio viii.

ET vide quid agit, cum de regno et de gehénna disserúerit. Nam in eo quod dixit: Qui ínvenit ánimam suam, perdet eam; et quicúmque perdet eam grátia mei, invéniet ipsam; et in eo quod ait: Reddet unicuíque secúndum ópera sua: et regnum et gehénnam designávit. Cum ígitur de utrísque disserúerit, regnum quidem ut óculis cernátur, concédit; gehénnam autem minime, quóniam rudióribus atque ineptióribus illud necessárium fuísset: sed cum illi probi essent ac perspicáces, satis fuit eos a melióribus confirmári. Hoc étiam multo magis ipsum decébat; non tamen omníno illud praetermísit, sed et aliquándo atrocitátem gehénnae quasi ante óculos propónit, véluti cum Lázari imágine descrípsit, et ejus méminit, qui denários centum repétiit.

℟. Deus, qui fecit de ténebris lumen splendéscere, illúxit in córdibus nostris:* Ad illuminatiónem sciéntiae claritátis Dei, in fácie Jesu Christi. ℣. Exórtum est in ténebris lumen rectis corde, miséricors, et miserátor, et justus.—Ad illuminatiónem. Glória Patri. Ad illuminatiónem. Benedictio. Ad societátem.

Pro SS. Martyribus Xysto, Felicissimo, et Agapito.

Lectio ix.

XYSTUS secúndus, Athenién sis, ex philósopho Christi discípulus, in persecutióne Valeriáni accusátus, quod públice Christum praedicáret, comprehénsus tráhitur in tem-

plum Martis, propósita ei capitáli poena, nisi illi simulácro sacrificáret. Qua impietáte constantíssime recusáta, cum ad martyrium ducerétur, occurrénti sancto Lauréntio, et dolénter in hunc modum interrogánti: Quo progréderis sine fílio pater? quo, Sacérdos sancte, sine minístro próperas? Respóndit: Non ego te désero, fili: majóra te manent pro Christi fide certámina: post tríduum me sequéris, Sacerdótem Levíta: intérea, si quid in thesáuris habes, paupéribus distríbue. Eódem ígitur die interféctus est una cum Felicíssimo et Agapíto Diáconis, Januário, Magno, Vincéntio et Stéphano Subdiáconis, et in coemetério Callísti sepúltus octávo Idus Augústi: caeteri vero in coemetério Praetextáti. Sedit menses úndecim, dies duódecim. Quo témpore hábuit ordinatiónem mense Decémbri, creátis Presbyteris quátuor, Diáconis septem, Epíscopis duóbus.

Te Deum laudámus. 17.

Ubi festum Transfigurationis celebratur sub ritu Duplici primae classis, vel si contigerit transferri in alium diem, in quem occurrat aliquod festum simplex non habens Lectionem propriam, tunc legitur sequens:

Lectio ix.

TU vero Matthaei philosóphiam consídera, qui non celávit nómina eórum, qui praepósiti fúerant. Quod et Joánnes saepius facit, cum exímias Petri laudes veríssime ac diligentíssime descríbat. Nullum enim in hoc Apostolórum consórtio livor, aut inánis glória locum habébat. Primos ígitur Apostolórum seórsum assúmpsit. Quamóbrem eos solos accépit? Quia excellentióres caeteris vidélicet erant. Cur autem non íllico, sed post sex dies hoc fecit? Ne caeteri scílicet discípuli seu hómines moveréntur: qua de re nec eos nominávit, quos acceptúrus erat.

AD LAUDES

et per Horas. Añae.

1. Assúmpsit Jesus * Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit eos in montem excélsum seórsum, et transfigurátus est ante eos. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Resplénduit fácies ejus * sicut sol, vestiménta autem ejus facta sunt alba sicut nix, allelúia.

3. Et ecce apparuérunt eis * Móyses et Elías, loquéntes cum Jesu.

4. Respóndens autem Petrus dixit ad Jesum: Dñe, bonum est nos hic esse.

5. Adhuc eo loquénte, * ecce nubes lúcida obumbrávit eos.

Capitulum. *Phil.* iii. *d.*

SALVATOREM expectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostrae, configurátum córpori claritátis suae.

Hymnus.

LUX alma, Jesu, méntium,
Dum corda nostra récreas,
Culpae fugas calíginem,
Et nos reples dulcédine.
Quam laetus est, quem vísitas!
Consors Patérnae déxterae,
Tu dulce lumen pátriae,
Carnis negátum sénsibus.
Splendor Patérnae glóriae,
Incomprehénsa Cháritas,
Nobis amóris cópiam
Largíre per praeséntiam.
Jesu, tibi sit glória,
Qui te revélas párvulis,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis, glóriae, et hónoris.

Ad Bened. Aña. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi complácui: ipsum audíte, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui fídei sacraménta in Unigéniti tui gloriósa Transfiguratióne, patrum testimónio roborásti, et adoptiónĕ filiórum perfectam, voce delápsa in nube lúcida, mirabíliter praesignásti: concéde propítius; ut ipsíus Regis glóriae nos cohaerédes effícias, et ejúsdem glóriae tríbuas esse consórtes. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Pro Commem. SS. Xysti, etc. Martyrum, Aña. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio.

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Xysti, Felicíssimi, et Agapíti natalítia cólere: da nobis in aetérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

AD PRIMAM.

In ℟. br. Christe Fili Dei vivi, dicitur ℣. Qui apparuísti hódie.

AD TERTIAM.

Aña. Resplénduit fácies ejus.

Capit. Salvatórem expectámus, ut supra.

℟. br. Gloriósus apparuísti in conspéctu Dñi, * Allelúia, allelúia. Gloriósus. ℣. Proptérea decórem índuit te Dóminus. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Gloriósus.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine, allelúia, ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, allelúia.

AD SEXTAM.

Ána. Et ecce apparuérunt eis.

Capitulum. 2. *Cor.* iii. *d.*

NOS omnes, reveláta fácie glóriam Dómini speculántes, in eámdem imáginem transformámur a claritáte in claritátem, tamquam a Dómini Spíritu.

℟. br. Glória et honóre coronásti eum, Dómine, * Allelúia, allelúia. Glória et honóre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Glória et honóre.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo, allelúia. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum, allelúia.

AD NONAM.

Ána. Adhuc eo loquénte.

Capitulum. *Apoc.* xxi. *c.*

SUSTULIT me in spíritu in montem magnum et altum, et osténdit mihi civitátem sanctam Jerúsalem, descendéntem de coelo a Deo, habéntem claritátem Dei : et lucérna ejus est Agnus.

℟. br. Magna est glória ejus in salutári tuo, * Allelúia, allelúia. Magna. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Magna.

℣. Coróna áurea super caput ejus, allelúia. ℟. Expréssa signo sanctitátis, glóriae, et honóris, allelúia.

IN II. VESPERIS.

Ána. Assúmpsit Jesus. ut supra in Laudibus. 609.

Psalmi, Capitulum, Hymnus, et ℣. ut in primis Vesperis. 595.

Ad Magnif. Ána. Et audiéntes discípuli cecidérunt in fáciem suam, et timuérunt valde : et accéssit Jesus, et tétigit eos, dixítque eis : Súrgite, et nolíte timére, allelúia.

Oratio. Deus, qui fídei sacraménta, ut supra. 610.

Deinde fit Commemorat. S. Cajetani, ut infra.

DIE VII. AUGUSTI.

In festo S. Cajetani, Confessoris. Duplex.

Omnia de Comm. Confessoris non Pontif. lxxxiii. exceptis his quae sequunt.

Ad Magníficat, in utrísque Vesperis, Antíphona. Quaerite primum regnum Dei et justítiam ejus, et haec ómnia adjiciéntur vobis.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Oratio.

DEUS, qui beáto Cajetáno Confessóri tuo apostólicam vivéndi formam imitári tribuísti : da nobis ejus intercessióne et exémplo in te semper confídere, et sola coeléstia desideráre. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Donati, Episcopi et Martyris, Aña. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

DEUS, tuórum glória sacerdótum: praesta quaesumus ; ut sancti Mártyris tui et Epíscopi Donáti, cujus festa gérimus, sentiámus auxílium. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CAJETANUS, nóbili Thienaea gente Vicéntiae ortus, statim a matre Deíparae Vírgini oblátus est. Mira a téneris annis morum innocéntia in eo elúxit, ádeo ut Sanctus ab ómnibus nuncuparétur. Juris utriúsque láuream Patávii adéptus, Romam proféctus est; ubi inter Praelátos a Júlio secúndo collocátus, et sacerdótio initiátus, tanto divíni amóris aestu succénsus est, ut relícta aula se totum Deo mancipáverit. Nosocomíis próprio aere fundátis, étiam morbo pestilénti laborántibus, suis ipse mánibus inserviébat. Proximórum salúti assídua cura incumbébat, dictus proptérea Venátor animárum.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit illi claritátem.

Lectio v.

COLLAPSAM Ecclesiasticórum disciplínam ad formam apostólicae vitae instauráre desíderans, órdinem Clericórum

Regulárium instítuit, qui, abdicáta rerum ómnium terrenárum sollicitúdine, nec réditus possidérent, nec vitae subsídia a fidélibus péterent, sed solis eleemósynis sponte oblátis víverent. Itaque, approbánte Cleménte séptimo, ad aram máximam basílicae Vaticánae una cum Joánne Petro Caráfa, Episcopo Theatíno, qui póstea Paulus quartus Póntifex máximus fuit, et áliis duóbus exímiae pietátis viris, vota solémnia emísit. In Urbis direptióne a milítibus crudelíssime vexátus, ut pecúniam próderet, quam dudum in coeléstes thesáuros manus páuperum deportáverant, vérbera, torménta, et cárceres invícta patiéntia sustínuit. In suscépto vitae institúto constantíssime perseverávit, soli divínae Providéntiae inhaerens, quam sibi nunquam defuísse aliquándo mirácula comprobárunt.

℟. Amávit eum Dñus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Índuit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

DIVINI cultus stúdiũ, nitórem domus Dei, sacrórum rítuum observántiam, et sanctíssimae Eucharístiae frequentiórem usum máxime promóvit. Haeresum monstra et látebras non semel detéxit, ac profligávit. Oratiónem ad octo passim horas júgibus lácrymis protrahébat : saepe in éxtasim raptus, ac prophetíae dono illústris. Romae nocte natalítia, ad Praesépe Dómini infántem Jesum accípere méruit a Deípara in ulnas suas. Corpus íntegras noctes intérdum verberatiónibus affligébat ; nec unquam addúci pótuit, ut vitae asperitátem emolliret, testátus, in cínere et cilício velle se mori. Dénique ex ánimi dolóre concépto morbo, quod offéndi plebis seditióne Deum vidéret, coelésti visióne recreátus, Neápoli migrávit in coelum : ibíque corpus ejus in ecclésia sancti Pauli magna religióne cólitur. Quem multis miráculis in vita et post mortem gloriósum Clemens décimus Póntifex máximus Sanctórum número adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiẽ meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* vi. *c.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nemo potest duóbus dóminis servíre. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 2. *de sermone Domini in monte, cap.* xiv.

NEMO potest duóbus dóminis servíre. Ad hanc ipsam intentiónē referéndum est, quod consequénter expónit, dicens : Aut enim unum ódio habébit, et álterum díliget : aut álterum patiétur, et álterum contémnet. Quae verba diligénter consideránda sunt : nam, qui sint duo dómini, defínceps osténdit, cum dicit : Non potéstis Deo servíre et mammónae. Mammóna apud Hebraeos divítiae appellári dicúntur. Cóngruit et Púnicum nomen : nam lucrum Púnice mammon dícitur. Sed qui servit mammónae, illi útique servit, qui rebus istis terrénis mérito suae perversitátis praepósitus, magistrátus hujus saeculi a Dómino dícitur. Aut enim unum ódio habébit homo, et álterum díliget, id est, Deum : aut álterum patiétur, et álterum contémnet. Patiétur enim durum et perniciósum dóminum, quisquis servit mammónae : sua enim cupiditáte implicátus súbditur diábolo, et non eum díligit. Quis enim est, qui díligat diábolum ? sed tamen pátitur.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dñum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.—Ipse.

Lectio viii.

IDEO, inquit, dico vobis, non habére sollicitúdinem ánimae vestrae quid edátis, neque córpori vestro quid induátis : ne forte, quamvis jam supérflua non quaerántur, propter ipsa necessária cor dupliciétur, et ad ipsa conquiréndа, nostra detorqueátur inténtio, cum áliquid quasi misericórditer operámur : id est, ut, cum consúlere alícui vidéri vólumus, nostrum emoluméntum ibi pótius, quam illíus utilitátem attendámus ; et ídeo nobis non videámur peccáre, quia non supérflua, sed necessária sunt, quae cónsequi vólumus.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris:

Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

Pro S. Donato, Episcopo et Martyre.

Lectio ix.

DONATUS, paréntibus propter Jesu Christi fidem interféctis, Arrétium in Etúriam cum Hilaríno mónacho ex fuga se cóntulit : cujus étiam urbis Epíscopus creátus est. Ubi cum a Quadratiáno praefécto in Juliáni persecutióne utérque idóla venerári juberétur, negántibus illis, se tam nefárium scelus commissúros, Hilarínus in óculis Quadratiáni támdiu fústibus caesus est, dum effláret ánimam : Donátus veheménter et ipse cruciátus, gládio percússus est. Quorum córpora a Christiánis prope eam urbem honorífice sepúlta sunt.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus, ad Bened. Ańa. Nolíte sollíciti esse, dicéntes : Quid manducábimus, aut quid bibémus ? Scit enim Pater vester, quid vobis necésse sit.

Et fit Commem. S. Donati, Episcopi et Martyris, Antiphona. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Deus tuórum. 612.

In secundis Vesperis fit Commemoratio sequentis festi.

DIE VIII. AUGUSTI.

In festo SS. Cyriaci, Largi et Smaragdi, Martyrum. Semiduplex.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum, xliv. praeter sequentia.

Ańa. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine agni.

℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Cyríaci, Largi, et Smarágdi solemnitáte laetíficas : concéde propítius; ut quorum natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CYRIACUS Diáconus, cum Sisínio, Largo, et Smarágdo, diútius inclúsus in cárcere, multa édidit mirácula, in quibus Arthémiam Diocletiáni fíliam précibus a daemone liberávit, missúsque ad Sáporem Persárum regem, Jóbiam étiam ejus fíliam a nefário spíritu erípuit. Rege vero ejus patre cum quadringéntis ac trigínta áliis baptizátis Romam rédiit : ubi Maximiáni imperatóris jussu comprehénsus, caténis vinctus ante rhedam suam tráhitur : et post dies quátuor e cárcere edúctus, pice liquáta perfúsus, et in catásta exténsus, demum cum Largo et Smarágdo, aliísque vigínti secúri percússus est, via Salária, ad hortos Sallustiános. Quorum córpora in eádem via décimo séptimo Kaléndas Aprílis sepúlta a Joánne Presbytero, póstea sexto Idus Augústi a Marcéllo Pontífice et Lucína nóbili foemina, líneis velis involúta, et pretiósis unguéntis condíta, in ipsíus Lucínae praedium, via Ostiénsi, séptimo ab Urbe lápide transláta sunt.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes praecéptis tuis, ut inveniréntur illaesi in aquis válidis : *Terra appáruit árida, et in mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquae, et torrénte inundavérunt.—Terra.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Sermone i. *de Mart. t.* 3.

Lectio v.

DEMO est qui nésciat, Mártyrum glórias ad hoc divíno consílio a Dei pópulis frequentári, ut et illis débitus honor dicétur, et nobis virtútis exémpla, favénte Christo, monstréntur : ut, dum haec ita celebrári perspícimus, cognoscámus quanta eos glória máneat in coelis, quorum natalítia táliter celebrántur in terris : quo possímus étiam, ipsi tálibus provocári ex[illegible]plis, virtúte pari, devotióne consímili ac fide : ut, Christo praestánte, dimicáre, et víncere hostem possímus : ut, parta victória, cum iísdem Sanctis in regnis coeléstibus triumphémus.

℟. Vérbera carnífícum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut haerédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia.—Ut haerédes.

Lectio vi.

QUIS est enim, qui eórum volens mérito copulári, nisi prius constántiam eórum téneat, sectétur fidem, imitétur virtútem passiónis, eórum glóriam páribus vitae lineaméntis aut invéniat, aut exquírat? Qui etsi martyrio par esse non possit, tamen múneris tanti dignitáte se quisque bonis áctibus dignum praebeat. Adest enim clementíssimus Deus, qui desiderántibus suis aut martyrium praebeat, aut sine martyrio cum Sanctis praemia divína retríbuat.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos : et in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem: et fidéles in dilectióne acquiéscent illi.—Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vii. *Cap.* xvi. *c.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, praedicáte Evangélium omni creatúrae. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papae.

Homil. xxix. *in Evang. post initium.*

NOTEST omnis creatúræ nómine omnis nátio géntium designári. Ante enim dictum fúerat : In viam géntium ne abiéritis ; nunc autem dícitur : Praedicáte omni creatúrae : ut scílicet prius a Judaea Apostolórum repúlsa praedicátio tunc nobis in adjutórium fíeret, cum hanc illa ad damnatiónis suae testimónium supérba repulísset. Sed cum discípulos ad praedicándum Véritas mittit, quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit? Et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum!—Quia.

Lectio viii.

NEQUE étenim in univérso mundo tanta fidélium messis exúrgeret, si de manu Dómini super rationálem terram illa eléc-ta grana praedicántium

non veníssent. Séquitur : Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit : qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat : Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera étenim fides est, quae in hoc, quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit : Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis: * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum.—Mercédem. Glória. Mercédem.

Lectio ix.

SIGNA autem eos, qui credítúri sunt, haec sequéntur : In nómine meo daemónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent, et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit : super aegros manus impónent, et bene habébunt. Numquídnam, fratres mei, quia ista signa non fácitis, mínime créditis? Sed haec necessária in exórdio Ecclésiae fuérunt. Ut enim ad fidem crésceret multitúdo credéntium, miráculis fúerat nutriénda. Quia et nos, cum arbústa plantámus, támdiu eis aquam infúndimus, quoúsque ea in terra jam coaluísse videámus : et si semel radícem fixerint, irrigátio cessábit. Hinc est enim quod Paulus dicit : Linguae in signum sunt non fidélibus, sed infidélibus.

Te Deum laudámus. 17.

In secundis Vesperis fit Commemoratio S. Romani Martyris, Añia. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constitúísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

PRAESTA quaesumus omnípotens Deus : ut intercedénte beáto Románo Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

DIE IX. AUGUSTI.

In Vigília S. Laurentii, Martyris.

Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium: Si quis vult post me veníre, de Communi unius Martyris. xli.

Responsoria de Feria currente.

Et dicúntur Preces feriales, supra. 62.

Oratio.

ADESTO, Dñe, supplicatiónibus nostris : et intercessióne beáti Lauréntii Mártyris tui, cujus praevenímus festivitátem, perpétuam nobis misericórdiam benígnus impénde. Per Dóminum.

Deinde fit Commemor. S. Romani, Martyris, Añа. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Praesta quaesumus, ut supra. 618.

DIE X. AUGUSTI.

In festo sancti Laurentii, Martyris. Duplex.

AD VESPERAS.

Añа. Lauréntius ingréssus est Martyr, cum reliquis de Laudibus. 626. Psalmus. Dixit Dñus, cum reliquis de Dominica. 133. et loco ultimi, Psalm. Laudáte Dñum omnes Gentes. 137.

Capitulum. 2. *Cor.* ix. *b.*

FRATRES, Qui parce séminat, parce et metet : et qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus et metet.

Hymnus. Deus tuórum míllitum, ut in Comm. xxvii.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif., Añа. Levíta Lauréntius bonum opus operátus est, qui per signum crucis caecos illumináv it, et thesáuros Ecclésiae dedit paupéribus.

Oratio.

DA nobis, quaesumus, omnípotens Deus, vitiórum nostrórum flammas extínguere : qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitator. Beátus Lauréntius Christi Martyr triúmphat coronátus in coelis : * Veníte adorémus Dóminum. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus. Deus tuórum míllitum, ut in Comm. xxvii.

In primo Nocturno.

Añа. Quo progréderis * sine fílio pater? quo Sacérdos sancte sine minístro próperas?

Psalmi ut in primo Nocturno de Communi unius Martyris. xxviii.

Añа. Noli me derelínquere * pater sancte, quia thesáuros tuos jam expéndi, quos tradidísti mihi.

Ańa. Non ego te désero fili, * neque derelínquo: sed majóra tibi debéntur pro Christi fide certámina.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* li.

CONFITEBOR tibi, Dómine Rex, et collaudábo te Deum Salvatórẽ meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguae iníquae, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiae nóminis tui a rugiéntibus, praeparátis ad escam: de mánibus quaeréntiũ ánimam meam, et de portis tribulatiónum quae circumdedérunt me: a pressúra flammae, quae circúmdedit me, et in médio ignis non sum aestuátus: de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa.

℟. Levíta Lauréntius bonum opus operátus est: qui per signum crucis caecos illumináv it, * Et thesáuros Ecclésiae dedit paupéribus, ℣. Dispérsit, dedit paupéribus; justítia ejus manet in saeculum saeculi. —Et thesáuros.

Lectio ii.

LAUDABIT usque ad mortem ánima mea Dñum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat, qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memorátus sum misericórdiae tuae, Dómine, et operatiónis tuae, quae a saeculo sunt: quóniam éruis sustinéntes te, Dñe, et líberas eos de mánibus géntium. Exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecátus sum.

℟. Puer meus, noli timére, quia ego tecum sum, dicit Dóminus: * Si transíeris per ignem, flamma non nocébit tibi, et odor ignis non erit in te. ℣. Liberábo te de manu pessimórum, et éruam te de manu fórtium.—Si transíeris.

Lectio iii.

INVOCAVI Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meae, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne; et exaudíta est orátio mea. Et

liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dñi.

℟. Strinxérunt córporis membra pósita super craticulã: ministrántibus prunas insúltat Levíta Christi : * Beáte Laurénti, Martyr Christi, intercéde pro nobis. ℣. Mea nox obscúrum non habet, sed ómnia in luce claréscunt. — Beáte. Glória Patri. Beáte.

In secundo Nocturno.

Ańa. Beátus Lauréntius* orábat, dicens : Dñe Jesu Christe, Deus de Deo, miserére mihi servo tuo. Psalm. Cum invocárem, cum reliquis ut in Communi. xxxi.

Ańa. Dixit Románus* ad beátum Lauréntium: Vídeo ante te júvenem pulchérrimum, festína me baptizáre.

Ańa. Beátus Lauréntius* dixit : Mea nox obscúrum non habet, sed ómnia in luce claréscunt.

℣. Posuísti, Dñe, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Sermo S. Leónis Papae.
In natali S. Laurentii, post initium.

Lectio iv.

CUM furor Gentílium potestátum in electíssima quaeque Christi membra saevíret, ac praecípue eos, qui órdinis erant sacerdotális, impéteret ; in Levítam Lauréntium, qui non solum ministério Sacramentórum, sed étiam dispensatióne ecclesiásticae substántiae praeeminébat, ímpius persecútor efférbuit, dúplicem sibi praedam de uníus viri comprehensióne promíttens : quem si fecísset sacrae pecúniae traditórem, fáceret étiam verae religiónis exórtem. Armátur ítaque gémina face homo pecúniae cúpidus, et veritátis inimícus : avarítia, ut rápiat aurum ; impietáte, ut áuferat Christum. Póstulat sibi ab immaculáto sacrárii praesule opes ecclesiásticas, quibus avidíssimus inhiábat, inférri. Cui Levíta castíssimus, ubi eas repósitas habéret, osténdens, numerosíssimos sanctórum páuperum óbtulit greges, in quorum victu atque vestítu inamissíbiles condíderat facultátes: quae tanto intégrius erant salvae, quanto sánctius probabántur expénsae.

℟. Quo progréderis sine fílio, pater? Quo, Sacérdos sancte, sine Diácono próperas? Tu nunquam sine minístro sacrifícium offérre consuéveras. ℣. Quid ergo in me displícuit paternitáti tuae ? numquid degénerem me probásti ? experíre, utrum idóneum minístrum

elégeris, cui commisísti Dominici sánguinis dispensatiónem.—Tu nunquam.

Lectio v.

FREMIT ergo praedo frustrátus, et in ódium religiónis, quae talem divitiárum usum instituísset, ardéscens, direptiónem thesáuri potióris aggréditur, apud quem nullam denariórum substántiam reperísset · ut illud depósitum, quo sacrátius erat dives, auférret. Renuntiáre Christo Lauréntium jubet, et solidíssimam illam Levítici ánimi fortitúdinem diris parat urgére supplíciis : quorum ubi prima nil óbtinent, vehementióra succédunt. Láceros artus, et multa vérberum sectióne conscíssos, subjécto praecipit igne torréri: ut per cratem férream, quae jam de fervóre contínuo vim in se habéret uréndi, conversórum altérna mutatióne membrórum, fíeret cruciátus veheméntior, et poena prodúctior.

℟. Noli me derelínquere, pater sancte, quia thesáuros tuos jam expéndi : * Non ego te désero, fili, neque derelínquo : sed majóra tibi debéntur pro fide Christi certámina. ℣. Nos quasi senes levióris pugnae cursum recípimus, te autem quasi júvenem manet gloriósior de tyránno triúmphus : post tríduum me sequéris Sacerdótem Levíta.—Non ego.

Lectio vi.

NIHIL óbtines, nihil próficis, saeva crudélitas Subtráhitur torménti tuis matéria mortális, et Lauréntio in coelos abeúnte, tu déficis flammis tuis. Superári cháritas Christi flamma non pótuit : et ségnior fuit ignis, qui foris ussit, quam qui intus accéndit. Saevísti, persecútor, in Mártyrem : saevísti, et auxísti palmam, dum ággeras poenam. Nam quid non ad victóris glóriam ingénium tuum réperit, quando in honórem transiérunt triúmphi étiam instrumenta supplícii? Gaudeámus ígitur, dilectíssimi, gáudio spirituáli, et de felicíssimo ínclyti viri fine gloriémur in Dño, qui est mirábilis in Sanctis suis, in quibus nobis et praesídium constítuit, et exémplum : atque ita per univérsum mundum clarificávit glóriam suam, ut a solis ortu usque ad occásum, Leviticórum lúminum coruscánte fulgóre, quam clarificáta est Jerosólyma Stéphano, tam illústris fíeret Roma Lauréntio.

℟. Beátus Lauréntius clamávit, et dixit : Deum meum colo, illi soli sérvio,* Et ídeo non tímeo torménta

tua. ℣. Mea nox obscúrum non habet, sed ómnia in luce claréscunt.—Et ídeo. Glória Patri. Et ídeo.

In tertio Nocturno.

Ant. Strinxérunt córporis membra pósita super cratículam ; subjiciéntibus prunas insúltat Levíta Christi.

Psalmus xiv.

DOMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malignus : * timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit haec, * non movébitur in aetérnum.

Ant. Strinxérunt córporis membra pósita super cratículam ; subjiciéntibus prunas insúltat Levíta Christi.

Ant. Igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Psalmus xvi.

EXAUDI, Dómine, justítiam meam : * inténde deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meum pródeat : * óculi tui vídeant aequitátes.

Probásti cor meum, et visitásti nocte : * igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum : * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis : * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus : * inclína aurem tuam mihi, et exáudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperántes in te.

A resisténtibus déxterae tuae custódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me : * a fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimã meam circumdedérunt, ádipem

suum conclusérunt : * os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me : * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad praedam : * et sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exúrge, Dómine, praeveni eum, et suppланta eum : * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manus tuae.

Dñe, a paucis de terra dívide eos in vita eórum : * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis : * et dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo : * satiábor cum apparúerit glória tua.

Ańa. Igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Ańa. Interrogátus * te Dóminum conféssus sum, assátus grátias ago.

Psalmus xx.

DOMINE, in virtúte tua laetábitur rex : * et super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in saeculum saeculi : * laetificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi, non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quae non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis praeparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Ańa. Interrogátus te Dóminum conféssus sum, assátus grátias ago.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* xii. *d.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit ; ipsum solum manet. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. lxi. *in Joannem, sub medium.*

IPSE Dóminus Jesus erat granum mortificándum et multiplicándum : mortificándum infidelitáte Judaeórũ, multiplicándum fide populórum. Jam vero exhórtans ad passiónis suae sectánda vestígia: Qui amat, inquit, ánimam suam, perdet eam. Quod duóbus modis intélligi potest. Qui amat, perdet ; id est, si amas, perdes. Si cupis vitam tenére in Christo, noli mortem timére pro Christo. Item álio modo : Qui amat ánimam suam, perdet eam: noli amáre, ne perdas: noli amáre in hac vita, ne perdas in aetérna vita.

℟. In cratícula te Deum non negávi, * Et ad ignem applicátus, te Dñum Jesum Christum conféssus sum. ℣. Probásti, Dñe, cor meum, et visitásti nocte.—Et.

Lectio viii.

HOC autem, quod postérius dixi, magis habére vidétur evangélicus sensus. Séquitur enim : Et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam. Ergo, quod supra dictum est, qui amat (subintellígitur, in hoc mundo), ipse útique perdet : qui autem odit (útique in hoc mundo) in vitam aetérnam ipse custódit eam. Magna et mira senténtia, quemádmodum sit hóminis in ánimam suam amor ut péreat, ódium ne péreat. Si male amáveris, tunc odísti : si bene óderis, tunc amásti. Felíces, qui odérunt custodiéndo, ne perdant amándo.

℟. O Hippólyte, si credíderis in Dóminum Jesum Christum, * Et thesáuros tibi osténdo, et vitam aetérnam promítto. ℣. Beátus Lauréntius Hippólyto dixit: Si credis in Dóminum Jesum Christum.—Et thesáuros. Glória Patri. Et thesáuros.

Lectio ix.

SED vide ne tibi subrépat, ut tefpsum velis interímere, sic intelligéndo, quod debes odísse in hoc

mundo ánimam tuam. Hinc enim quidam malígni atque pervérsi hómines, et in seípsis crudelióres et sceleratióres homicídae, flammis se donant, aquis se praefócant, praecipítio se collídunt, et péreunt. Hoc Christus non dócuit : imo étiam diábolo praecipítium suggerénti respóndit: Redi retro, sátanas; scriptum est : Non tentábis Dóminum Deum tuum. Petro autem dixit, signíficans qua morte clarificatúrus erat Deum : Cum esses júnior, cingébas te, et ambulábas quo volébas : cum autem senúeris, alter te cinget, et feret quo tu non vis. Ubi satis expréssit, non a seípso, sed ab álio debére occídi, qui vestígia séquitur Christi.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Lauréntius ingréssus est* Martyr, et conféssus est nomen Dómini Jesu Christi. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Lauréntius * bonum opus operátus est, qui per signum crucis caecos illumináv it.

3. Adhaesit ánima mea * post te, quia caro mea igne cremáta est pro te, Deus meus.

4. Misit Dóminus* Angelum suum, et liberávit me de médio ignis, et non sum aestuátus.

5. Beátus Lauréntius * orábat dicens : Grátias tibi ago, Dómine, quia jánuas tuas ingredi mérui.

Capitulum. 2. *Cor.* ix. *b.*

FRATRES, Qui parce séminat, parce et metet : et qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus et metet.

Hymn. Invícte Martyr, únicum, ut in Comm. xxvii.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus manet in saeculum saeculi.

Ad Bened. Aña. In cratícula * te Deum non negávi, et ad ignem applicátus te Christum conféssus sum : probásti cor meum, et visitásti nocte : igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Oratio. Da nobis, ut supra. 619.

AD TERTIAM.

Aña. Lauréntius.

Capitulum. Fratres, Qui parce séminat, ut supra.

℟. br. Glória et honóre * Coronásti eum, Dñe. Glória et honóre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et honóre.

℣. Posuísti, Dñe, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

AD SEXTAM.

Ańa. Adhaesit ánima mea.

Capitulum. 2. *Cor.* ix. *b.*

UNUSQUISQUE prout destinávit in corde suo, non ex tristítia, aut ex necessitáte: hílarem enim datórem díligit Deus. ℟. br. Posuísti, Dñe, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória Patri. Posuísti. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM.

Ańa. Beátus Lauréntius.

Capitulum. 2. *Cor.* ix. *c.*

POTENS est autem Deus omnem grátiam abundáre fácere in vobis: ut in ómnibus semper omnem sufficiéntiam habéntes, abundétis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in saeculum saeculi. ℟. br. Magna est glória ejus, * In salutári tuo. Magna. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In salutári. Glória Patri. Magna. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

IN II. VESPERIS.

Ańa. Lauréntius ingréssus est Martyr, cum reliquis de Laudibus. 626. Psalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica. 133. et loco ultimi, Psalmus. Crédidi. 137.

Capitulum. Fratres, Qui parce séminat, ut supra. 626.

Hymnus. Deus tuórum míllitum, ut in Comm. xxvii.

℣. Levíta Lauréntius bonum opus operátus est. ℟. Qui per signum crucis caecos illuminávit.

Ad Magníficat, Antiphona. Beátus Lauréntius * dum in cratícula superpósitus urerétur, ad impiissimum tyránnum dixit: Assátum est jam, versa, et mandúca: nam facultátes Ecclésiae, quas requíris, in coeléstes thesáuros manus páuperum deportavérunt.

Oratio. Da nobis, quaesumus, ut supra. 619.

Deinde fit Commemoratio SS. Tiburtii et Susannae Martyrum, Ańa. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

SANCTORUM Mártyrum tuórum Tibúrtii et Susánnae nos, Dómine, fóveant continuáta praesídia : quia non désinis propítius intuéri, quos tálibus auxíliis concésseris adjuvári. Per Dóminum.

DIE XI. AUGUSTI.

Secunda die infra Octavam sancti Laurentii.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Augustíni, Epísc. *Serm.* xxx. *de Sanctis.*

Lectio iv.

BEATISSIMI Laurentii Mártyris, cujus natálem hódie celebrámus, passiónem nosse vos credo: et quanta in persecutióne pertúlerit, dilectiónem vestram scire posse non dúbito. Tanta enim ejus martyrii glória éxtitit, ut passióne sua mundum illumináverit univérsum. Illumínavit mundum plane Laurentius eo lúmine, quo ipse accénsus est, et flammis, quas ipse pértulit, ómnium Christianórum corda calefécit.

℣. Quo progréderis. 621.

Lectio v.

QUIS nolit ad horam uri Laurentii igne, ut aetérnum gehénnae non patiátur incéndium? Beáti ígitur. Laurentii exémplo provocámur ad martyrium, et accéndimur ad fidem, incaléscimus ad devotiónem: et si in nobis persecutóris flamma deest, fídei tamen flamma non deest. Non ardémus quidem córpore pro Christo, sed ardémus afféctu. Non súbjicit mihi persecútor ignem, sed súbjicit mihi desidérium Salvatóris.

℣. Noli me derelínquere, pater sancte. 622.

Lectio vi.

ESSE autem Salvatóris ignem légimus in Evangélio, dicénte eódem Dómino: Nescítis quia veni ignem míttere in terram; et quid volo, nisi ut accendátur? Quo igne succénsi illi duo discípuli dixérunt: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loquerétur in via, et aperíret nobis Scriptúras? Hoc ígitur igne beátus Laurentius accénsus flammárum non sentit incéndium: et dum Christi ardet desidério, persecutóris poenam non sentit.

℣. Beátus. 622.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* xii. *d.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi

granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit; ipsum solum manet. Et réliqua.

De Homília S. Augustíni Epíscopi.

Ex Tract. li. *in Joannem.*

UM ergo causae artículus vénerit, ut haec conditio proponátur, aut faciéndum esse contra Dei praecéptum, aut ex hac vita emigrándum: quorum duórum homo si cogátur álterum elígere, comminánte mortem persecutóre, ibi éligat Deo dilécto émori, quam offénso vívere. Ibi óderit in hoc mundo ánimam suam, ut in vitam aetérnam custódiat eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur. Quid est, Me sequátur, nisi, Me imitétur? Christus enim pro nobis passus est, ait Apóstolus Petrus, relínquens nobis exémplum, ut sequámur vestígia ejus.

℟. In cratícula. 625.

Lectio viii.

EC C E quod dictum est: Si quis mihi minístrat, me sequátur. Quo fructu? qua mercéde? quo praemio? Et ubi sum, inquit, ego, illic et minister meus erit. Gratis amétur, ut óperis, quo ministrátur illi, prétium sit, esse cum illo. Ubi enim bene erit sine illo? Aut quando esse male póterit cum illo? Audi evidéntius: Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus. Quo honóre, nisi ut sit cum Fílio ejus? Quod enim supérius ait: Ubi ego sum, illic et minister meus erit; hoc intellígitur exposuísse, cum dicit: Honorificábit eum Pater meus. Nam quem majórem honórem accípere póterit adoptátus, quam ut sit ubi est Unicus, non aequális factus divinitáti, sed consociátus aeternitáti?

℟. O Hippólyte. 625.

Pro SS. Martyribus Tiburtio et Susanna.

Lectio ix.

IBURTIUS Chromátii praefécti Urbis fílius, sancti Sebastiáni ópera Christiánus, cum ob eam causam ad Fabiánum júdicem addúctus esset, múltaque apud illum de Christi fide praedicáret, excandéscens judex paviméntum candéntibus carbónibus sterni jubet: Mox, Tibúrti, inquit, vel diis nostris sacrífices opórtet, vel per istos carbónes nudis pédibus tibi incedéndum est. At ille crucis signo se múniens, fidentérque ámbulans in pruna: Disce, inquit, ex hoc solum esse Deum, quem Christiáni colunt: prunae enim mihi flores

vidéntur. Quod cum mágicis ártibus tribuerétur, extra Urbem ductus Tibúrtius, ac via Lavicána tértio ab Urbe lápide gládio percússus, ibi a Christiánis sepelítur. Quo die Susánna virgo nobilíssima, quod Galérii Maximiáni, fílii Diocletiáni imperatóris, conjúgium recusáret, ut quae virginitátē Deo vóverat, post multa tormentórum génera, quibus várie tentátum est sanctum vírginis propósitum, domi suae jussu imperatóris gládio percússa, ad duplex virginitátis et martyrii praemium migrávit in coelum.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus Commem. SS. Tiburtii et Susannae Mart., Añа. Vestri capilli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos. ℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio. Sanctórum Mártyrum, ut supra. 628.

Vesperae de S. Clara cum Commemoratione Octavae S. Laurentii.

DIE XII. AUGUSTI.

In festo S. Clarae, Virginis. Duplex.

Omnia de Communi Virginum. ciii. praeter sequentia.

Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutáris noster: ut sicut de beátae Clarae Vírginis tuae festivitáte gaudémus; ita piae devotiónis erudiámur affectu. Per Dóminum.

Et fit Commem. Octavae S. Laurentii, Añа. Beátus Lauréntius. ℣. Levíta Lauréntius. Oratio. Da nobis, ut supra. 627.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CLARA, nóbilis virgo, Assísii nata in Umbria, sanctum Franciscum concívem suum imitáta, cuncta sua bona in eleemósynas et páuperum subsídia distríbuit, et convértit. De saeculi strépitu fúgiens, in campéstrem declinávit ecclésiam, ibíque ab eódem beáto Francísco recépta tonsúra, consanguíneis ipsam redúcere conántibus fórtiter réstitit. Et dénique ad ecclésiam sancti Damiáni fuit per eúmdem addúcta, ubi ei Dóminus plures sócias aggregávit, et sic ipsa sacrárum Sorórum collégium instítuit, quarum régimen, nímia sancti Francísci devícta importunitáte, recépit. Suum monastérium

sollícite, ac prudénter in timóre Dómini, ac plena órdinis observántia annis quadragínta duóbus mirabíliter gubernávit : ejus enim vita erat áliis erudítio et doctrína, unde caeterae vivéndi régulam didicérunt.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Et dedúcet.

Lectio v.

UT carne deprássa, spíritu convalésceret, nudam humum, et intérdum sarménta pro lecto habébat, et pro pulvinári sub cápite durum lignum. Una túnica cum mantéllo de vili et híspido panno utebátur, áspero cilício nonnúnquam adhíbito juxta carnem. Tanta se fraenábat abstinéntia, ut longo témpore tribus in hebdómada diébus nihil pénitus pro sui córporis alimento gustáverit : réliquis autem diébus tali se cibórum parvitáte restríngens, utáliae, quómodo subsístere póterat, miraréntur. Binas quotánnis (ántequam aegrotáret) quadragésimas solo pane et aqua refécta jejunábat. Vigíliis ínsuper et oratiónibus assídue dédita, in his praecípue dies noctésque expendébat. Diútinis perpléxa languóribus, cum ad exercítium corporále non posset súrgere per se ipsam, sorórum suffrágio levabátur, et fulciméntis ad tergum appósitis, laborábat própriis mánibus, ne in suis étiam esset infirmitátibus otiósa. Amátrix praecípua paupertátis, ab ea pro nulla unquam necessitáte discéssit ; et possessiónes pro sorórum sustentatióne a Gregório nono oblátas constantíssime recusávit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea unxit.

Lectio vi.

QULTIS et váriis miráculis virtus suae sanctitátis effúlsit. Cuidam de soróribus sui monastérii loquélam restítuit expedítam. Alteri aurem surdam apéruit. Laborántem febre, tuméntem hydrópisi, plagátam fístula, aliásque áliis oppréssas languóribus liberávit. Fratrem de órdine Minórum ab insániae passióne sanávit. Cum óleum in monastério totáliter defecísset, Clara accépit úrceum, atque lavit, et invéntus est óleo, benefício divínae largitátis, implétus. Unius panis medietátem ádeo multipli-

cávit, ut soróribus quinquaginta suffécerit. Saracénis Assísium obsidéntibus, et Clarae monastérium invádere conántibus, aegra se ad portam afférri vóluit, unáque vas, in quo sanctíssimum Eucharístiae Sacraméntum erat inclúsum, ibíque orávit : Ne tradas, Dómine, béstiis ánimas confiténtes tibi ; et custódi fámulas tuas, quas pretióso sánguine redemísti. In cujus oratióne ea vox audíta est : Ego vos semper custódiam. Saracéni autem partim se fugae mandárunt, partim, qui murum ascénderant, capti óculis, praecípites cecidérunt. Ipsa dénique Virgo, cum in extrémis ágeret, a cándido beatárum Vírginum coetu (inter quas una eminéntior ac fulgídior apparébat) visitáta, ac sacra Eucharístia sumpta, et peccatórum indulgéntia ab Innocéntio quarto ditáta, prídie Idus Augústi ánimam Deo réddidit. Post óbitum vero quamplúrimis miráculis resplendéntem Alexánder quartus inter sanctas Vírgines rétulit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximae ejus, * Afferéntur tibi in laetítia et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde et regna. — Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Símile erit regnum coelórum decem virgínibus, de Communi Virginum. cxv.

In Laudibus fit Commemoratio Octavae S. Laurentii, Antiphona. In cratícula. ℣. Dispérsit. Oratio. Da nobis, quaesumus, ut supra. 626.

In secundis Vesperis fit Commemoratio Octavae S. Laurentii, Antiphona. Beátus Lauréntius. ℣. Levíta Lauréntius. Oratio. Da nobis, quaesumus, ut supra. 627.

Deinde sanctorum Hippolyti et Cassiani Martyrum, Antiphona. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

DA, quaesumus omnípotens Deus : ut beatórum Mártyrum tuórum Hippólyti et Cassiáni veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

DIE XIII. AUGUSTI.

Quarta die infra Octavam sancti Laurentii.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex libro Officiórum sancti Ambrósii Episcopi. *Lib.* 1. *cap.* xli. *in medio.*

Lectio iv.

NON praetereámus sanctum Lauréntium, qui cum vidéret Xystum Epíscopum suum ad martyrium duci, flere coepit non passiónem illíus, sed suam remansiónem. Itaque his verbis appellâre coepit: Quo progréderis sine fílio pater? Quo, Sacérdos sancte, sine Diácono próperas? Nunquam sacrifícium sine ministro offérre consuéveras. Quid in me ergo displícuit, pater? Num degénerem me probásti? Experíre certe utrum idóneum minístrum elégeris. Cui commisísti Domínici sánguinis dispensatiónem, cui consummandórum consórtium Sacramentórum, huic consórtium tui sánguinis negas?

℟. Quo progréderis sine fílio, pater? Quo, Sacérdos sancte, sine Diácono próperas? * Tu nunquam sine minístro sacrifícium offérre consuéveras. ℣. Quid ergo in me displícuit paternitáti tuae? numquid degénerem me probásti? experíre, utrum idóneum minístrum elégeris, cui commisísti Domínici sánguinis dispensatiónem.—Tu nunquam.

Lib. 2. *cap.* xxviii. *post med.*

Lectio v.

A QUO cum quaererêntur thesáuri Ecclésiae, promísit se demonstratúrum. Sequénti die páuperes duxit. Interrogátus ubi essent thesáuri, quos promíserat, osténdit páuperes, dicens: Hi sunt thesáuri Ecclésiae. Et vere thesáuri, in quibus Christus est, in quibus Christi fides est. Dénique Apóstolus ait: Habémus thesáurum in vasis fictílibus. Quos melióres thesáuros habet Christus, quam eos, in quibus se esse dixit? Sic enim scriptum est: Esurívi, et dedístis mihi manducâre: sitívi, et dedístis mihi bíbere: hospes eram, et collegístis me. Et infra: Quod enim uni horum fecístis, mihi fecístis. Hos thesáuros demonstrávit Laurêntius, et vicit, quod eos nec persecútor pótuit auférre.

℟. Noli me derelínquere, pater sancte, quia thesáuros tuos jam expéndi: - Non ego te désero, fili, neque derelínquo: sed majóra tibi debéntur pro fide Christi certámina. ℣. Nos quasi

senes levióris pugnae cursum recípimus, te autem quasi júvenem manet gloriósior de tyránno triúmphus : post tríduum me sequéris Sacerdótem Levíta.—Non ego.

Lectio vi.

QUMQUID dictum est sancto Lauréntio : Non debuísti erogáre thesáuros Ecclésiae, vasa Sacramentórum véndere ? Opus est, ut quis fide sincéra, et perspicáci providéntia munus hoc ímpleat. Sane si in sua quis derívat emolumenta, crimen est : sin vero paupéribus érogat, captívum rédimit, misericórdia est. Nemo enim potest dícere, cur pauper vivit? Nemo potest queri, quia captívi redémpti sunt. Nemo potest accusáre, quia templum Dei aedificátum est. Nemo potest indignári, quia humándis fidélium relíquiis spátia laxáta sunt : nemo potest dolére, quia in sepultúris Christianórum, réquies defunctórum est. In his tribus genéribus vasa Ecclésiae, étiam initiáta, confríngere, conflare, véndere licet.

℟. Beátus Lauréntius clamávit, et dixit : Deum meum colo, illi soli sérvio, * Et ídeo non tímeo torménta tua. ℣. Mea nox obscúrum non habet, sed ómnia in luce claréscunt.—Et ídeo. Glória Patri. Et ídeo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* xii. *d.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit; ipsum solum manet. Et réliqua.

De Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Ex Tract. li. *in Joannem.*

MINISTER est Christi usque ad illud opus magnae charitátis, quod est ánimam suam pro frátribus pónere ; hoc est enim et pro Christo pónere, quia et hoc propter sua membra dictúrus est : Cum pro istis fecístis, pro me fecístis. De tali quippe ópere étiam se minístrum fácere et appelláre dignátus est, ubi ait : Sicut Filius hóminis non venit ministrári, sed ministráre, et ánimam suam pónere pro multis. Hinc est ergo unusquísque minister Christi, unde est minister et Christus. Sic ministrántem Christo honorificábit Pater ejus honóre illo magno, ut sit cum Filio ejus, nec unquam defíciat felícitas ejus.

℟. In craticula te Deum non negávi, * Et ad ignem applicátus, te Dóminum Jesum Christum conféssus sum. ℣. Probásti, Dómine, cor meum, et visitásti nocte.—Et ad ignem.

Lectio viii.

CUM ergo audítis, fratres, Dóminum dicéntem : Ubi ego sum, illic et minister meus erit ; nolíte tantúmmodo bonos Episcopos et clericos cogitáre : étiam vos pro módulo vestro ministráte Christo, bene vivéndo, eleemósynas faciéndo, nomen doctrinámque ejus quibus potuéritis praedicándo : ut unusquísque étiam paterfamílias hoc nómine agnóscat patérnum affectum suae famíliae se debére. Pro Christo, et pro vita aetérna suos omnes admóneat, dóceat, hortétur, corrípiat, impéndat benevolántiam, exérceat disciplínam : ita in domo sua ecclesiásticum, et quodámmodo episcopále implébit offícium, minístrans Christo, ut in aetérnum sit cum ipso.

℟. O Hippolyte, si credíderis in Dóminum Jesum Christum, * Et thesáuros tibi osténdo, et vitam aetérnam promítto. ℣. Beátus Lauréntius Hippólyto dixit : Si credis in Dóminum Jesum Christum.—Et thesáuros. Glória Patri. Et thesáuros.

Pro SS. Martyribus Hippolyto et Cassiano.

Lectio ix.

HIPPOLYTUS, a sancto Laurentio baptizátus, domi suae, dum Eucharístiam súmeret, com prehénsus, et ad Valeriánum imperatórem addúctus, ab eo de suae religiónis professióne interrogátus, líbere se Christiánum profétsus est. Quamóbrem fústibus caeditur : quibus in verbéribus cum ejus fides constántior invenirétur, munéribus et honórum promíssis tentátur. Quae cum ómnia frustra diceréntur, praefécto occidéndus tráditur. Qui domum Hippólyti véniens, ut ejus facultátes publicáret, totam famíliam christiánam esse cognóscit : atque iis a christiána fide frustra detérritis, primum plumbátis caesa Concórdia, Hippólyti nutríce, quae caeteros confirmábat, réliquos extra portam Tiburtínam occídi jubet. Hippólytus indómitis equis raptátus per loca tríbulis et cárduis cónsita, laceráto córpore spíritum Deo réddidit, unáque cum réliquis a Justíno Presbytero ad agrum Veránum sepúltus est. Eádem die, ad Forum Syllae, cru-

delíssimo supplício affléctus est Cassiánus Martyr, qui, vinctis post terga mánibus, puerórum, quos erudiébat, férreis stylis configéndus excarnificandúsque tráditur. Quorum quanto erat infírmior vis, tanto ejus poena martyrii grávior, ac diutúrnior, pálmaque illústrior.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Commemoratio SS. Hippolyti et Cassiani, Añia. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio. Da, quaesumus, ut supra. 632.

In Vesperis fit Commemoratio sancti Eusebii, Confessoris, Añia. Similábo eum viro sapiénti, qui aedificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dñus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Eusébii Confessóris tui ánnua solemnitáte laetíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

DIE XIV. AUGUSTI.

Quinta die infra Octavam S. Laurentii.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Máximi Episcopi.

Homilia i. *de S. Laurentio.*

Lectio iv.

SANCTUM est, fratres, ac Deo plácitum, ut natálem beáti Laurentii praecípua devotióne venerémur ; cujus radiántibus flammis victrix in hunc quoque diem toto orbe Christi corúscat Ecclésia. Qui cum in sede gloriosíssimi Patriárchae diaconátus fungerétur offício, puritáte innocéntis vitae, fortissimaeque mortis triúmpho, apostólico se consórtio copulávit. Nec immérito eum Apostolórum súpparem praedicámus, cui et cástitas ánimi levíticum ministérium dedit, et plenitúdo fídei martyrii cóntulit dignitátem.

℟. Quo progréderis sine fílio, pater? Quo, Sacérdos sancte, sine Diácono próperas? * Tu nunquam sine minístro sacrifícium offérre consuéveras. ℣. Quid ergo in me displícuit paternitáti tuae? numquid degénerem me probásti? experíre,

utrum idóneum minístrum elégeris, cui commísisti Domínici sánguinis dispensatiónem.—Tu nunquam.

Lectio v.

QUEM venerábilis Xystus, Románae urbis Antístes, cum impietátem saeviéntis mundi per torménta superáret, et regnis esset coeléstibus jam vicínus, viderétque eum patérna de morte tristíssimum, ita illum spíritu praesciéntiae compellásse narrátur: Noli, fili, moestus esse : post tríduum me sequéris. Unde appáret, caríssimi, beátum Lauréntium non de Sacerdótis sui victória habuísse tristítiam, sed doluísse, quia non étiam ipse mundum cum suo páriter Sacerdóte vincébat. Noli, inquit, fili, moestus esse: post tríduum me sequéris. Hoc est : Noli tristis esse, velut apud saeculum derelíctus : nam nec te fides vítaque tua tali morte privábit.

℣. Noli me derelínquere, pater sancte, quia thesáuros tuos jam expéndi : Non ego te désero, fili, neque derelínquo : sed majóra tibi debéntur pro fide Christi certámina. ℣. Nos quasi senes levióris pugnae cursum recípimus, te autem quasi júvenem manet glorióstor de tyránno triúmphus : post tríduum me sequéris Sacerdótem Levíta.—Non ego.

Lectio vi.

ERGO ut cómperit ore Sacerdótis et Mártyris, se quoque omnímodis assuméndum, congregátis inopum turbis, ecclesiásticum censum religiósa liberalitáte divísit. Quam profúndum spiritális viri, et quam coeléste consílium, ut et egénis consúleret, et multitúdine consuménte, quae déderat, invenírі non possit quod ráperet persecútor : illam nimírum secútus sententiam : Dispérsit, dedit paupéribus : justítia ejus manet in aetérnum.

℟. Beátus Lauréntius clamávit, et dixit : Deum meum colo, illi soli sérvio, * Et ídeo non tímeo torménta tua. ℣. Mea nox obscúrum non habet, sed ómnia in luce claréscunt.—Et ídeo. Glória Patri. Et ídeo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* xii. *d.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit ; ipsum solum manet. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia lxv. *in Joannem, post medium.*

ALEM, de resurrectióne dísputans, ratiónem Paulus étiam áttulit. Quam ígitur habébunt excusatiónem, qui resurrectiónem non credunt, cum in semínibus et in plantis quotídie hoc videámus, ac étiam in nostro génere? Primum enim corrúmpi semen opórtet, inde fieri generatiónem. Omnino autem, cum Deus áliquid facit, nulla opus est ratióne. Quómodo nos ex níhilo fecit? Hoc ad Christiános dico, qui se dicunt crédere Scriptúris.

℟. In cratícula te Deum non negávi, * Et ad ignem applicátus, te Dóminum Jesum Christum conféssus sum. ℣. Probásti, Dómine, cor meum, et visitásti nocte.—Et ad ignem.

Lectio viii.

ERGO autem et áliud dicam ex humánis ratiónibus. Alii malítiam, álii virtútem sectántur: sed malítiae sectatórum multi felíciter in últimam pervenérunt senectútem, virtútis autem contra. Quómodo ergo pro méritis unusquísque accípiet? quando? Certe, ínquiunt, sed córpora non resúrgent. Nonne áudiunt Paulum dicéntem: Opórtet autem corruptíbile hoc indúere incorruptiónem? neque ánimam intélligit, quippe quae non corrúmpitur: et resurréctio de mórtuo dícitur: Cécidit autem corpus.

℟. O Hippólyte, si credíderis in Dóminum Jesum Christum, * Et thesáuros tibi osténdo, et vitam aetérnam promitto. ℣. Beátus Lauréntius Hippólyto dixit: Si credis in Dóminum Jesum Christum.—Et thesáuros. Glória Patri. Et thesáuros.

Pro Vigilia Assumptionis. Benedictio. Per Evangélica dicta.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio ix. *Cap.* xi. *d.*

IN illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quaedam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter, qui te portávit. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. x. in Joan. post init.

EATA Virgo María, quia fecit voluntátem Patris. Hoc in ea magnificávit Dóminus, quia fecit voluntátem Patris, non quia caro génuit carnem.

Inténdat cháritas vestra. Proptérea cum Dóminus in turba admirábilis vidérétur, fáciens signa et prodígia, et osténdens quid latéret in carne, admirátae quaedam ánimae dixérunt: Felix venter, qui te portávit. Et ille: Imo felíces, qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud. Hoc est dícere: Et mater mea, quam appellátis felícem, inde felix, quia verbum Dei custódit, non quia in illa Verbum caro factum est, et habitávit in nobis: sed quia custódit ipsum Verbum Dei, per quod facta est, et quod in illa caro factum est.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Commemoratio Vigiliae; Aña et V. de Feria occurrente, ut in Psalterio.

Oratio.

DEUS, qui virgináem aulam beátae Mariae, in qua habitáres, elígere dignátus es: da quaesumus; ut sua nos defensióne munítos, jucúndos fácias suae interésse festivitáti.

Deinde fit Commemor. S. Eusebii, Confessor., Aña. Euge serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dñi tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio. Deus, qui nos beáti Eusébii. 636.

Assumpta est Maria in cœlum, gaudent angeli, laudantes benedicunt Dominum.

DIE XV. AUGUSTI.

In Assumptione
BEATAE MARIAE VIRGINIS.

DUPLEX.

AD VESPERAS.

Ańa. Assúmpta est María, cum reliquis de Laudibus. 645. Psalmi ut in festis B. M. V. clviii.

Capitulum. *Eccli.* xxiv.

In ómnibus réquiem quaesívi, et in haereditáte Dómini morábor. Tunc praecépit, et dixit mihi Creátor ómnium : et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

Hymn. Ave maris stella, ut ibid. clx.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad coeléstia regna.

Ad Magnif. Ańa. Virgo prudentíssima, quo progréderis, quasi auróra valde rútilans? Fília Sion tota formósa et suávis es, pulchra ut luna, eléćta ut sol.

Oratio.

FAMULORUM tuórum, quaesumus Dómine, delíctis ignósce : ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur : Qui tecum vivit et regnat.

Et non fit Commemoratio S. Laurentii in utrisque Vesperis, nec in Laudibus.

AD MATUTINUM.

Invitator. Veníte adorémus Regem regum, * Cujus hódie ad aethéreum Virgo Mater assúmpta est coelum. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus. Quem terra, ut in festis B. M. V. clxi.

In primo Nocturno.

Ańa. Exaltáta est * sancta Dei Génitrix, super choros Angelórum ad coeléstia regna. Psalm. Dómine, Dóminus noster, cum reliquis ut in festis beatae Mariae Virginis. clxi.

Ańa. Paradísi portae * per te nobis apértae sunt, quae hódie gloriósa cum Angelis triúmphas.

Ańa. Benedícta tu * in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad coeléstia regna.

Incípiunt Cántica canticórum.

Lectio i. *Cap.* i.

OSCULETUR me ósculo oris sui, quia melióra sunt úbera tua vino, fragrántia unguéntis óptimis. Oleum effúsum nomen tuum : ídeo adolescéntulae dilexérunt te. Trahe me: post te currémus in odórem unguentórum tuórum. Introdúxit me Rex in cellária sua: exultábimus et laetábimur in te, mémores úberum tuórum super vinum : recti díligunt te. Nigra sum, sed formósa, fíliae Jerúsalem, sicut tabernácula Cedar, sicut pelles Salomónis.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam, ascendéntem désuper rivos aquárum : cujus inaestimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus : * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. ℣. Quae est ista, quae ascéndit per desértum sicut vírgula fumi, ex aromátibus myrrhae et thuris. — Et sicut.

Lectio ii.

NOLITE me considerare, quod fusca sim, quia decolorávit me sol : fílii matris meae pugnavérunt contra me, posuérunt me custódem in víneis : víneam meam non custodívi. Indica mihi, quem dilígit ánima mea, ubi pascas, ubi cubes in merídie, ne vagári incípiam post greges sodáliũ tuórum. Si ignóras te, o pulchérrima inter muliéres, egrédere, et abi post vestígia gregum, et pasce hoedos tuos juxta tabernácula pastórum. Equitátui meo in cúrribus Pharaónis assimilávi te, amíca mea. Pulchrae sunt genae tuae sicut túrturis: collum tuum sicut monília.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans.—Dedi.

Lectio iii.

QURENULAS áureas faciémus tibi, vermiculátas argénto. Dum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suum. Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter úbera mea commorábitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi, in víneis Engáddi. Ecce tu pulchra es, amíca mea, ecce tu pulchra es, óculi tui columbárum. Ecce tu pulcher es, dilécte mi, et decórus. Léctulus noster flóridus :

tigna domórum nostrárum cédrina, laqueária nostra cypréssina.

℟. Quae est ista, quae procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliae Sion, et beátam dixérunt, et regínae laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium.—Vidérunt. Glória Patri. Vidérunt.

In secundo Nocturno.

Ańa. Spécie tua, * et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Psalmus. Eructávit cor meum, cum reliquis ut in festis B. M. V. clxiv.

Ańa. Adjuvábit eam * Deus vultu suo: Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ańa. Sicut laetántium * ómnium nostrum habitátio est in te, sancta Dei Génitrix.

℣. Assúmpta est María in coelum, gaudent Angeli. ℟. Laudántes benedícunt Dóminum.

Sermo sancti Joánnis Damascéni.

Oratione ii. *de Dormitione B. Mariae, post initium.*

Lectio iv.

HODIE sacra et animáta arca Dei vivéntis, quae suum in útero concépit Creatórem, requiéscit in templo Dómini, quod nullis est extrúctum mánibus: et David exúltat ejus parens, et cum eo choros ducunt Angeli, célebrant Archángeli, Virtútes glorífícant, Principátus exúltant, Potestátes collaetántur, gaudent Dominatiónes, Throni festum diem agunt, laudant Chérubim, glóriam ejus praedicant Séraphim. Hódie Eden, novi Adam paradísum súscipit animátum, in quo solúta est condemnátio, in quo plantátum est lignum vitae, in quo opérta fuit nostra núditas.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliae Sion, beatíssimam praedicavérunt, dicéntes: Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.—Et vidéntes.

Lectio v.

HODIE Virgo immaculáta, quae nullis terrénis inquináta est affectibus, sed coeléstibus educáta cogitatiónibus, non in terram revérsa est; sed, cum esset animátum coelum, in coeléstibus tabernáculis collocátur. Ex qua enim ómnibus vera vita manávit, quómodo illa mortem gustáret? Sed cedit legi latae ab eo,

quem génuit, et ut fília véteris Adam, véterem senténtiam súbiit: (nam et ejus Fílius, qui est vita ipsa, eam non recusávit) ut autem Dei viventis Mater, ad illum ipsum digne assúmitur.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dñus magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. — Quia fecit.

Lectio v.

HEVA, quae serpéntis suggestióni assénsum praebuit, partus dolóre, et mortis senténtia damnátur, et in inferórum collocátur penetrálibus. Hanc autem vere beátam, quae Dei verbo aures praestitit, et Spíritus sancti operatióne repléta est, atque ad Archángeli spiritálem salutatiónem, sine voluptáte et viríli consórtio, Dei Fílium concépit, et sine dolóre áliquo péperit, ac totam se Deo consecrávit, quonam modo mors devoráret? quómodo ínferi suscíperent? quómodo corrúptio inváderet corpus illud, in quo vita suscépta est? Huic recta, plana, et fácilis ad coelum paráta est via. Si enim: Ubi ego sum, illic et miníster meus erit, inquit vita et véritas Christus, quómodo non pótius Mater cum ipso erit?

℟. Beáta es, virgo María, quae Dóminum portásti Creatórem mundi: * Genuísti qui te fecit, et in aetérnum pérmanes virgo. ℣. Ave María, grátia plena: Dóminus tecum. — Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

In tertio Nocturno.

Antiphona. Gaude, María Virgo, * cunctas haereses sola interemísti in univérso mundo. Psalmus. Cantáte Dómino cánticum novum, cum reliquis ut in festis beatae Mariae Virginis. clxvii.

Ańa. Dignáre me * laudáre te, Virgo sacráta: da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ańa. Post partum * Virgo invioláta permansísti, Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

℣. María Virgo assúmpta est ad aethéreum thálamum. ℟. In quo Rex regum stellato sedet sólio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* x. *g.*

IN illo témpore: Intrávit Jesus in quoddam castéllum, et múlier quaedam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. xxvii. *de Verbis Domini, tomo* x.

SANCTUM Evangélium cum legerétur, audívimus a foemina religiósa suscéptum esse Dñum hospítio, éaque Martha vocabátur. Et cum esset ipsa occupáta in cura ministrándi, soror ejus María sedébat ad pedes Dómini, et audiébat verbum ejus. Laborábat illa, vacábat ista. Illa erogábat, haec implebátur. Verúmtamen Martha, labórans multum in illa occupatióne et negótio ministrándi, interpellávit Dóminum, et de soróre sua conquésta est, quod eam laborántem non adjuváret.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, * Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum. ℣. Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis, ex quibus delectavérunt te filiae regum in honóre tuo.— Proptérea. Benedíctio. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

Lectio viii.

DOMINUS autem pro María respóndit Marthae: et ipse ejus factus est advocátus, qui judex fuérat interpellátus. Martha, inquit, circa multa es occupáta, quando unum est necessárium. María meliórem partem elégit, quae non auferétur ab ea. Audívimus enim et interpellatiónem interpellántis, et senténtiam júdicis. Quae senténtia interpellánti respóndit, suscéptam defendit. Erat enim María inténta dulcédini verbi Dómini. Inténta erat Martha quómodo pásceret Dóminum: inténta María quómodo pascerétur a Dómino. A Martha convívium Dómino parabátur, in cujus convívio María jam jucundabátur.

℟. Beáta es, virgo María, Dei Génitrix, quae credidísti Dómino: perfécta sunt in te quae dicta sunt tibi: ecce exaltáta es super choros Angelórum: * Intercéde pro nobis ad Dñum Deum nostrum. ℣ Ave María, grátia plena: Dóminus tecum. — Intercéde. Glória Patri. Intercéde.

Lectio ix.

QUUM ergo María suáviter audíret verbum dulcíssimum, et corde intentíssimo pascerétur, interpeláto Dómino a soróre sua, quómodo putámus eam timuísse, ne díceret ei Dñus: Surge, et ádjuva sorórem tuam? Mira enim suavitáte tenebátur: quae profécto major est mentis, quam ventris. Excusáta est, sedit

secúrior. Quómodo autem excusáta? Attendámus, inspiciámus, perscrutémur quod póssumus, ut pascámur et nos.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Assúmpta est María* in coelum, gaudent Angeli, laudántes benedícunt Dóminum. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. María Virgo* assúmpta est ad aethéreum thálamum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio.

3. In odórem* unguentórum tuórum cúrrimus: adolescéntulae dilexérunt te nimis.

4. Benedícta* fília tu a Dómino, quia per te fructum vitae communicávimus.

5. Pulchra es* et decóra, fília Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Capitulum. *Eccli.* xxiv.

IN ómnibus réquiem quaesívi, et in haereditáte Dómini morábor. Tunc praecépit, et dixit mihi Creátor ómnium: et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

Hymn. O Gloriósa. clxxi.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad coeléstia regna.

Ad Bened. Aña. Quae est ista, quae ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

Oratio.

FAMULORUM tuórum, quaesumus Dómine, delíctis ignósce: ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur: Qui tecum vivit.

AD PRIMAM.

Aña. Assúmpta est María.

℟. br. Christe, Fili Dei vivi. ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM.

Aña. María Virgo.

Capitulum. In ómnibus réquiem, ut supra.

℟. br. Exaltáta est, * Sancta Dei Génitrix. Exaltáta est. ℣. Super choros Angelórum ad coeléstia regna. Sancta. Glória Patri. Exaltáta est.

℣. Assúmpta est María in coelum, gaudent Angeli. ℟. Laudántes benedícunt Dóminum.

AD SEXTAM.

Aña. In odórem.

Capitulum. *Eccli.* xxiv.

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas

mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei haeréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. br. Assúmpta est María in coelum, * Gaudent Angeli. Assúmpta est. ℣. Laudántes benedícunt Dóminum. Gaudent. Glória Patri. Assúmpta est.

℣. María Virgo assúmpta est ad aethéreum thálamum. ℟. In quo Rex regum stelláto sedet sólio.

AD NONAM.

Aña. Pulchra es.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

IN platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. br. María Virgo assúmpta est * Ad aethéreum thálamum. María Virgo. ℣. In quo Rex regum stelláto sedet sólio. Ad aethéreum. Glória Patri. María Virgo.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

IN II. VESPERIS.

Aña. Assúmpta est María, cum reliquis de Laudibus. 646.

Psalmi, Capitulum, et Hymnus, ut supra in primis Vesperis. 641.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℣. Super choros Angelórum ad coeléstia regna.

Ad Magnif. Aña. Hódie María Virgo coelos ascéndit : gaudéte quia cum Christo regnat in aetérnum.

Oratio. Famulórum, ut supra. 646.

Deinde fit Commemor. de sequenti festo S. Hyacinthi.

¶ Notandum, quod si Dominica infra Oct. Assumptionis (in qua agitur de festo S. Joachim) inciderit in diem xvi. hujus mensis, tunc in secundis Vesperis Assumptionis fit Commemoratio festi S. Joachim et Dominicae occurrentis tantum. In Laudibus festi S. Joachim fit Commemoratio Dominicae, Octavae Assumptionis ac S. Laurentii. In secundis autem Vesperis fit Commemoratio de die Octavae S. Laurentii, cum Aña et ℣. ex primis Vesperis Festi, et Oratione Excita, Dómine, ut infra ; deinde Dominicae, postea Octavae Assumptionis. Festum vero S. Hyacinthi transfertur in aliam diem.

Si autem dies decima septima fuerit Dominica, tunc festum S. Joachim transferatur in sequentem Feriam secundam nisi fuerit impe-

cília, quia agendum erit de die Octava S. Laurentii, cum Commemoratione Dominicae, et Octavae Assumptionis in primis Vesperis et Laudibus. In secundis Vesperis omnia dicuntur de S. Joachim cum Commemoratione diei Octavae S. Laurentii, Dominicae occurrentis, Octavae Assumptionis ac S. Agapiti Martyris.

Si vero die vigesima vel vigesima prima, tunc (translato festo S. Bernardi vel S. Joannae Franciscae de Chantal) agendum erit de festo S. Joachim, ut ponitur infra.

Si tandem contigerit die vigesima secunda, Officium tunc fit de die Octava Assumptionis, cum Commemoratione Dominicae ; festum vero S. Joachim transfertur ad primam diem non impeditam.

DOMINICA

Infra Octavam Assumptionis beatae Mariae Virginis.

Fit de festo S. Joachim, Confessoris, patris ejusdem beatae Mariae Virginis.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. **lxxxiii.** praeter sequentia.

In Hymno **Iste Confessor** dicatur :

Hac die laetus méruit supremos
Laudis honóres.

℣. Potens in terra erit semen ejus. ℟. Generátio rectórum benedicétur.

Ad Magnificat, Antiphona. **Laudémus virum gloriósum in generatióne sua, quia benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus : et testaméntum suum confirmávit super caput ejus.**

Oratio.

DEUS, qui prae ómnibus Sanctis tuis beátum Jóachim Genitrícis Fílii tui patrem esse voluísti : concéde quaesumus ; ut cujus festa venerámur, ejus quoque perpétuo patrocínia sentiámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commem. Dominicae occurrentis, et postea de Octava Assumptionis B. M. V., ut supra. **647.** nisi festum S. Joachim transferatur post Octavam praedictam.

In primo Nocturno, Lectiones de libro Ecclesiastici : **Beátus vir, qui invéntus est,** de Communi Confessoris non Pontificis. **xcv.**

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Epiphánii Episcopi.

Oratione de Laudibus Virginis, sub initium.

Lectio iv.

EE radíce Jesse ortus est rex David, et de tribu regis David sancta Virgo : sancta, inquam, et sanctórum virórum fília, cujus paréntes fuérunt Jóachim et Anna : qui quidem in vita sua Deo placuérunt, atque étiam fructum ejúsmodi germinavérunt, sanctam Vírginem Maríam, templum simul et matrem Dei. Jóachim porro, Anna, et María, hi tres Trinitáti palam sacrifícium laudis offerébant. Jóachim enim interpretátur, praeparátio Dñi, eo quod ex illo praeparátum sit templum Dómini, nempe Virgo. Anna rursus simíliter grátia interpretátur: propterea quod Jóachim et Anna grátiam accepérunt, ut, accedéntibus précibus, talem fructum germinárent, sanctam Vírginem adépti : Jóachim síquidem precabátur in monte, et Anna in horto suo.

℣. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.— Et dedit.

Sermo sancti Joánnis Damascéni.

Orat. i. *de Virg. Mariae Nativit. circa principium.*

Lectio v.

QUONIAM futúrum erat, ut Dei Génitrix et Virgo ex Anna orirétur, natúra grátiae foetum antevértere minime ausa est : verum tantísper expectávit, dum grátia fructum suum produxísset. Síquidĕ oportébat eam primogénitam in lucem edi, quae rerum ómnium conditárum primogénitum, in quo ómnia coagmentáta sunt, paritúra erat. O par beátum, Jóachim et Anna! Vobis omnis creatúra obstricta est. Per vos enim donum, ómnium donórum praestantíssimũ, Creatóri óbtulit, nempe castam Matrem, quae sola Creatóre digna erat.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.— Et ad portas paradísi.

Lectio vi.

EXULTA, Jóachim, quóniam ex fília tua fílius natus est nobis, et vocátur nomen ejus magni consílii, hoc est, salútis totíus mundi Angelus. Pudóre afficiátur Nestórius, ac manum ori impónat. Puer

hic Deus est. Quonam ígitur modo ea Dei Génitrix non sit, quae péperit? Si quis sanctam Dei Genitrícem non confitétur, a Deitáte remótus est. Mea non est haec orátio, quamquam alióqui mea: hanc enim diviníssimam haereditátem a theólogo patre Gregório accépi. O beátum par, Jóachim et Anna! Ac profécto ex ventris vestri fructu immaculáti agnoscímini, quemádmodum Christus quodam loco dixit: Ex frúctibus eórum cognoscétis eos. Ut Deo gratum erat, ac dignum ea, quae a vobis orta est, vitae vestrae ratiónes instituístis. Caste enim ac sancte múnere vestro functi, virginitátis thesáurum produxístis.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.— Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* i.

LIBER generatiónis Jesu Christi, fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Damascéni.

Ex libro 4. *de Fide orthodoxa, cap.* xv. *de Domini genealogia, et sanctae Dei Genitricis.*

QUOD Joseph ex Davídica tribu orúginem dúxerit, sanctíssimi Evangelístae Matthaeus et Lucas líquido demonstrárunt. Verum hoc inter eos discríminis est, quod Matthaeus ex Dávide per Salomónem Joséphum dedúcit, Lucas autem per Nathan. At vero sanctae Vírginis ortum utérque siléntio praetériit. Quocírca scire óperae prétium est, nec apud Hebraeos, nec apud Scriptúram sacram hoc in more pósitum fuísse, ut mulíerum genus recenserétur. Verum hoc demum lege cautum erat, ne tribus ulla uxóres ex áltera tribu accérseret. Ac proínde Joseph, qui ex tribu Davídica ortum trahébat, justítiamque colébat (hanc enim laudem ei tríbuit divínum Evangélium) sanctam Vírginem haudquáquam praeter legis praescríptum despondísset, nisi ex eódem sceptro genus duxísset. Ob idque satis hábuit Evangelísta demonstrásse, unde Joseph ortum tráxerit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dñum. Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.—Ipse.

Lectio viii.

IGITUR ex stirpe Nathan fílii David, Levi génuit Melchi et Panthérem. Panther autem génuit Barpanthérem (namque ita vocabátur). Barpánther rursus génuit Jóachim. Jóachim dénique génuit sanctam Dei Genitrícem. Rursus ex stirpe Salomónis, fílii David, Mathan ex uxóre sua génuit Jacob : mórtuo autem Mathan, Melchi ex tribu Nathan, fílius Levi, ac frater Panthéris, uxórem ipsíus Mathan, quae étiam Jacóbi mater erat, matrimónio sibi copulávit, atque ex ea génuit Heli : ita uteríni fratres erant Jacob et Heli : ille nimírum ex tribu Salomónis, hic ex tribu Nathan oriúndus. ¶ Porro Heli, qui ex tribu Nathan erat, nullis líberis suscéptis, e vita migrávit : eáque de causa, Jacob ipsíus frater, qui ex tribu Salomónis flúxerat, ipsíus uxórem accépit, fratríque suo semen excitávit, ac Joséphum progénuit. Joseph ítaque natúra quidem fílius Jacob erat a Salomóne oriúndus : legis autem ratióne patrem habébat Heli ex Nathan oriúndum. Quae cum ita sint, Jóachim lectíssimam illam, ac summis láudibus dignam mulíerem Annam matrimónio sibi copulávit. Verum quemádmodum prisca illa Anna, cum sterilitátis morbo laboráret, per oratiónem ac promissiónem Samuélem procreávit, eódem modo haec étiam per obsecratiónem et promissiónem Dei Genitrícem a Deo accépit, ut ne hic quoque cuíquam ex illústribus matrónis céderet. Itaque grátia (nam hoc sonat Annae vocábulum) Dóminam parit : (id enim Maríae nómine significátur). Vere étenim rerum ómnium conditárum Dómina facta est, cum Creatóris Mater éxtitit.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris : Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et vos.

Nona Lectio legitur de Homilia Dominicae occurrentis, et de ea fit Commem. in Laudibus.

In Laudibus omnia dicuntur de Communi Confess. non Pontificis, et post Hymnum Jesu coróna célsior, dicitur:

℣. Potens in terra erit semen ejus. ℟. Generátio rectórum benedicétur.

Ad Bened. Ánt. Laudémus virum gloriósum, et Oratio Deus, qui prae ómnibus, ut supra in primis Vesperis. 648.

Et fit Commemor. Dominicae occurrentis. Postea Octavae Assumptionis.

In secundis Vesp. omnia dicuntur de Comm. praeter Orationem Deus, qui prae ómnibus, ut supra. 648.

Et fit Commem. Dominicae occurrentis.

Postea de Octava Assumptionis.

DIE XVI. AUGUSTI.

In festo sancti Hyacinthi, Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confess. non Pontificis. lxxxiii. praeter ea quae hic habentur propria.

Ánt. Similábo eum viro sapiénti, qui aedificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Hyacínthi Confessóris tui ánnua solemnitáte laetíficas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

In Hymno Iste Confessor, dicatur:

Hac die laetus méruit suprémos
Laudis honóres.

Lectiones primi Nocturni de libro Scripturae eo tempore occurrentis, ut dictum est in Rubrica ante Dominicam tertiam Augusti. 212.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

HYACINTHUS Polónus, nobílibus et christiánis paréntibus in Caménsi villa episcopátus Uratislaviénsis natus est. A puerítia lítteris instrúctus, post datam jurisprudéntiae et sacris lítteris óperam, inter Canónicos Cracoviénses adscítus, insígni morum pietáte, et summa eruditióne caeteros antecélluit. Romae in Praedicatórum órdinem ab ipso institutóre sancto Domínico adscríptus, perféctam vivéndi ratiónem, quam ab ipso didícerat, usque ad finem vitae sanctíssime retínuit. Virginitátem perpétuo cóluit: modéstiam, patiéntiam, humilitátem, abstinéntiam, caeterásque virtútes, ut certum religiósae vitae patrimónium, adamávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum:* Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit illi claritátem

Lectio v.

CHARITATE in Deum fervens, íntegras saepe noctes fundéndis précibus, castigandóque córpori insúmens, nullum eídem levaméntum, nisi lápidi innixus, sive humi cubans, adhibébat. Remíssus in pátriam, Frisáci primum in itínere amplíssimum sui órdinis monastérium, mox Cracóviae álterum eréxit. Inde per álias Polóniae regni províncias, áliis quátuor exaedificátis, incredíbile dictu est, quantum verbi Dei praedicatióne, et vitae innocéntia apud omnes profécerit. Nullum diem praetermísit, quo non praeclára áliqua fídei, pietátis, atque innocéntiae argumenta praestíterit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas paradísi.

Lectio vi.

SANCTISSIMI viri stúdium erga proximórum salútem máximis Deus miráculis illustrávit. Inter quae illud insígne, quod Vándalum flúvium prope Visográdum aquis redundántem nullo navígio usus trajécit, sóciis quoque expánso super undas pállio tradúctis. Admirábili vitae génere ad quadragínta prope annos post professiónem perdúcto, mortis die suis frátribus praenuntiáto, ipso assúmptae Vírginis festo, Horis Canónicis persolútis, sacraméntis ecclesiásticis summa cum veneratióne percéptis, iis verbis: In manus tuas, Dñe, spíritum Deo réddidit, anno salútis millésimo ducentésimo quinquagésimo séptimo. Quem miráculis, étiam post óbitum illústrem, Clemens Papa octávus in Sanctórum número rétulit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam:* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in

Evangelium : Sint lumbi vestri, de Communi Confessoris. xcii.

In Laudibus fit Commemoratio Oct. Assumptionis. Ańa. Quae est ista, quae ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, eléćta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad coeléstia regna.

Oratio.

FAMULORUM tuórum, quasumus Dñe, delíctis ignósce : ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur.

Et S. Laurentii, Ańa. In cratícula te Deum non negávi, et ad ignem applicátus te Christum conféssus sum : probásti cor meum, et visitásti nocte : igne me examinásti et non est invénta in me iníquitas.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus manet in saeculum saeculi.

Oratio.

DA nobis, quaesumus omnípotens Deus, vitiórum nostrórum flammas extínguere : qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per Dóminum nostrum.

In secundis Vesperis a Capitulo fit de die Octava S. Laurentii cum Commemoratione S. Hyacinthi, et Octavae Assumptionis.

DIE XVII. AUGUSTI.

In Octava sancti Laurentii. Duplex.

Omnia dicuntur sicut in die festo, 619. praeter Orationem et Lectiones.

Oratio.

EXCITA Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, cui beátus Lauréntius Levíta servívit : ut eódem nos repléti, studeámus amáre quod amávit, et ópere exercére quod dócuit. Per Dñum.... in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus.

Pro sancto Hyacintho, Ańa. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias coelo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Hyacínthi, Confessóris tui, ánnua solemnitáte laetíficas : concéde propítius ; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur.

Pro Octava Assumptionis. Ańa. Hódie María Virgo coelos ascéndit : gaudéte,

quia cum Christo regnat in aetérnum.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad coeléstia regna.

Oratio. Famulórum, ut supra. 654.

Lectiones primi Nocturni, de libro Scripturae eo tempore occurrentis, ut dictum est in Rubrica ante Dominicam tertiam Augusti. 212.

In secundo Nocturno.

Ex Tractátu sancti Augustíni Epíscopi in Joánnem. *Tractatu* xxvii. *in fine.*

Lectio iv.

CERTI sumus, fratres, quia omnes, qui sumus in córpore Dómini, et manémus in illo, ut et ipse máneat in nobis, in hoc saeculo necésse habémus usque in finem inter malos vívere : non inter illos dico malos, qui blasphémant Christum : raro enim jam inveniúntur, qui lingua blasphémant ; sed multi, qui vita. Necésse est ergo, ut inter illos usque in finem vivámus. Sed quid est quod ait : Qui manet in me, et ego in illo? Quid, nisi quod Mártyres audiébant : Qui perseveráverit usque in finem, hic salvus erit ?

℟. Quo progréderis sine fílio, pater? Quo, Sacérdos sancte, sine Diácono próperas ? ℣. Tu nunquam sine minístro sacrifícium offérre consuéveras. ℣. Quid ergo in me displícuit paternitáti tuae? numquid degénerem me probásti?experíre,utrum idóneum minístrum elégeris, cui commisísti Domínici sánguinis dispensatiónē.— Tu nunquam.

Lectio v.

QUOMODO mansit in illo sanctus Lauréntius, cujus hódie festum diem celebrámus? Mansit usque ad tentatiónem, mansit usque ad tyránnicam interrogatiónem, mansit usque ad acérrimam comminatiónē, mansit usque ad peremptiónem. Parum est : usque ad immánem excruciatiónem mansit. Non enim occísus est cito, sed cruciátus est in igne. Diu vívere permíssus est : imo non diu vívere permíssus est, sed tarde mori compúlsus est. In illa ergo longa morte, in illis torméntis, quia bene manducáverat, et bene bíberat, tamquam illa esca saginátus, et illo cálice ébrius, torménta non sensit.

℟. Noli me derelínquere, pater sancte, quia thesáuros tuos jam expéndi : ℣. Non ego te désero, fili, neque derelínquo : sed majóra tibi debéntur pro fide Christi certámina. ℣. Nos quasi

senes levióris pugnae cursum recípimus, te autem quasi júvenem manet gloriósior de tyránno triúmphus: post tríduum me sequéris Sacerdótem Levíta.—Non ego te désero.

Lectio vi.

DIXERAT autem illi Xystus Martyr sanctus, cujus diem quinto abhinc retro die celebrávimus: Noli moerére, fili, (Epíscopus enim erat ille, iste Diáconus) noli moerére, inquit, sequéris me post tríduum. Tríduum autem dixit, médium inter diem passiónis sancti Xysti, et diem hodiérnam passiónis sancti Lauréntii. Tríduum est médium. O consolátio! Non ait, Noli moerére, fili, désinet persecútio, et secúrus eris; sed, Noli moerére: quo ego praecédo, tu sequéris; nec consecútio tua differtur. Tríduum médium erit, et mecum eris. Accépit orácului, vicit diábolum, pervénit ad triúmphum.

℟. Beátus Lauréntius clamávit, et dixit: Deum meum colo, illi soli sérvio, * Et ídeo non tímeo torménta tua. ℣. Mea nox obscúrum non habet, sed ómnia in luce claréscunt.—Et ídeo. Glória Patri. Et ídeo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* xii. *d.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit; ipsum solum manet. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia lxvi. *in Joannem.*

SULCIS praesens vita est, et multae plena voluptátis, non tamen ómnibus, sed iis tantum, qui illi sunt affíxi. Quod si quis in coelum suspéxerit, et quae ibi praeclára sunt, contemplátus fúerit, statim hanc contémnet, ac nullíus prétii existimábit. Nam et córporum pulchritúdo, quoad púlchrius non deprehénditur, in admiratióne habétur: cum vero áliud praestántius apparúerit, illa prior despícitur. Quod si illam pulchritúdinem étiam nos intuéri voluérimus, et coeléstis regni spéciem considerare, conféstim nos hujus saeculi vínculis dissolvémus.

℟. In cratícula te Deum non negávi, * Et ad ignem applicátus, te Dóminum Jesum Christum conféssus sum. ℣. Probásti, Dómine, cor meum, et visitásti nocte.—Et ad ignem applicátus.

Lectio viii.

TINCULUM namque est terrenárum rerum affléctio : ad cujus dissolutiónem ut nos indúceret Christus, quid dicat, atténde : Qui amat ánimã suam, perdet eam : et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam. Ænígmati símile hoc dictum vidétur : non tamen ita est, imo vero praecípuae sapiéntiae plenum. Et quómodo qui amat ánimam suam, perdet eam? Qui absúrdis ejus cupiditátibus obtémperat, qui praeter débitum ei indúlget : quemádmodum e contrário, qui odit eam in hoc mundo, custódit eam : hoc est, qui non paret ei, cum nóxia jubet.

℟. O Hippólyte, si credíderis in Dóminum Jesum Christum, * Et thesáuros tibi osténdo, et vitam aetérnam promítto. ℣. Beátus Lauréntius Hippólyto dixit: Si credis in Dñum Jesum Christum. — Et thesáuros. Glória Patri. Et thesáuros.

Lectio ix.

ET non dixit : Qui non paret, sed : qui odit. Sícuti enim quos ódio habémus, ne vocem quidem audíre, nec vultum eórum vidére aequo ánimo pátimur : ita et ánimae, si quid praeter Dei voluntátem nobis ímperat, veheménter aversári opórtet. Cum enim jam de morte ad eos verba factúrus esset, de morte vidélicet sua, et praevidéret eórum tristítiam et exanimatiónem, per excéssum locútus est, ínquiens : Quid dico, si mortem meam generóse non ferétis? nisi vos ipsi moriámini, nullum vos sequétur emoluméntum.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Commemoratio Octavae Assumptionis, Ańa. Quae est ista. ℣. Exaltáta est. Oratio. Famulórum tuórum. 654.

In secundis Vesperis fit Commemoratio Octavae Assumptionis, Ańa. Hódie María Virgo. ℣. Exaltáta est. Oratio. Famulórum tuórum, ut supra. 654.

Deinde S. Agapiti, Martyris, Ańa. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuarum.

Oratio.

LAETETUR Eccléssia tua, Deus, beáti Agapíti Mártyris tui confísa suffrágiis : atque ejus précibus gloriósis et devóta

permáneat, et secúra consístat. Per Dóminum.

DIE XVIII. AUGUSTI.

Quarta die infra Octávam Assumptionis B. Mariae Virginis.

In primo Nocturno.

De Cánticis canticórum.

Lectio i. *Cap.* iv.

QUAM pulchra es amica mea, quam pulchra es! Óculi tui columbárum, absque eo, quod intrínsecus latet. Capílli tui sicut greges caprárũ, quae ascendérunt de monte Gálaad. Dentes tui sicut greges tonsárum, quae ascendérunt de lavácro, omnes geméllis foetibus, et stérilis non est inter eas. Sicut vitta coccínea, lábia tua: et elóquium tuum, dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genae tuae, absque eo, quod intrínsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quae aedificáta est cum propugnáculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium.

℟. Vidi speciósam. 642.

Lectio ii.

TOTA pulchra es amíca mea, et mácula non est in te. Veni de Líbano sponsa mea, veni de Líbano, veni: coronáberis de cápite Amana, de vértice Sanir et Hermon, de cubílibus leónum, de móntibus pardórum. Vulnerásti cor meum soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, et in uno crine colli tui. Quam pulchrae sunt mammae tuae soror mea sponsa! Pulchrióra sunt úbera tua vino, et odor unguentórum tuórum super ómnia arómata.

℟. Sicut cedrus. 642.

Lectio iii.

FAVUS distíllans lábia tua sponsa, mel et lac sub lingua tua: et odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris. Hortus conclúsus soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus. Emissiónes tuae paradísus malórum punicórum cum pomórum frúctibus. Cypri cum nardo, nardus et crocus, fístula et cinnamómum cum univérsis lignis Líbani, myrrha et áloe cum ómnibus primis unguéntis. Fons hortórum: púteus aquárum vivéntium, quae fluunt ímpetu de Líbano.

℟. Quae est ista. 643.

In secundo Nocturno.

De Sermóne sancti Joánnis Damascéni.

Oratione ii. *de dormitione Deiparae, sub finem.*

Lectio iv.

EX antíqua accépimus traditióne, quod témpore gloriósae dormitiónis beátae Vírginis, univérsi quidem sancti Apóstoli, qui orbem terrae ad salútem Géntium peragrábant, moménto témporis in sublíme eláti convenérunt Jerosólymis : cumque illic essent, eis vísio appáruit angélica, et audíta est psalmódia coeléstium potestátum; et sic cum divína glória in manus Dei sanctam trádiditánimam. Ejus autem corpus, quod Deum ineffábili quadam ratióne suscépit, cum angélica et apostólica hymnódia elátum, in lóculo fuit depósitum Gethsémane : quo in loco Angelórum cantus mansit tres dies contínuos.

℟. Ornátam. 643.

Lectio v.

POST tres autem dies angélico cantu cessánte, qui áderant Apóstoli, (cum unus Thomas qui abfúerat, post tértium diem venísset, et quod Deum suscéperat, corpus adoráre voluísset) túmulum aperuérunt : sed omni ex parte sacrum ejus corpus nequáquam invenire potuérunt. Cum ea autem tantum invenissent, in quibus fúerat compósitum, et ineffábili, qui ex iis proficiscebátur, essent odóre repléti, lóculum clausérunt. Ejus mystérii obstupefácti miráculo, hoc solum cogitáre potuérunt, quod cui plácuit ex María Vírgine carnem súmere, et hóminem fieri et nasci, cum esset Deus Verbum, et Dóminus glóriae: quique post partum incorrúptam servávit ejus virginitátem, eídem étiam plácuit et ipsíus, postquam migrávit, immaculátum corpus, incorrúptum servátum, translatióne honoráre ante commúnem et universálem resurrectiónem.

℟. Beátam me. 644.

Lectio vi.

ADERANT tunc cum Apóstolis sanctíssimus Timótheus, primus Epíscopus Ephesiórum, et Dionysius Areopagíta, sicut ipse testátur in iis, quae de beáto Hierótheo, qui ipse quoque tunc áderat, scripsit ad praedictum Timótheum, sic dicens : Nam étiam apud ipsos a Deo afflátos sacrórũ Antístites, quando nos quoque, ut nosti, et multi ex sanctis nostris frátribus, ad contuéndum corpus, quod vitae princípium dedit, et Deum suscépit, convenissémus : (áderat autem et Dómini frater Jacóbus, et Petrus, supréma et antiquíssima

theologórum súmmitas ;) et viso sacro córpore, plácuit ómnibus, prout quisque póterat, hymnis celebráre infinítam bonitátem divínae poténtiae.

℟. Beáta es. 644.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* x. *g.*

IN illo témpore : Intrávit Jesus in quoddam castéllum, et múlier quaedam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

De Homilía S. Augustíni Epíscopi.

Ex Serm. xxvii. *de Verbis Domini.*

ENE Martha circa corporálem Dñi, quid dicam, necessitátem, an voluntátem ? ministrábat carni mortáli. Sed quis erat in carne mortáli? In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Ecce quod María audiébat : Verbum caro factum est, et habitávit in nobis. Ecce Martha cui ministrábat. Ergo María meliórem partem elégit, quae non auferétur ab ea. Hoc enim elégit, quod semper manébit, ídeo non auferétur ab ea.

℟. Diffúsa est. 645.

Lectio viii.

CIRCA unum María se vóluit occupári. Jam tenébat : Mihi autem adhaerére Deo bonum est. Sedébat ad pedes cápitis nostri. Quanto humílius sedébat, tanto ámplius capiébat. Cónfluit enim aqua ad humilitátem convállis, dénatat de tumóribus collis. Non ergo Dñus opus reprehéndit, sed munus distínxit. Circa multa es occupáta : porro unum est necessárium. Jam hoc sibi María elégit.

℟. Beáta es. 645.

Pro S. Agapito, Martyre.

Lectio ix.

GAPITUS Praenestínus, quíndecim annos natus, Aureliáno imperatóre, martyrii cupidíssimus, cum propter constántiam religiónis, imperatóris jussu primum nervis diutíssime caesus, deínde in tetrum cárcerem conjéctus esset, ut nihil omníno per quátuor dies gustáret, e custódia est edúctus, et ardéntibus carbónibus cápiti ejus impósitis, Deo agens grátias, íterum affléctus verbéribus, nudus ita pédibus suspénsus est, ut ingens fumus e subjécto igne os ejus obrúeret. Tum fervens aqua in ejus ventrem effúsa est, maxillaeque

confráctae. Quo témpore judex e tribunáli lapsus, paulo post mórtuus est. Ea re incénso imperatóre, sanctum júvenem jubénte feris óbjici, cum illae non audérent attíngere, Praenéste gládio percússus est.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Commemoratio sancti Agapiti, Martyris, Añia. Qui odit ánimam suam in hoc mundo in vitam aetérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Laetétur Eccléssia. 657.

DIE XIX. AUGUSTI.

Quinta die infra Octavam Assumptionis B. Mariae V.

In primo Nocturno.

De Cánticis canticórum.

Lectio i. *Cap.* v. *c.*

ADJURO vos fíliae Jerúsalem, si invenéritis dilectum meum, ut nuntiétis ei quia amóre lángueo. Qualis est dilectus tuus ex dilécto, o pulchérrima mulíerum? qualis est dilectus tuus ex dilécto; quia sic adjurásti nos? Dilectus meus cándidus et rubicúndus, eléctus ex míllibus. Caput ejus aurum óptimum : comae ejus sicut elátae palmárum, nigrae quasi corvus. Oculi ejus sicut colúmbae super rívulos aquárum, quae lacte sunt lotae, et résident juxta fluénta plenissima.

℟. Vidi speciósam. 642.

Lectio ii. *Cap.* vi.

DILECTUS meus descéndit in hortum suum ad aréolam arómatum, ut pascátur in hortis, et lília cólligat. Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Pulchra es amíca mea, suávis, et decóra sicut Jerúsalem : terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Avérte óculos tuos a me, quia ipsi me avoláre fecérunt. Capílli tui sicut grex caprárum, quae apparuérunt de Gálaad. Dentes tui sicut grex óvium, quae ascendérunt de lavácro, omnes geméllis foetibus, et stérilis non est in eis.

℟. Sicut cedrus. 642.

Lectio iii.

UNA est colúmba mea, perfécta mea, una est matris suae, eléta genitrici suae. Vidérunt eam fíliae, et beatíssimam praedicavérunt: regínae et concubínae, et laudavérunt eam. Quae est ista, quae progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, eléta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

Descéndi in hortum nucum, ut vidérem poma convállium, et inspícerem si floruísset vínea, et germinássent mala púnica. Nescívi : ánima mea conturbávit me propter quadrígas Amínadab. Revértere, revértere, Sunamítis : revértere, revértere, ut intueámur te.

℟. Quae est ista. 643.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Bernárdi Abbátis. *Sermone* i. *de Assumptione B. Mariae.*

Lectio iv.

VIRGO hódie gloriósa coelos ascéndens, supernórum gáudia cívium copiósis sine dúbio cumulávit augméntis. Haec est enim, cujus salutatiónis vox et ipsos exultáre facit in gáudio, quos matérna adhuc víscera claudunt. Quod si párvuli necdum nati ánima liquefácta est, ut María locúta est : quid putámus, quaenam illa fúerit coeléstium exultátio, cum et vocem audíre, et vidére fáciem, et beáta ejus frui praeséntia meruérunt ?

℟. Ornátam. 643.

Lectio v.

SED et illud quis cogitáre sufficiat, quam gloriósa hódie mundi Regína procésserit, et quanto devotiónis affécu tota in ejus occúrsum coeléstium legiónum prodíerit multitúdo ; quibus ad thronum glóriae cánticis sit dedúcta ; quam plácido vultu, quam seréna fácie, quam divínis ampléxibus suscépta a Fílio, et super omnem exaltáta creatúram cum eo honóre, quo tanta Mater digna fuit, cum ea glória, quae tantum décuit Fílium?

℟. Beátam me. 644.

Lectio iv.

FELICIA prorsus óscula lábiis imprássa lacténtis, cui virgíneo Mater applaudébat in grémio. Verum numquid non felicióra censébimus quae ab ore sedéntis in déxtera Patris hódie in beáta salutatióne suscépit, cum ascénderet ad thronum glóriae, epithalámium canens, et dicens : Osculétur me ósculo oris sui ? Christi generatiónem, et Maríae assumptiónē quis enarrábit ? Quantum enim grátiae in terris adépta est prae caeteris, tantum et in coelis óbtinet glóriae singuláris.

℟. Beáta es. 644.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* x. *g.*

IN illo témpore : Intrávit Jesus in quoddam castéllum, et múlier quae-

dam Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

De Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Ex Serm. xxvii. *de Verbis Domini.*

TRANSIT labor multitúdinis, et rémanet cháritas unitátis. Ergo quod elégit María, non auferétur ab ea : a te autem, Martha, quod elegísti ; útique hoc séquitur, útique hoc subintellígitur ; a te, quod elegísti, auferétur : sed bono tuo auferétur; ut, quod mélius est, detur. Auferétur enim a te labor, ut réquies detur. Tu návigas : illa jam in portu est.

℟. Diffúsa est grátia. 645.

Lectio viii.

VIDETIS ergo, caríssimi, et quantum árbitror, jam intellígitis in his duábus muliéribus, quae ambae fuérunt Dño gratae, ambae amábiles, ambae discípulae, vidétis ergo, et magnum áliquid intellígitis, quicúmque intellígitis, quod audíre et scire debétis étiam qui non intellígitis, in his duábus muliéribus duas vitas esse figurátas, praeséntem et futúram, laboriósam et quiétam, aerumnósam et beátam, temporálem et aetérnam.

℟. Beáta es. 645.

Lectio ix.

QUAE sunt vitae : de illis vos copiósius cogitáte. Quid hábeat haec vita, non dico mala, non iníqua, non nefária, non luxuriósa, non ímpia : sed laboriósa, et aerúmnis plena, timóribus castigáta, tentatiónibus sollícita : hanc ipsam innocéntem vitam dico, qualem decébat habére Martham. Hanc ergo, quantum potéstis, inspícite, et de hac, ut dixi, copiósius, quam lóquimur, cogitáte. Vita vero iníqua áberat ab illa domo, nec cum Martha erat, nec cum María, et si aliquándo fuit, Dómino intránte, fugit.

Te Deum laudámus. 17.

Vesperae de sancto Bernardo cum Commem. Octavae Assumptionis.

DIE XX. AUGUSTI.

In festo S. Bernardi, Abbatis et Doctoris.
Duplex.

IN UTRISQUE VESPERIS.

Ańa. O Doctor óptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte Bernárde, divínae legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio.

DEUS, qui pópulo tuo aetérnae salútis beátum Bernárdum minístrum

tribuísti : praesta quaesumus ; ut, quem Doctórem vitae habúimus in terris, intercessórem habére meréamur in coelis. Per Dóminum.

Deinde fit Commem. de Octava Assumptionis, Añn. Hódie María Virgo. ℣. Exaltáta est. Oratio. Famulórum tuórum. 654.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BERNARDUS, Fontánis in Burgúndia honésto loco natus, adoléscens propter egrégiam formam veheménter sollicitátus a muliéribus, nunquam de sententia coléndae castitátis dimovéri pótuit. Quas diáboli tentatiónes ut effúgeret, duos et vigínti annos natus, monastérium Cisterciénse, unde hic ordo incépit, et quod tum sanctitáte florébat, íngredi constítuit. Quo Bernárdi consílio cógnito, fratres summópere conáti sunt eum a propósito deterrére : in quo ipse eloquéntior et felícior fuit. Nam sic eos, aliósque multos in suam perdúxit sententiam, ut cum eo trigínta júvenes eámdem religiónem suscéperint. Mónachus jejúnio ita déditus erat, ut quóties suméndus esset cibus, tóties torméntum subíre viderétur. In vigíliis étiam et oratiónibus mirífice se exercébat, et christiánam paupertátem colens, quasi coeléstem vitam agébat in terris, ab omni caducárum rerum cura et cupiditáte aliénam.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. —Et dedit.

Lectio v.

QUCEBAT in eo humílitas, misericórdia, benígnitas : contemplatióni autem sic addíctus erat, ut vix sénsibus, nisi ad offícia pietátis, uterétur : in quibus tamen prudéntiae laude excellébat. Quo in stúdio occupátus, Genuénsem ac Mediolanénsem, aliósque episcopátus oblátos recusávit, profétssus se tanti offícii múnere indígnum esse. Abbas factus Claravallénsis, multis in locis aedificávit monastéria, in quibus praeclára Bernárdi institútio, ac disciplína diu víguit. Romae, sanctórum Vincéntii et Anastásii monastério ab Innocéntio secúndo Papa restitúto, praefécit Abbátem illum, qui póstea Eugénius tértius summus

Póntifex fuit, ad quem étiam librum misit de Consideratióne.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, * et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

QULTA praetéreа scripsit, in quibus appáret, eum doctrína pótius divínitus trádita, quam labóre comparáta, instrúctum fuísse. In summa virtútum laude exorátus a máximis princípibus de eórum componéndis controvérsiis, et de ecclesiásticis rebus constituéndis saepius in Itáliam venit. Innocéntium item secúndum Pontíficem máximum in confutándo schísmate Petri Leónis, cum apud imperatórem, et Henrícum Angliae regem, tum in concílio Pisis coácto egrégie adjúvit. Dénique tres et sexagínta annos natus obdormívit in Dómino, ac miráculis illústris ab Alexándro tértio Papa inter Sanctos relátus est. Pius vero octávus Póntifex máximus ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consílio sanctum Bernárdum universális Ecclésiae Doctórem declarávit et confirmávit, nec non Missam et Offícium de Doctóribus ab ómnibus recitári jussit, atque indulgéntias plenárias quotánnis in perpétuum órdinis Cisterciénsiũ ecclésias visitántibus die hujus Sancti festo concéssit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia super Evang. Vos estis sal terrae, de Communi Doctorum. lxxx.

Et fit Commem. de Octava Assumptionis, Aña. Quae est ista. ℣. Exaltáta est. Oratio. Famulórum, ut supra. 654.

Vesperae a Capítulo de sequenti, Commem. praecedentis, et Octavae.

DIE XXI. AUGUSTI.

In festo S. Joannae Franciscae Fremiot de Chantal, Viduae. Duplex.

Omnia de Communi nec Virginis nec Martyr. cxxiii. praeter ea quae sequuntur.

Oratio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, qui beátam Joánnam Francí-

scam tuo amóre succénsam admirábili spíritus fortitúdine per omnes vitae sémitas in via perfectiónis donásti, quique per illam illustráre Ecclésiam tuam nova prole voluísti : ejus méritis et précibus concéde ; ut qui infirmitátis nostrae cónscii de tua virtúte confídimus, coeléstis grátiae auxílio cuncta nobis adversántia vincámus. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio S. Bernardi, Añia. O Doctor óptime, ut in primis Vesperis. 663. ℣. Justum dedúxit. xcv. Oratió. Deus qui pópulo. 663.

Deinde Octávae Assumptionis. 654.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

OANNA Francísca Frémiot a Chantal, Divióne in Burgúndia clarissimis orta natálibus, ab ineúnte aetáte exímiae sanctitátis non obscúras édidit significatiónes. Eam enim vix quinquénnem nóbilem quemdam Calvinístam sólida supra aetátem argumentatióne perstrinxísse ferunt, collatúmque ab eo munúsculum flammis íllico tradidísse in haec verba : En quómodo haerétici apud ínferos comburéntur, qui loquénti Christo fidem detréctant. Matre orbáta, Deíparae Vírginis tutélae se commendávit, et fámulam, quae ad mundi amórem eam alliciébat, ab se rejécit. Nihil puerile in móribus éxprimens, a saeculi delíciis abhórrens, martyriúmque anhélans, religióni ac pietáti impénse studébat. Baróni de Chantal núptui a patre trádita, virtútibus ómnibus excoléndis óperam dedit, líberos, fámulos, aliósque sibi subjéctos in fídei doctrína, bonísque móribus imbúere sátagens. Profúsa liberalitáte páuperum inópiam sublevábat, annóna divínitus non raro multiplicáta : quo factum est, ut némini se unquam Christi nómine rogánti stipem abnegatúram spopónderit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Et dedúcet.

Lectio v.

TIRO in venatióne interémpto, perfectióris vitae consílium iniens, continéntiae voto se obstrínxit. Viri necem non solum aequo ánimo tulit, sed in públicum indúltae véniae testimónium occisóris fílium e sacro fonte suscípere sui victrix

elégit. Módica família, ténui victu atque vestítu contenta, pretiósas vestes in pios usus convértit. Quidquid a domésticis curis supérerat témporis, précibus, piis lectiónibus, laboríque impendébat. Nunquam addúci pótuit, ut álteras núptias, quamvis útiles et honoríficas, iníret. Ne autem a propósito castimóniae observándae in pósterum dimoverétur, illíus voto innováto, sanctíssimum Jesu Christi nomen candénti ferro péctori inscúlpsit. Ardéntius in dies charitáte fervéscens, páuperes, derelíctos, aegros, teterrimísque morbis inféctos ad se adducéndos curábat ; eósque non hospítio tantum excipiébat, solabátur, fovébat, verum étiam sórdidas eorúmdem vestes depurgábat, láceras reficiébat, et manántibus foetido pure ulcéribus lábia admovére non exhorrébat.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam.— Proptérea.

Lectio vi.

A SANCTO Francísco Salésio, quo spíritus moderatóre usa fuit, divínam voluntátem edócta, próprium paréntem, sócerum, fílium dénique ipsum, quem étiam vocatióni obsisténtem, sua e domo egrédiens, pédibus calcáre non dubitávit, invícta constántia deséruit, et sacri institúti Visitatiónis sanctae Maríae fundaménta jecit. Ejus institúti leges integérrime custodívit, et ádeo paupertátis fuit amans, ut vel necessária sibi deésse gaudéret. Christiánae vero ánimi demissiónis et obediéntiae, virtútum dénique ómnium perfectíssimum exémplar se praebuit. Altióres in corde suo ascensiónes dispónens, arduíssimo efficiéndi semper id, quod perféctius esse intellígeret, voto se obstrínxit. Dénique, sacro Visitatiónis institúto ejus potíssimũ ópera longe latéque diffúso, verbo, exémplo et scriptis étiam divína sapiéntia refértis, ad pietátem et charitátem sorórибus excitátis, méritis reférta et sacraméntis rite suscéptis, Molínis anno millésimo sexcentésimo quadragésimo primo, die decimatértia Decémbris, migrávit ad Dñum, ejúsque ánimam, occurrénte sancto Francísco Salésio, in coelos deférri sanctus Vincéntius a Paulo procul distans aspéxit. Ejus corpus póstea Annécium translátum fuit: eámque miráculis ante et post óbitum

claram Benedíctus decimusquártus Beatórum, Clemens decimustértius albo Sanctórum adjécit. Festum autem ejúsdem die duodécimo Kaléndas Septémbris ab univérsa Ecclésia Clemens decimusquártus Póntifex máximus celebrári praecépit.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum et laudent eam in portis ópera ejus. — Múlier. Glória Patri. Múlier.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Símile est regnum coelórum thesáuro, ut in Communi non Virginum. cxxvi.

Vesperae de sequenti, Commemoratio praeced. et SS. Martyrum, ut infra.

DIE XXII. AUGUSTI.

In Octava Assumptionis B. Mariae Virginis.

Omnia ut in primis Vesperis festi. 641.

Deinde fit Commem. sanctae Joannae Franciscae, Viduae, Añа. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Oratio. Omnípotens et misércors, ut supra. 665.

Pro Commem. SS. Timothei, Hippolyti et Symphoriani, MM., Añа. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

AUXILIUM tuum nobis, Dómine, quaesumus, placátus impénde : et intercedéntibus beátis Martyribus tuis Timótheo, Hippólyto et Symphoriáno, dexteram super nos tuae propitiatiónis exténde. Per Dóminum.

In primo Nocturno.

De Cánticis canticorum.

Lectio i. *Cap.* viii. *b.*

QUAE est ista, quae ascéndit de desérto, delíciis áffluens, innixa super diléctum suum ? Sub árbore malo suscitávi te : ibi corrúpta est mater tua, ibi violáta est génitrix tua. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum : quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut infernus

aemulátio : lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam, ascendéntem désuper rivos aquárum: cujus inaestimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus :* Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. ℣. Quae est ista, quae ascéndit per desértum sicut vírgula fumi, ex aromátibus myrrhae et thuris ?—Et sicut.

Lectio ii.

AQUAE multae non potuérunt extínguere charitátem, nec flúmina óbruent illam : si déderit homo omnem substántiam domus suae pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. Soror nostra parva, et úbera non habet : quid faciémus soróri nostrae in die quando alloquénda est ? Si murus est, aedificémus super eum propugnácula argéntea : si óstium est, compingámus illud tábulis cédrinis.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta,* Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans.—Dedi.

Lectio iii.

EGO murus : et úbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem repériens. Vínea fuit pacífico in ea, quae habet pópulos : trádidit eam custódibus, vir affert pro fructu ejus mille argénteos. Vínea mea coram me est. Mille tui pacífici, et ducénti his, qui custódiunt fructus ejus. Quae hábitas in hortis, amíci auscúltant: fac me audíre vocem tuam. Fuge dilécte mi, et assimiláre cápreae hinnulóque cervórum super montes arómatum.

℟. Quae est ista, quae procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalē ?* Vidérunt eam fíliae Sion, et beátam dixérunt, et regínae laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. — Vidérunt. Glória Patri. Vidérunt.

In secundo Nocturno.

De Sermóne S. Bernárdi Abbátis.

Sermone iv. *de Assumptione B. M. V., circa medium.*

Lectio iv.

NON est équidem quod me magis deléctet, sed nec est quod térreat magis, quam de glória Vírginis Maríae habére sermónem. Ecce enim si in ea laudávero virginitátem, mihi multae vírgines post eam vidéntur offérri. Si humilitátem praedicávero,

inveniéntur forte vel pauci, qui (docénte Fílio ejus) mites facti sunt et húmiles corde. Si magnificáre volúero misericórdiae ejus multitúdinem, sunt áliqui misericórdiae viri étiam et mulíeres. Unum est, in quo nec primam símilem visa est, nec habére sequéntem, gáudia matris habens cum virginitátis honóre. Maríae privilégium est, non dábitur álteri : singuláre est, sed contínuo étiam indicíbile invenítur.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliae Sion, beatíssimā praedicavérunt, dicéntes : Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.—Et vidéntes.

Lectio v.

TERUMTAMEN non hoc tantum, si diligénter atténdas, sed caeteras quoque virtútes singuláres prorsus invénies in María, quae videbántur esse commúnes. Quae enim vel angélica púritas virginitáti illi áudeat comparári, quae digna fuit Spíritus sancti sacrárium fieri, et habitáculum Fílii Dei? Quanta vero, et quam pretiósa humilitátis virtus cum tanta puritáte, cum innocéntia tanta, cum consciéntia prorsus absque delícto, imo cum tantae grátiae plenitúdine? Unde tibi humílitas, et tanta humílitas, o béata? Digna plane quam respíceret Dñus, cujus decórem concupísceret Rex, cújus odóre suavíssimo ab aetérno illo patérni sinus attraherétur accúbitu.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes:* Quia fecit mihi Dñus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum.—Quia fecit.

Lectio vi.

ECCE jam quibus potúimus votis ascendéntem te ad Fílium dedúximus, et prosecúti sumus saltem a longe, Virgo benedícta. Sit pietátis tuae, ipsam, quam apud Deum grátiam invenísti, notam fácere mundo, reis véniam, medélam aegris, pusíllis corde robur, afflíctis consolatiónem, periclitántibus adjutórium et liberatiónem sanctis tuis précibus obtinéndo. In hac quoque die solemnitátis et laetítiae, dulcíssimum Maríae nomen cum laude invocántibus sérvulis, per te, Regína clemens, grátiae suae múnera largiátur Jesus Christus, Fílius tuus, Dóminus noster, qui est super ómnia

Deus benedíctus in saecula. Amen.

℟. Beáta es Virgo María, quae Dóminum portásti, Creatórem mundi: * Genuísti qui te fecit, et in aetérnum pérmanes Virgo. ℣. Ave María, grátia plena: Dñus tecum. — Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* x. *g.*

IN illo témpore: Intrávit Jesus in quoddam castéllum, et múlier quaedam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. ii. *de Assumptione B. Mariae V.*

QUID introísse eum dícimus in castéllum? Etiam in angustíssimum virgináles úteri diversórium introívit. Dénique et múlier quaedam excépit illum in domum suam. Felix múlier, cujus domus, Salvatóre suscépto, invénta est munda quidem, sed plane non vácua. Quis enim vácuam díxerit, quam salútat Angelus grátia plenam? Neque hoc solum, sed adhuc quoque in eam superventúrum ásserit Spíritum sanctum. Ad quid putas, nisi ut étiam superímpleat eam? Ad quid, nisi ut adveniénte jam Spíritu plena sibi, eódem superveniénte, nobis quoque superpléna et supereffluens fiat?

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, * Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum. ℣. Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis, ex quibus delectavérunt te fíliae regum in honóre tuo. — Proptérea.

Lectio viii.

INTRET ergo donum Salvátor, et frequénter vísitet eam, quam poenitens Lázarus mundat, ornat Martha, et María replet intérnae dédita contemplatióni. Sed forte curiósus quisquam requírat, cur in praesénti evangélica lectióne nulla prorsus Lázari méntio fiat. Arbitror sane, ne id quidem a propósita similitúdine dissidére. Virgináles étenim domum intélligi volens Spíritus, síluit non incóngrue poeniténtiam, quae malum útique comitátur. Absit enim, ut próprii quidquam inquinaménti domus haec aliquándo habuísse dicátur, ut in ea proínde scopa Lázari quaererétur.

℟. Beáta es, Virgo María, Dei Génitrix, quae credidísti Dómino: perfécta sunt

in te, quae dicta sunt tibi : ecce exaltáta es super choros Angelórum : Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. ℣. Ave María, grátia plena : Dóminus tecum. — Intercéde. Glória Patri. Intercéde.

Pro SS. Martyribus Timotheo, Hippolyto, et Symphoriano.

Lectio ix.

TIMOTHEUS Antiochénus, Romam véniens, Melchíade summo Pontífice, cum per annum ibi Christi fidem praedicásset, a Tarquínio Urbis praefécto conjícitur in víncula, et post diutúrnas cárceris aerúmnas ad idóla perdúcitur, ut eis sacrificet. Quam impietátem summa libertáte detestátus, acerbíssime caeditur, et excarnificátum corpus viva calce perfúnditur. In quibus aliísque suppliciis constans Martyr cápite pléctitur. Corpus via Ostiénsi prope sepúlchrum beáti Pauli Apóstoli sepelítur. Quo die étiam, Alexándro imperatóre, apud Ostia Tiberína Hippólytus Episcopus Portuénsis ob praecláram fídei confessiónem, mánibus pedibúsque ligátis, in altam fóveam aquis plenam praecipitátus, martyrio coronátus est, et ibídem a Christiánis sepúltus. Quo item die, Aureliáno imperatóre, propter eámdē fidem Augustodúni Symphoriánus adoléscens várie tortus est. Qui dum ad últimum supplícium ducerétur, matrem ita clamántem áudiens : Nate, nate, meménto aetérnae vitae, coelum súspice, et ibi regnántem intuére : tibi enim vita non erípitur, sed mutátur in mélius : fórtiter Jesu Christi causa carnífici collum praebuit.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Commem. sanctorum Timothei et sociorum Martyrum, Ańa. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio. Auxílium tuum, ut supra. 668.

In secundis Vesperis fit Commemoratio S. Philippi Benitii.

DIE XXIII. AUGUSTI.

In festo S. Philippi Benitii, Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea quae sequuntur.

Antiph. Similábo eum viro sapiénti, qui aedificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Oratio.

DEUS, qui per beátum Philíppum Confessórem tuum, exímium nobis humilitátis exémplũ tribuísti: da fámulis tuis próspera mundi ex ejus imitatióne despícere, et coeléstia semper inquírere. Per Dñum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PHILIPPUS ex nóbili Benitiórum família Florentíae natus, futúrae sanctitátis jam inde ab incunábulis indícium praebuit; vix enim quintum aetátis mensem ingréssus, linguam in voces mirífice solvit, hortatúsque fuit matrem, ut Deíparae servis eleemósynam impertíret. Adoléscens, dum Parísiis litterárum stúdia cum pietátis ardóre conjúngeret, plúrimos ad coeléstis pátriae desidérium inflammávit. Revérsus in pátriam, et singulári visióne a beatíssima Vírgine in Servórum suórum famíliam nuper institútam vocátus, in Senárii montis antrum concéssit, ubi ásperam quidem jugi córporis castigatióne, sed Christi Dómini cruciátuum meditatióne suávem vitam duxit: indéque per univérsam pene Európam, magnámque Asiae partem, quam evangélicis praedicatiónibus obívit, sodalítia Septem Dolórum Dei Matris instítuit, suúmque órdinem exímio virtútum exémplo propagávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.— Et dedit.

Lectio v.

DIVINAE charitátis et cathólicae fídei dilatándae ardóre veheménter accénsus, sui órdinis Generális relúctans, atque invítus renuntiátus, fratres ad praedicándum Christi Evangélium in Scythiam misit; ipse vero plúrimas Itáliae urbes concúrsans, gliscéntes in eis cívium discórdias compósuit, multásque ad Románi Pontíficis obediéntiam revocávit; nihílque de stúdio aliénae salútis omíttens, perditíssimos hómines e vitiórum coeno ad poeniténtiam, ac Jesu Christi amórem perdúxit. Oratióni summópere addíctus, saepe in

éxtasim rapi visus est. Virginitátem vero ádeo cóluit, ut ad extrémum usque spíritum voluntáriis ac duríssimis supplíciis illibátam custodíerit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

EFFLORUIT in eo júgiter singulárisergа paupéres misericórdia; sed praecípue cum apud Camiliánum agri Senénsis vicum lepróso nudo eleemósynam peténti, própriam qua indútus erat, vestem fuit elargítus; qua ille contéctus, statim a lepra mundátus est. Cujus miráculi cum longe latéque fama manásset, nonnúlli ex Cardinálibus, qui Vitérbium, Clemente quarto vita functo, pro successóre deligéndo convénerant, in Philíppum, cujus coeléstem étiam prudéntiam perspéctam habébant, intendérunt. Quo compérto, vir Dei, ne forte pastorális regíminis onus subíre cogerétur, apud Tuniátum montem támdiu delítuit, donec Gregórius décimus Póntifex máximus fúerit renuntiátus; ubi bálneis, quae étiam hódie sancti Philíppi vocántur, virtútem sanándi morbos suis précibus impetrávit. Dénique Tudérti, anno millésimo ducentésimo octogésimo quinto, in Christi Dñi e cruce pendéntis ampléxu, quem suum appellábat librum, sanctíssime ex hac vita migrávit. Ad ejus túmulum caeci visum, claudi gressum, mórtui vitam recepérunt. Quibus aliísque plúrimis fulgéntem signis Clemens décimus Póntifex máximus Sanctórum número adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno, Homilia venerabilis Bedae Presbyteri in Evangelium: Nolite timére pusíllus grex, ut in eodem Communi secundo loco, xcvii.

Nona Lectio legitur de Vigilia S. Bartholomaei, Homília in Evang. Hoc est praeceptum meum, ut in Vigilia Apostolorum, i. ubi festum ipsius celebratur die sequenti, cum Commemor. ejusdem Vigiliae in Laudibus, Ańa et ℣. de Feria occurrente, ut in Psalterio.

Oratio.

OA, quaesumus omnípotens Deus; ut beáti Bartholomaei Apóstoli tui, quam praevenímus, veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Vesperae de S. Bartholomaeo Apostolo, cum Commemoratione S. Philippi.

DIE XXIV. AUGUSTI.

In Vigilia sancti Bartholomaei Apost. *Romae.*

Romae celebratur festum ejusdem die xxv. Augusti.

Tres Lectiones leguntur de Homilia S. Gregorii Papae in Evang. **Hoc est praecéptum meum,** ut in Vigilia Apostolorum i. Responsoria de Feria occurrente.

Ad Laudes ut in Psalterio; et dicuntur Preces feriales flexis genibus.

Oratio. **Da, quaesumus,** ut supra.

DIE XXIV. vel XXV. AUGUSTI.

In festo S. Bartholomaei, Apostoli, Duplex.

Omnia de Comm. Apostolorum ii. praeter ea quae hic sunt propria.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui hujus diéi venerándam sanctámque laetítiam, in beáti Apóstoli tui Bartholomaei festivitáte tribuísti: da Ecclésiae tuae, quaesumus, et amáre quod crédidit, et praedicáre quod dócuit. Per Dóminum.

Deinde fit Commemor. S. Philippi, Añia. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias coelo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio. Deus, qui per beátum, ut supra. 673.

In primo Nocturno, Lectiones de Epistola prima beati Pauli Apostoli ad Corinthios: **Sic nos exístimet homo,** ut in Communi Apostolorum viii.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ARTHOLOMAEUS Apóstolus, Galilaeus, cum in Indiam citeriórem, quae ei in orbis terrárum sortitióne ad praedicándū Jesu Christi Evangélium obvénerat, progréssus esset, advéntum Dñi Jesu juxta sancti Matthaei Evangélium illis géntibus praedicávit. Sed cum in ea província plúrimos ad Jesum Christum convertísset, multos labóres calamitatésque perpéssus, venit in majórem Arméniam.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium coelum, voce magna clamántem, et dicéntem.—Isti sunt viri sancti.

Lectio v.

IBI Polymium regem, et cónjugem ejus, ac praetérea duódecim civitátes ad christiánam fidem perdúxit. Quae res in eum magnam invídiam concitávit illíus gentis sacerdótũ. Nam usque ádeo Astyagem Polymii regis fratrem in Apóstolum incendérunt, ut is vivo Bartholomaeo pellem crudéliter détrahi jússerit, ac caput abscíndi : quo in martyrio ánimam Deo réddidit.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me : * Gaudéte et exultáte, quoniam merces vestra copiósa est in coelis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis.—Gaudéte et exultáte.

Lectio vi.

EJUS corpus Albáni, quae est urbs majóris Arméniae, ubi is passus fúerat, sepúltum est : quod póstea ad Líparam ínsulam delátum, inde Benevéntum translátum est : postrémo Romam ab Othóne tértio imperatóre portátum, in Tíberis ínsula, in ecclésia ejus nómine Deo dicáta, collocátum fuit. Agitur autem Romae dies festus octávo Kaléndas Septémbris, et per octo consequéntes dies illa basílica magna pópuli frequéntia celebrátur.

℟. Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt praemia aetérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.— Modo coronántur. Glória Patri. Modo coronántur.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* vi. *b.*

IN illo témpore : Exiit Jesus in montem oráre, et erat pernóctans in oratióne Dei. Et cum dies factus esset, vocávit discípulos suos. Et réliqua.

Homilía S. Ambrósii Epísc. *Lib.* 5. *Comment. in Lucae cap.* vi. *post initium.*

OMNES magni, omnes sublímes montem ascéndunt. Non enim cuicúmque Prophéta dicit: Ascénde in montem excélsu, qui evangelízas Sion: exálta in virtúte vocem tuam, qui evangelízas Jerúsalem. Non vestígiis corporálibus, sed factis sublimióribus in hunc montem ascénde, et séquere Christum, ut ipse esse mons possis. Montes enim in circúitu ejus. Quare in Evangélio invénies solos cum Dómino montem ascendísse discípulos. Orat ergo Dóminus, non ut pro se óbsecret, sed ut pro me ímpetret. Nam etsi ómnia posúerit Pater in potestáte Fílii: Fílius tamen ut hóminis formam impléret, obsecrándum Patrem putat esse pro nobis, quia advocátus est noster.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo: * Cálicem Dñi bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum.—Cálicem.

Lectio viii.

ERAT, inquit, pernóctans in oratióne Dei. Spécies tibi, Christiáne, datur, forma praescríbitur, quam débeas aemulári. Quid enim te pro salúte tua fácere opórtet, quando pro te Christus in oratióne pernóctat? Quid te fácere cónvenit, cum vis áliquod pietátis offícium adoríri, quando Christus missúrus Apóstolos, orávit prius, et solus orávit? Nec usquam álibi, si non fallor, orásse cum Apóstolis reperítur: ubíque solus óbsecrat. Dei enim consílium humána vota non cápiunt: nec quisquam interiórum potest esse párticeps Christi.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dñus in charitáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam: * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna: operáti sunt justítiam. — Quorum. Glória Patri. Quorum.

Lectio ix.

VOCAVIT, inquit, discípulos suos, et elégit duódecim ex ipsis, quos ad propagándum auxílium salútis humánae per terrárum orbem satóres fídei destináret. Simul advérte coeléste consílium: non sapiéntes áliquos, non dívites, non nóbiles, sed piscatóres et publicános, quos dirígeret, elégit: ne traduxísse prudéntia, ne redemísse

divítiis, ne poténtiae nobilitatísque auctoritáte traxísse áliquos ad suam grátiam viderétur : ut veritátis rátio, non disputatiónis grátia praevaléret.

Te Deum laudámus. 17.

In secundis Vesperis fit Commem. S. Ludovici.

DIE XXV. AUGUSTI.

In festo S. Ludovici, Confessoris. Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. exceptis his quae sunt propria.

Ańa. Similábo eum viro sapiénti, qui aedificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Oratio.

DEUS qui beátum Ludovícum Confessórem tuum de terréno regno ad coeléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quaesumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes : Qui tecum vivit.

Ubi vero festum S. Bartholomaei celebratur die xxv. de sancto Ludovico fit die xxvi. et tunc in secundis Vesperis S. Bartholomaei, post Commem. S. Ludovici fit etiam Commemoratio S. Zephyrini ut infra.

Ad Matutinum in Hymno Iste Confessor, dicatur :

Hac die laetus méruit supremos
Laudis honóres.

Lectio ix. de S. Zephyrino et Commem. de eo in Laudibus.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

LUDOVICUS nonus, Gálliae rex, duódecim annos natus, patre amísso, et in Blanchae matris sanctíssima disciplína educátus, cum jam vigésimum annum in regno ágeret, in morbum incidit : quo témpore cogitávit de recuperánda possessióne Jerosolymórũ. Quamóbrem ubi convaluísset, vexíllum ab Episcopo Parisiénsi accépit : deínde mare cum ingénti exército trajíciens, primo praelio Saracénos fugávit. Sed cum ex pestiléntia magna mílitum multitúdo periísset, victus ipse captúsque est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit illi claritátem.

Lectio v.

REBUS póstea cum Saracénis compósitis, liber rex exercitúsque dimíttitur. Quinque annis in Oriénte commorátus, plúrimos Christiános a barbarórum servitúte redémit, multos étiam infidéles ad Christi fidem convértit: praetérea áliquot Christianórum urbes refécit suis súmptibus. Interim mater ejus migrat e vita: quare domum redíre cógitur, ubi totum se dedit pietátis offíciis.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum; stolam glóriae índuit eum, Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

QULTA aedificávit monastéria, et páuperum hospítia: beneficéntia egéntes sublevábat: frequens visébat aegrótos: quibus ipse non solum suis súmptibus ómnia suppeditábat, sed étiam, quae opus erant, mánibus ministrábat. Vestítu vulgári utebátur: cilício ac jejúnio corpus assídue affligébat. Sed cum íterum transmisísset, bellum Saracénis illatúrus, jamque castra in eórum conspéctu posuísset, pestiléntia decéssit in illa oratióne: Introíbo in domum tuam, adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Ejus corpus póstea Lutétiã Parisiórum translátum est, quod in célebri sancti Dionysii templo asservátur et cólitur: caput vero in sacra aede sanctae capéllae. Ipse clarus miráculis a Bonifácio Papa octávo in Sanctórum número est relátus.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xix. *b.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam, accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homilía S. Ambrósii Epísc. *Lib.* 8. *in Lucam.*

ONUS ordo, ut vocatúrus Gentes, et Judaeos jussúrus intérfici, qui noluérunt regnáre supra se Christum, hanc praemítteret comparatiónem,

ne dicerétur : Nihil déderat pópulo Judaeórum, unde póterat mélior fíeri? ut quid ab eo, qui nihil recépit, exígitur ? Non medíocris ista est mna, quam supra múlier evangélica, quia non invénit, lucérnam accéndit, lúmine quaerit admóto, gratulátur invéntam.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dñum :* Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse intercédat.

Lectio viii.

DENIQUE ex una decem mnas álius fecit, álius quinque. Fortásse iste morália habet, quia quinque sunt córporis sensus : ille duplícia, id est, mystica legis, et morália probitátis. Unde et Matthaeus quinque talénta, et duo talénta pósuit: in quinque talántis ut sint morália, in duóbus utrúmque, mysticum atque morále. Ita quod número inférius, re ubérius.

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris.* Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

Et hic póssumus decem mnas decem verba intelligere, id est, legis doctrínam ; quinque autem mnas, magistéria disciplínae. Sed legisperítum, in ómnibus volo esse perféctum. Non enim in sermóne, sed in virtúte est regnum Dei. Bene autem, quia de Judaeis dicit, duo soli multiplicátam pecúniam déferunt ; non útique aeris, sed dispensatiónis usúris. Alia est enim pecúniae foenebris, ália doctrínae coelestis usúra.

Te Deum laudámus. *17.*

In Vesperis Commemoratio sequentis.

DIE XXVI. AUGUSTI.

S. Zephyrini,
Papae et Martyris.

Añia. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

℣. PRAESTA, quaesumus omnípotens Deus: ut beáti Zephyríni Mártyris tui atque Pontíficis, cujus gaudémus méritis, instruámur exémplis. Per Dóminum.

Lectio iii.

ZEPHYRINUS Románus, Sevéro imperatóre, ad regéndam Ecclésiam assúmptus, sanxit, ut qui ordinándi essent, opportúno témpore, et multis praeséntibus cléricis et láicis, de more sacris initiaréntur: doctíque ac spectátae vitae hómines ad id officii munus deligeréntur. Decrévit praetérea, ut rem divínam faciénti Epíscopo Sacerdótes omnes astárent. Idem instítuit, ut Patriárcha, Primas, Metropolítanus advérsus Epíscopum non ferant sententiam, nisi apostólica auctoritáte fulti. Vixit in pontificátu annos decem et octo, dies decem et octo. Hábuit ordinatiónes quátuor mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros trédecim, Diáconos septem, Epíscopos per divérsa loca trédecim. Antonínc imperatóre martyrio coronátus est, et sepúltus via Appia prope coemetérium Callísti, séptimo Kaléndas Septémbris.

Te Deum laudámus. 17.

Vesperae de sequenti.

DIE XXVII. AUGUSTI.

In festo sancti Josephi Calasanctii, Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea quae sequuntur.

In Hymno mutatur tertius versus.

Oratio.

℣. DEUS, qui per sanctum Joséphum Confessórem tuum, ad erudiéndam spíritu intelligéntiae ac pietátis juventútem, novum Ecclésiae tuae subsídium providére dignátus es: praesta quaesumus; nos ejus exémplo et intercessióne ita fácere et docére, ut praemia consequámur aetérna. Per Dóminum nostrum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOSEPHUS Calasánctius a Matre Dei, Petráltae in Aragónia nóbili génere natus, a téneris annis futúrae in púeros charitátis et eórum institutiónis indícia praebuit. Nam adhuc párvulus eos ad se convocátos in mystériis fídei, et sacris précibus erudiébat.

Humánis divinísque lítteris egrégie doctus, cum stúdiis theológicis Valéntiae óperam daret, nóbilis potentísque foeminae illecébris fórtiter superátis, virginitátem, quam Deo vóverat, inoffénsam insigni victória servávit. Sacérdos ex voto factus, a complúribus Epíscopis in Castéllae Novae, Aragóniae, et Cataláuniae regnis in partem labóris adscítus, expectatiónem ómnium vicit, pravis ubíque móribus emendátis, ecclesiástica disciplína restitúta, inimicítiis, cruentísque factiónibus mirífice extínctis. At coelésti visióne, et Dei voce frequénter admónitus, Romam proféctus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v.

IN Urbe summa vitae asperitáte, vigíliis et jejúniis corpus affligens, in oratiónibus et coeléstium rerum contemplatióne dies noctésque versabátur, septem ejúsdem Urbis ecclésias síngulis fere nóctibus obíre sólitus : quem inde morem complúres annos servávit. Dato piis sodalitátibus nómine, mirum quanto ardóre páuperes, infírmos potíssimum, aut carcéribus deténtos eleemósynis, omníque pietátis offício subleváret. Lue Urbem depopulánte, una cum sancto Camillo, tanto fuit actus ímpetu charitátis, ut praeter subsídia aegrótis paupéribus large colláta, ipsa étiam defunctórum cadávera suis húmeris tumulánda transférret. Verum cum divínitus accepísset, se ad informándos intelligéntiae ac pietátis spíritu adolescéntulos, praecípue páuperes, destinári, órdinem clericórum Regulárium páuperum Matris Dei scholárum piárum fundávit, qui peculiárem curam circa puerórũ eruditiónem ex próprio institúto profiteréntur: ipsúmque órdinem a Clemente octávo, a Paulo quinto aliísque summis Pontifícibus magnópere probátum, brevi témpore per plúrimas Európae províncias et regna mirabíliter propagávit. In hoc autem tot labóres perpéssus est, ac tot aerúmnas invícto ánimo tolerávit, ut ómnium voce miráculum fortitúdinis, et sancti Jobi exémplum dicerétur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit

eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas paradísi.

Lectio vi.

QUAMVIS órdini univérso praecésset, totísque víribus ad animárum salútem incúmberet, nunquam tamen intermísit púeros, praesértim pauperióres, erudíre, quorum scholas vérrere, eósque domum comitári consuévit. In eo summae patiéntiae et humilitátis múnere, valetúdine étiam infírma, duos et quinquagínta annos perseverávit : dignus proptérea, quem crebris Deus miráculis coram discípulis illustráret, et cui beatíssima Virgo cum púero Jesu, illis orántibus benedicénte, apparéret. Amplíssimis interim dignitátibus repudiátis, prophetía, ábdita córdium et abséntia cognoscéndi donis, et miráculis clarus, Deíparae Vírginis, quam singulári pietáte et ipse ab infántia cóluit, et suis máxime commendávit, aliorúmque coelitum frequénti apparitióne dignátus, cum óbitus sui diem, et órdinis tunc prope evérsi restitutiónem atque increméntum praenuntiásset, secúndum et nonagésimum annum agens, Romae obdormívit in Dómino, octávo Kaléndas Septémbris, anno millésimo sexcentésimo quadragésimo octávo. Ejus cor, et lingua post saeculum integra et incorrúpta repérta sunt. Ipse vero multis post óbitum quoque signis a Deo illustrátus, primum a Benedícto decimoquárto Beatórum cultu decorátus fuit, ac deínde a Cleménte decimotértio inter Sanctos solémniter est relátus.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.— Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xviii.

IN illo témpore : Accessérunt discípuli ad Jesum dicéntes: Quis putas, major est in regno coelórum? Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

In cap. xviii. *Matthaei, homilia* lx.

VIDETE, ne áliquem istórum contempséritis parvulórum, quia eórum Angeli Patris mei fáciem

semper aspíciunt, et quia ego propter eos veni, et haec Patris mei volúntas est. Ad tuéndos conservandósque pusíllos diligentióres nos reddit. Pérspicis quam ingéntia in tutélam tenúium moenia eréxerit, et quantum stúdium curámque hábeat, ne perdántur, tum quia suprémas despiciéntibus eos poenas státuit, tum quia summam pollicétur mercédem his, qui curam eórum suscípiunt, idque tam suo, quam Patris exémplo corróborat.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viii.

DOMINUM ígitur étiam nos imitémur, et nihil pro frátribus omittámus, étiam eórum quae humília viliaque nímium vidéntur: sed si administratióne nostra étiam opus fúerit, quamvis ténuis atque abjéctus quidem, cui administrándum sit, fúerit, quamvis árdua nobis res, atque labóris plena esse videátur, ómnia haec pro fratris salúte tolerabilióra facilióraque, oro, videántur: tanto enim stúdio, tantáque cura Deus dignam esse ánimam osténdit, ut neque Fílio suo pepércerit.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

Lectio ix.

SI non est nobis satis ad salútem, quod virtuóse ipsi vivámus, sed opórtet aliórum salútem re ipsa desideráre ; cum neque nos recte vivámus, neque álios hortémur, quid respondébimus ? quae nobis spes salútis réliqua erit ? Quid majus, quam ánimis moderári, quam adolescentulórum fíngere mores? Omni certe pictóre, omni certe statuário, caeterísque hujúsmodi ómnibus excellentiórem hunc duco, qui júvenum ánimos fíngere non ignóret.

Te Deum laudámus. 17.

Vesperae a Capitulo de sequenti. Commemoratio praecedentis.

DIE XXVIII. AUGUSTI.

In festo S. Augustini, Episcopi et Confessoris, et Ecclesiæ Doctoris.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. præter ea quæ hic ponuntur.

In utrisque Vesperis ad Magnificat, Ańa. O Doctor óptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte Augustíne, divínae legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio.

ADESTO supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus: et quibus fiduciam sperándae pietátis indúlges, intercedénte beáto Augustíno Confessóre tuo atque Pontífice, consuétae misericórdiae tríbue benígnus efféctum. Per Dñum.

Deinde fit Commemoratio S. Josephi, Ańa. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias coelo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio ut supra. 681.

Pro Commemor. S. Hermetis, Martyris, Ańa. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a vérbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

DEUS, qui beátum Hermétem Mártyrẽ tuum virtúte constántiae in passióne roborásti: ex ejus nobis imitatióne tríbue, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de libro Ecclesiastici: Sapiéntiam ómnium, de Communi Doctorũ. lxxvii.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

AUGUSTINUS, Tagáste in Africa honéstis paréntibus natus, ac puer docilitáte ingénii aequáles longe súperans, brevi ómnibus doctrína antecélluit. Adoléscens, dum esset Carthágine, in Manichaeórum haeresim incidit. Póstea Romam profécTus, inde Mediolánum missus ut rhetóricam docéret, cum ibi frequens Ambrósii Episcopi esset auditor, ejus ópera incénsus stúdio cathólicae fídei, annos natus trigínta tres ab ipso baptizátur. Reversus in Africam, cum religióne vitae sanctimóniam conjúngens, a Valério notae sanctitátis Episcopo Hipponénsi Présbyter factus

est. Quo tempore famíliam instituit religiosórum, quibúscum victu commúni, eodémque cultu utens, eos ad apostólicae vitae doctrinaeque disciplínam diligentíssime erudiébat. Sed cum vigéret Manichaeórum haeresis, vehementius in illam invehi coepit, Fortunatúmque haeresiárcham confutávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei —Manus.

Lectio v.

HAC Augustíni pietáte commótus Valérius, eum adjutórem adhíbuit episcopális offícii. Nihil illo fuit humílius, nihil continéntius. Lectus ac vestítus moderátus, vulgáris mensa, quam semper sacra vel lectióne, vel disputatióne condiébat. Tanta benignitáte fuit in páuperes, ut, cum non essetália facúltas, sacra vasa frángeret ad eórum inópiã sustentándam. Foeminárum, et in eis soróris, et fratris fíliae, contubérnium, familiaritatémque vitávit : quippe qui díceret, etsi propínquae mulíeres suspéctae non essent, tamen quae ad eas ventitárent, posse suspicionem effícere. Nullum finem fecit praedicándi Dei verbum, nisi gravi morbo oppréssus. Haeréticos perpétuo insectátus et coram, et scriptis, ac nullo loco passus consístere, Africam a Manichaeórum, Donatistárum, Pelagianórum, aliorúmque prætérea haereticórum erróre magna ex parte liberávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus enim.

Lectio vi.

TAM multa pie, subtíliter et copióse scripsit, ut christiánam doctrínam máxime illustrárit. Quem in primis secúti sunt, qui póstea theológicam disciplínam via et ratióne tradidérunt. Wándalis Africam bello vastántibus, et Hippónem tértium jam mensem obsidéntibus, in febrim íncidit. Itaque cum discéssum e vita sibi instáre intellígeret, Psalmos David, qui ad poeniténtiam pértinent, in conspéctu pósitos profúsis lácrymis legébat. Solébat autem dícere néminem, etsi nullíus scéleris sibi cónscius esset, committere debére, ut sine poeniténtia

migráret e vita. Ergo sénsibus íntegris, in oratióne defíxus, astántibus frátribus, quos ad charitátem, pietátem, virtutésque omnes erat adhortátus, migrávit in coelum. Vixit annos septuagínta sex, in episcopátu ad trigínta sex. Cujus corpus primum in Sardíniam delátum, deínde a Luitprándo Longobardórum rege magno prétio redémptum, Ticínum translátum est, ibíque honorífice cónditum.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Nocturno, Homilia sancti Augustini Episcopi in Evangelium : Vos estis sal terrae, de Communi Doctorum. lxxx.

In Laudibus fit Commemoratio S. Hermetis, Martyris, Ańa. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Deus, qui beátum, ut supra. 685.

Vesperae de sequenti. Commemoratio praecedentis et sanctae Sabinae Martyris.

DIE XXIX. AUGUSTI.

In Decollatione S. Joannis Baptistae. Duplex.

AD VESPERAS.

Ańa. Heródes enim, cum reliquis de Laudibus. 693. Psalmi de Dominica. 133. et loco ultimi Psalmus. Laudáte Dóminum omnes Gentes. 137.

Ad Magnif. Ańa. Misso Heródes spiculatóre, praecépit amputári caput Joánnis in cárcere : quo audíto, discípuli ejus venérunt, et tulérunt corpus ejus, et posuérunt illud in monuménto.

Oratio.

SANCTI Joánnis Baptístae, praecursóris et Mártyris tui, quaesumus Dñe, veneránda festivitas salutáris auxílii nobis praestet efféctum : Qui vivis.

Deinde fit Commemor. S. Augustini, Ańa. O Doctor óptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte Augustíne, divínae legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

*

Oratio.

ADESTO supplicatiónibus nostris omnípotens Deus : et quibus fidúciam sperándae pietátis indúlges, intercedénte beáto Augustíno Confessóre tuo atque Pontífice, consuétae misericórdiae tríbue benígnus efféctum.

Postea sanctae Sabinae, Martyris, Antiphona. Símile est regnum coelórum hómini negotiatóri quaeránti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio.

DEUS, qui inter caetera poténtiae tuae mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius ; ut qui beátae Sabínae Mártyris tuae natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium, Hymnus, Añae, Psalmi et ℣. Nocturnorum dicuntur de Communi unius Martyris. xxviii.

In primo Nocturno.

Incipit Jeremías Prophéta.

Lectio i. *Cap.* i.

VERBA Jeremíae fílii Helcíae, de sacerdótibus, qui fuérunt in Anathoth, in terra Bénjamin. Quod factum est verbum Dómini ad eum in diébus Josíae fílii Amon regis Juda, in tertiodécimo anno regni ejus. Et factum est in diébus Jóakim fílii Josíae regis Juda, usque ad consummatiónem undécimi anni Sedecíae fílii Josíae regis Juda, usque ad transmigratiónem Jerúsalem in mense quinto. Et factum est verbum Dómini ad me, dicens : Priúsquam te formárem in útero, novi te : et ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, et prophétam in Géntibus dedi te.

℟. Misit Heródes rex manus, ac ténuit Joánnem, et vinxit eum in cárcere, quia metuébat eum, propter Herodíadem, Quam túlerat fratri suo Philíppo uxórem. ℣. Arguébat Heródem Joánnes propter Herodíadem.—Quam túlerat.

Lectio ii.

AT dixi, A a a, Dómine Deus : ecce néscio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dóminus ad me : Noli dícere : Puer sum : quóniam ad ómnia, quae mittam te, ibis : et univérsa, quaecúmque mandávero

tibi, loquéris. Ne tímeas a fácie eórum : quia tecum ego sum, ut éruam te, dicit Dóminus. Et misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum : et dixit Dóminus ad me : Ecce dedi verba mea in ore tuo : ecce constítui te hódie super gentes, et super regna, ut evéllas, et déstruas, et dispérdas, et díssipes, et aedífices, et plantes.

℟. Joánnes Baptísta arguébat Heródem,* Propter Herodíadem, quam túlerat fratri suo vivénti uxórem. ℣. Misso Heródes spiculatóre, praecépit amputári caput Joánnis in cárcere.— Propter Herodíadem.

Lectio iii.

TU ergo accínge lumbos tuos, et surge, et lóquere ad eos ómnia quae ego praecípio tibi. Ne formídes a fácie eórum : nec enim timére te fáciam vultum eórum. Ego quippe dedi te hódie in civitátem munítam, et in colúmnam férream, et in murum aereum, super omnem terram, régibus Juda, princípibus ejus, et sacerdótibus, et pópulo terrae. Et bellábunt advérsum te, et non praevalébunt : quia ego tecum sum, ait Dóminus, ut líberem te.

℟. Puéllae saltánti imperávit mater :* Nihil áliud petas, nisi caput Joánnis. * Et contristátus est rex propter jusjurándum, et propter simul discumbéntes. ℣. Ait puélla matri suae : Quid petam ? at illa ait.— Nihil. Glória Patri. Et.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Ambrósii Episcopi de Virginibus.

Lib. 3. *post initium.*

Lectio iv.

QUONIAM beáti Joánnis Baptístae non strictim praetereúnda est recordátio, ínterest ut quis, et a quibus, et quam ob causam, quo modo, et quo témpore sit occísus, advértere debeámus. Ab adúlteris justus occíditur, et a reis in júdicem capitális scéleris poena convértitur. Deínde praemium saltatrícis, mors est Prophétae. Postrémo (quod étiam omnes bárbari horrére consuevérunt) inter épulas atque convívia consummándae crudelitátis proférтur edíctum : et a convívio ad cárcerem, de cárcere ad convívium ferális flagítii circumfértur obséquium. Quanta in uno facínore sunt crímina !

℟. Justus germinábit sicut lílium :* Et florébit in aetérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.—Et florébit.

Lectio v.

QUIS non, cum e convívio ad cárcerem cursári vidéret, putáret Prophétam jussum esse dimítti? Quis, inquam, cum audísset natálem esse Heródis, solémne convívium, puéllae optiónem eligéndi quod vellet datam, missum ad Joánnem ob solutiónē non arbitrarétur? Quid crudelitáti cum delíciis? Quid cum funéribus voluptáti? Rápitur ad poenam Prophéta conviváli témpore, conviváli praecépto, quo non cúperet vel absólvi; perímitur gládio, caput ejus affértur in disco. Hoc crudelitáti férculum debebátur, qua insatiáta épulis féritas vescerétur.

℟. Iste cognóvit justítiā, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum :* Et invéntus est in número sanctórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Et invéntus.

Lectio vi.

INTUERE, rex acerbíssime, tuo spectáculа digna convívio. Pórrige déxteram, ne quid saevítiae tuae desit, ut inter dígitos tuos rivi défluant sacri cruóris. Et quóniam non exsaturári épulis fames, non restíngui póculis pótuit inaudítae saevítiae sitis, bibe sánguinem scaturiéntibus adhuc venis exséctі cápitis profluéntem. Cerne óculos in ipsa morte scéleris tui testes, aversántes conspéctum deliciárum. Claudúntur lúmina non tam mortis necessitáte, quam horróre luxúriae. Os áureum illud exángue, cujus senténtiam ferre non póteras, conticéscit, et adhuc timétur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum :* Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam ; et in vínculis non derelíquit eum.—Et dedit illi. Glória Patri. Et dedit illi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vii. *Cap.* vi. *c.*

IN illo témpore : Misit Heródes, ac ténuit Joánnem, et vinxit eum in cárcere, propter Herodiadem uxórem Philíppi fratris sui, quia dúxerat eam. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

Serm. x. *in novis Sermonib.*

UM sanctum Evangélium legerétur, crudéle spectáculum ante óculos nostros constitútum

est : caput sancti Joánnis in disco ; férális missus crudelitátis propter ódium veritátis. Puélla saltat, et saevit mater : et inter lascívias et delícias convivántium témere jurátur, et impie quod jurátur, implétur. Factum est Joánni, quod ipse praedíxerat. De Dño enim Jesu Christo díxerat : Illum opórtet créscere, me autem mínui. Iste minútus est in cápite, ille crevit in cruce. Odium péperit véritas. Non pótuit aequo ánimo tolerári, quod homo Dei sanctus monébat : qui útique salútem eórum quaerébat, quos sic monébat. Respondérunt illi mala pro bonis.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Et voluntáte.

Lectio viii.

QUID enim ille díceret, nisi quo plenus erat? Et quid illi respondérent, nisi quo pleni erant? Ille tríticum seminávit, sed spinas invénit. Dicébat regi : Non licet tibi habére uxórem fratris tui. Vincébat enim regem libído : tenébat apud se prohíbitam uxórem fratris sui. Sed eum tamen sic libébat, ut non saevíret. Honorábat eum, a quo verum audiébat : sed múlier detestábilis ódium concipiébat, quod aliquándo dato témpore páreret. Quando autem parturiébat, péperit fíliam, fíliam saltántem.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae et intellécTus : et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum.—Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

Pro S. Sabina, Martyre.

Lectio ix.

SABINA múlier Romána, Valentíni viri claríssimi uxor, a Seráphia vírgine christiánae fídei praeceptis instítuta, post sanctae Vírginis martyrium collectas ejus relíquias piis exéquiis sepelívit. Quae propter eam causam paulo post Adriáno imperatóre comprehénsa, Elpídio júdici sístitur. Cui is : Tu ne illa Sabína, et génere et matrimónio nobilíssima? At illa, Sum, inquit : sed Dómino meo Jesu Christo grátias ago, qui me, intercessióne Seráphiae fámulae suae, e daemonũ potestáte

liberávit. Quam várie tentátam, ut propósitum mutáret, cum a fídei constántia movére non posset, praeféctus, pronuntiáta senténtia quod deos contémneret, cápitis damnávit. Ejus corpus a Christiánis in eódem sepúlchro cónditum est, in quo ipsa magístram fídei suae Seráphiam posúerat.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Heródes enim * ténuit et ligávit Joánnem, et pósuit in cárcerem propter Herodíadem. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 20.

2. Dómine mi rex, * da mihi in disco caput Joánnis Baptístae.

3. Puéllae saltánti * imperávit mater : nihil áliud petas, nisi caput Joánnis.

4. Arguébat Heródem Joánnes propter Herodíadem, quam túlerat fratri suo Philíppo uxórem.

5. Da mihi in disco * caput Joánnis Baptístae : et contristátus est rex propter jusjurándum.

Capitulum. Beatus vir, qui suffert. Hymnus. Invícte Martyr. ℣. Justus ut palma. xxxviii.

Ad Bened. Aña. Misso Heródes spiculatóre, praecépit amputári caput Joánnis in cárcere : quo audíto, discípuli ejus venérunt, et tulérunt corpus ejus, et posuérunt illud in monuménto.

Oratio.

SANCTI Joánnis Baptístae, praecursóris et Mártyris tui, quaesumus Dómine, veneránda festívitas, salutáris auxílii nobis praestet efféctum : Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Pro Comm. S. Sabinae, Aña. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in aetérnum.

Oratio.

DEUS, qui inter caetera poténtiae tuae mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius ; ut qui beátae Sabínae Mártyris tuae natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Aña. Dómine mi rex.

Capitulum. Beátus vir, ut in Communi. xxxviii.

℟. br. Glória et honóre, * Coronásti eum, Dñe. Glória et honóre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et honóre.

℣. Posuísti, Dñe, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

AD SEXTAM.

Ańa. Puéllae saltánti.

Capitulum. *Eccli.* xv.

ALIBAVIT illum pane vitae et intelléctus, et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum Dóminus Deus noster.

℟. br. Posuísti, Dñe, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória Patri. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM.

Ańa. Da mihi in disco.

Capitulum. *Eccli.* xxxix.

JUSTUS cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

℟. br. Magna est glória ejus, * In salutári tuo. Magna. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In salutári. Glória Patri. Magna est.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

In secundis Vesp. omnia ut in primis. 687. et loco ultimi Psalmus. Crédidi. 137.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnif. Ańa. Misit rex incrédulus minístros detestábiles, et amputári jussit caput Joánnis Baptístae.

Oratio. Sancti Joánnis, ut supra. 692.

Deinde fit Commemoratio sequentis, et sanctorum Martyrum ut infra.

DIE XXX. AUGUSTI.

In festo S. Rosae a sancta Maria, Virginis Limanae. Duplex.

Omnia de Communi Virginum. ciii. praeter ea quae sequuntur.

Ańa. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio.

BONORUM ómnium largítor, omnípotens Deus, qui beátam Rosam, coeléstis grátiae rore praevéntam, virginitátis, et patiéntiae decóre Indis floréscere voluísti : da nobis fámulis tuis ; ut in odórem suavitátis ejus curréntes, Christi bonus odor éffici mereámur : Qui tecum vivit.

Postea sanctorum Felícis et Adaucti, Martyrum, Antíphona. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

QAJESTATEM tuam, Dómine, súpplices exorámus : ut sicut nos júgiter Sanctórum tuórum commemoratióne laetíficas, ita semper supplicatióne defendas. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PRIMUS Américae Meridionális flos sanctitátis virgo Rosa, christiánis paréntibus Limae progénita, mox ab incunábulis cláruit futúrae sanctimóniae indíciis: nam vultus infántis mirabíliter in rosae effígiem transfigurátus, huic nómini occasiónem dedit : cui póstea Virgo Deípara cognómen adjécit, jubens vocári deínceps Rosam a sancta María. Quinquénnis votum perpétuae virginitátis emísit. Adúltior, ne a paréntibus ad núptias cogerétur, clam sibimet venustíssimam cápitis caesáriem praescídit. Jejúniis supra humánum modum addícta, íntegras Quadragésimas transégit pane ábstinens, ac diétim solis quinque gránulis mali cítrini victitans.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet te.

Lectio v.

HABITU tértii órdinis sancti Domínici assúmpto, prístinas vitae austeritátes duplicávit : oblóngo asperrimóque cilício sparsim minúsculas acus innéxuit : sub velo corónam densis acúleis intrórsus obarmátam intérdiu noctúque gestávit. Sanctae Catharínae Senénsis árdua premens vestígia, caténa férrea, tríplici nexu circumdúcta, lumbos cinxit. Léctulum sibi e truncis nodósis compósuit, horúmque vácuas commissúras fragmínibus testárum implévit. Céllulam sibi angustíssimam struxit in extrémo

horti ángulo, ubi coeléstiũ contemplatióni dédita, crebris disciplínis, inédia, vigíliis corpúsculum exténuans, at spíritu vegetáta, larvas daemonum, frequénti certámine victrix, impávide protrívit, ac superávit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi.

AGRITUDINUM torméntis, domesticórum insúltibus, linguárum mórsibus dire agitáta, nondum satis pro mérito se afflígi querebátur. Per quindecim annos ad plúsculas horas desolatióne spíritus, et ariditáte misérrime contabéscens, forti ánimo tulit agónes omni morte amarióres. Exínde coepit supérnis abundáre delíciis, illustrári visiónibus, colliquéscere seráphicis ardóribus. Angelo tutelári, sanctae Catharínae Senénsi, Vírgini Deíparae inter assíduas apparitiónes mire familiáris, a Christo has voces audíre méruit : Rosa cordis mei, tu mihi sponsa esto. Dénique Sponsi hujus paradíso felíciter invéctam, plurimísque ante et post óbitum miráculis corúscam. Clemens décimus Póntifex máximus sanctárum Vírginum catálogo ritu solémni adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximae ejus, * Afferéntur tibi in laetítia et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Símile erit regnum coelórum, de Communi Virginum. cxv.

Pro SS. Felice, et Adaucto Martyribus.

Lectio ix.

FELIX, Diocletiáno et Maximiáno imperatóribus propter suscéptam Christi religiónem comprehénsus, in Serápidis templum addúctus est. Cui sacrificáre cum juberétur, os simulácri cónspuit. Quo facto, statim aerea státua córruit. Quod cum íterum ac tértio in aede Mercúrii, Dianaeque factum esset ; impietátis et mágicae artis accusátus, equúleo torquétur. Mox ad secúndum ab Urbe lápidem via Ostiénsi dúcitur, ut secúri ferírétur. Cui inter viam oblátus quidam Christiánus, cum Felícem agnóscens ad martyrium duci vidéret, Ego

quoque, clara voce inquit, eádem, qua iste, lege vivo; ego eúmdem Jesum Christum colo. Itaque Felícem osculátus, cum eo secúri percútitur, tértio Kaléndas Septémbris : cujus nomen cum ignótum esset Christiánis, is Adáucti nomíne nobilitátus est, quod sancto Mártyri Felíci adáuctus sit ad corónam.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Comm. SS. Martyr., Aña. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio ut supra. 694.

Vesperae a Capítulo de sequenti, Commemoratio praecedentis.

DIE XXXI. AUGUSTI.

In festo S. Raymundi Nonnati, Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea quae sequuntur.

In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius versus.

Oratio.

DEUS, qui in liberándis fidélibus tuis ab impiórum captivitáte, beátum Raymúndum Confessórem tuum mirábilem effecísti : ejus nobis intercessióne concéde ; ut a peccatórum vínculis absolúti, quae tibi sunt plácita, líberis méntibus exequámur. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio S. Rosae, Antiphona. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Oratio. Bonórum ómnium largítor, omnípotens, ut supra. 693.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

RAYMUNDUS, Nonnátus cognoménto dictus, quia praeter commúnem natúrae legem e mórtuae matris dissécto látere in lucem edúctus fuit, Portélli in Cataláunia piis et nobílibus paréntibus ortus, ab ipsa infántia futúrae sanctitátis indícia dedit. Nam puerília oblectaménta, mundíque illécebras réspuens, ita pietáti óperam dabat, ut omnes in púero adúltam virtútem admi-

raréntur. Crescénte vero aetáte, litterárum stúdiis incúbuit : sed mox jubénte patre vitam ruri agens, sacéllum sancti Nicolái in Portélli fínibus situm crebro adíbat, ut sacram Deíparae imáginem, quae in eo summa fidélium veneratióne étiam nunc cólitur, visitáret. Ibi effúsus in preces, ipsam Dei paréntem, ut se in fílium adoptáre viámque salútis, ac sciéntiam Sanctórum edocére dignarétur, enixe deprecabátur.

℟. Honéstum fecit illum Dñus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit illi claritátem.

Lectio v.

HEC défuit votis ejus benigníssima Virgo: ab ipsa enim intelléxit, gratíssimum sibi fore, si religiónem, sub título de Mercéde, seu de Misericórdia Redemptiónis Captivórum, ea suggeránte nuper fundátam, ingrederétur. Qua monitióne percépta, Barcinónam statim profectus, illud tam praecelléntis erga próximum charitátis institútum ampléxus est. Regulári ígitur militiae adscríptus, virginitátem, quam pridem beátae Vírgini consecráverat, perpétuo cóluit, caeterísque virtútibus enítuit, charitáte praesértim erga Christiános, qui sub potestáte Paganórum míseram in captivitáte vitam degébant. Hos ut redímeret, in Africam missus, cum jam multos a servitúte liberásset, ne, consúmpta pecúnia, áliis item in próximo abnegándae fídei discrímine constitútis deésset, se ipsum pignori dedit ; sed cum ardentíssimo salútis animárum desidério succénsus, plures Mahometános suis concionibus ad Christum convérteret, in arctam custódiam a bárbaris conjéctus, variísque supplíciis cruciátus, mox lábiis perforátis, et sera férrea clausis, crudéle martyrium diu sustínuit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas paradísi.

Lectio vi.

OB haec etália fórtiter gesta, sanctitátis ejus fama longe latéque diffúsa est : qua permótus Gregórius nonus, in amplíssimum sanctae Románae Ecclésiae

Cardinálium collégium Raymúndum adscrípsit : sed vir Dei in ea dignitáte ab omni pompa abhórrens, religiósae humilitátis tenacíssimus semper fuit. Romam vero pergens, statim ac Cardónam pervénit, extrémo morbo conféctus, ecclesiásticis sacraméntis munítus summis précibus postulávit. Cumque morbus ingravésceret, et sacérdos diútius tardáret, Angelórum ministério, sub spécie religiosórum sui órdinis apparéntium, salutári viático reféctus fuit. Quo sumpto, et grátiis Deo peráctis, migrávit ad Dóminum Domínica última Augústi, anno millésimo ducentésimo quadragésimo. Mórtui corpus, cum circa locum sepultúrae conténtio orta esset, arcae inclúsum, et mulae caecae impósitum, ad sacéllum sancti Nicolái Dei nutu delátum fuit, ut ibi tumularétur, ubi prima jécerat sanctióris vitae fundaménta. Illic constrúcto sui órdinis coenóbio, a confluéntibus voti causa ex univérsa Cataláunia fidélibus pópulis honorátur, váriis miráculis et signis gloriósus.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.— Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Sint lumbi vestri praecíncti, ut in Communi Confess. non Pontificis. cxii.

In secundis Vesperis fit Commem. sancti Ægidii et SS. duodecim Fratrum MM.

FESTA SEPTEMBRIS.

Prima die non impedita dic. Officium Defunctorum.

DIE I. SEPTEMBRIS.

S. Ægidii, Abbatis.

Ańa. Similábo eum viro sapiénti, qui aedificávit domum suam supra petram. ℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Orátio.

INTERCESSIO nos, quaesumus Dómine, beáti Ægídii Abbátis comméndet : ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio SS. duodecim Fratrum Martyrum, Ańa. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

FRATERNA nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna laetíficet : quae et fídei nostrae praebeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

Lectio iii.

AEGIDIUS Athenién̄sis, régiae stirpis, a prima aetáte divínis lítteris, et charitátis officiis ita déditus fuit, ut nihil praetérea curáre viderétur. Itaque paréntibus mórtuis, totum patrimónium in páuperes erogávit : quin étiam túnicam éxuit, ut aegrótum egéntem tégeret ; qua ille indútus statim conváluit. Sed multis deínceps clárior miráculis, timens sui nóminis celebritátem, Arelátem ad beátum Caesárium conténdit : a quo post biénnium discédens, secéssit in erémum : ubi diútius herbárum radícibus, et cervae lacte, quae statis ad eum horis veniébat, admirábili sanctitáte vixit. Quae cerva, insequéntibus quodam die cánibus régiis, cum in antrum Ægídii refugísset, Gálliae regem ímpulit, ut ab eo summis précibus péteret, ut in loco spelúncae monastérium éxtrui patarétur. Cujus administratiónem, flagitánte rege, invítus suscépit : eóque múnere áliquot annis prudénter piéque gesto, migrávit in coelum.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus pro Commemoratione sanctorum duodecim Fratrum Martyrum, Ańa. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio. Fratérna nos, Dómine, ut supra.

DIE II. SEPTEMBRIS.

In festo S. Stephani Hungariae Regis, Confess. Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea quae hic ponuntur.

In Hymno Iste Confessor, dicatur :

Hac die laetus méruit supremos
Laudis honóres.

Oratio.

CONCEDE, quaesumus, Ecclésiae tuae omnipotens Deus : ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem

in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in coelis. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

STEPHANUS in Hungáriam Christi fidem et régium nomen invéxit, régia coróna a Románo Pontífice impetráta, ejúsque jussu in regem inúnctus, regnum sedi apostólicae óbtulit. Vária pietátis domicília Romae, Jerosólymis, Constantinópoli; in Hungária archiepiscopátum Strigoniénsem, episcopátus decem, admirábili religióne, et munificéntia fundávit. Par in páuperes amor et liberálitas, quos véluti Christum ipsum compléctens, néminem a se moeréntem, ac vácuum unquam dimísit; quin ad eórum inópiam sublevándam amplíssimis facultátibus erogátis, doméstica quoque supelléctilem exímia benignitáte frequénter distríbuit: suis ínsuper mánibus laváre páuperum pedes, noctu solus et ignótus nosocomía frequentáre, decumbéntibus inservíre, ac caetera charitátis officia exhibére consuévit: quarum virtútum mérito illíus déxtera, resolúto caetero córpore, incorrúpta permánsit.

℣. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio v.

ORANDI stúdio noctes pene totas ducébat insómnes, atque in coeléstium rerum contemplatióne defíxus, intérdum extra sensus raptus, sublímis in áera ferri visus fuit. Perduéllium conspiratiónes, ac validórum hóstium ímpetus, miro prorsus modo, non semel oratiónis praesídio evitávit. Suscéptum ex Ghisélla Bavárica sancti Henríci imperatóris soróre, quam sibi matrimónio júnxerat, Emerícum fílium tanta morum disciplína, talíque pietáte enutrívit, quantum ejus póstea sánctitas declarávit. Regni vero negótia ita dispósuit, ut accítis úndique prudentissimis ac sanctíssimis viris, nihil unquam sine illórum consílio molirétur. Humíllimis ínterim précibus in cínere et cilício Deum déprecans, ut univérsum Hungáriae regnum, ántequam e vita migráret, cathólicum vidére mererétur. Vere propter

ingens dilatándae fídei stúdium, illíus gentis Apóstolus nuncupátus, facta a Románo Pontífice ipsi, posterísque régibus praeferéndae crucis potestáte.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

DEI Genitrícem, quam ardentíssime venerabátur, amplíssimo in ejus honórem constrúcto templo, Hungáriae Patrónam instítuit, ab eádem vicíssim Vírgine recéptus in coelum ipso suae Assumptiónis die, quem Húngari e sancti regis instítúto Magnae Dóminae diem appéllant. Sacrum ejus corpus suavíssimo fragrans odóre, liquóre coelésti scatens, inter multa et vária mirácula, Románi Pontíficis jussu, nobiliórem in locum translátum est, atque honorificéntius cónditum. Ejus autem festum Innocéntius undécimus Póntifex máximus quarto Nonas Septémbris, ob insignem victóriam ab exércitu Leopóldi primi Romanórum electi imperatóris, et Hungáriae regis eádem die in Budae expugnatióne, ope divína, e Turcis reportátam, celebrándum instítuit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xix. *b.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam, accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homília S. Ambrósii Epísc.

Lib. 8. *in Lucam.*

RONUS ordo, ut vocatúrus gentes, et Judaeos jussúrus intérfici, qui noluérunt regnáre supra se Christum, hanc praemítteret comparatiónem, ne dicerétur : Nihil déderat pópulo Judaeórum, unde póterat mélior fieri? ut quid ab eo, qui nihil recépit, exígitur? Non medíocris ista est mna, quam supra múlier evangélica, quia non invénit, lucérnam accéndit, lúmine quaerit admóto, gratulátur invéntam.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dñum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.—Ipse.

Lectio viii.

DENIQUE ex una decem mnas álius fecit, álius quinque. Fortásse iste morália habet, quia quinque sunt córporis sensus : ille duplícia, id est, mystica legis, et morália probitátis. Unde et Matthaeus quinque talénta, et duo talénta pósuit: in quinque taléntis ut sint morália, in duóbus utrúmque, mysticum atque morále. Ita quod número inférius, re ubérius.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.—Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

HIc póssumus decem mnas decem verba intellígere, id est, legis doctrínam ; quinque autem mnas, magistéria disciplínae. Sed legisperítum, in ómnibus volo esse perféctum. Non enim in sermóne, sed in virtúte est regnum Dei. Bene autem, quia de Judaeis dicit, duo soli multiplicátam pecúniam déferunt ; non útique aeris, sed dispensatiónis usúris. Alia est enim pecúniae foenebris, ália doctrínae coelestis usúra.

Te Deum laudámus. 17.

Commune Sanctorum.

IN VIGILIIS
APOSTOLORUM

OFFICIUM fit de Feria, ut dictum est in Rubricis generalibus, exceptis Lectionibus et Oratione, quae in propriis locis notantur. Ubi vero non sunt propriae Lectiones, legitur Evangelium cum Homilia sequenti.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio i. *Cap.* xv. *b.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hoc est praecéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papae. *Homilia* xxvii. *in Evang.*

CUM cuncta sacra elóquia domínicis plena sint praecéptis, quid est quod de dilectióne, quasi de singulári mandáto, Dóminus dicit: Hoc est praecéptum meum ut diligátis ínvicem: nisi quia omne mandátum de sola dilectióne est: et ómnia unum praecéptum sunt? quia quidquid praecípitur, in sola charitáte solidátur. Ut enim multi árboris rami ex una radíce pródeunt: sic multae virtútes ex una charitáte generántur. Nec habet áliquid veriditátis ramus boni óperis, si non manet in radíce charitátis.

Responsoria de Feria pro tempore.

Lectio ii.

PRAECEPTA ergo domínica et multa sunt, et unum: multa per diversitátem óperis, unum in radíce dilectiónis. Quáliter autem ista diléctio tenénda sit, ipse insínuat, qui in plerísque Scriptúrae

suae senténtiis, et amícos jubet díligi in se, et inimícos propter se. Ille enim veráciter charitátem habet, qui et amícum díligit in Deo, et inimícum díligit propter Deum. Nam sunt nonnúlli, qui díligunt próximos, sed per affféctum cognatiónis et carnis : quibus tamen in hac dilectióne, sacra elóquia non contradícunt : sed áliud est quod sponte impénditur natúrae, áliud quod praecéptis Domínicis ex charitáte debétur obediéntiae.

Lectio iii.

Hi nimírum et próximum díligunt, et tamen illa sublímia dilectiónis praemia non assequúntur : quia amórem suum non spiritáliter, sed carnáliter impéndunt. Proínde cum Dóminus díceret: Hoc est praecéptum meum, ut diligátis ínvicem : prótinus áddidit : Sicut diléxi vos ; ac si apérte dicat : Ad hoc amáte, ad quod amávi vos. Qua in re, fratres charíssimi, solérter intuéndum est, quod antíquus hostis, dum mentem nostram ad rerum temporálium dilectiónem trahit, infirmiórem contra nos próximum éxcitat, qui ea ipsa, quae dilígimus, auférre moliátur.

COMMUNE

APOSTOLORUM ET EVANGELISTARUM.

AD VESPERAS.

Ant. Hoc est praecéptum meum, * ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos.

Psalmus cix.

DIXIT Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuae emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuae in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non poenitébit eum : * Tu es sacérdos in aetérnum secúndum órdinem Melchisedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die irae suae reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet:* proptérea exaltábit caput.

Ant. Hoc est praecéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos.

Aña. Majórem charitátem * nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

Psalmus cx.

CONFITEBOR tibi, Dómine, in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dñus : * escam dédit timéntibus se.

Memor erit in saeculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis haereditátem géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : confirmáta in saeculum saeculi, * facta in veritáte et aequitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in aetérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiae timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in saeculum saeculi.

Aña. Majórem charitátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

Aña. Vos amíci mei estis, * si fecéritis quae praecípio vobis, dicit Dñus.

Psalmus cxi.

BEATUS vir, qui timet Dñum: * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória, et divítiae in domo ejus : * et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis: * miséricors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, dispónet sermónes suos in judício: * quia in aetérnum non commovébitur.

In memória aetérna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus : * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus : justítia ejus manet in saeculum saeculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, déntibus suis fremet et tabéscet : * desidérium peccatórum períbit.

Ańa. Vos amíci mei estis, si fecéritis quae praecípio vobis, dicit Dóminus.

Ańa. Beáti pacífici, beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt.

Psalmus cxii.

LAUDATE púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super coelos glória ejus.

Quis sicut Dñus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in coelo et in terra ?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem fíliórum laetántem.

Ańa. Beáti pacífici, beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt.

Ańa. In patiéntia vestra * possidébitis ánimas vestras.

Psalmus cxvi.

LAUDATE Dñum omnes Gentes : * laudáte eum omnes pópuli :

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in aetérnum.

Ańa. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Capitulum. *Ephes.* ii. *d.*

FRATRES : Jam non estis hóspites, et ádvenae : sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei : superaedificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu. ℟. Deo grátias.

Hymnus.

EXULTET orbis gáudiis :
Coelum resúltet láudibus :
Apostolórum glóriam
Tellus et astra cóncinunt.

Vos saeculórum Júdices,
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium ;
Audíte voces súpplicum.

Qui templa coeli cláuditis,
Serásque verbo sólvitis ;
Nos a reátu nóxios
Solvi jubéte, quaesumus.

Praecépta quorum prótinus
Languor salúsque séntiunt ;
Sanáte mentes lánguidas :
Augéte nos virtútibus :

Ut, cum redíbit Arbiter
In fine Christus saeculi,
Nos sempitérni gáudii
Concédat esse cómpotes.

Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Saeclum per omne glória.
Amen.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terrae verba eórum.

Ad Magníficat, Aña. Tradent enim vos * in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos, et ante reges et praesides ducémini propter me in testimónium illis, et géntibus.

Oratio propria.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem Apostolórum Dñum, * Veníte adorémus. Ps. Veníte. 2.

Hymnus.

ÆTERNA Christi múnera,
Apostolórum glóriam,
Palmas et hymnos débitos
Laetis canámus méntibus.

Ecclesiárum Príncipes,
Belli triumpháles Duces,
Coeléstis aulae mílites,
Et vera mundi lúmina.

Devóta sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cháritas
Mundi tyránnum cónterit.

In his Patérna glória,
In his triúmphat Fílius,
In his volúntas Spíritus,
Coelum replétur gáudio.

Patri, simúlque Fílio,
Tibíque sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Saeclum per omne glória.
Amen.

In primo Nocturno.

Aña. In omnem terram * exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum.

Psalmus xviii.

COELI enárrant glóriam Dei,* et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum,* et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélae, neque sermónes,* quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terrae verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo coelo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dñi immaculáta convértens ánimas : * testimónium Dñi fidéle, sapiéntiam praestans párvulis.

Justítiae Dómini rectae, laetificántes corda : * praecéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus,

pérmanens in saeculum saeculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum: * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me: * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

Ańa. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum.

Ańa. Clamavérunt justi, * et Dóminus exaudívit eos.

Psalmus xxxiii.

BENEDICAM Dóminum in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo.

In Dño laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, et laeténtur.

Magnificáte Dñum mecum: * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me: * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini: * et fácies vestrae non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dñus exaudívit eum: * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dñi in circúitu timéntium eum: * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dñus: * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dñum omnes sancti ejus: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me: * timórem Dñi docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo: * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum: * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dñi super justos: * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dñi super faciéntes mala: * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Júxta est Dñus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multae tribulatiónes justórum: * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dñus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * et qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dñus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Ańa. Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos.

Ańa. Constítues eos príncipes * super omnem terram : mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Psalmus xliv.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribae, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma prae fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : * propterea benedíxit te Deus in aetérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna,

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttae tuae acútae, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi: * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * propterea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae prae consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliae regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliae Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliae Regis ab intus, * in fímbriis áurcis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam : * próximae ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in laetítia et exultatióne : * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in aetérnum : * et in saeculum saeculi.

Ańa. Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terrae verba eórum.

Pater noster. Absolútio. Exáudi, Dómine. ℣. Jube, domne. Benedíctio. Benedíctióne perpétua.

Lectiones de Scriptura positae in Comm. Sanctorum, leguntur quando annotantur in Proprio Sanctorũ per annum, et quando contingit fieri Offic. de aliquo Sancto illis diebus, in quibus in Offic. Feriae non ponuntur Lect. de Scriptura, sed tantum de Homilia, et quando aliquod Festum solemniter celebratur in propria Ecclesia.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio i. *Cap.* iv.

SIC nos exístimet homo ut minístros Christi, et dispensatóres mysteriórum Dei. Hic jam quaeritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est ut a vobis júdicer, aut ab humáno die : sed neque meípsum júdico. Nihil enim mihi cónscius sum : sed non in hoc justificátus sum : qui autem júdicat me, Dñus est. Itaque nolíte ante tempus judicáre, quoadúsque véniat Dñus : qui et illuminābit abscóndita tenebrárum, et manifestábit consília córdium : et tunc laus erit unicuíque a Deo.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dñus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et simplices sicut colúmbae. ℣. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis. — Estóte. Benedíctio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ii.

HAEC autem, fratres, transfigurávi in me et Apóllo, propter vos : ut in nobis discátis, ne supra quam scriptum est, unus advérsus álterum inflétur pro álio. Quis enim te discérnit ? Quid autem habes, quod non accepísti ? Si autem accepísti, quid gloriáris quasi non accéperis ? Jam saturáti estis, jam dívites facti estis : sine nobis regnátis : et útinam regnétis, ut et nos vobíscum regnémus. Puto enim quod Deus

nos Apóstolos novíssimos osténdit, tamquam morti destinátos : quia spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum. Bened. Spiritus sancti.

Lectio iii.

NOS stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo : nos infírmi, vos autem fortes : vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis caedimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris: maledícimur, et benedícimus: persecutiónē pátimur, et sustinémus : blasphemámur, et obsecrámus : tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, haec scribo, sed ut fílios meos charíssimos móneo. Nam si decem míllia paedagogórum habeátis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui.

℟. Dum stetéritis ante reges et praesides, nolite cogitáre quómodo, aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini : sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis.— Dábitur. Glória. Dábitur.

In secundo Nocturno.

Antiphona. Príncipes populórum * congregáti sunt cum Deo Abraham.

Psalmus xlvi.

OMNES Gentes pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis: * et Gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis haereditátem suam : * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo : * et Dóminus in voce tubae.

Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terrae Deus : * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super Gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham : * quóniam dii fortes terrae veheménter eleváti sunt.

Ańa. Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham.

Antiphona. Dedísti haereditátem * timéntibus nomen tuum, Dómine.

Psalmus lx.

EXAUDI, Deus, deprecatiónē meam : * inténde oratióni meae.

A fínibus terrae ad te clamávi : * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea : * turris fortitúdinis a fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in saecula : * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónem meam : * dedísti haereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies : * annos ejus usque in diem generatiónis et generatiónis.

Pérmanet in aetérnum in conspéctu Dei : * misericórdiam et veritátem ejus quis requíret ?

Sic psalmum dicam nómini tuo in saeculum saeculi: * ut reddam vota mea de die in diem.

Ańa. Dedísti haereditátem timéntibus nomen tuum, Dómine.

Antiphona. Annuntiavérunt * ópera Dei, et facta ejus intellexérunt.

Psalmus lxiii.

EXAUDI, Deus, oratiónem meam cum déprecor : * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium: * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : * intendérunt arcum rem amáram ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt : * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos : * dixérunt: Quis vidébit eos ?

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum : * et exaltábitur Deus.

Sagíttae parvulórum factae sunt plagae eórum : * et infirmátae sunt contra eos linguae eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : * et timuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei : * et facta ejus intellexérunt.

Laetábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Ańa. Annuntiavérunt ópera Dei, et facta ejus intellexérunt.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Pater noster. Absolutio. Ipsíus pietas. ℣. Jube, domne. Benedictio. Deus Pater omnípotens.

Sermo S. Gregórii Papae. *Hom.* xxx. *in Ev., post med.*

Lectio iv.

SCRIPTUM est : Spíritus Dómini ornávit coelos. Ornaménta enim coelórum sunt virtútes praedicántium. Quae vidélicet ornaménta Paulus enúmerat, dicens : Alii datur per Spíritum sermo sapiéntiae, álii sermo sciéntiae secúndum eúmdem Spíritum, álteri fides in eódem Spíritu, álii grátia sanitátum in uno Spíritu, álii operátio virtútum, álii prophetía, álii discrétio spirítuum, álii génera linguárum, álii interpretátio sermónum. Haec autem ómnia operátur unus atque idem Spíritus, dívidens síngulis prout vult.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium coelum, voce magna clamántem, et dicéntem.— Isti sunt. Benedictio. Christus perpétuae.

Lectio v.

QUOT ergo sunt bona praedicántium, tot sunt ornaménta coelórum. Hinc rursus scriptum est : Verbo Dómini coeli firmáti sunt. Verbum enim Dómini Filius est Patris. Sed eósdem coelos, vidélicet sanctos Apóstolos, ut tota simul sancta Trínitas ostendátur operáta, repénte de sancti Spíritus divinitáte adjúngitur : Et spíritu oris ejus omnis virtus eórum. Coelórum ergo virtus de Spíritu sumpta est : quia mundi hujus potestátibus contraíre non praesúmerent, nisi eos sancti Spíritus fortitúdo solidásset. Quales namque doctóres sanctae Ecclésiae ante advéntum hujus Spíritus fúerint, scimus : et post advéntum illíus, cujus fortitúdinis facti sint, conspícimus.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et dixerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me : * Gaudéte et exultáte, quóniam merces

vestra copiósa est in coelis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis.—Gaudéte. Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

CERTE iste ipse pastor Ecclésiae, ad cujus sacratíssimum corpus sedémus, quantae debilitátis, quantaeque formídinis ante advéntum Spíritus fúerit, ancílla ostiária requisíta dicat. Una enim mulíeris voce percússus, dum mori tímuit, vitam negávit. Et pensándum, quia eum comprehénsum Petrus negávit in terra, quem suspénsum latro conféssus est in cruce. Sed vir iste tantae formídinis, qualis post advéntum Spíritus exístat, audiámus. Fit convéntus magistrátus atque seniórum, caesis denuntiátur Apóstolis, ne in nómine Jesu loqui débeant: Petrus magna auctoritáte respóndet: Obedíre opórtet Deo magis quam homínibus.

℟. Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes jussa princípum, meruérunt praemia aetérna: * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.—Modo. Glória Patri. Modo.

In tertio Nocturno.

Ant. Exaltabúntur córnua justi, allelúia.

Psalmus lxxiv.

CONFITEBIMUR tibi, Deus : * confitébimur, et invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua : * cum accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra, et omnes qui hábitant in ea : * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis : Nolíte iníque ágere : * et delinquéntibus : Nolíte exaltáre cornu :

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum : * nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque a desértis móntibus : * quóniam Deus judex est.

Hunc humíliat, et hunc exáltat : * quia calix in manu Dómini vini meri plenus misto.

Et inclinávit ex hoc in hoc : verúmtamen faex ejus non est exinanita : * bibent omnes peccatóres terrae.

Ego autem annuntiábo in saeculum : * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam : * et exaltabúntur córnua justi.

Añs. Exaltabúntur córnua justi, allelúia.

Antíphona. Lux orta est justo, allelúia, * rectis corde laetítia, allelúia.

Psalmus xcvi.

DOMINUS regnávit, exúltet terra : * laeténtur ínsulae multae.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terrae : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt coeli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audivit, et laetáta est Sion.

Et exultavérunt filiae Judae, * propter judícia tua, Dómine :

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde laetítia.

Laetámini justi in Dómino : * et confitémini memóriae sanctificatiónis ejus.

Añs. Lux orta est justo, allelúia, rectis corde laetitia, allelúia.

Antíphona. Custodiébant * testimónia ejus, et praecépta ejus, allelúia.

Psalmus xcviii.

DOMINUS regnávit, irascántur pópuli : * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dñus in Sion magnus : * et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno : quóniam terríbile et sanctum est : * et honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes : * judícium et justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dñum Deum nostrum, et adoráte scabéllum pedum ejus : * quóniam sanctum est.

Móyses et Aaron in sacerdótibus ejus : * et Sámuel inter eos, qui invocant nomen ejus :

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * et praecéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos : * Deus, tu propítius fuísti eis, et ulciscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dñum Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus : * quóniam sanctus Dñus Deus noster.

Ańa. Custodiébant testimónia ejus, et praecépta ejus, allelúia.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube, domne. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xix. *d.*

IN illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis ? Et réliqua.

Homília S. Hierónymi Presbyteri.

Lib. 3. in Matth. cap. xix.

GRANDIS fidúcia ! Petrus piscátor erat, dives non fúerat, cibos manu et arte quaerébat ; et tamen lóquitur confidénter : Relíquimus ómnia. Et quia non súfficit tantum relínquere, jungit quod perfécum est : Et secúti sumus te. Fécimus quod jussísti : quid ígitur nobis dabis praemii ? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suae, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Non dixit : Qui reliquístis ómnia : hoc enim et Crates fecit philósophus et multi álii divítias contempsérunt ; sed : Qui secúti estis me : quod próprie Apostolórum est atque credéntium.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo : Cálicem Dñi bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum. — Cálicem. Benedictio. Cujus, vel Quorum festum cólimus.

Lectio viii.

IN regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suae (quando et mórtui de corruptióne resúrgent incorrúpti) sedébitis et vos in sóliis judicántium, condemnántes duódecim tribus Israël : quia vobis credéntibus, illi crédere noluérunt. Et omnis qui relíquerit do-

mum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam aetérnam possidébit. Locus iste cum illa senténtia cóngruit, in qua Salvátor lóquitur : Non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem a patre suo, et matrem a fília, et nurum a socru : et inimíci hóminis doméstici ejus. Qui ergo propter fidem Christi, et praedicatiónem Evangélii, omnes affféctus contémpserint, atque divítias et saeculi voluptátes : isti céntuplum recípient, et vitam aetérnam possidébunt.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dñus in charitáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna : operáti sunt justítiam. — Quorum. Glória Patri. Quorum. Benedictio. Ad societátem.

Lectio ix.

EX occasióne hujus senténtiae quidam introdúcunt mille annos post resurrectiónem, dicéntes, tunc nobis céntuplum ómnium rerum, quas dimísimus, et vitam aetérnam esse reddéndam: non intelligéntes, quod, si in caeteris digna sit repromíssio, in uxóribus appáreat turpitúdo : ut qui unam pro Dño dimíserit, centum recípiat in futúro. Sensus ergo iste est: Qui carnália pro Salvatóre dimíserit, spirituália recípiet : quae comparatióne et mérito sui ita erunt, quasi si parvo número centenárius número comparétur.

Deinde dicitur Hymnus Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES

et per Horas, Añae.

1. Hoc est praecéptum meum, * ut diligátis invicē, sicut diléxi vos. Psal. Dñus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Majórem charitátem * nemo habet, ut ánimā suam ponat quis pro amícis suis.

3. Vos amíci mei estis, * si fecéritis quae praecípio vobis, dicit Dóminus.

4. Beáti pacífici, * beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt.

5. In patiéntia vestra * possidébitis ánimas vestras.

Capitulum. *Ephes.* ii. *d.*

FRATRES : Jam non estis hóspites, et ádvenae : sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei : superaedificáti super fundaméntū Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu. ℟. Deo grátias.

Hymnus.

EXULTET orbis gáudiis :
Coelum resúltet láudibus :
Apostolórum glóriam
Tellus et astra cóncinunt.
Vos saeculórum Júdices,
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium ;
Audíte voces súpplicum.
Qui templa coeli cláuditis,
Serásque verbo sólvitis ;
Nos a reátu nóxios
Solvi jubéte, quaesumus.
Praecépta quorum prótinus
Languor salúsque séntiunt ;
Sanáte mentes lánguidas :
Augéte nos virtútibus :
Ut, cum redíbit Arbiter
In fine Christus saeculi,
Nos sempitérni gáudii
Concédat esse cómpotes.
Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Saeclum per omne glória.
Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Benedictus, Aña. Vos qui reliquístis * ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam aetérnam possidébitis.

AD TERTIAM.

Aña. Majórem charitátē.

Cap. Fratres, Jam non estis, ut supra. xv.

℟. br. In omnem terram * Exívit sonus eórum. In. ℣. Et in fines orbis terrae verba eórum. Exívit. Glória Patri. In omnem.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

AD SEXTAM.

Aña. Vos amíci mei estis.

Capitulum. *Act.* v. *b.*

PER manus autem Apostolórum fiébant signa et prodígia multa in plebe

℟. br. Constítues eos príncipes * Super omnem terram. Constítues. ℣. Mémores erunt nóminis tui, Dñe. Super. Glória Patri. Constítues.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

AD NONAM.

Aña. In patiéntia vestra.

Capitulum. *Act.* v. *g.*

IBANT Apóstoli gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati.

℟. br. Nimis honoráti sunt, Amici tui, Deus. Nimis. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Amici. Glória Patri. Nimis.

℣. Annuntiavérunt ópe-

ra Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

IN II. VESPERIS.

Ant. Jurávit Dñus, * et non poenitébit eum : Tu es sacérdos in aetérnum.

Psalmus cix.

DIXIT Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuae emíttet Dñus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuae in splendóribus Sanctórum : * ex útero ante luciferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non poenitébit eum : * Tu es sacérdos in aetérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dñus a dextris tuis, * confrégit in die irae suae reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Ant. Jurávit Dñus, et non poenitébit eum : Tu es sacérdos in aetérnum.

Antiph. Cóllocet eum * Dóminus cum princípibus pópuli sui.

Psalmus cxii.

LAUDATE púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dñus, * et super coelos glória ejus.

Quis sicut Dñus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in coelo et in terra ?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum laetántem.

Ant. Cóllocet eum Dñus cum princípibus pópuli sui.

Ant. Dirupísti, Dñe, víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis.

Psalmus cxv.

CREDIDI, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dño, * pro ómnibus, quae retríbuit mihi ?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dño reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dñi mors sanctórum ejus :

O Dñe, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancillae tuae.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dño reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dñi, in médio tui Jerúsalem.

Aña. Dirupísti, Dñe, víncula mea : tibi sacrificábo hóstiam laudis.

Antiph. Eúntes ibant * et flebant, mitténtes sémina sua.

Psalmus cxxv.

IN converténdo Dñus captivitátem Sion : * facti sumus sicut consoláti :

Tunc replétum est gáudio os nostrum : * et lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter Gentes : * Magnificávit Dñus fácere cum eis.

Magnificávit Dñus fácere nobíscum : * facti sumus laetántes.

Convérte, Dñe, captivitátem nostram, * sicut torrens in Austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portántes manípulos suos.

Aña. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua.

Aña. Confortátus est * princípatus eórum, et honoráti sunt amíci tui, Deus.

Psalmus cxxxviii.

DOMINE, probásti me, et cognovísti me : * tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longe : * sémitam meam, et funículum meum investigásti.

Et omnes vias meas praevidísti : * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovísti ómnia novíssima, et antíqua : * tu formásti me, et posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me : * confortáta est, et non pótero ad eam.

Quo ibo a spíritu tuo ? * et quo a fácie tua fúgiam ?

Si ascéndero in coelum, tu illic es : * si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * et habitávero in extrémis maris :

Etenim illuc manus tua dedúcet me : * et tenébit me déxtera tua

Et dixi : Fórsitan ténebrae conculcábunt me : * et nox illumináti mea in delíciis meis.

Quia ténebrae non obscurabúntur a te, et nox sicut dies illumináti bitur : * sicut ténebrae ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos : * suscepísti me de útero matris meae.

Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es : * mirabília ópera tua, et ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum a te, quod fecísti in occúlto : * et substántia mea in inferióribus terrae.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui, et in libro tuo omnes scribéntur : * dies formabúntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus : * nimis confortátus est princípátus eórum.

Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur : * exurréxi, et adhuc sum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres : * viri sánguinum declináte a me :

Quia dícitis in cogitatióne : * accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dñe, óderam : * et super inimícos tuos tabescébam ?

Perfécto ódio óderam illos : * et inimíci facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum ; * interroga me, et cognósce sémitas meas.

Et vide, si via iniquitátis in me est : * et deduc me in via aetérna.

Antiphona. Confortátus est princípátus eórum, et honoráti sunt amíci tui, Deus.

Capitulum. *Ephes.* ii. *d.*

FRATRES : Jam non estis hóspites, et ádvenae sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei : superaedificáti super fundaméntum Apostolórum et prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu. ℟. Deo grátias.

Hymnus. Exúltet, ut supra. xvi. ℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexerunt.

Ad Magnif. Aña. Estóte fortes in bello, * et pugnáte cum antíquo serpénte : et accipiétis regnum aetérnum, allelúia.

ALIAE LECTIONES
PRO APOSTOLIS.

In secundo Nocturno.

De Expositióne S. Augustíni Episcopi super Psalmum octogésimum sextum. *Ante medium.*

Lectio iv.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : díligit Dóminus portas Sion. Quare sunt fundaménta Apóstoli, et Prophétae ? Quia eórum auctóritas portat infirmitátem nostram. Quare sunt portae ? Quia per ipsos intrámus ad regnum Dei. Praedicant enim nobis : et cum per ipsos intrámus, per Christum intrámus. Ipse est enim jánua. Et cum dicúntur duódecim portae Jerúsalem, et una porta Christus, et duódecim portae Christus, quia in duódecim portis Christus : et ídeo duodenárius númerus Apostolórum. Sacraméntum magnum hujus duodenárii significátio est núməri. Sedébitis, inquit, super duódecim sedes, judicántes duódecim tribus Israël.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : * Isti sunt viri sancti facti amici Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium coelum, voce magna clamántem et dicéntem. — Isti.

Lectio v.

SI duódecim sellae ibi sunt, non est ubi sédeat tértius décimus Paulus Apóstolus, et non erit quómodo júdicet : et ipse se judicatúrum dixit, non hómines tantum, sed et ángelos. Quos ángelos, nisi apóstatas ángelos ? Nescítis, inquit, quia ángelos judicábimus ? Respondéret ergo turba : Quid te jactas judicatúrum ? Ubi sedébis ? Duódecim sedes dixit Dóminus duódecim Apóstolos : unus cécidit Judas, in locum ipsíus sanctus Mathias ordinátus est : implétus est duodenárius número sédium. Primo locum ínveni, ubi sédeas, et sic te mináre judicatúrum. Duódecim ergo sedes quid sibi velint, videámus. Sacraméntum est cujúsdam universitátis, quia per totum orbem terrárum futúra erat Eccléśia : unde vocátur hoc aedifícium ad Christi compágem.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum adversum vos, mentiéntes propter me : * Gaudéte et exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in coelis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hóminis. — Gaudéte et exultáte.

Léctio vi.

ET ídeo quia úndique venítur ad judicándum, duódecim sedes sunt : sicut quia úndique intrátur in illam civitátem, duódecim portae sunt. Non solum ergo illi duódecim, et Apóstolus Paulus, sed quotquot judicatúri sunt, propter significatiónem universitátis ad sedes duódecim pértinent : quemádmodum quotquot intrábunt, ad duódecim portas pértinent. Partes enim mundi quátuor sunt, Oriens, Occidens, Aquilo et Merídies. Istae quátuor partes assídue nominántur in Scriptúris. Ab istis quátuor ventis, sicut dicit Dñus in Evangélio, a quátuor ventis se collectúrum eléctos suos : ab ómnibus ergo istis quátuor ventis vocátur Ecclésia. Quómodo vocátur ? Undique in Trinitáte vocátur. Non vocátur nisi per baptísmum in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti. Quátuor ergo ter ducta duódecim inveniúntur.

℟. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt praemia aetérna : Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo. Glória Patri. Modo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xix. *d.*

IN illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis ? Et réliqua.

Homilia venerábilis Bedae Presbyteri.

Homil. in Nat. S. Bened.

PERFECTUS ille est, qui ábiens vendit ómnia quae habet, et dat paupéribus, ac véniens, séquitur Christum : habébit enim thesáurum non deficiéntem in coelis. Unde bene interrogánte Petro, dixit tálibus Jesus : Amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suae, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. In hac quippe vita pro ejus nómine laborántes, in ália praemium speráre dócuit : id est, in regeratióne ; cum vidélicet in vitam immortálem fuérimus resurgéndo regeneráti, qui in vitam caducam mortáliter erámus géniti.

℟. Isti sunt qui vivéntes

in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo : * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum. — Cálicĕ.

Lectio viii.

ET justa prorsus retributio, ut qui hic pro Christo humánae glóriam celsitúdinis neglexérunt, illic a Christo júdices glorificáti singuláriter cum eo assídeant, quia sequéndis ejus vestígiis nulla ratióne póterant avélli. Nemo autem putet duódecim tantum Apóstolos, quia pro Juda praevaricánte Mathías eléctus est, tunc esse judicatúros : sicut nec duódecim solae sunt tribus Israël judicándae : alióquin tribus Levi, quae tertiadécima est, injudicáta recédet.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in charitáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam. — Quorum. Glória. Quorum.

Lectio ix.

ET Paulus, qui tertiusdécimus est Apóstolus, judicándi sorte privábitur, cum ipse dicat : Nescítis quóniam ángelos judicábimus, quanto magis saeculária ? Sciéndum namque est, omnes, qui ad exémplum Apostolórum sua reliquérunt ómnia, et secúti sunt Christum, júdices cum eo ventúros, sicut étiam omne mortálium genus esse judicándum. Quia enim duodenário saepe número solet in Scriptúris univérsitas designári, per duódecim sedes Apostolórum, omnis numerósitas judicántium, et per duódecim tribus Israël, univérsitas eórum, qui judicándi sunt, osténditur.

Te Deum laudámus. 17.

PRO EVANGELISTIS LECTIONES.

In primo Nocturno.

Incipit liber Ezechiélis Prophétae.

Lectio i. *Cap.* i.

ET factum est in trigésimo anno, in quarto, in quinta mensis, cum essem in médio captivórum juxta flúvium Chobar, apérti sunt coeli, et vidi visiónes Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigratiónis regis Jóachim, factum est verbum Dómini ad Ezechiélem fílium Buzi sacerdótem in terra Chaldaeórum, secus flumen Chobar: et facta est super eum ibi manus Dñi. Et vidi, et ecce

ventus túrbinis veniébat ab Aquilóne, et nubes magna, et ignis involvens, et splendor in circúitu ejus : et de médio ejus quasi spécies eléctri, id est, de médio ignis.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbae. ℣. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis. — Estóte.

Lectio ii.

ET in médio ejus similitúdo quátuor animálium: et hic aspéctus eórum, similitúdo hóminis in eis. Quátuor fácies uni, et quátuor pennae uni. Pedes eórum pedes recti, et planta pedis eórum quasi planta pedis vituli, et scintíllae quasi aspéctus aeris candéntis. Et manus hóminis sub pennis eórum in quátuor pártibus : et fácies, et pennas per quátuor partes habébant. Junctaeque erant pennae eórum altérius ad álterum. Non revertebántur cum incéderent: sed unumquódque ante fáciē suam gradiebátur.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et discite a me, quia mitis sum, et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris.—Jugum.

Lectio iii.

SIMILITUDO autem vultus eórum : fácies hóminis, et fácies leónis a dextris ipsórum quátuor ; fácies autem bovis, a sinístris ipsórum quátuor, et fácies áquilae désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, et pennae eórum exténtae désuper : duae pennae singulórum jungebántur, et duae tegébant córpora eórum : et unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat : ubi erat ímpetus spíritus, illuc gradiebántur, nec revertebántur cum ambulárent.

℟. Dum stetéritis ante reges et praesides, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini: sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. — Dábitur. Glória Patri. Dábitur.

In secundo Nocturno.

De Expositióne S. Gregórii Papae super Ezechiélem Prophétam.

Lectio iv. *Hom.* iii. *l.* 1.

SANCTA quátuor animália, quae prophetíae spíritu futúra praevidéntur, subtíli narratióne

describúntur, cum dícitur : Quátuor fácies uni, et quátuor pennae uni. Quid per fáciem, nisi notítia ; et quid per pennas, nisi volátus exprímitur? Per fáciē quippe unusquísque cognóscitur : per pennas vero in altum ávium córpora sublevántur. Fácies ítaque ad fidem pértinet, penna ad contemplatiónē. Per fidem namque ab omnipoténti Deo cognóscimur, sicut ipse de suis óvibus dicit : Ego sum pastor bonus, et cognósco oves meas, et cognóscunt me meae. Qui rursus ait : Ego scio quos elégerim. Per contemplatiónem vero, qua super nosmetípsos tóllimur, quasi in áera levámur.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dñi locútus est ad me, dicens: Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium coelum, voce magna clamántem, et dicéntem.—Isti.

Lectio v.

QUATUOR ergo fácies uni sunt : quia si requíras quid Matthaeus de incarnatióne Dñi séntiat ; hoc nimírum sentit, quod Marcus, Lucas, et Joánnes. Si quaeras quid Joánnes séntiat ; hoc procul dúbio, quod Lucas, Marcus, et Matthaeus. Si quaeras quid Marcus ; hoc quod Matthaeus, Joánnes, et Lucas. Si quaeras quid Lucas ; hoc quod Joánnes, Matthaeus, et Marcus sentit. Quátuor ergo fácies uni sunt : quia notítia fídei, qua cognoscúntur a Deo, ipsa est in uno, quae est simul in quátuor. Quidquid enim in uno invéneris, hoc in ómnibus simul quátuor cognósces.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes propter me : Gaudéte et exultáte quóniã merces vestra copiósa est in coelis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis.—Gaudéte et exultáte.

Lectio vi.

AT quátuor pennae uni : quia Dei omnipoténtis Fílium Dóminum nostrum Jesum Christum simul omnes concórditer praedicant : et ad divinitátem ejus mentis óculos levántes, penna contemplatiónis volant. Evangelistárum ergo fácies ad humanitátem Dómini pértinet, penna, ad divinitátem : quia in eum, quem corpóreum aspíciunt, quasi fácies inténdunt : sed dum hunc

esse incircumscríptum atque incorpóreum ex divinitáte annúntiant, per contemplatiónis pennam quasi in áera levántur. Quia ítaque una est fides incarnatiónis ejus in ómnibus, et par contemplátio divinitátis ejus in síngulis, recte nunc dícitur : Quátuor fácies uni, et quátuor pennae uni.

℟. Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt praemia aetérna : Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.—Modo. Glória Patri. Modo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* x.

IN illo témpore : Designávit Dñus et álios septuagínta duos : et misit illos binos ante fáciem suam, in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papae.

Homilia xvii. *in Evang.*

DOMINUS et Salvátor noster, fratres charíssimi, aliquándo nos sermónibus, aliquándo vero opéribus ádmonet. Ipsa étenim facta ejus, praecépta sunt : quia dum áliquid tácitus facit, quid ágere debeámus innotéscit. Ecce enim binos in praedicatiónem discípulos mittit : quia duo sunt praecépta charitátis, Dei vidélicet amor, et próximi : et minus quam inter duos cháritas habéri non potest. Nemo enim próprie ad semetípsum habére charitátem dícitur : sed diléctio in álterum tendit, ut cháritas esse possit.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo : Cálicem Dñi bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum.—Cálicem.

Lectio viii.

ECCE enim binos ad praedicándum discípulos Dóminus mittit ; quátenus hoc nobis tácitus innuat, quia qui charitátem erga álterum non habet, praedicatiónis offícium suscípere nullátenus debet. Bene autem dícitur, quia misit eos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Praedicatóres enim suos Dñus séquitur : quia praedicátio praevenit, et tunc ad mentis nostrae habitáculum Dóminus venit,

quando verba exhortatiónis praecúrrunt: atque per hoc véritas in mente suscípitur. ℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dñus in charitáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam: * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam. — Quorum. Glória Patri. Quorum.

Lectio ix.

HINC namque eísdem praedicatóribus Isaías dicit: Paráte viam Dñi, rectas fácite sémitas Dei nostri. Hinc fíliis Psalmísta ait: Iter fácite ei, qui ascéndit super occásum. Super occásum namque Dóminus ascéndit: quia unde in passióne occúbuit, inde majórem suam glóriam resurgéndo manifestávit. Super occásum vidélicet ascéndit; quia mortem quam pértulit, resurgéndo calcávit. Ei ergo qui ascéndit super occásum, iter fácimus, cum nos ejus glóriam vestris méntibus praedicámus, ut eas et ipse post véniens, per amóris sui praeséntiam illústret.

Te Deum laudámus. 17.

Commune unius Martyris.

AD VESPERAS.

Ant. Qui me confessus, cum reliquis de Laudibus. xxxviii. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis ut in Communi Apostolorum. ii.

Capitulum. *Jacobi* i. *b.*

BEATUS vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitae, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

DEUS, tuórum míllitum
Sors, et coróna, praemium,
Laudes canéntes Mártyris
Absólve nexu críminis.

Hic nempe mundi gáudia,
Et blanda fraudum pábula
Imbúta felle députans,
Pervénit ad coeléstia.

Poenas cucúrrit fórtiter,
Et sústulit viríliter,
Fundénsque pro te sánguinem,
Ætérna dona póssidet.

Ob hoc precátu súpplici
Te póscimus piíssime;
In hoc triúmpho Mártyris
Dimítte noxam sérvulis.

Laus, et perénnis glória,
Patri sit atque Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna saecula.
Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Iste sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

Pro Martyre et Pontif.
Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice, omnípotens Deus: et quia pondus própriae actiónis

gravat, beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Alia Oratio.

DEUS, qui nos beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis, ánnua solemnitáte laetíficas : concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Pro Martyre tantum, Oratio.

PRAESTA quaesumus, omnípotens Deus : ut qui beáti N. Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Alia Oratio.

PRAESTA quaesumus, omnípotens Deus : ut intercedénte beáto N. Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem Mártyrum Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. Veníte. 2.

Hymnus. Deus, tuórum mílitum, ut supra. xxvii.

In primo Nocturno.

Ańa. In lege Dñi * fuit volúntas ejus die ac nocte.

Psalmus i.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiae non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quaecúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terrae.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Ańa. In lege Dómini fuit volúntas ejus die ac nocte.

Ańa. Praedicans * praecéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus.

Psalmus ii.

QUARE fremuérunt Gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia ?

Astitérunt reges terrae, et príncipes convenérunt in

unum * advérsus Dñum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in coelis, irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praecéptũ ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes haereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terrae.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confringes eos.

Et nunc reges intellígite: * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dño in timóre : * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Aña. Praedicans praecéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus.

Aña. Voce mea * ad Dóminum clamávi: et exaudívit me de monte sancto suo.

Psalmus iii.

DOMINE, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me ? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimae meae: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dñe, suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum: * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dñi est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Aña. Voce mea ad Dóminum clamávi : et exaudívit me de monte sancto suo.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Pater noster. Absolutio. Exáudi, Dómine. ℣. Jube, domne. Benedíctio. Benedictióne perpétua.

Lectiones sequentes primi Nocturni leguntur in Festo Martyris et Pontif.

In Festo autem Mart. non Pont. leguntur quae inferius positae sunt in Communi plurim. Mart. xlvii.

De Actibus Apostolórum.

Lectio i. *Cap.* xx. *d.*

MILETO Paulus mittens Ephesum, vocávit Majóres natu Ecclésiae. Qui cum veníssent ad eum, et simul essent, dixit eis : Vos scitis a prima die, qua ingréssus sum in Asiam, quáliter vobíscum per omne tempus fúerim, sérviens Dómino cum omni humilitáte, et lácrymis, et tentatiónibus, quae mihi accidérunt ex insídiis Judaeórum : quómodo nihil subtráxerim utílium, quo minus annuntiárem vobis, et docérem vos públice, et per domos, testíficans Judaeis atque Gentílibus in Deum poeniténtiam, et fidem in Dóminum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligátus ego spíritu, vado in Jerúsalem, quae in ea ventúra sint mihi, ignórans: nisi quod Spíritus sanctus per omnes civitátes mihi protestátur, dicens : Quóniam víncula et tribulatiónes Jerosólymis me manent. Sed nihil horum véreor : nec fácio ánimam meam pretiosiórem quam me, dúmmodo consúmmem cursum meum, et ministérium verbi, quod accépi a Dómino Jesu, testificári Evangélium grátiae Dei.

℟. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: ℣. Fundátus enim erat supra firmam petram. ℟. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Fundátus. Benedictio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ii.

ET nunc ecce ego scio, quia ámplius non vidébitis fáciem meam vos omnes, per quos transívi praedicans regnum Dei. Quapropter contéstor vos hodiérna die, quia mundus sum a sánguine ómnium. Non enim subterfúgi, quo minus annuntiárem omne consílium Dei vobis. Atténdite vobis, et univérso gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo. Ego scio quóniam intrábunt post discessiónem meam lupi rapáces in vos, non parcéntes gregi. Et ex vobis ipsis exúrgent viri loquéntes pervérsa, ut abdúcant discípulos post se. Propter quod vigiláte, memória retinéntes, quóniam per triénnium nocte et die non cessávi, cum lácrymis monens unumquémque vestrum.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in aetérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. ℟. Et florébit. Bened. Spíritus sancti grátia.

Lectio iii.

ET nunc comméndo vos Deo, et verbo grátiae ipsius, qui potens est aedificáre, et dare haereditátem in sanctificátis ómnibus. Argéntum et aurum, aut vestem nullíus concupívi, sicut ipsi scitis : quóniam ad ea quae mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministravérunt manus istae. Omnia osténdi vobis, quóniam sic laborántes, opórtet suscípere infírmos, ac memínisse verbi Dómini Jesu, quóniam ipse dixit : Beátius est magis dare, quam accípere. Et cum haec dixísset, pósitis génibus suis orávit cum ómnibus illis. Magnus autem fletus factus est ómnium : et procumbéntes super collum Pauli, osculabántur eum, doléntes máxime in verbo quod díxerat, quóniam ámplius fáciem ejus non essent visúri. Et deducébant eum ad navem.

℟. Iste cognóvit justítiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum: * Et invéntus est in número sanctórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pérvenit ad coeléstia regna.—Et invéntus. Glória Patri. Et invéntus.

In secundo Nocturno.

Ant. Fílii hóminum * scitóte quia Dóminus Sanctum suum mirificávit.

Psalmus iv.

CUM invocárem, exaudívit me Deus justítiae meae: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde ? * ut quid dilígitis vanitátem, et quaeritis mendácium ?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dñus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quae dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiae, et speráte in Dño. * Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona ?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine: * dedísti laetítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam ;

Quóniam tu, Dómine, singulárite in spe * constituísti me.

Ańa. Fílii hóminum scitóte quia Dñus Sanctum suum mirificávit.

Ańa. Scuto * bonae voluntátis tuae coronásti eum, Dómine.

Psalmus v.

VERBA mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meae, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dñe, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo: * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus: * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiae tuae.

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos: * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et laeténtur omnes, qui sperant in te, * in aetérnum exultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dñe, ut scuto bonae voluntátis tuae * coronásti nos.

Ańa. Scuto bonae voluntátis tuae coronásti eum, Dómine.

Antiphona. In univérsa terra * glória et honóre coronásti eum.

Psalmus viii.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super coelos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam et stellas, quae tu fundásti.

Quid est homo, quod me-

mor es ejus ? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres coeli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dñus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Añ. In univérsa terra glória et honóre coronásti eum.

℣. Posuísti, Dñe, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Pater noster. Absolutio. Ipsíus piétas. ℣. Jube, domne. Benedictio. Deus Pater omnípotens.

Sermo S. Augustíni Epíscopi.

Lectio iv. *Serm.* xliv. *de SS.*

RIUMPHALIS beáti Mártyris N. dies hódie nobis anniversária celebritáte recúrrit : cujus glorificatióni sicut congáudet Ecclésia, sic ejus propónit sequénda vestígia. Si enim compátimur, et conglorificábimur. In cujus glorióso agóne duo nobis praecípue consideránda sunt, induráta vidélicet tortóris saevítia, et Mártyris invícta patiéntia. Saevítia tortóris, ut eam detestémur : patiéntia Mártyris, ut eam imitémur. Audi Psalmístam advérsus malítiam increpántem : Noli aemulári in malignántibus : quóniam tamquam foenum velóciter arescent. Quod autem advérsus malignántes patiéntia exhibénda sit, audi Apóstolum suadéntem: Patiéntia vobis necessária est, ut reportétis promissiónes. ℟. Honéstum fecit illum Dñus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum.—Et dedit. Bened. Christus perpétuae.

Lectio v.

CORONATA ítaque est beáti Mártyris patiéntia, mancipáta est aetérnis cruciátibus tortóris incorrécta malítia. Hoc atténdens in agóne suo gloriósus Christi athléta, non exhórruit cárcerem. Ad imitatiónem cápitis sui tolerávit probra, sustínuit irrisiónes, flagélla non tímuit : et quot ante mortem pro Christo pértulit supplícia, tot ei de se óbtulit sacrifícia. Quod enim propinánte Apóstolo bíberat, alte reti-

nébat : Quia non sunt condígnae passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quae revelábitur in nobis. Et quia momentáneum hoc et leve nostrae tribulatiónis, aetérnum glóriae pondus operátur in coelis. Hujus promissiónis amóre a terrénis suspénsus, et praegustáta supérnae suavitátis dulcédine ineffabíliter affléctus, dicébat cum Psalmísta : Quid mihi est in coelo, et a te quid vólui super terram ? Defécit caro mea, et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in aetérnum.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dñe, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Et. Benedíctio. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

QUONTEMPLABATUR enim, quantum in aenígmate infirmitas humána óculum mentis in aeternitáte fígere potest, quanta sint supérnae civitátis gáudia : et ea enarráre non sufficiens, admirándo clamábat : Quid mihi est in coelo ? Quasi díceret: Excédit vires meas, excédit facultátem eloquéntiae meae, transcéndit capacitátem intelligéntiae meae illud decus, illa glória, illa celsitúdo, qua nobis, a conturbatióne hóminum remótis, in abscóndito faciéi suae Jesus Christus Dñus noster reformábit corpus humilitátis nostrae, configurátum córpori claritátis suae. Hujus perféctae libertátis contemplatióne nullum vitábat perículum, nullum horrébat supplícium : et si míllies posset mori, non putábat se hanc digne posse áliqua ratióne promeréri.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dñus : Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dñus pane vitae et intellléctus : et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum. —Et. Glória Patri. Et.

In tertio Nocturno.

Ant. Justus Dóminus, * et justítiam diléxit : aequitátem vidit vultus ejus.

Psalmus x.

IN Dño confído : quómodo dícitis ánimae meae : * Tránsmigra in montem sicut passer ?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quae perfecísti, destruxérunt : * justus autem quid fecit ?

Dóminus in templo sancto suo,* Dóminus in coelo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respíciunt :* pálpebrae ejus intérrogant filios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium :* qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos :* ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dñus, et justítias diléxit :* aequitátem vidit vultus ejus.

Añа. Justus Dóminus, et justítiam diléxit : aequitátem vidit vultus ejus.

Añа. Habitábit in tabernáculo tuo : requiéscet in monte sancto tuo.

Psalmus xiv.

DOMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo ?* aut quis requiéscet in monte sancto tuo ?

Qui ingréditur sine mácula,* et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo,* qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum,* et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus :* timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit,* qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit haec,* non movébitur in aetérnum.

Añа. Habitábit in tabernáculo tuo : requiéscet in monte sancto tuo.

Añа. Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso.

Psalmus xx.

DOMINE, in virtúte tua laetábitur rex :* et super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei :* et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis :* posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te :* et tribuísti ei longitúdinem diérum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo :* glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in saeculum saeculi :* laetificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dño :* et in misericórdia Altíssimi, non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dñus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quae non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis praeparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in vírtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Ańa. Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube, dómne. Benedíctio. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xiv. *f.*

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papae.

Hom. xxxvii. *in Evangelia.*

SI considerémus, fratres charíssimi, quae et quanta sunt quae nobis promittúntur in coelis, viléscunt ánimo ómnia quae habéntur in terris. Terréna namque substántia supérnae felicitáti comparáta, pondus est, non subsídium. Temporális vita aetérnae vitae comparáta, mors est pótius dicénda, quam vita. Ipse enim quotidiánus defléctus corruptiónis quid est áliud, quam quaedam prolíxitas mortis? Quae autem lingua dícere, vel quis intelléctus cápere súfficit, illa supérnae civitátis quanta sint gáudia ; Angelórum choris interésse, cum beatíssimis spirítibus glóriae conditóris assístere, praeséntem Dei vultum cérnere, incircumscríptum lumen vidére, nullo mortis metu áffici, incorruptiónis perpétuae múnere laetári?

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus coró-

nam de lápide pretióso.—Exprèssa. Bened. Cujus festum cólimus.

Lectio viii.

SED ad haec audíta inardéscit ánimus, jamque illic cupit assístere, ubi se sperat sine fine gaudére. Sed ad magna praemia perveníri non potest, nisi per magnos labóres. Unde et Paulus egrégius praedicátor dicit: Non coronábitur, nisi qui legítime certáverit. Deléctet ergo mentem magnitúdo praemiórum, sed non detérreat certámen labórum. Unde ad se veniéntibus Véritas dicit: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénae dignitátis glóriam quaesívit, sed ad coeléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Qui minas. Glória Patri. Qui minas. Bened. Ad societátem.

Sequens Responsorium dicitur ultimo loco in festis sex SS. Martyrum Pontificum Eusebii, Marcelli, Joannis, Silverii, Martini, et Pontiani.

℟. Dómine, praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in saeculum saeculi.—Posuísti. Glória Patri. Posuísti.

Lectio ix.

SED percontári libet, quómodo paréntes, et carnáliter propínquos praecípimur odísse, qui jubémur et inimícos dilígere? Et certe Véritas de uxóre dicit: Quod Deus conjúnxit, homo non séparet. Et Paulus ait: Viri, dilígite uxóres vestras, sicut et Christus Ecclésiam. Ecce, discípulus uxórem diligéndam praedicat, cum Magíster dicat: Qui uxórem non odit, non potest meus esse discípulus. Numquid áliud judex núntiat, áliud praeco clamat? An simul et odísse póssumus, et dilígere? Sed si vim praecépti perpéndimus, utrúmque ágere per discretiónem valémus: ut uxórem, et eos, qui nobis carnis cognatióne conjúncti sunt, et quos próximos nóvimus, diligámus; et quos adversários in via Dei pátimur, odiéndo et fugiéndo nesciámus.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Qui me conféssus fúerit * coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Qui séquitur me, * non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitae, dicit Dóminus.

3. Qui mihi minístrat, * me sequátur : et ubi ego sum, illic sit et minister meus.

4. Si quis mihi ministráverit, * honorificábit eum Pater meus, qui est in coelis, dicit Dóminus.

5. Volo, Pater, * ut ubi ego sum, illic sit et minister meus.

Capitulum. *Jac.* i. *b.*

BEATUS vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitae, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

INVICTE Martyr, únicum
Patris secútus Fílium,
Victis triúmphas hóstibus,
Victor fruens coeléstibus.

Tui precátus múnere
Nostrum reátum dilue,
Arcens mali contágium,
Vitae repéllens taedium.

Solúta sunt jam víncula
Tui sacráti córporis :
Nos solve vinclis saeculi,
Dono supérni Núminis.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne saeculum. Amen.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Benedictus, Ańa. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam.

Pro Mart. et Pont.,
Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice, omnípotens Deus : et quia pondus própriae actiónis gravat, beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Alia Oratio.

DEUS, qui nos beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte laetificas : concéde propítius ; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Pro Martyre tantum,
Oratio.

PRAESTA quaesumus omnípotens Deus : ut qui beáti N. Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis

amóre roborémur. Per Dóminum

Alia Oratio.

PRAESTA quaesumus omnípotens Deus: ut, intercedénte beáto N. Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Aña. Qui séquitur me. Capit. Beátus vir, ut supra. xxxviii. ℟. br. Glória et honóre, * Coronásti eum, Dómine. Glória. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et honóre. ℣. Posuísti, Dñe, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretioso.

AD SEXTAM.

Aña. Qui mihi minístrat. Capitulum. *Eccli.* xv.

CIBAVIT illum pane vitae et intellectus, et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum Dñus Deus noster. ℟. br. Posuísti Dómine, * Super caput ejus. Posuísti, Dómine. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super caput ejus. Glória Patri. Posuísti. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM.

Antiphona. Volo Pater. Capitulum. *Eccli.* xxxix.

JUSTUS cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. ℟. br. Magna est glória ejus, * In salutári tuo. Magna. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In salutári tuo. Glória Patri. Magna. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

AD VESPERAS.

Aña. Qui me conféssus, ut supra cum reliquis de Laud. xxxviii. Ps. Dixit Dóminus, cum reliquis de Communi Apostolorum. ii. et loco ultimi, Psal. Crédidi. 137. Capit. Beátus vir, ut supra. xxxviii. Hymnus. Deus, tuórum, ut supra. xxvii. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multipiicábitur

Ad Magnificat, Aña. Qui vult veníre post me, * ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

ALIAE LECTIONES
PRO UNO MARTYRE.

In secundo Nocturno.

De Expositióne S. Ambrósii Epíscopi in Psalmum centésimum décimum octávum.

Lectio iv. *Serm.* xxi.

PRINCIPES persecúti sunt me gratis : et a verbis tuis trepidávit cor meum. Bene hoc Martyr dicit, quod injúste persecutiónum torménta sustíneat : qui nihil rapúerit, nullum violéntus opprésserit, nullíus sánguinẽ fúderit, nullíus torum putáverit esse violándum : qui nihil légibus débeat, et gravióra latrónum sustinére cogátur supplícia : qui loquátur juste, et non audiátur : qui loquátur plena salútis, et impugnétur : ut possit dícere : Cum loquébar illis, impugnábant me gratis. Gratis ígitur persecutiónem pátitur, qui impugnátur sine crímine, impugnátur ut nóxius, cum sit in tali confessióne laudábilis : impugnátur quasi venéficus, qui in nómine Dómini gloriátur, cum piétas virtútum ómnium fundaméntum sit.

℟. Honéstum fecit illum Dñus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum.—Et dedit.

Lectio v.

VERE frustra impugnátur, qui apud ímpios et infídos, impietátis arcéssitur, cum fídei sit magíster. Verum qui gratis impugnátur, fortis debet esse et constans. Quómodo ergo subtéxuit : Et a verbis tuis trepidávit cor meum ? Trepidáre infirmitátis est, timóris atque formídinis. Sed est étiam infírmitas ad salútem, est étiam timor sanctórum. Timéte Dñum omnes sancti ejus: et, Beátus vir, qui timet Dñum. Qua ratióne beátus? Quia in mandátis ejus cupit nimis.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dñe, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Et voluntáte.

Lectio vi.

PONE ergo Mártyrem inter pericula constitútum, cum inde immánitas bestiárum ad incutiéndum terrórem ínfremat, aliúnde stridor candéntium laminárum, et flamma fornácis ardéntis exaestuet, ex parte ália pérsonent tractus grá-

vium catenárum, hinc cárnifex cruéntus assístat: pone, inquam, circumspectántem ómnia plena supplíciis, deínde cogitántem mandáta divína, illum ignem perpétuum, illud sine fine incéndium perfidórum, illam poenae recrudescéntis aerúmnam: trepidáre corde, ne, dum praeséntibus cedat, perpétuis se dedat exítiis: perturbári ánimo, dum futúri judícii rhomphaeam illam terríbilem quadam conspéctus spécie contuétur. Nonne ad hanc trepidatiónem fidúciae viri constántis, aequális in eúmdem concúrrit efféctum confidéntia cupiéntis aetérna, et divina trepidántis?

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae et intellléctus: et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum. — Et corónam. Glória Patri. Et.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xvi. *d.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papae.

Hom. xxxii. *in Evang.*

QUIA Dñus, ac Redémptor noster novus homo venit in mundum, nova praecépta dedit mundo. Vitae étenim nostrae véteri, in vítiis enutritae contrarietátem oppósuit novitátis suae. Quid enim vetus, quid carnális homo nóverat, nisi sua retinére, aliéna rápere, si posset, concupíscere, si non posset? Sed coeléstis médicus síngulis quibúsque vítiis obviántia ádhibet medicaménta. Nam sicut arte medicínae cálida frígidis, frígida cálidis curántur: ita Dóminus noster contrária oppósuit medicaménta peccátis, ut lúbricis continéntiam, tenácibus largitátem, iracúndis mansuetúdinem, elátis praecíperet humilitátem.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viii.

CERTE cum se sequéntibus nova mandáta propóneret dixit: Nisi quis renuntiáverit ómnibus quae póssidet, non potest

meus esse discípulus. Ac si apérte dicat: Qui per vitam véterem aliéna concupíscitis, per novae conversatiónis stúdium et vestra largímini. Quid vero in hac lectióne dicat, audiámus: Qui vult post me veníre, ábneget semetípsum. Ibi dícitur, ut abnegémus nostra: hic dícitur, ut abnegémus nos. Et fortásse laboriósum non est hómini relínquere sua: sed valde laboriósum est relínquere semetípsum. Minus quippe est abnegáre quod habet: valde autem multum est, abnegáre quod est.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénae dignitátis glóriam quaesívit, sed ad coeléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

AD se autem nobis veniéntibus Dóminus praecépit, ut renuntiémus nostris: quia quicúmque ad fidei agónem venímus, luctámen contra malígnos spíritus súmimus. Nihil autem malígni Spíritus in hoc mundo próprium póssident: nudi ergo cum nudis luctári debémus. Nam si vestítus quisque cum nudo luctátur, cítius ad terram dejícitur, quia habet unde teneátur. Quid enim sunt terréna ómnia, nisi quaedam córporis indumenta? Qui ergo contra diábolum ad certámen próperat, vestiménta abjíciat, ne succúmbat.

Te Deum laudámus. 17.

III. ALIA HOMILIA.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* x. *c.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur; et occúltum, quod non sciétur. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Episcopi.

Comment. in Matth. cap. x. *post medium.*

DOMINUS diem judícii osténdit, quae abstrúsam voluntátis nostrae consciéntiam prodet: et ea quae nunc occúlta existimántur, luce cognitiónis públicae déteget. Igitur non minas, non consília, non potestátes insectántiu monet esse metuéndas: quia dies judícii nulla haec fuísse, atque inánia revelábit. Et quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure auditis, praedicáte super

tecta. Non légimus Dñum sólitum fuísse nóctibus sermocinári, et doctrinam in ténebris tradidísse: sed quia omnis sermo ejus carnálibus ténebrae sunt, et verbum ejus infidélibus nox est.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Expréssa signo.

Lectio viii.

ITAQUE id quod a se dictum est, cum libertáte fidei et confessiónis vult esse loquéndum. Idcírco quae in ténebris dicta sunt praedicári jussit in lúmine: ut, quae secréto áurium commíssa sunt, super tecta, id est, excélso loquéntium praecónio audiántur. Constánter enim Dei ingerénda cognítio est, et profúndum doctrínae evangélicae secrétum in lúmine praedicatiónis apostólicae revelándum: non timéntes eos, quibus cum sit licéntia in córpora, tamen in ánimam jus nullum est: sed timéntes pótius Deum, cui perdéndae in gehénna et ánimae et córporis sit potéstas.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénae dignitátis glóriam quaesívit, sed ad coeléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

NOLITE timére eos qui occídunt corpus. Nullus ígitur córporum nostrórum casus est pertimescéndus, neque ullus interiméndae carnis admitténdus est dolor: quando pro natúrae suae atque oríginis conditióne resolúta, in substántiam spirituális ánimae refundátur. Et quia doctrínis tálibus confirmátos opórtet líberam confiténdi Dei habére constántiam; étiam conditiónem, qua tenerémur, adjécit: negatúrum se eum Patri in coelis, qui se homínibus in terra negásset: eum porro qui conféssus coram homínibus se fuísset, a se in coelis confiténdum: qualésque nos nóminis sui testes hominibus fuissémus, tali nos apud Deum Patrem testimónio ejus usúros.

Te Deum laudámus. 17.

Commune
PLURIMORUM MARTYRUM.

AD VESPERAS.

Ańa. Omnes sancti, cum reliquis de Laudibus. lv. Ps. Dixit Dóminus. cum reliquis ut in Communi Apostolorum. ii.

Capitulum. *Sap.* iii.

IUSTORUM ánimae in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori, illi autem sunt in pace.

Hymnus.

SANCTORUM méritis ínclyta gáudia
Pangámus sócii, géstaque fórtia :
Gliscens fert ánimus prómere cántibus
Victórum genus óptimum.
Hi sunt quos fátue mundus abhórruit :
Hunc fructu vácuum, flóribus áridum,
Contempsére tui nóminis ásseclae,
Jesu, Rex bone Coelitum.
Hi pro te fúrias atque minas truces
Calcárunt hóminum, saevaque vérbera :
His cessit lácerans fórtiter úngula
Nec carpsit penetrália.
Caedúntur gládiis more bidéntium ;
Non murmur résonat, non querimónia :
Sed corde impávido mens bene cónscia
Consérvat patiéntiam.
Quae vox, quae póterit lingua retéxere,
Quae tu Martyribus múnera praeparas ?
Rubri nam flúido sánguine fúlgidis
Cingunt témpora láureis.
Te, summa o Déitas, únaque póscimus,
Ut culpas ábigas, nóxia súbtrahas,
Des pacem fámulis, ut tibi glóriam
Annórum in sériem canant.
Amen.

℣. Laetámini in Dño, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Ad Magnificat, Antiph. Istórum est enim * regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Pro pluribus Martyribus Pontificibus, Oratio.

BEATORUM Mártyrum, paritérque Pontíficum N. et N. nos, quae-

sumus Dómine, festa tuéántur : et eórum commémdet orátio veneránda. Per Dóminum nostrum.

Si non fuerint Pontifices,

Oratio

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. natalítia cólere : da nobis in aetérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

Alia Oratio.

DEUS, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. solemnitáte laetíficas : concéde propítius ; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum nostrum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem Mártyrum Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. Veníte. 2.

Hymnus.

CHRISTO profúsum sánguinem,
Et Mártyrum victórias,
Dignámque coelo láuream
Laetis sequámur vócibus.

Terróre victo saeculi,
Poenísque spretis córporis,
Mortis sacrae compéndio
Vitam beátam póssident.

Tradúntur igni Mártyres,
Et bestiárum déntibus :
Armáta saevit úngulis
Tortóris insáni manus.

Nudáta pendent víscera:
Sanguis sacrátus fúnditur :
Sed pérmanent immóbiles
Vitae perénnis grátia.

Te nunc, Redémptor, quaesumus,
Ut Mártyrum consórtio
Jungas precántes sérvulos
In sempitérna saecula.
Amen.

In primo Nocturno.

Ant. Secus decúrsus aquárum * plantávit víneam justórum, et in lege Dñi fuit volúntas eórum.

Psalmus i.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit,* et in cáthedra pestiléntiae non sedit :

Sed in lege Dñi volúntas ejus,* et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quaecúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic impii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a fácie terrae.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Aña. Secus decúrsus aquárum plantávit víneam justórum, et in lege Dñi fuit volúntas eórum.

Aña. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dñus : et quasi holocáusta accépit eos in aetérnum.

Psalmus ii.

QUARE fremuérunt Gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia ?

Astitérunt reges terrae, et príncipes convenérunt in unum, * advérsus Dñum et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in coelis, irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praecéptũ ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes haereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terrae.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas figuli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dño in timóre : * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínã nequándo irascátur Dñus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confidunt in eo.

Aña. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dñus : et quasi holocáusta accépit eos in aetérnum.

Aña. Si coram homínibus torménta passi sunt, spes electórum est immortális in aetérnum.

Psalmus iii.

DOMINE, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me ? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimae meae : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dñe, suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dñum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et

super pópulum tuum benedíctio tua.

Ańa. Si coram homínibus torménta passi sunt, spes eléctórum est immortális in aetérnum.

℣. Laetámini in Dño, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Pater noster. Absolutio. Exáudi, Dómine. ℣. Jube, domne. Benedíctio. Benedictióne perpétua.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio i. *Cap.* viii. *c.*

FRATRES, Debitóres sumus non carni, ut secúndum carnem vivámus. Si enim secúndum carnem vixéritis, moriémini: si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicúmque enim spíritu Dei agúntur, ii sunt Fílii Dei. Non enim accepístis spíritum servitútis iterum in timóre, sed accepístis spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus: Abba (Pater). Ipse enim Spíritus testimónium reddit spíritui nostro, quod sumus fílii Dei. Si autem filii, et haerédes; haerédes quidem Dei, cohaerédes autem Christi: si tamen compátimur, ut et conglorificémur. Existimo enim quod non sunt condignae passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quae revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúrae, revelatiónem filiórum Dei expéctat.

℟. Abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis sanctórum: et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor: * Quóniam prióra transiérunt. ℣. Non esúrient, neque sítient ámplius, neque cadet super illos sol, neque ullus aestus. —Quóniam. Benedíctio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ii.

SCIMUS autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis qui secúndum propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos praescívit, et praedestinávit conformes fieri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem praedestinávit, hos et vocávit: et quos vocávit, hos et justificávit: quos autem justificávit, illos et glorificávit. Quid ergo dicémus ad haec? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum: quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusabit adversus eléctos Dei? Deus qui justificat, quis est qui

condémnet? Christus Jesus, qui mórtuus est, imo qui et resurréxit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpéllat pro nobis.

℟. Viri sancti gloriósum sánguinem fudérunt pro Dómino, amavérunt Christum in vita sua, imitáti sunt eum in morte sua : * Et ídeo corónas triumpháles meruérunt. ℣. Unus spíritus, et una fides erat in eis.—Et ídeo. Benedíctio. Spíritus sancti grátia.

Lectio iii.

QUIS ergo nos separábit a charitáte Christi? tribulátio, an angústia, an fames, an núditas, an perículum, an persecútio, an gládius? (sicut scriptum est : Quia propter te mortificámur tota die : aestimáti sumus sicut oves occisiónis.) Sed in his ómnibus superámus propter eum, qui diléxit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principátus, neque Virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos separáre a charitáte Dei, quae est in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia : * Et meruérunt habére corónas perpétuas. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.—Et meruérunt. Glória. Et meruérunt.

In secundo Nocturno.

Ańa. Dabo sanctis meis locum nominátum in regno Patris mei, dicit Dóminus.

Psalmus xiv.

DOMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit :

Qui facit haec, * non movébitur in aetérnum.

Ańa. Dabo sanctis meis locum nominátum in regno Patris mei, dicit Dóminus.

Ańa. Sanctis, qui in terra sunt ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas inter illos.

Psalmus xv.

CONSERVA me, Dómine, quóniam sperávi in te.* Dixi Dño: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátae sunt infirmitátes eórum: * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus: * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars haereditátis meae, et cálicis mei: * tu es, qui restítues haereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in praecláris: * étenim haereditas mea praeclára est mihi.

Benedícam Dñum, qui tríbuit mihi intellectum: * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dñum in conspéctu meo semper: * quóniam a dextris est mihi ne commóvear.

Propter hoc laetátum est cor meum, et exultávit lingua mea: * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno: * nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitae, adimplébis me laetítia cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ańa. Sanctis qui in terra sunt ejus, mirificávit omnes voluntátes meas inter illos.

Ańa. Sancti qui speránt in Dño, * habébunt fortitúdinem, assúment pennas ut áquilae, volábunt, et non deficient.

Psalmus xxiii.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus: * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * et super flúmina praeparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dño: * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Haec est generátio quaeréntium eum, * quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles: * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dñus fortis et potens, Dóminus potens in praelio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dñus virtútum ipse est Rex glóriae.

Añ. Sancti qui sperant in Dómino, habébunt fortitúdinem, assúment pennas ut áquilae, volábunt, et non deficient.

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in laetítia.

Pater noster. Absolutio. Ipsius píetas. ℣. Jube, domne. Benedictio. Deus Pater omnípotens.

Sermo S. Augustíni Epísc. *Serm.* xlvii. *de Sanctis.*

Lectio iv.

QUOTIESCUMQUE, fratres charíssimi, sanctórum Mártyrum solémnia celebrámus, ita, ipsis intercedéntibus, expectémus a Dómino cónsequi temporália beneficia, ut ipsos Mártyres imitándo, accípere mereámur aetérna. Ab ipsis enim sanctórum Mártyrum in veritáte festivitátum gáudia celebrántur, qui ipsórum Mártyrum exémpla sequúntur. Solemnitátes enim Mártyrum exhortatiónes sunt martyriórum : ut imitári non pigeat, quod celebráre deléctat.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes praecéptis tuis, ut inveniréntur illaesi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquae, et torrénites inundavérunt.—Terra appáruit. Benedictio. Christus perpétuae.

Lectio v.

SED nos vólumus gaudére cum Sanctis : et tribulatiónem mundi nólumus sustinére cum ipsis. Qui enim sanctos Mártyres, in quantum potúerit, imitári nolúerit, ad eórum beatitúdinem non póterit pervenire. Sed et Paulus Apóstolus praedicat, dicens : Si fuérimus sócii passiónum, érimus et consolatiónum. Et Dñus in Evangélio : Si mundus vos odit, scitóte quia me priórem vobis ódio hábuit. Recúsat esse in córpore, qui ódium non vult sustinére cum cápite.

℟. Vérbera carnificum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut haerédes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia.—Ut haerédes. Benedictio. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

SED dicet áliquis: Et quis est, qui possit beatórum Mártyrum vestígia sequi? Huic ego respóndeo, quia non solum Mártyres, sed étiam ipsum Dñum cum ipsíus adjutório, si vólumus, póssumus imitári. Audi non me, sed ipsum Dñum géneri humáno clamántem: Discite a me, quia mitis sum, et húmilis corde. Audi et Petrum Apóstolum admonéntem: Christus passus est pro nobis, relínquens nobis exémplum, ut sequámur vestígia ejus.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dñus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos: et in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem: et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. — Quóniam. Glória. Quóniam.

In tertio Nocturno.

Ańa. Justi autem * in perpétuum vivent, et apud Dñum est merces eórum.

Psalmus xxxii.

EXULTATE justi in Dño: * rectos decet collaudátio. Confitémini Dómino in cíthara: * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum: * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dñi,* et ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam et judícium: * misericórdia Dómini plena est terra.

Verbo Dñi coeli firmáti sunt: * et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris: * ponens in thesáuris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra: * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandávit, et creáta sunt.

Dñus dissipat consília géntium: * réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consília princípum.

Consílium autem Dñi in aetérnum manet: * cogitatiónes cordis ejus in generatióne et generatiónem.

Beáta gens, cujus est Dñus Deus ejus: * pópulus, quem elégit in haereditátem sibi.

De coelo respéxit Dñus: * vidit omnes fílios hóminum.

De praeparáto habitáculo suo * respéxit super omnes, qui hábitant terram.

Qui finxit singillátim corda eórum: * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem : * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suae.

Fallax equus ad salútem : * in abundántia autem virtútis suae non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Ut éruat a morte ánimas eórum : * et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dñum : * quóniam adjútor et protéctor noster est.

Quia in eo laetábitur cor nostrum : * et in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dñe, super nos : * quemádmodum sperávimus in te.

Añ. Justi autem in perpétuum vivent, et apud Dñum est merces eórum.

Añ. Tradidérunt córpora sua in mortem, ne servírent idólis : ídeo coronáti póssident palmam.

Psalmus xxxiii.

BENEDICAM Dñum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dño laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et laeténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idipsum.

Exquisívi Dñum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini : * et fácies vestrae non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dñus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dñi in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dñum, omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuiérunt : * inquiréntes autem Dñum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me : * timórem Dñi docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos ?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et perséquere eam.

Óculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dñi super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dñus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multae tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dñus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Añ. Tradidérunt córpora sua in mortem, ne servírent idólis : ídeo coronáti póssident palmam.

Añ. Ecce merces Sanctórum copiósa est apud Deum : ipsi vero mórtui sunt pro Christo, et vivent in aetérnum.

Psalmus xlv.

DEUS noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quae invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus, dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátae sunt aquae eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus laetíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátae sunt Gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dñi, quae pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terrae.

Arcum cónteret, et confringet arma : * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in Géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Añ. Ecce merces Sanctórum copiósa est apud Deum : ipsi vero mórtui sunt pro Christo, et vivent in aetérnum.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dñum est merces eórum.

Pater noster. Absol. A vínculis. ℣. Jube, domne. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xxi. *c.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum audiéritis praelia, et seditiónes, nolíte terréri :

opórtet primum haec fíeri, sed nondum statim finis. Et réliqua.

Homília Sancti Gregórii Papae.

Hom. xxxv. *in Evang.*

DOMINUS ac Redémptor noster perítúri mundi praecurréntia mala denúntiat, ut eo minus pertúrbent veniéntia, quo fúerint praescíta. Minus enim jácula fériunt quae praevidéntur: et nos tolerabílius mundi mala suscípimus, si contra haec per praesciéntiae clypeum munímur. Ecce enim dicit: Cum audiéritis praelia, et seditiónes, nolíte terréri: opórtet enim primum haec fíeri, sed nondum statim finis. Pensánda sunt verba Redemptóris nostri, per quae nos áliud intérius, áliud extérius, passúros esse denúntiat. Bella quippe ad hostes pértinent, seditiónes ad cives. Ut ergo nos índicet intérius exteriúsque turbári, áliud nos fatétur ab hóstibus, áliud a frátribus pérpeti.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, Sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum!—Quia unus. Benedíctio. Quorum festum cólimus.

Lectio viii.

SED his malis praeveniéntibus, quia non statim finis sequátur, adjúngit: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum: et terraemótus magni erunt per loca, et pestiléntiae, et fames, terrorésque de coelo, et signa magna erunt. Ultima tribulátio multis tribulatiónibus praevenítur: et, per crebra mala, quae praevéniunt, indicántur mala perpétua, quae subsequéntur. Et ídeo post bella et seditiónes non statim finis: quia multa debent mala praecúrrere, ut malum váleant sine fine nuntiáre.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis: * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum.—Mercédem labóris. Glória Patri. Mercédem labóris. Benedíctio. Ad societátem.

Sequens Responsorium dicitur post viii. vel ii. Lectionem in Festo plurimorum Martyrum fratrum.

℟. Haec est vera fratérnitas, quae nunquam pótuit violári certámine: qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum: * Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad re-

gna coeléstia. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum!— Contemnéntes aulam. Glória Patri. Contemnéntes aulam.

Lectio ix.

SED cum tot signa perturbatiónis dicta sint, opórtet ut eórum consideratiónem bréviter per síngula perstringámus: quia necésse est, utália e coelo,ália e terra,ália ab eleméntis,ália ab homínibus patiámur. Ait enim: Surget gens contra gentem, ecce perturbátio hóminum: erunt terraemótus magni per loca, ecce respéctus irae désuper: erúnt pestiléntiae, ecce inaequálitas córporum: erit fames, ecce sterilitas terrae: terrorésque de coelo et tempestátes, ecce inaequálitas áeris. Quia ergo ómnia consummánda sunt, ante consummatiónem ómnia perturbántur: et qui in cunctis delíquimus, in cunctis ferímur: ut impleátur quod dícitur: Et pugnábit pro eo orbis terrárum contra insensátos.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Omnes Sancti * quanta passi sunt torménta, ut secúri pervenírent ad palmam martyrii! Ps. Dñus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Cum palma * ad regna pervenérunt Sancti, corónas decóris meruérunt de manu Dei.

3. Córpora Sanctórum * in pace sepúlta sunt: et vivent nómina eórum in aetérnum.

4. Mártyres Dómini, * Dñum benedícite in aetérnum.

5. Mártyrum chorus, * laudáte Dóminum de coelis, allelúia.

Capitulum. *Sap.* iii.

JUSTORUM ánimae in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Hymnus.

REX glorióse Mártyrum,
Coróna confiténtium,
Qui respuéntes térrea
Perdúcis ad coeléstia;
Aurem benígnam prótinus
Inténde nostris vócibus:
Trophaea sacra pángimus:
Ignósce quod delíquimus.
Tu vincis inter Mártyres,
Parcísque Confessóribus:
Tu vince nostra crímina,
Largítor indulgéntiae.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spiritu Paráclito,
Nunc, et per omne saeculum. Amen.

℣. Exultábunt sancti in

glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. Aña. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

Pro plur. Martyribus Pontificibus, Oratio.

BEATORUM Mártyrum, paritérque Pontíficum N. et N. nos, quaesumus Dómine, festa tueántur: et eórum comméndet orátio veneránda. Per Dóminum.

Si non fuerint Pontifices: Oratio.

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. natalítia cólere: da nobis in aetérna beatitúdine de córum societáte gaudére. Per Dóminum.

Alia Oratio.

DEUS, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. solemnitáte laetíficas: concéde propítius; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Aña. Cum palma.

Capit. Justórum.

℟. br. Laetámini in Dómino, * Et exultáte, justi. Laetámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et exultáte. Glória Patri. Laetámini.

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in laetítia.

AD SEXTAM.

Aña. Córpora sanctórum.

Capitulum. *Sap.* x. *d.*

REDDIDIT Deus mercédem labórum Sanctórum suórum, et dedúxit illos in via mirábili: et fuit illis in velaménto diéi, et in luce stellárum nocte.

℟. br. Exúltent justi * In conspéctu Dei. Exúltent. ℣. Et delecténtur in laetítia. In conspéctu. Glória Patri. Exúltent.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dñum est merces córum.

AD NONAM.

Aña. Martyrum chorus.

Capitulum. *Sap.* iii.

FULGEBUNT justi, et tamquam scintíllae in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis: et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

℟. br. Justi autem * In perpétuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dñum est merces eórum. In perpétuum. Glória Patri. Justi.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

AD VESPERAS.

Añae. 1. Isti sunt Sancti, * qui pro testaménto Dei sua córpora tradidérunt, et in sánguine Agni lavérunt stolas suas. Psalm. Dixit Dóminus. ii.

2. Sancti per fidem * vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes. Psalm. Confitébor. iii.

3. Sanctórum * velut áquilae juventus renovábitur; florébunt sicut lílium in civitáte Dómini. Psalm. Beátus vir. iii.

4. Abstérget Deus * omnem lácrymam ab óculis Sanctórum, et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor: quóniam prióra transiérunt. Psalm. Laudáte. iv.

5. In coeléstibus regnis * Sanctórum habitátio est, et in aetérnum réquies eórum. Psalm. Crédidi. xvii.

Capitulum, et Hymnus ut in primis Vesperis. xliv.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Ad Magnif. Añа. Gaudent in coelis * ánimae Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exúltant sine fine.

II. ALIAE LECT.
PRO PLUR. MARTYRIBUS.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.
Serm. primo de Mart. t. 3.

Léctio iv.

REMO est qui nésciat, Mártyrum glórias ad hoc divíno consílio a Dei pópulis frequentári, ut et illis débitus honor dicétur et nobis virtútis exémpla, favénte Christo, monstréntur: ut, dum haec ita celebrári perspícimus, cognoscámus quanta eos glória máneat in coelis, quorum natalítia táliter celebrántur in terris: quo possímus étiam, ipsi tálibus provocári exémplis, virtúte pari, devotióne consímili ac fide: ut, Christo praestánte, dimicáre, et víncere hostem possímus: ut, parta victória, cum ísdem Sanctis in regnis coeléstibus triumphémus.

℟. Sancti tui. l.

Léctio v.

QUIS est enim, qui eórum volens mérito copulári, nisi prius constántiam eórum téneat, sectétur fidem, imitétur virtútem passiónis, eórum glóriam páribus vitae lineaméntis aut invéniat, aut exquírat? Qui etsi martyrio par esse non possit, tamen múneris

tanti dignitáte se quisque bonis áctibus dignum praebeat. Adest enim clementíssimus Deus, qui desiderántibus suis aut martyrium praebeat, aut sine martyrio cum sanctis praemia divína retríbuat.

℟. Vérbera. l.

Lectio vi.

UT enim infirmátur peccátor advérsis, ita justus tentatiónibus roborátur. Sic dimicárunt advérsus peccátum sancti: sic et laborándo fortióres et moriéndo victóres effécti sunt. Nullus athlétes sine certámine fórtior dici, nullus sine victória póterit coronári. Nemo miles sine praelio hostem subjécit: nemo sine bello imperatórem proméruit. Habes, Christiáne, competéntia arma, quibus hostem expúgnes: habes fortíssima tela, quibus inimícum debélles.

℟. Tamquam. li.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* vi. *c.*

IN illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judaea, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis. Et réliqua.

Homilia sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 5. *in Lucae cap.* vi.

ADVERTE ómnia diligénter, quómodo et cum Apóstolis ascéndat, et descéndat ad turbas. Quómodo enim turba nisi in húmili Christum vidéret? Non séquitur ad excélsa, non ascéndit ad sublímia. Dénique ubi descéndit, invénit infírmos: in excélsis enim infírmi esse non possunt. Hinc étiam Matthaeus docet, in inferióribus débiles esse sanátos. Prius enim unusquísque sanándus est, ut paulátim virtútibus procedéntibus ascéndere possit ad montem. Et ídeo quemque in inferióribus sanat, hoc est, a libídine révocat, injúriam caecitátis avértit. Ad vúlnera nostra descéndit: ut usu quodam et cópia suae natúrae, compartícipes nos fáciat esse regni coelléstis.

℟. Propter. liv.

Lectio viii.

BEATI páuperes, quia vestrum est regnum Dei. Quátuor tantum beatitúdines sanctus Lucas Domínicas pósuit, octo vero sanctus Matthaeus: sed in illis octo istae quátuor sunt, et in quátuor istis illae octo. Hic enim quátuor velut virtútes amplexus

est cardináles : ille in illis octo mysticum número rum reserávit. Pro octáva enim multi inscribúntur Psalmi : et mandátum áccipis octo illis partem dare fortásse benedictiónibus. Sicut enim spei nostrae octáva perféctio est, ita octáva summa virtútum est.

℟. Sancti mei. liv.

Lectio ix.

SED prius quae sunt amplióra videámus. Beáti, inquit, páuperes, quóniam vestrum est regnum Dei. Primam benedictiónem hanc utérque Evangelísta pósuit. Ordine enim prima est, et parens quaedam generatióque virtútum : quia qui contémpserit saeculária, ipse merébitur sempitérna : nec potest quisquam méritum regni coeléstis adipísci, qui mundi cupiditáte pressus, emergéndi non habet facultátem.

Te Deum laudámus. 17.

III. ALIA HOMILIA.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xii.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Atténdite a ferménto Pharisaeórum, quod est hypócrisis. Et réliqua.

Homilia venerábilis Bedae Presbyteri.

Lib. 4. *in Lucam, C.* lii.

QUE hoc ferménto Apóstolus praecipit : Itaque epulémur, non in ferménto véteri, neque in ferménto malítiae et nequítiae, sed in ázymis sinceritátis et veritátis. Nam sicut módicum ferméntum totam farínae, cui injícitur, massam corrúmpit, universámque mox conspersiónē suo sapóre commáculat : sic nimírum simulátio, cujus semel ánimum imbúerit, tota virtútum sinceritáte et veritáte fraudábit. Est ergo sensus : Atténdite ne aemulémini simulatóres : quia véniet profécto tempus, in quo et vestra virtus ómnibus, et eórum revelétur hypócrisis.

℟. Propter. liv.

Lectio viii.

VERUM quod séquitur : Quóniam quae in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur : non solum in futúro, quando cuncta córdium abscóndita proferéntur ad lucem, sed et in praesénti témpore potest congruénter áccipi : quóniam quae inter ténebras quondam pressurárum, carcerúmque umbras, vel locúti, vel passi sunt Apóstoli, nunc clarificáta

per orbem Ecclésia, lectis eórum áctibus, públice praedicántur. Ne terreámini ab his qui occídunt corpus. Si persecutóres Sanctórum, occísis corpóribus, non habent ámplius quid contra illos agant, ergo supervácua furunt insánia, qui mórtua Mártyrum membra feris avibúsque discerpénda projíciunt, cum nequáquam omnipoténtiae Dei, quin ea resuscitándo vivíficet, obsístere possint.

℟. Sancti mei. liv.

Lectio ix.

DUO autem sunt génera persecutórum : unum palam saeviéntium, álterum ficte fraudulentérque blandiéntium. Contra utrúmque nos munire atque instituere volens Salvátor, et supra ab hypócrisi Pharisaeórum atténdere, et hic a carnificum caede praecipit non timére : quia vidélicet post mortem nec horum crudélitas, nec illórum váleat simulátio duráre. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio? Si minutíssima, inquit, animália, et quae quólibet per áera feruntur volatília, Deus oblivísci non potest; vos qui ad imáginem facti estis Creatóris, non debétis terréri ab his qui occídunt corpus : quia qui irrationabília animália gubérnat, rationabília curáre non désinit.

Te Deum laudámus. 17.

Commune
CONFESSORIS PONTIFICIS.

AD VESPERAS.

Ańa. Ecce sacérdos, cum reliquis de Laud. lxxi. Ps. Dixit Dñus, cum reliq. ut in Communi Apostolorum. ii.

Capitulum. *Eccli.* xliv. *c*

ECCE sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiae factus est reconciliátio.

Hymnus.

ISTE Conféssor Dñi, coléntes
Quem pie laudant pópuli per orbem,
Hac die laetus méruit beátas
Scándere sedes.

Si non est dies obitus, dicatur :

Hac die laetus méruit suprémos
Laudis honóres.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbriā duxit sine labe vitam,
Donec humános animávit aurae
Spíritus artus.

Cujus ob praestans méritum, frequénter
Ægra quae passim jacuére membra,
Víribus morbi dómitis, salúti
Restituúntur.

Noster hinc illi Chorus obsequéntem
Cóncinit laudem, celebrésque palmas ;
Ut piis ejus précibus juvémur
Omne per aevum.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super coeli sólio corúscans,
Totíus mundi sériem gubérnat,
Trinus, et unus.

Amen.

℣. Amávit eum Dñus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Ad Magnif. Antiphona. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio.

OA, quaesumus omnípotens Deus : ut beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Alia Oratio.

EXAUDI, quaesumus Dñe, preces nostras, quas in beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Pro Doctoribus, in utrisque Vesp. ad Magnif., Ańa. O Doctor óptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte N. divínae legis amátor, deprecáre pro nobis fílium Dei.

Oratio.

DEUS, qui pópulo tuo aetérnae salútis beátum N. minístrum tribuísti: praesta quaesumus; ut, quem doctórem vitae habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in coelis. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem Confessórum Dñum, * Veníte, adorémus. Ps. Veníte. 2.

Hymn. Iste Conféssor.

In primo Nocturno.

Ańa. Beátus vir, * qui in lege Dómini meditátur : volúntas ejus pérmanet die ac nocte, et ómnia quaecúmque fáciet, semper prosperabúntur

Psalmus 1.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiae non sedit :

Sed in lege Dñi volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quaecúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a fácie terrae.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Ańa. Beátus vir, qui in

lege Dómini meditátur: volúntas ejus pérmanet die ac nocte, et ómnia quaecúmque fáciet, semper prosperabúntur.

Ańa. Beátus * iste sanctus, qui confísus est in Dómino, praedicávit praecéptum Dñi, constitútus est in monte sancto ejus.

Psalmus ii.

QUARE fremuérunt Gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terrae, et príncipes convenérunt in unum, * advérsus Dñum et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in coelis irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praecéptũ ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes haereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terrae.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini qui judicátis terram.

Servite Dño in timóre : * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínã, nequándo irascátur Dñus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Ańa. Beátus iste sanctus, qui confísus est in Dómino, praedicávit praecéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus.

Antiphona. Tu es glória mea, * tues suscéptor meus, Dómine : tu exáltans caput meum, et exaudísti me de monte sancto tuo.

Psalmus iii.

DOMINE, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimae meae : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dñe, suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti

omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ańa. Tu es glória mea, tu es susceptor meus, Dñe : tu exáltans caput meum, et exaudísti me de monte sancto tuo.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Pater noster. Absolutio. Exáudi, Dómine. ℣. Jube, domne. Benedíctio. Benedictióne perpétua.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio i. *Cap.* iii.

FIDELIS sermo : Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo Epíscopum irreprehensíbilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum ; non litigiósum, non cúpidum, sed suae dómui bene praepósitum, filios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suae praeésse nescit, quómodo Ecclésiae Dei diligéntiam habébit ? Non neóphytum : ne in superbiam elátus, in judícium incidat diáboli. Opórtet autem illum et testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt, ut non in oppróbrium incidat, et in láqueum diáboli.

℟. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecceália quinque superlucrátus sum.—Intra. Benedíctio. Unigénitus.

De Epístola ad Titum.

Lectio ii. *Cap.* i. *b.*

OPORTET enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem : non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum ; sed hospitálem, benignum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermónem : ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradícunt, argúere. Sunt enim multi étiam inobediéntes, vaníloqui, et seductóres ; máxime qui de circumcisióne sunt, quos opórtet redárgui : qui univérsas domos subvértunt, docéntes quae non opórtet, turpis lucri grátia.

℟. Ecce sacérdos ma-

gnus, qui in diébus suis plácuit Deo : * Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. ℣. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus.—Ideo. Bened. Spíritus sancti grátia.

Lectio iii. *Cap.* ii.

TU autem lóquere quae decent sanam doctrínam : Senes ut sóbrii sint, pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia : Anus simíliter in hábitu sancto, non criminatrices, non multo vino serviéntes, bene docéntes : ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant, prudéntes, castas, sóbrias, domus curam habéntes, benígnas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre ut sóbrii sint. In ómnibus teípsum praebe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile : ut is, qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. Jurávit Dóminus, et non poenitébit eum : * Tu es sacérdos in aetérnum secúndum órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo: Sede a dextris meis.—Tu es sacérdos. Glória Patri. Tu es sacérdos.

In secundo Nocturno.

Ant. Invocántem exaudívit Dñus sanctum suum, Dóminus exaudívit eum, et constítuit eum in pace.

Psalmus iv.

CUM invocárem exaudívit me Deus justítiae meae : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quaeritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quae dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiae, et speráte in Dño. * Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine: * dedísti laetítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam;

Quóniam tu, Dómine, singulariter in spe * constituísti me.

Aña. Invocántem exaudívit Dóminus sanctum suum, Dñus exaudívit eum, et constítuit eum in pace.

Aña. Laeténtur omnes, * qui sperant in te, Dómine : quóniam tu benedixísti justo, scuto bonae voluntátis tuae coronásti eum.

Psalmus v.

VERBA mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meae, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiae tuae.

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dñe, deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et laeténtur omnes, qui sperant in te, * in aetérnum exultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum: * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonae voluntátis tuae * coronásti nos.

Aña. Laeténtur omnes, qui sperant in te, Dómine: quóniam tu benedixísti justo, scuto bonae voluntátis tuae coronásti eum.

Aña. Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra ! quia glória et honóre coronásti Sanctum tuum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Psalmus viii.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super coelos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos,* ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quae tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus ? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum:

Omnia subjecísti sub pédibus ejus,* oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres coeli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dñus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Añ. Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra ! quia glória et honóre coronásti Sanctum tuum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Pater noster. Absolutio. Ipsíus píetas. ℣. Jube, domne. Benedíctio. Deus Pater omnípotens.

Sermo S. Máximi Epíscopi. *Hom.* lix. *de S. Euseb.* ii.

Lectio iv.

AD sancti ac beatíssimi Patris nostri N. cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse, áliquid decerpsísse est : síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra : Glória Patris est fílius sápiens : quantae hujus sunt glóriae, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne laetátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. —Manus. Benedíctio. Christus perpétuae.

Lectio v.

QUIDQUID ígitur in hac sancta plebe potest esse virtútis et grátiae, de hoc quasi quodam fonte lucidíssimo, ómnium rivulórum púritas emanávit. Etenim quia castitátis pollébat vigóre, quia abstinéntiae gloriabátur angústiis, quia blandiméntis erat praeditus lenitátis, ómnium cívium in Deum

provocávit affléctum : quia Pontíficis administratióne fulgébat, plures e discípulis relíquit sui sacerdótii successóres.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus. Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

BENE et cóngrue in hac die, quam nobis beáti Patris nostri N. ad paradísum tránsitus exultábilem reddit, praeséntis Psalmi versículum decantávimus : In memória aetérna erit justus. Digne enim in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit Angelórum. Dicit sermo divínus : Ne laudes hóminem in vita sua : tamquam si díceret : Lauda post vitam, magnífica post consummatiónem. Dúplici enim ex causa utílius est hóminum magis memóriae laudem dare, quam vitae ; ut illo potíssimum témpore mérita sanctitátis extóllas, quando nec laudántem adulátio movet, nec laudátum tentat elátio.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno.

Ant. Dómine, iste Sanctus * habitábit in tabernáculo tuo, operátus est justítiam, requiéscet in monte sancto tuo.

Psalmus xiv.

DOMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo ? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo ?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super nnocéntem non accépit.

Qui facit haec, * non movébitur in aetérnum.

Ant. Dñe, iste Sanctus habitábit in tabernáculo tuo, operátus est justítiam,

requiéscet in monte sancto tuo.

Aña. Vitam pétiit * a te, et tribuísti ei, Dómine : glóriam et magnum decórem imposuísti super eum : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Psalmus xx.

DOMINE, in virtúte tua laetábitur rex : * et super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidériū cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in saeculum saeculi : * laetificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quae non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in reliquiis tuis praeparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Aña. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei, Dómine : glóriam et magnum decórem imposuísti super eum : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Aña. Hic accípiet * benedictiónem a Dño, et misericórdiam a Deo salutári suo : quia haec est generátio quaeréntium Dóminum.

Psalmus xxiii.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina praeparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini ? * aut quis stabit in loco sancto ejus ?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam

suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Haec est generátio quaeréntium eum, * quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in praelio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae.

Añ. Hic accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo : quia haec est generátio quaeréntium Dñum.

℣. Tu es sacérdos in aetérnum. ℟. Secúndum órdinem Melchísedech.

Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube, domne. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xxv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilia S. Gregórii Papae.

Homil. ix. *in Evang.*

LECTIO sancti Evangélii, fratres charíssimi, solícite considerare nos ádmonet, ne nos, qui plus caeteris in hoc mundo accepísse áliquid cérnimur, ab Auctóre mundi grávius inde judicémur. Cum enim augéntur dona, ratiónes étiam crescunt donórum. Tanto ergo esse humílior, atque ad serviéndum Deo prómptior quisque debet ex múnere, quanto se obligatiórem esse cónspicit in reddénda ratióne. Ecce homo, qui péregre proficíscitur, servos suos vocat, eisque ad negótium talénta partítur. Post multum vero témporis posítus ratiónem revértitur. Bene operántes pro apportáto lucro remúnerat, servum vero a bono ópere torpéntem damnat.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum, stolam glóriae índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas. Bened. Cujus festum cólimus.

Lectio viii.

QUIS ítaque iste homo est, qui péregre proficíscitur, nisi Redémptor

noster, qui in ea carne quam assúmpserat, ábiit in coelum? Carnis enim locus próprius terra est: quae quasi ad peregrína dúcitur, dum per Redemptórem nostrum in coelo collocátur. Sed homo iste péregre proficíscens, servis suis bona sua trádidit, quia fidélibus suis spirituália dona concéssit. Et uni quidem quinque talénta, álii duo, álii vero commísit unum. Quinque étenim sunt córporis sensus, vidélicet: visus, auditus, gustus, odorátus, et tactus. Quinque ergo taléntis, donum quinque sénsuum, id est, exteriórum sciéntia exprímitur. Duóbus vero, intellectus et operátio designátur. Uníus autem tàlénti nómine, intellectus tantúmmodo designátur.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae arderites in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dñus vester ventúrus sit.—Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles. Benedíctio. Ad societátem.

Lectio ix.

SED is, qui quinque talénta accéperat, ália quinque lucrátus est: quia sunt nonnúlli, qui etsi intérna ac mystica penetráre nésciunt, pro intentióne tamen supérnae pátriae docent recta quos possunt, de ipsis exterióribus, quae accepérunt, duplum taléntum portant: dumque se a carnis petulántia, et a terrenárum rerum ámbitu, atque a visibílium voluptáte custódiunt, ab his étiam álios admonéndo compéscunt. Et sunt nonnúlli, qui quasi duóbus talántis diláti, intellectum atque operatiónem percípiunt, subtília de intérnis intélligunt, mira in exterióribus operántur. Cumque et intelligéndo et operándo áliis praedicant, quasi duplicátum de negótio lucrum repórtant.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES

et per Horas, Añae.

1. Ecce sacérdos magnus, *qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis, 18.

2. Non est invéntus *símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

3. Ideo jurejurándo *fecit illum Dóminus créscere in plebem suam.

4. Sacerdótes Dei, *benedícite Dóminum: servi Dómini, hymnum dícite Deo, allelúia.

5. Serve bone * et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

Capitulum. *Eccli.* xliv. *c.*

ECCE sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiae factus est reconciliátio.

Hymnus.

JESU, Redémptor ómnium,
Perpes coróna Praesulum,
In hac die cleméntius
Indúlgeas precántibus.

Tui sacri qua nóminis
Conféssor almus cláruit:
Hujus celébrat ánnua
Devóta plebs solémnia.

Qui rite mundi gáudia
Hujus cadúca réspuens,
Æternitátis praemio
Potítur inter Angelos.

Hujus benígnus ánnue
Nobis sequi vestígia,
Hujus precátu sérvulis
Dimítte noxam críminis.

Sit, Christe Rex piíssime,
Tibi, Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne saeculum. Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Aña. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio.

DA, quaesumus omnípotens Deus: ut beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis, veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Alia Oratio.

EXAUDI, quaesumus Dómine, preces nostras, quas in beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte deférimus: et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dñum.

AD TERTIAM.

Aña. Non est invéntus.

Capit. Ecce sacérdos, ut supra.

℟. br. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit. ℣ Stolam glóriae índuit eum. Et ornávit. Glória Patri. Amávit.

℣. Elégit eum Dñus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

AD SEXTAM.

Aña. Ideo jurejurándo.

Capitulum. *Eccli.* xliv. *c.*

NON est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi: ídeo jurejurándo fecit illum Dñus créscere in plebem suam.

℟. br. Elégit eum Dóminus * Sacerdótem sibi.

Elégit. ℣. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis. Sacerdótem. Glória. Elégit.

℣. Tu es sacérdos in aetérnum. ℟. Secúndum órdinem Melchísedech.

AD NONAM.

Aña. Serve bone.

Capitulum. *Eccli.* xlv. *c.*

FUNGI sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

℟. br. Tu es sacérdos* In aetérnum. Tu es. ℣. Secúndum órdinem Melchísedech. In aetérnum. Glória Patri. Tu es.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD VESPERAS.

Aña. Ecce sacérdos, cum reliquis de Laudibus. lxxi. Psalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis de Communi Apost. ii. et loco ultimi :

Psalmus cxxxi.

MEMENTO, Dómine, David, * et omnis mansuetúdinis ejus.

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob :

Si introíero in tabernáculum domus meae, * si ascéndero in lectum strati mei :

Si dédero somnum óculis meis, * et pálpebris meis dormitatiónem :

Et réquiem tempóribus meis : donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata : * invénimus eam in campis silvae.

Introíbimus in tabernáculum ejus : * adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dñe, in réquiem tuam, * tu et arca sanctificatiónis tuae.

Sacerdótes tui induántur justítiam : * et sancti tui exúltent.

Propter David servum tuum, * non avértas fáciem Christi tui.

Jurávit Dñus David veritátem, et non frustrábitur eam : * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testaméntum meum, * et testimónia mea haec, quae docébo eos :

Et fílii eórum usque in saeculum, * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion : * elégit eam in habitatiónem sibi.

Haec réquies mea in saeculum saeculi : * hic habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam : * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus induam salutári : * et sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David, * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne : * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Capit. et Hymnus, ut supra in primis Vesp. lxi.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ańa Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Sequens Ańa dicitur ad Magnif., in secundis Vesperis pro solis Summis Pont.

Ańa. Dum esset Summus Póntifex, * terréna non métuit, sed ad coeléstia regna gloriósus migrávit.

Si occurrat celebrari Festum plurim. Pont. et Conf. Officium fit ut supra : sed in Oratione et Sermone, quae ponuntur in singulari, dicantur in plurali ; et in primo Noct. legantur sequentes Lect. de Scriptura.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* xliv.

LAUDEMUS viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a saeculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua praediti, nuntiántes in Prophétis dignitátem Prophetárum, et imperántes in praesénti pópulo, et virtúte prudéntiae pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum.

℟. Euge, serve. lxiv.

Lectio ii.

HOMINES dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes : pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suae glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum : et sunt quorum non est memória : periérunt quasi qui non fúerint : et nati sunt, quasi non nati, et fílii ipsórum cum ipsis.

℟. Ecce sacérdos. lxiv.

Lectio iii.

SED illi viri misericórdiae sunt, quorum piétates non defuérunt : cum sémine eórum pérmanent bona, haeréditas sancta nepótes eórum et in testaméntis stetit semen eórum : et fílii eórum propter illos usque in aetérnum manent : semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in

pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

℟. Jurávit Dóminus. lxv.

II. ALIAE LECTIONES
PRO PONT. ET CONF.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Máximi Epíscopi. *Ex Hom.* lix. *de S. Euseb.* 2.

Lectio iv.

BEATI Patris N. mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus : qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam coeléstibus divítiis et aetérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit : qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitae illíus cursus, nisi unus cum vígili hoste conflíctus ?

℟. Invéni David. lxvii.

Lectio v.

QUANTIS hic caecis a via veritátis errántibus, et de summa jam in profúndum rupe pendéntibus amíssum réddidit visum, et illum, quo Christus viderétur reparávit intúitum ? Quantórum áuribus surdis, et infidelitátis obturatióne damnátis, ad percipiéndam vocem coeléstium mandatórum, pretiósum infúdit audítum, ut vocánti Deo ad misericórdiam respondérent per obediéntiam ? Quantos intrínsecus vulnerátos, angélici oris arte et oratiónum, ab infirmitáte curávit ?

℟. Pósui. lxviii.

Lectio vi.

QUANTOS per longam incúriam peccáti labe resolútos, et quadam leprae contagióne perfúsos, castigatiónibus et exhortatiónibus expiándo, Deo in se operánte, mundávit ? Quantórum ánimas viventes in córpore jam defúnctas, et delictórum mole óbrutas ac sepúltas, ad emendatiónem tamquam ad lucem vocándo, Deo resuscitávit : ut Dómini sui admirándus imitátor, jam mórtuas Deo, e contrário mortíficet vitáli morte peccáto ?

℟. Iste est qui. lxviii.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xxiv. *d.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigilate, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

Comm. in Matth. cap. xxvi.

NT ignorántiam illam diéi ómnibus táciti, non sine útilis siléntii ratióne esse scirémus, vigiláre nos Dñus propter advéntum furis admónuit, et oratiónum assiduitáte deténtos, ómnibus praeceptórum suórum opéribus inhaerére. Furem enim esse osténdit zábulum, ad detrahénda ex nobis spólia pervígilem, et córporum nostrórum dómibus insidiántem ; ut ea incuriósis nobis, et somno déditis, consiliórum suórum atque illecebrárum jáculis perfódiat. Parátos ígitur esse nos cónvenit : quia diéi ignorátio inténtam sollicitúdinem suspénsae expectatiónis exágitet.

℟. Amávit eum. lxx.

Lectio viii. *Cap.* xxvii.

QUISNAM est fidélis servus et prudens, quem constítuit Dñus super famíliam suam? Quamquam in commúne nos ad indeféssam vigilántiae curam adhortétur : speciálem tamen pópuli princípibus, id est Epíscopis, in expectatióne adventúque suo sollicitúdinem mandat. Hunc enim servum fidélem atque prudéntem, praepósitum famíliae significat, cómmoda atque utilitátes commíssi sibi pópuli curántem. Qui si dicto áudiens, et praecéptis obédiens erit, id est, si doctrínae opportunitáte et veritáte infírma confírmet, disrúpta consólidet, depraváta convértat, et verbum vitae in aeternitátis cibum aléndae famíliae dispéndat, atque haec agens, hisque immorans deprehendátur, glóriam a Dómino tamquam dispensátor fidélis, et víllicus útilis consequétur, et super ómnia bona constituétur ; id est, in Dei glória collocábitur, quia nihil sit ultra, quod mélius sit.

℟. Sint lumbi. lxxi.

Lectio ix.

QUOD si cóntuens longam Dei patiéntiam, quae in profectum humánae salútis exténditur, advérsum consérvos insoléscet, et saeculi malis vitiísque se tradet, praeséntium tantum curam in cultu ventris exércens: desperáta die Dóminus advéniet, eúmque a bonis, quae spopónderat, dívidet, portionémque ejus cum hypócritis in poenae aeternitáte constítuet : quia advéntum desperáverit, quia mandátis non obtemperáverit, quia praeséntibus studúerit, quia vita Géntium víxerit, quia desperatióne judícii commíssam sibi fa-

míliam fame, siti, caede vexáverit.

Te Deum laudámus. 18.

PRO DOCTORIBUS.

Ad Magnificat in utrisque Vesperis.

Ańa. O Doctor óptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte N. divínae legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio.

DEUS, qui pópulo tuo aetérnae salútis beátum N. minístrum tribuísti: praesta, quaesumus: ut, quem Doctórem vitae habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in coelis. Per Dóminum.

Lectiones sequentes leguntur in Festis Doctorum. Officium autem in illis fit de Confessoribus Pontificibus, vel non Pontificibus, pro qualitate Festi.

In primo Nocturno.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* xxxix.

SAPIENTIAM ómnium antiquórum exquíret sápiens, et in prophétis vacábit. Narratiónē virórum nominatórum conservábit, et in versútias parabolárum simul introíbit. Occúlta proverbiórum exquíret, et in abscónditis parabolárum conversábitur. In médio magnatórum ministrábit, et in conspéctu praesidis apparébit. In terram alienigenárum géntium pertránsiet: bona enim et mala in homínibus tentábit.

℟. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: Intra in gáudium Dñi tui. ℣. Dñe, quinque talénta tradidísti mihi: ecce ália quinque superlucrátus sum.—Intra in gáudium.

Lectio ii.

COR suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiae replébit illum: et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiae suae, et in oratióne confitébitur Dómino: et ipse díriget consílium ejus, et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur.

Pro Doctore Pontifice.

℟. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo: Ideo jurejurándo fecit illum Dñus créscere in plebem suam. ℣. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super

caput ejus.—Ideo jurejurándo.

Pro Doctore non Pont.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in aetérnum ante Dñum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. — Et florébit.

Lectio iii.

IPSE palam fáciet disciplínam doctrínae suae, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in saeculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

Pro Doctore Pontifice.

℟. Jurávit Dóminus, et non poenitébit eum : * Tu es sacérdos in aetérnum secúndum órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede a dextris meis.—Tu es. Glória Patri. Tu es.

Pro Doctore non Pont.

℟. Iste cognóvit justítiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum : * Et invéntus est in número Sanctórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Et invéntus. Glória Patri. Et invéntus.

In secundo Nocturno.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papae.

Lectio iv. *Lib.* 9. *cap.* vi.

QUI post Oríonas Hyadum nómine, nisi Doctóres sanctae Ecclésiae designántur? Qui subdúctis Martyribus, eo jam témpore ad mundi notítiã venérunt, quo fides clárius elúcet : et reprássa infidelitátis híeme, áltius per corda fidélium sol veritátis calet. Qui remóta tempestáte persecutiónis, explétis longis nóctibus infidelitátis, tunc sanctae Ecclésiae orti sunt, cum ei jam per credulitátis vernum lucídior annus aperítur.

Pro Doctore Pontifice.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum · * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Pro Doctore non Pont.

℟. Honéstum fecit illum Dñus, et custodívit eum ab inimícis : et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio v.

HEC immérito Doctóres sancti Hyadum nuncupatióne signántur.

Graeco quippe elóquio hyetos plúvia vocátur, et Hyades nomen a plúviis accepérunt : quia ortae procul dúbio imbres ferunt. Bene ergo Hyadum appellatióne exprémsi sunt, qui ad statum universális Ecclésiae, quasi in coeli fáciem dedúcti, super aréntem terram humáni péctoris sanctae praedicatiónis imbres fudérunt. Si enim praedicatiónis sermo plúvia non esset, Móyses mínime dixísset : Expectétur sicut plúvia elóquiu meum : et nequáquam per Isaíam Véritas díceret : Mandábo núbibus meis, ne pluant super eam imbrem: atque hoc, quod paulo ante protúlimus : Quámobrem prohíbitae sunt stillae pluviárum.

Pro Doctore Pontifice.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Pro Doctore non Pont.

℟. Amávit eum Dñus, et ornávit eum, stolam glóriae índuit eum : Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et.

Lectio vi.

DUM ergo Hyades cum plúviis véniunt, ad coeli spátia altióra sol dúcitur : quia apparénte Doctórum sciéntia, dum mens nostra imbre praedicatiónis infúnditur, fídei calor augétur. Et perfúsa terra ad fructum próficit, cum lumen aetheris ignéscit : quia ubérius frugem boni óperis réddimus, dum per sacrae eruditiónis flammam in corde clárius ardémus. Dumque per eos diébus síngulis magis magísque sciéntia coelestis osténditur, quasi intérni nobis lúminis vernum tempus apéritur : ut novus sol nostris méntibus rútilet, et eórum verbis nobis cógnitus seípso quotídie clárior micet. Urgénte étenim mundi fine, supérna sciéntia próficit, et lárgius cum témpore excréscit.

Pro Doctore Pontifice.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

Pro Doctore non Pont.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit

vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* v. *b.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terrae. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur ? Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. i. *de Sermone Domini in monte. C.* vi. *tom.* 4.

OSTENDIT Dñus fátuos esse judicándos, qui temporálium bonórum, vel cópiam sectántes, vel inópiam metuéntes, amíttunt aetérna, quae nec dari possunt ab homínibus nec auférri. Itaque si sal infatuátum fúerit, in quo saliétur ? id est, si vos, per quos condiéndi sunt quodámmodo pópuli, metu persecutiónum temporálium amiséritis regna coelórum, qui erunt hómines, per quos a vobis error auferátur : cum vos elégerit Deus, per quos errórem áuferat caeterórum ?

Pro Doctore Pontifice.

℟. Amávit eum Dñus et ornávit eum, stolam glóriae índuit eum : Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Pro Doctore non Pont.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dñum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.—Ipse intercédat.

Lectio viii.

ERGO ad níhilum valet sal infatuátum, nisi ut mittátur foras, et calcétur ab homínibus. Non ítaque calcátur ab homínibus, qui pátitur persecutiónem : sed qui persecutiónem timéndo infatuátur. Calcári enim non potest nisi inférior : sed inférior non est, qui quamvis córpore multa in terra sustíneat, corde tamen fixus in coelo est.

℟. In médio Ecclésiae apéruit os ejus, * Et implévit eum Dñus spíritu sapiéntiae et intelléctus. ℣. Jucunditátem et exultatiónem thesaurizávit super eum.—Et implévit. Glória Patri. Et implévit.

Lectio ix.

VOS estis lumen mundi. Quómodo dixit supérius sal terrae, sic nunc dicit lumen mundi. Nam neque supérius ista terra

accipiénda est, quam pédibus corpóreis calcámus : sed hómines, qui in terra hábitant, vel étiam peccatóres, quorum condiéndis et extinguéndis putóribus apostólicum salem Dñus misit. Et hic mundum, non coelum et terram, sed hómines, qui sunt in mundo, vel díligunt mundum, opórtet intélligi, quibus illuminándis Apóstoli missi sunt. Non potest cívitas abscóndi super montem pósita : id est, fundáta super insígnem magnámque justítiam, quam significat étiam ipse mons, in quo dísputat Dóminus.

Te Deum laudámus. 18.

II. ALIA HOMILIA.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* v. *b.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terrae. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilia sancti Hilárii Episcopi.

Comm. in Matth. cap. v.

VOS estis sal terrae : quod si sal infatuátum fúerit, ad níhilum valet id quod saliétur. Sal, ut árbitror, terrae nullum est. Quómodo ergo Apóstolos sal terrae nuncupávit? Sed proprietas est quaerénda dictórum, quam et Apostolórum officium, et ipsíus salis natúra monstrábit. Sal est in se uno cóntinens aquae et ignis eleméntum, et hoc ex duóbus est unum.

℟. ut supra. lxxx.

Lectio viii.

HIC ígitur in omnem usum humáni géneris efféctus, incorruptiónem corpóribus, quibus fúerit aspérsus, impértit, et ad omnem sensum cónditi sapóris aptíssimus est. Apóstoli autem sunt rerum coeléstium praedicatóres, et aeternitátis velut satóres, immortalitátem ómnibus corpóribus, quibus eórum sermo aspérsus fúerit, conferéntes. ¶ Mérito ígitur sal terrae nuncupáti sunt, per doctrínae virtútem saliéndi modo aeternitáti córpora reservántes.

℟. ut supra. lxxx.

Lectio ix.

SED natúra salis semper éadem est, nec immutári unquam potest. Verum quia conversióni homo súbjacet, et solus beátus, qui usque ad finem in ómnibus Dei opéribus permánserit : ídeo eos sal terrae nuncupátos monet in tráditae sibi potestátis virtúte persístere, ne infatuáti nihil sáliant, et ipsi, sensu accépti sapóris amísso, vivificáre corrúpta non

possint, et projécti de Ecclésiae promptuáriis, cum his, quos salíerint, pédibus incedéntium proterántur.

Te Deum laudámus. 18.

III. ALIA HOMILIA.

Léctio sancti Evangélii secúndum Mattheum.

Lectio vii *Cap.* v. *b.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terrae. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. xv. *in Matth. sub. med.*

ATTENDITE quid díxerit, Vos estis sal terrae : per quod osténdit, quam necessário ista praecípiat. Non enim de vestra, inquit, tantúmmodo vita, sed de univérso orbe vobis rátio reddénda est. Non ad duas quippe urbes, aut decem, aut vigínti, neque ad unam gentem vos mitto, sicut mittébam Prophétas ; sed ad omnem terram prorsus ac mare, totúmque mundum, et hunc váriis crimínibus oppréssum.

℟. ut supra. lxxx.

Lectio viii.

DICENDO enim, Vos estis sal terrae, osténdit univérsam hóminum infatuátam esse natúram, et peccatórum vi corrúptam, et idcírco illas ab eis virtútes requírit, quae máxime ad multórũ salútem procurándam necessáriae sunt atque útiles. Nam qui mansuétus est ac modéstus, et miséricors et justus, non intra se tantúmmodo haec recte facta conclúdit, verum in aliórum quoque utilitátẽ praecláros hos fáciet efflúere fontes. Igitur qui corde mundo est atque pacíficus, et persecutiónẽ pro veritáte pátitur, nihilóminus in commúne cómmodum vitam instítuit.

℟. ut supra. lxxx

Lectio ix.

DE ígitur putétis, inquit, ad lévia vos ducéndos esse certámina, neque exiguárum rerum vobis ineúndam esse ratiónem. Vos estis sal terrae. Quid ígitur? Ipsine putrefácta medicáti sunt? Nequáquam: neque enim fieri potest, ut ea, quae jam corrúpta sunt, salis perfricatióne reparéntur. Non ergo hoc fecérunt, sed ante renováta, sibíque trádita, atque ab illa jam putrédine liberáta, aspergébant sale, et in ea novitáte conservábant, quam a Dño suscéperant. Liberáre quippe a putrédine peccatórum, Christi virtútis est : ut autem ad illa íterum non revertántur, Apostolórum curae est ac labóris.

Te Deum laudámus. 18.

Commune
CONFESSORIS NON PONTIFICIS.

AD VESPERAS.

Ańa. Dñe, quinque, ut infra ad Laudes. xciii. Ps. Dixit Dñus, cum reliquis ut in Communi Apost. ii.

Capitulum. *Eccli.* xxxi.

BEATUS vir, qui invéntus est sine mácula : et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus.

ISTE Conféssor Dñi, coléntes
Quem pie laudant pópuli per orbem,
Hac die laetus méruit beátas
Scándere sedes

Si non est dies obitus, dicatur :

Hac die laetus méruit suprémos
Laudis honóres.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbriam duxit sine labe vitam;
Donec humános animávit aurae
Spíritus artus.

Cujus ob praestans méritum, frequénter
Ægra quae passim jacuére membra,
Víribus morbi dómitis, salúti
Restituúntur.

Noster hinc illi chorus obsequéntem
Cóncinit laudem, celebrésque palmas ;
Ut piis ejus précibus juvémur
Omne per aevum.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super coeli sólio corúscans,
Totíus mundi sériem gubérnat
Trinus et unus.

Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Ad Magnificat. Ańa. Similábo eum * viro sapiénti, qui aedificávit domum suam supra petram.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti N. Confessóris tui ánnua solemnitáte laetíficas : concéde propítius ; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Alia Oratio.

ADESTO, Dñe, supplicatiónibus nostris, quas in beáti N. Confessóris

tui solemnitáte deférimus ; ut, qui nostrae justítiae fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Si fuerit Abbas.

Oratio.

INTERCESSIO nos, quaesumus Dómine, beáti N. Abbátis comméndet : ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem Confessórum Dóminum, *Veníte, adorémus. Ps. Veníte. 2.

Hymnus. Iste Conféssor, ut supra. lxxxiii.

In primo Nocturno.

Ant. Beátus vir, * qui in lege Dómini meditátur : volúntas ejus pérmanet die ac nocte, et ómnia quaecúmque fáciet, semper prosperabúntur.

Psalmus i.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiae non sedit :

Sed in lege Dñi volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quaecúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem próicit ventus a fácie terrae.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in consílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Ant. Beátus vir, qui in lege Dómini meditátur : volúntas ejus pérmanet die ac nocte, et ómnia quaecúmque fáciet, semper prosperabúntur.

Ant. Beátus *iste Sanctus, qui confíssus est in Dómino, praedicávit praecéptum Dñi, constitútus est in monte sancto ejus.

Psalmus ii.

QUARE fremuérunt Gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia ?

Astitérunt reges terrae, et príncipes convenérunt in unum, * advérsus Dñum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus vincula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in coelis irridébit eos ; * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in

ira sua : * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praecéptũ ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes haereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terrae.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas figuli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dño in timóre : * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplinã, nequándo irascátur Dñus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Aña. Beátus iste Sanctus, qui confísus est in Dómino, praedicávit praecéptum Dñi, constitútus est in monte sancto ejus.

Aña. Tu es glória * mea, tu es suscéptor meus, Dómine : tu exáltans caput meum, et exaudísti me de monte sancto tuo.

Psalmus iii.

DOMINE, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me ? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimae meae : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dñe, suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Aña. Tu es glória mea, tu es suscéptor meus, Dñe: tu exáltans caput meum, et exaudísti me de monte sancto tuo.

℣. Amávit eum Dñus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Pater noster. Absolutio. Exáudi, Dómine. ℣. Jube, domne. Benedictio. Benedictióne perpétua.

De libro Sapiéntiae.

Lectio i. *Cap.* iv. *b. et* v.

USTUS si morte praeoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis est, non

diutúrna, neque annórum número computáta : cani autem sunt sensus hóminis, et aetas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est diléctus, et vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est ne malítia mutáret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, et inconstántia concupiscéntiae transvértit sensum sine malítia. Consummátus in brevi explévit témpora multa : plácita enim erat Deo ánima illíus : propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

℟. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dñe, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. —Intra. Bened. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ii.

POPULI autem vidéntes, et non intelligéntes, nec ponéntes in praecórdiis tália : quóniam grátia Dei et misericórdia est in sanctos ejus, et respéctus in eléctos illíus. Condémnat autem justus mórtuus vivos ímpios, et juvéntus celérius consummáta longam vitam injústi. Vidébunt enim finem sapiéntis, et non intélligent quid cogitáverit de illo Deus, et quare munierit illum Dñus. Vidébunt et contémnent eum : illos autem Dóminus irridébit. Et erunt post haec decidéntes sine honóre, et in contumélia inter mórtuos in perpétuum : quóniam disrúmpet illos inflátos sine voce, et commovébit illos a fundaméntis, et usque ad suprémum desolabúntur.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in aetérnum ante Dñum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.—Et florébit. Bened. Spíritus sancti grátia.

Lectio iii.

ET erunt geméntes, et memória illórum períbit. Vénient in cogitatióne peccatórum suórum tímidi, et tradúcent illos ex advérso iniquitátes ipsórum. Tunc stabunt justi in magna constántia advérsus eos qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili, et mirabúntur in subitatióne insperátae salútis, dicéntes intra se, poeniténtiam agéntes, et prae angústia spíritus geméntes : Hi sunt quos habúimus aliquándo in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum

aestimabámus insániam, et finem illórum sine honóre: ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est.

℟. Iste cognóvit justítiã, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum : * Et invéntus est in número Sanctórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.— Et invéntus. Glória. Et.

In secundo Nocturno.

Ańa. Invocántem exaudívit * Dñus Sanctum suum; Dñus exaudívit eum, et constítuit eum in pace.

Psalmus iv.

U M invocárem exaudívit me Deus justítiae meae : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde ? * ut quid dilígitis vanitátem, et quaeritis mendácium ?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum :* Dñus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini et nolíte peccáre : * quae dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiae, et speráte in Dómino. * Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona ?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dñe : * dedísti laetítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui, * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam ;

Quóniam tu, Dómine, singulariter in spe * constituísti me.

Ańa. Invocántem exaudívit Dóminus Sanctum suum, Dñus exaudívit eum, et constítuit eum in pace.

Ańa. Laeténtur omnes,* qui sperant in te, Dñe : quóniam tu benedixísti justo, scuto bonae voluntátis tuae coronásti eum.

Psalmus v.

VERBA mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meae, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi, et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

*

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dñus: * ego autem in multitúdine misericórdiae tuae.

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dñe, deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, línguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos: * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et laeténtur omnes, qui sperant in te: * in aetérnum exultábunt: et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum: * quóniam tu benedíces justo.

Dñe, ut scuto bonae voluntátis tuae * coronásti nos.

Añs. Laeténtur omnes, qui sperant in te, Dómine: quóniam tu benedixísti justo, scuto bonae voluntátis tuae coronásti eum.

Añs. Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! quia glória et hónore coronásti Sanctum tuum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Psalmus viii.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super coelos.

Ex ore infántium, et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam et stellas quae tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas, insuper et pécora campi.

Vólucres coeli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dñus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Añs. Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa

terra! quia glória et honóre coronásti Sanctum tuum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Pater noster. Absolutio. Ipsíus piétas. ℣. Jube, domne. Bened. Deus Pater omnípotens.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

In Orat. de S. Philog. t. 3.

Lectio iv.

BEATI N, dies, cujus festivitátem celebrámus, ad ipsíus recte factórum enarratiónem linguam nostram evocávit : síquidem hódie beátus iste ad tranquíllam, omnísque perturbatiónis expértem vitam transiit : eóque navígium áppulit, ubi deínceps non póterit metúere naufrágium, nec ullam ánimi perturbatiónem, aut dolórem. Et quid mirum est, si locus ille purus est ab omni moléstia ánimi, cum Paulus homínibus adhuc in hac vita degéntibus loquens, dicat : Semper gaudéte, sine intermissióne oráte ?

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.— Et dedit. Benedictio. Christus perpétuae.

Lectio v.

QUOD si hic, ubi morbi, ubi insectatiónes, ubi praematúrae mortes, ubi calúmniae, ubi invídiae, ubi perturbatiónes, ubi irae, ubi cupiditátes, ubi innumerábiles insídiae, ubi quotidiánae sollicitúdines, ubi perpétua sibíque succedéntia mala sunt, innúmeros ex omni parte dolóres afferéntia, Paulus dixit fieri posse ut semper gaudeámus, si quis páululum ex rerum mundanárum flúctibus eréxerit caput, vitámque suam recte composúerit : multo magis, postquam hinc demigravérimus, fácile cómpotes érimus ejus boni, cum haec ómnia subláta fúerint, advérsa valetúdo, morbi, peccándi matéria, ubi non est meum ac tuum, frígidum illud verbum, et quidquid est malórum in vitam nostram invehens innumeráque gignens bella.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriae índuit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum.— Et ad portas. Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

QUAMOBREM maximópere grátulor hujus Sancti felicitáti, quod quamquam translátus est, atque hanc, quae apud nos est, civitátem relíquit, tamen in álteram adscríptus est civitátem nempe Dei : et digréssus ab hac Ecclésia, ad illam pervénit, quae est primogenitórum descriptórum in coelis : ac relíctis hisce festis, tránsiit ad celebritátem Angelórum. Etenim quod et cívitas sursum sit, et Ecclésia, et celébritas, audi Paulum dicéntem : Accessístis ad civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem coeléstem, et Ecclésiam primitivórum, qui conscrípti sunt in coelis, et ad multórum míllium Angelórum frequéntiam.

℣. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno.

Aña. Dómine, iste Sanctus * habitábit in tabernáculo tuo, operátus est justítiam, requiéscet in monte sancto tuo.

Psalmus xiv.

DOMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo ?

Qui ingréditur sine mácula, *et operátur justítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, *et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit haec, * non movébitur in aetérnum.

Aña. Dñe, iste Sanctus habitábit in tabernáculo tuo, operátus est justítiam, requiéscet in monte sancto suo.

Aña. Vitam pétiit * a te, et tribuísti ei, Dómine : glóriam et magnum decórem imposuísti super eum : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Psalmus xx.

DOMINE, in virtúte tua laetábitur rex : * et super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in saeculum saeculi : * laetificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quae non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis praeparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Ańa. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei, Dñe : glóriam et magnum decórem imposuísti super eum : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Ańa. Hic accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo : quia haec est generátio quaeréntium Dóminum.

Psalmus xxiii.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus, * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina praeparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini ? * aut quis stabit in loco sancto ejus ?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dño : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Haec est generátio quaeréntium eum, * quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in praelio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae.

Añ. Hic accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo : quia haec est generátio quaeréntium Dóminum.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus. Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube, domne. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xii. *e.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papae. *Hom.* xiii. *in Evang.*

SANCTI Evangélii, fratres charíssimi, apérta vobis est léctio recitáta. Sed ne alíquibus ipsa ejus planities alta fortásse videátur, eam sub brevitáte transcúrrimus, quátenus ejus expositio ita nesciéntibus fiat cógnita, ut tamen sciéntibus non sit onerósa. Dóminus dicit : Sint lumbi vestri praecíncti. Lumbos enim praecíngimus, cum carnis luxúriam per continéntiam coarctámus. Sed quia minus est mala non ágere, nisi étiam quisque stúdeat et bonis opéribus insudáre, prótinus ádditur : Et lucérnae ardéntes in mánibus vestris. Lucérnas quippe ardéntes in mánibus tenémus, cum per bona ópera próximis nostris lucis exémpla monstrámus. De quibus profécto opéribus Dóminus dicit : Lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et glorífi cent Patrem vestrum, qui in coelis est.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum. * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse intercédat. Bened. Cujus festum cólimus.

Léctio viii.

QUO autem sunt, quae jubéntur, et lumbos restríngere, et lucérnas tenére : ut et mundítia sit castitátis in córpore, et lumen

veritátis in operatióne. Redemptóri étenim nostro unum sine áltero placére nequáquam potest : si aut is, qui bona agit, adhuc luxúriae inquinaménta non déserit : aut is, qui castitáte praeéminet, necdum se per bona ópera exércet. Nec cástitas ergo magna est sine bono ópere, nec opus bonum est áliquod sine castitáte. Sed et si utrúmque ágitur, restat ut quisquis ille est, spe ad supérnam pátriam tendat, et nequáquam se a vítiis pro mundi hujus honestáte contíneat.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae arderites in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et vos. Benedíctio. Ad societátem.

Lectio ix.

ET vos símiles homínibus expectantibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis : ut, cum vénerit, et pulsáverit, confestim apériant ei. Venit quippe Dóminus, cum ad judícium próperat : pulsat vero, cum jam per aegritúdinis moléstias esse mortem vicínam desígnat. Cui confestim aperímus, si hunc cum amóre suscípimus. Aperíre enim júdici pulsánti non vult, qui exíre de córpore trépidat : et vidére eum, quem contempsísse se méminit, júdicem formídat. Qui autem de sua spe et operatióne secúrus est, pulsánti confestim áperit, quia laetus júdicem sústinet. Et cum tempus propínquae mortis advénerit, de glória retributiónis hilarescit.

Te Deum laudámus. 18.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Dómine, * quinque talénta tradidísti mihi : ecce ália quinque superlucrátus sum. Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 19.

2. Euge, serve bone, * in módico fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

3. Fidélis servus * et prudens, quem constítuit Dóminus super familiam suam,

4. Beátus ille servus, * quem cum vénerit Dóminus ejus, et pulsáverit jánuam, invénerit vigilántem.

5. Serve bone * et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

Capitulum. *Eccli.* xxxi.

BEATUS vir, qui inventus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum ?

fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus.

JESU, coróna célsior,
Et véritas sublímior,
Qui confiténti sérvulo
Reddis perénne praemium:
Da supplicánti coetui,
Hujus rogátu, nóxii
Remissiónem criminis,
Rumpéndo nexum vínculi.
Anni revérso témpore,
Dies refúlsit lúmine
Quo Sanctus hic de córpore
Migrávit inter sídera.
Hic vana terrae gáudia,
Et luculénta praedia,
Pollúta sorde députans,
Ovans tenet coeléstia.
Te, Christe, Rex piíssime,
Hic confiténdo júgiter,
Calcávit artes daemonum,
Saevúmque avérni princípem.
Virtúte clarus, et fide,
Confessióne sédulus,
Jejúna membra déferens,
Dapes supérnas óbtinet.
Proínde te, piíssime,
Precámur omnes súpplices:
Nobis ut hujus grátia
Poenas remíttas débitas.
Patri perénnis glória,
Natóque Patris único,
Sanctóque sit Paráclito,
Per omne semper saeculum. Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Aña. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti N. Confessóris tui ánnua solemnitáte laetíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Alia Oratio.

ADESTO, Dñe, supplicatiónibus nostris, quas in beáti N. Confessóris tui solemnitáte deférimus: ut qui nostrae justítiae fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Si fuerit Abbas, Oratio.

INTERCESSIO nos, quaesumus Dómine, beáti N. Abbátis commendet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Aña. Euge serve bone.

Capit. Beátus vir. xciii.

℟. br. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit. ℣. Stolam glóriae induit eum. Et ornávit. Glória Patri. Amávit.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

AD SEXTAM.

Aña. Fidélis servus.

Capitulum. *Eccli.* xxxix.

JUSTUS cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

℟. br. Os justi * Meditábitur sapiéntiam. Os justi. ℣. Et lingua ejus loquétur judícium. Meditábitur. Glória Patri. Os justi.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus.

AD NONAM.

Aña. Serve bone.

Capitulum. *Sap.* x. *b.*

JUSTUM dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum : honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

℟. br. Lex Dei ejus * In corde ipsíus. Lex Dei. ℣. Et non supplantabúntur gressus ejus. In corde. Glória Patri. Lex Dei.

℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD VESPERAS.

Aña. Dómine, quinque, cum reliq. de Laud. xciii. Psalmi, Capit. et Hymnus ut in primis Vesp. lxxxiii.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Aña. Hic vir despíciens mundum, * et terréna, triúmphans divítias coelo cóndidit ore, manu.

Si occurrat celebrari Festum plurim. Confess. non Pontif. Offic. fit ut supra ; sed in Oratione, et Sermone, quae habentur in singulari, dicantur in plurali.

II. ALIAE LECTIONES PRO CONF. NON PONT.

In primo Nocturno.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* xxxi.

BEATUS vir, qui invéntus est sine mácula : et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perfectus est, erit illi glória aetérna : qui pótuit transgredi, et non est transgréssus : fácere mala, et non fecit : ideo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia sanctórum.

℟. Euge, serve. lxxxvi.

Lectio ii.

Cap. xxxii *c. et* xxxiii.

QUI timet Dóminum, excípiet doctrínam ejus : et qui vigiláverint ad

illum, invénient benedictiónem. Qui quaerit legem, replébitur ab ea : et qui insidióse agit, scandalizábitur in ea. Qui timent Dñum, invénient judícium justum, et justítias quasi lumen accéndent. Qui credit Deo, atténdit mandátis : et qui confídit in illo, non minorábitur. Timénti Dóminum non occúrrent mala, sed in tentatióne Deus illum conservábit, et liberábit a malis. Sápiens non odit mandáta et justítias, et non illidétur quasi in procélla navis. Homo sensátus credit legi Dei, et lex illi fidélis.

℟. Justus. lxxxvi.

Lectio iii. *Cap.* xxxiv. *b.*

SPIRITUS timéntium Deum quaeritur, et in respéctu illius benedicétur. Spes enim illórum in salvántem illos, et óculi Dei in diligéntes se. Qui timet Dóminum, nihil trepidábit, et non pavébit : quóniam ipse est spes ejus. Timéntis Dóminum beáta est ánima ejus. Ad quem réspicit, et quis est fortitúdo ejus ? Oculi Dómini super timéntes eum, protéctor poténtiae, firmaméntum virtútis, tégimen ardóris et umbráculum meridiáni, deprecátio offensiónis, et adjutórium casus, exáltans ánimam, et illúminans óculos, dans sanitátem, et vitam, et benedictiónem.

℟. Iste cognóvit. lxxxvii.

In secundo Nocturno.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papae.

L. 10. *cap.* xvi. *in cap.* xii. *Job.*

Lectio iv.

SERIDETUR justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est, cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre ; quae falsa sunt, vera osténdere ; quae vera sunt, falsa demonstráre. Haec nimírum prudéntia usu a juvénibus scitur, haec a púeris prétio díscitur : hanc qui sciunt, caeteros despiciéndo supérbiunt : hanc qui nésciunt, subjécti et tímidi in áliis mirántur : quia ab eis haec éadem duplicitátis iníquitas nómine palliáta dilígitur, dum mentis pervérsitas urbánitas vocátur. Haec sibi obsequéntibus praecipit honórum cúlmina quaerere, adépta temporális glóriae vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplícius réddere : cum vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere : cum virtútis possibilitas deest, quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

℟. Honéstum. lxxxix.

Lectio v.

AT contra, sapiéntia justórum est: nil per ostensiónem fíngere, sensum verbis aperíre, vera ut sunt dilígere, falsa devitáre, bona gratis exhibére, mala libéntius toleráre, quam fácere: nullam injúriae ultiónem quaerere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed haec justórum simplícitas deridétur: quia ab hujus mundi sapiéntibus, puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim quod innocénter ágitur, ab eis proculdúbio stultum putátur: et quidquid in ópere véritas ápprobat, carnáli sapiéntiae fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur mundo, quam mentem verbis osténdere, nil cállida machinatióne simuláre, nullas injúriis contumélias réddere, pro maledicéntibus oráre, paupertátem quaerere, posséssa relínquere, rapiénti non resístere, percutiénti álteram maxillam praebére?

℣. Amávit eum. lxxxix.

Lectio vi.

Cap. xvii. *post initium.*

LAMPAS contémpta apud cogitatiónes dívitum. Saepe contíngit, ut eléctus quisque, qui ad aetérnam felicitátem dúcitur, contínua hic adversitáte deprimátur: non hunc rerum abundántia fúlciat, non dignitátum glória honorábilem osténdat, nulla ei obsequéntium frequéntia súppetat, nulla hunc humánis óculis véstium pompa compónat: a cunctis vero despicábilis cérnitur, et hujus mundi grátia indígnus aestimátur: sed tamen ante occúlti júdicis óculos virtútibus émicat, vitae méritis corúscat: honorári métuit, déspici non réfugit: corpus continéntia áfficit, sola in ánimo dilectióne pinguéscit: mentem semper ad patiéntiam praeparat, et eréctus pro justítia, de percéptis contuméliis exúltat: afflictis ex corde compátitur, de bonórum prosperitátibus quasi de própriis laetátur, sacri verbi pábula in mente sollícitus rúminat, et inquisítus quódlibet éloqui dupliciter ignórat.

℣. Iste homo. xc.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xii. *d.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedae Presbyteri.

Lib. 4. *cap.* liv. *in Luc.* xii.

CÚSILLUM gregem electórum, vel ob comparatiónem majóris número reprobórum, vel pótius ob humilitátis devotiónem nóminat : quia vidélicet Ecclésiam suam quantálibet numerositáte jam dilatátam, tamen usque ad finem mundi humilitáte vult créscere, et ad promíssum regnum humilitáte pervenire. Ideóque ejus labóres blande consolátus, quam regnum Dei tantum quaerere praecípit, eídem regnum a Patre dandum complácita benignitáte promíttit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.— Ipse intercédat. Bened. Cujus festum cólimus.

Lectio viii.

VENDITE quae possidétis, et date eleemósynam. Nolíte, inquit, timére, ne propter regnum Dei militántibus, hujus vitae necessária desint : quin étiam posséssa, propter eleemósynam véndite. Quod tunc digne fit, quando quis semel pro Dómino suis ómnibus spretis, nihilóminus post haec labóre mánuum, unde et victum transígere, et eleemósynam dare queat, operátur. Unde gloriátur Apóstolus, dicens : Argéntum et aurum, aut vestem nullíus concupívi : ipsi scitis, quóniam ad ea quae mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministravérunt manus istae. Omnia osténdi vobis, quóniam sic laborántes opórtet suscípere infírmos.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris :* Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.— Et vos. Glória Patri. Et vos. Benedícti. Ad societátem.

Lectio ix.

FACITE vobis sácculos, qui non veteráscunt : eleemósynas vidélicet operándo, quarum merces in aetérnum máneat. Ubi non hoc praecéptum esse putándum est, ut nil pecúniae reservétur a sanctis, vel suis scílicet, vel páuperum úsibus suggeréndae ; cum et ipse Dó-

minus, cui ministrábant Angeli, tamen ad informándam Ecclésiam suam, lóculos habuísse legátur, et a fidélibus oblàta consérvans, et suórum necessitátibus, aliísque indigéntibus tríbuens ; sed ne Deo propter ista serviátur, et ob inópìae timórem justítia deserátur.

Te Deum laudámus. 18.

PRO ABBATIBUS.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xix. *d.*

IN illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos reliquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía S. Hierónymi Presbyteri.

Lib. 3. *in Matth. cap.* xix.

GRANDIS fidúcia! Petrus piscátor erat, dives non fúerat, cibos manu et arte quaerébat : et tamen lóquitur confidénter : Reliquimus ómnia. Et quia non súfficit tantum relinquere, jungit quod perféctum est : Et secúti sumus te. Fécimus quod jussisti : quid ígitur nobis dabis praemii? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suae, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Non dixit: Qui reliquístis ómnia; hoc enim et Crates fecit philósophus, et multi álii divítias contempsérunt, sed : Qui secúti estis me : quod próprie Apostolórum est, atque credéntium.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dñum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse intercédat.

Lectio viii.

IN regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suae (quando et mórtui de corruptióne resúrgent incorrúpti), sedébitis et vos in sóliis judicántium, condemnántes duódecim tribus Israël : quia vobis credéntibus, illi crédere noluérunt. Et omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum ; céntuplum accípiet, et vitam aetérnam

possidébit. Locus iste cum illa senténtia cóngruit, in qua Salvátor lóquitur: Non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem a patre suo, et matrem a fília, et nurum a socru : et inimíci hóminis doméstici ejus. Qui ergo propter fidem Christi, et praedicatiónem Evangélii, omnes afféctus contémpserint, atque divítias et saeculi voluptátes : isti céntuplum recípient, et vitam aetérnam possidébunt.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris :* Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dñus vester ventúrus sit. — Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

Lectio ix.

EX occasióne hujus senténtiae quidam introdúcunt mille annos post resurrectiónem, dicéntes, tunc nobis céntuplum ómnium rerum quas dimísimus, et vitam aetérnam esse reddéndam : non intelligéntes, quod, si in caeteris digna sit repromíssio, in uxóribus appáreat turpitúdo : ut qui unam pro Dño dimíserit, centum recípiat in futúro. Sensus ergo iste est : Qui carnália pro Salvatóre dimíserit, spirituália recípiet : quae comparatióne et mérito sui ita erunt, quasi si parvo número centenárius númerus comparétur.

Te Deum laudámus. 18.

II. ALIA HOMILIA.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xi. *d.*

IN illo témpore : Respóndens Jesus dixit : Confíteor tibi, Pater, Dñe coeli et terrae, quia abscondísti haec a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

Serm. x. *de Verb. Domini.*

VENITE ad me omnes qui laborátis. Quare enim omnes laborámus, nisi quia sumus hómines mortáles, frágiles, infírmi, lútea vasa portántes, quae fáciunt ínvicem angústias? Sed si angustiántur vasa carnis, dilaténtur spátia charitátis. Quid ergo dicit : Veníte ad me omnes qui laborátis, nisi ut non laborétis? Dénique promíssio ejus in promptu est, quóniam laborántes vocávit. Quaerent forte, qua

mercédevocáti sunt. Et ego vos, inquit, refíciam. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, non mundum fabricáre, non cuncta visibília et invisibília creáre, non in ipso mundo mirabília fácere, et mórtuos suscitáre, sed : Quóniam mitis sum, et húmilis corde.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dñum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.— Ipse intercédat.

Lectio viii.

QUAGNUS esse vis? a mínimo incipe. Cógitas magnam fábricam construére celsitúdinis? de fundaménto prius cógita humilitátis. Et quantam quisque vult, et dispónit superimpónere molem aedifícii, quanto erit majus aedifícium, tanto áltius fodit fundaméntum. Et fábrica quidem, cum constrúitur, in supérna consúrgit ; qui autem fodit fundaméntum, ad ima deprímitur. Ergo et fábrica ante celsitúdinem humiliátur, et fastígium post humiliatiónem erigitur.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris: Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.—Et vos. Glória Patri. Et vos símiles.

Lectio ix.

QUOD est fastígium construéndae fábricae, quam molímur ? quo perventúrum est cacúmen aedifícii ? Cito dico, usque ad conspéctum Dei. Vidétis quam excélsum est, quanta res est conspícere Deum. Qui desíderat, et quod dico, et quod audit, intélligit. Promíttitur nobis conspéctus Dei, veri Dei, summi Dei. Hoc enim bonum est, vidéntem vidére. Nam qui colunt falsos deos, fácile illos vident; sed eos vident, qui óculos habent, et non vident. Nobis autem promíttitur vísio Dei vivéntis, et vidéntis.

Te Deum laudámus. 18.

III. ALIA HOMILIA.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xix. *d.*

IN illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Et réliqua.

De Homilía venerábilis Bedae Presbyteri.

In Natali S. Benedícti.

DUO sunt órdines electórum in judício futúri: unus judicantium cum Dómino de quibus hoc loco mémorat, qui reliquérunt ómnia, et secúti sunt illum; álius judicandórum a Dño, qui non quidem ómnia sua páriter reliquérunt, sed de his tamen, quae habébant, quotidiánas dare eleemósynas Christi paupéribus curábant: unde et auditúri sunt in judício: Venite, benedícti Patris mei, possidéte praeparátum vobis regnum a constitutióne mundi. Esurívi enim, et dedístis mihi manducáre: sitívi, et dedístis mihi bíbere.

℟. Iste est qui. ci.

Lectio viii.

SED et reprobórum duos ibi futúros órdines, Dómino narránte, comperímus: unum eórum, qui fídei Christiánae mystériis initiáti, ópera fídei exercére contémnunt, quibus in judício testátur: Discédite a me, maledícti, in ignem aetérnum, qui praeparátus est diábolo, et ángelis ejus: esurívi enim, et non dedístis mihi manducáre. Alterum eórum, qui fidem et mystéria Christi vel nunquam suscepére, vel susceptam per apostasíam deseruére: de quibus dicit: Qui autem non credit, jam judicátus est: quia non credit in nómine unigéniti Fílii Dei.

℟. Sint lumbi. ci.

Lectio ix.

TERUM his cum timóre et pavóre débito paulísper commemorátis, ad laetíssima pótius Dñi et Salvatóris nostri promíssa convertámus auditum. Videámus quae tantae grátia pietátis: non aetérnae tantúmmodo vitae praemia suis sequácibus, sed et praeséntis múnera pollicétur exímia. Et omnis, inquit, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam aetérnam possidébit. Qui enim terrénis affléctibus sive possessiónibus pro Christi discipulátu renuntiáverit, quo plus in ejus amórem profécerit, eo plures invéniet, qui se intérno suscípere affléctu, et suis gáudeant sustentáre substántiis.

Te Deum laudamus. 18.

Commune Virginum.

AD VESPERAS.

Ańa. Haec est virgo sápiens, * et una de número prudéntum.

Psalmus cix.

IXIT Dñus Dño meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuae emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuae in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non poenitébit eum : * Tu es sacérdos in aetérnum secúndum órdinẽ Melchísedech.

Dñus a dextris tuis, * confrégit in die irae suae reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Ańa. Haec est virgo sápiens, et una de número prudéntum.

Ańa. Haec est virgo sápiens, * quam Dóminus vigilántem invénit.

Psalmus cxii.

LAUDATE, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super coelos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in coelo et in terra ?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum laetántem.

Añа. Haec est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit.

Añа. Haec est quae nescívit torum in delícto: habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

Psalmus cxxi.

LAETATUS sum in his, quae dicta sunt mihi : * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quae aedificátur ut cívitas : * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini : * testimónium Israël ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quae ad pacem sunt Jerúsalem : * et abundántia diligéntibus te :

Fiat pax in virtúte tua : * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et próximos meos, * loquébar pacem de te :

Propter domum Dñi Dei nostri, * quaesívi bona tibi.

Añа. Haec est quae nescívit torum in delícto : habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

Añа. Veni, elécta mea, * et ponam in te thronum meum, allelúia.

Psalmus cxxvi.

NISI Dóminus aedificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui aedificant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vigilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum : * ecce haereditas Dómini, fílii : merces, fructus ventris.

Sicut sagíttae in manu poténtis : * ita filii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Añа. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum, allelúia.

Añа. Ista est speciósa * inter fílias Jerúsalem.

Psalmus cxlvii.

LAUDA Jerúsalem Dóminum : * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terrae :* velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cinerem spargit,

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit ?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquae.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Añа. Ista est speciósa inter fílias Jerúsalem.

Capitulum. 2. *Cor.* x. *d.*

FRATRES : Qui gloriátur, in Dño gloriétur. Non enim qui seípsum commendat ille probátus est; sed quem Deus commendat.

Hymnus.

JESU, coróna Vírginum,
Quem Mater illa cóncipit,
Quae sola Virgo párturit;
Haec vota clemens áccipe.

Qui pergis inter lília,
Septus choréis Vírginum,
Sponsus decórus glória,
Sponsísque reddens praemia.

Quocúmque tendis, Vírgines
Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cúrsitant,
Hymnósque dulces pérsonant.

Te deprecámur súpplices,
Nostris ut addas sénsibus,
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito
In saeculórum saecula.
Amen.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Añа. Veni, sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum.

Oratio.

DEUS, qui inter caetera poténtiae tuae mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius; ut, qui beátae N. Vírginis et Mártyris tuae natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dñum.

Alia Oratio.

INDULGENTIAM nobis, quaesumus Dómine, beáta N. Virgo et

Martyr implóret : quae tibi grata semper éxtitit et mérito castitátis, et tuae professióne virtútis. Per Dñum.

Pro Virgine non Mart.
Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutáris noster : ut, sicut de beátae N. Vírginis tuae festivitáte gaudémus; ita piae devotiónis erudiámur afféctu. Per Dñum.

Si fuerint plures, in utrisque Vesp. ad Magnif., et in Laud. ad Bened., Ańa. Prudéntes Vírgines * aptáte vestras lámpades : ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

℣. Adducéntur Regi vírgines post eam. ℟. Próximae ejus afferéntur tibi.

Oratio.

DA nobis, quaesumus Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum N. et N. palmas incessábili devotióne venerári : ut, quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem Vírginum Dñum,* Veníte, adorémus.

Ps. Veníte. 2.

Hymnus.

VIRGINIS Proles,
Opiféxque Matris,
Virgo quem gessit, peperítque Virgo ;
Vírginis partos cánimus decóra,
Morte triúmphos.
Haec enim palmae dúplicis beáta
Sorte, dum gestit frágilem domáre
Córporis sexum, dómuit cruéntum
Caede tyránnum.
Unde nec mortem, nec amíca mortis
Mille poenárum génera expavéscens,
Sánguine effúso méruit serénum
Scándere coelum.
Hujus orátu, Deus alme, nobis
Débitas poenas scélerum remítte ;
Ut tibi puro resonémus almum
Péctore carmen.
Sit decus Patri, genitaeque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis aevo.
Amen.

Si Sancta fuerit Virgo tantum, et non Martyr, dicitur Hymnus ut sequitur.

VIRGINIS Proles,
Opiféxque Matris,
Virgo quem gessit, peperítque Virgo ;
Vírginis festum cánimus beátae,
Accipe votum.

Hujus orátu, Deus alme, nobis
Débitas poenas scélerum remítte ;
Ut tibi puro resonémus almum
Péctore carmen.

Sit decus Patri, genitaeque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis aevo.
Amen.

In primo Nocturno.

Aña. O quam pulchra * est casta generátio cum claritáte !

Psalmus viii.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super coelos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quae tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulóminus ab ángelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres coeli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dñus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Aña. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte !

Aña. Ante torum * hujus Vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis.

Si non fuerit Virgo dicatur sequens Antiph. Laeva ejus * sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

Psalmus xviii.

COELI enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélae, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terrae verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo coelo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus :* nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas : * testimónium Dñi fidéle, sapiéntiam praestans párvulis.

Justítiae Dómini rectae, laetificántes corda : * praecéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in saeculum saeculi :* judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint dominàti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

Antiphona. Ante torum hujus Vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis.

Si non fuerit Virgo, Añna. Laeva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

Añna. Revértere, * revértere Sunamítis : revértere, revértere, ut intueámur te.

Psalmus xxiii.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus :* orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum :* et super flúmina praeparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dñi ? * aut quis stabit in loco sancto ejus ?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Haec est generátio quaeréntium eum, * quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in praelio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae.

Alia. Revértere, revértere Sunamítis : revértere, revértere, ut intueámur te.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Pater noster. Absolútio. Exáudi. ℣. Jube, domne. Bened. Benedictióne perpétua.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio i. *Cap.* vii. *c.*

DE virgínibus praecéptum Dómini non hábeo : consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri ? noli quaerere solutiónem. Solútus es ab uxóre ? noli quaerere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres : Tempus breve est : réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint : et qui flent, tamquam non flentes : et qui gaudent, tamquam non gaudéntes : et qui emunt, tamquam non possidéntes : et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur : praeterit enim figúra hujus mundi.

Pro Martyre, ℟. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum : pro cujus amóre sánguinem tuum fudísti,* Et cum Angelis in paradísum introísti. ℣. Veni elécta mea, et pónam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam.—Et cum.

Si non fuerit Martyr, dicitur sequens ℟. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum :* Quia concupívit Rex spéciem tuam. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Quia concupívit. Benedictio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ii.

VOLO autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quae Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quae sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo cógitat quae Dómini sunt ; ut sit sancta córpore, et spíritu. Quae autem nupta est, cógitat

quae sunt mundi, quómodo pláceat viro. Porro hoc ad utilitátem vestram dico : non ut láqueum vobis injíciam, sed ad id quod honéstum est, et quod facultátem praebeat sine impedimento Dóminum obsecrándi.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: * Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Proptérea. Benedíctio. Spíritus sancti grátia.

Lectio iii.

SI quis autem turpem se vidéri exístimat super vírgine sua, quod sit superadúlta, et ita opórtet fieri, quod vult fáciat : non peccat, si nubat. Nam qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitátem, potestátem autem habens suae voluntátis, et hoc judicávit in corde suo, serváre vírginem suam. bene facit. Igitur et qui matrimónio jungit vírginem suam, bene facit : et qui non jungit, mélius facit. Múlier alligáta est legi quanto témpore vir ejus vivit. Quod si dormíerit vir ejus, liberáta est : cui vult nubat, tantum in Dómino. Beátior autem erit si sic permánserit, secúndum meum consílium : puto autem quod et ego Spíritum Dei hábeam.

℟. Spécie tua et pulchritúdine tua : * Inténde, próspere procéde, et regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in aetérnum. — Inténde. Glória Patri. Inténde.

In secundo Nocturno.

Ańa. Spécie tua, * et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Psalmus xliv.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribae, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma prae fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna,

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttae tuae acútae, pópuli sub te cadent : * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * pro-

ptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae prae consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliae regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi fília, et vide, et inclina aurem tuam : * et oblíviscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliae Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliae Regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam : * próximae ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in laetítia et exultatióne : * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in aetérnum : * et in saeculum saeculi.

Ana. Spécie tua et pulchritúdine tua intènde, próspere procéde, et regna.

Antiphona. Adjuvábit eam * Deus vultu suo: Deus in médio ejus, non commovébitur.

Psalmus xlv.

DEUS noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quae invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátae sunt aquae eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus laetíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátae sunt Gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * susceptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quae pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terrae.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni:

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in Géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Antiph. Adjuvábit eam Deus vultu suo : Deus in médio ejus, non commovébitur.

Antiphona. Aquae multae * non potuérunt extínguere charitátem.

Psalmus xlvii.

MAGNUS Dóminus, et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsae terrae mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terrae congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt : * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis, * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in aetérnum.

Suscépimus Deus misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae : * justítia plena est déxtera tua.

Laetétur mons Sion, et exúltent fíliae Judae, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in aetérnum, et in saeculum saeculi : * ipse reget nos in saecula.

Ant. Aquae multae non potuérunt extínguere charitátem.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Pater noster. Absolutio. Ipsíus pietas. ℣. Jube, domne. Benedictio. Deus Pater omnípotens.

Sermo sancti Ambrósii Episcopi.

Lib. I. *de Virg. circa init.*

Lectio iv.

QUONIAM hódie natális est Vírginis, invítat nunc integritátis amor, ut áliquid de virginitáte dicámus : ne véluti tránsitu quodam praestricta videá-

tur, quae principális est virtus. Non enim ídeo laudábilis virgínitas, quia in martyribus reperítur: sed quia ipsa mártyres fáciat. Quis autem humáno eam possit ingénio comprehéndere, quam nec natúra suis inclúsit légibus? aut quis naturáli voce complécti, quod supra usum natúrae sit? E coelo accersívit, quod imitarétur in terris. Nec immérito vivéndi sibi usum quaesívit e coelo, quae sponsum sibi invénit in coelo.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet te. Benedíctio. Christus perpétuae.

Lectio v.

HAEC, nubes, aera, Angelos, sideráque transgrédiens Verbum Dei in ipso sinu Patris invénit, et toto hausit péctore. Nam quis tantum, cum invénerit, relínquat boni? Unguéntum enim exinanítum est nomen tuum: proptérea adolescéntulae dilexérunt te, et attraxérunt te. Postrémo, non meum est illud, quóniam quae non nubunt, neque nubéntur, erunt sicut Angeli Dei in coelo. Nemo ergo mirétur, si Angelis comparéntur, quae Angelórum Dómino copulántur.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea. Benedíctio. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

QUIS ígitur neget hanc vitam fluxísse de coelo, quam non fácile invenímus in terris, nisi postquam Deus in haec terréni córporis membra descéndit? Tunc in útero Virgo concépit, et Verbum caro factum est, ut caro fieret Deus. Dicet áliquis: Sed étiam Elias nullius corpórei cóitus fuísse permíxtus cupiditátibus invenítur. Ideo ergo curru raptus ad coelum: ídeo cum Dño appáret in glória, ídeo Domínici ventúrus est praecúrsor advéntus.

Pro Virgine, ℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximae ejus, * Afferéntur tibi in laetítia et exultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno.

Aña. Nigra sum, * sed formósa, filiae Jerúsalem: ídeo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubículum suum.

Psalmus xcv.

CANTATE Dño cánticũ novum: * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dñus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium daemónia : * Dñus autem coelos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriae Géntium, afférte Dómino glóriam et honórem: * afférte Dño glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terrae, qui non commovébitur : * judicábit pópulos in aequitáte.

Laeténtur coeli, et exúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia, quae in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrae in aequitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ańa. Nigra sum, sed formósa, fíliae Jerúsalem : ídeo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubículum suum.

Ańa. Trahe me post te, * in odórem currémus unguentórum tuórum : óleum effúsum nomen tuum.

Psalmus xcvi.

DOMINUS regnávit, exúltet terra : * laeténtur ínsulae multae.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terrae : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt coeli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et laetáta est Sion.

Et exultavérunt fíliae Judae, * propter judícia tua, Dómine :

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odite malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde laetítia.

Laetámini justi in Dómino : * et confitémini memóriae sanctificatiónis ejus.

Ańa. Trahe me post te, in odórem currémus unguentórum tuórum : óleum effúsum nomen tuum.

Ańa. Veni sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum.

Psalmus xcvii.

CANTATE Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiae suae, * et veritátis suae dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terrae * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, et exultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubae córneae.

Jubiláte in conspéctu Regis Dñi : * moveátur mare, et plenitúdo ejus : orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt a conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in aequitáte.

Ańa. Veni sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum.

℣. Elégit eam Deus, et praelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube, domne. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xxv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum coelórum decem virgínibus : quae accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsae. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papae. *Homil.* xii. *in Evang.*

SAEPE vos, fratres charíssimi, admóneo prava ópera fúgere, mundi hujus inquinaménta devitáre : sed hodiérna sancti Evangélii lectióne compéllor dícere, ut et bona quae ágitis, cum magna cautéla teneátis : ne per hoc, quod a vobis rectum gíritur, favor aut grátia humána requirátur : ne appetítus laudis subrépat, et quod foris osténditur, intus a mercéde vacuétur. Ecce enim Redemptóris voce decem vírgines, et omnes dicúntur vírgines, et tamen intra beatitúdinis jánuam non omnes sunt recéptae : quia eárum quaedam, dum de virginitáte sua glóriam foris éxpetunt, in vasis suis óleum habére noluérunt.

℟. Haec est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quae accéptis lampádibus, sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dño, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. — Et veniénte. Bened. Cujus, vel Quarum festum cólimus.

Lectio viii.

SED prius quaeréndum nobis est, quid sit regnum coelórum, aut cur decem virgínibus comparétur, quae étiam vírgines prudéntes et fátuae dicántur. Dum enim coelórum regnum constat, quia reprobórum nullus ingréditur, étiam fátuis virgínibus cur símile esse perhibétur ? Sed sciéndum nobis est, quod saepe in sacro elóquio regnum coelórum praeséntis témporis Ecclésia dícitur. De quo álio in loco Dóminus dicit : Mittet Fílius hóminis Angelos suos, et cólligent de regno ejus ómnia scándala. Neque enim in illo regno beatitúdinis, in quo pax summa est, inveníri scándala póterunt, quae colligántur.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades. — Ecce. Glória Patri. Ecce. Bened. Ad societátem.

Lectio ix.

IN quinque autem córporis sénsibus unusquísque subsístit. Geminátus autem quinárius denárium pérficit. Et quia ex utróque sexu fidélium multitúdo colligítur, sancta Ecclésia decem virgínibus símilis esse denuntiátur. In qua, quia mali cum bonis, et réprobi cum eléctis admíxti sunt, recte símilis virgínibus prudéntibus et fátuis esse per-

hibétur. Sunt namque pleríque continéntes, qui ab appetítu se exterióri custódiunt, et spe ad interióra rapiúntur, carnem mácerant, et toto desidério ad supérnam pátriam anhélant, aetérna praemia éxpetunt, pro labóribus suis recípere laudes humánas nolunt. Hi nimírum glóriam suam non in ore hóminum ponunt, sed intra conscién-tiam cóntegunt. Et sunt pleríque, qui corpus per abstinéntiam affligunt: sed de ipsa sua abstinéntia humános favóres éxpetunt.

Te Deum laudámus. 18.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Haec est virgo sapiens, * et una de número prudéntum. Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 19.

2. Haec est virgo sápiens, * quam Dóminus vigilántem invénit.

3. Haec est quae nescívit * torum in delícto: habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

4. Veni, elécta mea, * et ponam in te thronum meum, allelúia.

5. Ista est speciósa * inter fílias Jerúsalem.

Capitulum. 2 *Cor.* x. *d.*

FRATRES: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat.

Hymnus.

JESU, coróna Vírginum,
Quem Mater illa cóncipit,
Quae sola Virgo párturit;
Haec vota clemens áccipe.

Qui pergis inter lília,
Septus choréis Vírginum,
Sponsus decórus glória,
Sponsísque reddens praemia.

Quocúmque tendis, Vírgines
Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cúrsitant,
Hymnósque dulces pérsonant.

Te deprecámur súpplices,
Nostris ut addas sénsibus,
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In saeculórum saecula.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Ad Benedictus, Añae. Símile est regnum coelórum * hómini negotiatóri quaeránti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio.

DEUS, qui inter caetera poténtiae tuae mirácula, étiam in sexu frágili

victóriam martyrii contulísti : concéde propítius ; ut qui beátae N. Vírginis et Mártyris tuae natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Alia Oratio.

INDULGENTIAM nobis, quaesumus Dómine, beáta N. Virgo et Martyr implóret : quae tibi grata semper éxtitit et mérito castitátis, et tuae professióne virtútis. Per Dóminum nostrum.

Pro Virgine non Martyre, Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutáris noster : ut, sicut de beátae N. Vírginis tuae festivitáte gaudémus, ita piae devotiónis erudiámur afféctu. Per Dñum.

Si fuerint plures, ad Benedictus, Antiphona. Prudéntes vírgines * aptáte vestras lámpades : ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

℣. Adducéntur Regi vírgines post eam. ℟. Próximae ejus afferéntur tibi.

Oratio.

DA nobis, quaesumus Dómine Deus noster, sanctárum Vírginũ et Mártyrum tuárum N. et N. palmas incessábili devotiónè venerári : ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum nostrum.

AD TERTIAM.

Antiphona. Haec est virgo sápiens.

Capit. Fratres : Qui gloriátur. cxvii.

℟. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM.

Antiph. Haec est quae nescívit.

Capitulum. 2 *Cor.* xi.

AEMULOR enim vos Dei aemulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

℟. br. Adjuvábit eam, * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM.

Aña. Ista est speciósa.

Capitulum. *Eccli.* li. *b.*

DOMINE Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam,

et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meae, et in témpore superbórum sine adjutório.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et praeelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et praeelégit. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Si fuerit Virgo, et non Martyr, dicitur sequens Capitulum. *Sap.* iv.

O QUAM pulchra est casta generátio cum claritáte! immortális est enim memória illius: quóniam apud Deum nota est, et apud hómines.

℟. br. Elégit, ut supra.

Ad Vesperas, Antiphonae, Psalmi, Capitulum et Hymnus, ut in primis Vesperis, ciii.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Ad Magnif. Ánt. Veni, sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum.

II. ALIAE LECTIONES PRO VIRGINIBUS.

Pro Virgine et Martyre, ac pro Martyre tantum, Lectiones primi Nocturni leguntur etiam ut infra.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* li.

CONFITEBOR tibi, Dómine Rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguae iníquae, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiae nóminis tui a rugiéntibus praeparátis ad escam, de mánibus quaeréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum quae circumdedérunt me: a pressúra flammae, quae circúmdedit me, et in médio ignis non sum aestuáta: de altitúdine ventris inferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa.

℟. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum: pro cujus amóre sánguinem tuum fudísti, * Et cum Angelis in paradísum introísti. ℣. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam. — Et cum Angelis.

Lectio ii.

LAUDABIT usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memoráta sum misericórdiae tuae, Dómine, et operatiónis tuae, quae a saeculo sunt : quóniam éruis sustinéntes te, Dñe, et líberas eos de mánibus géntium.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: * Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.— Proptérea. Bened. Spíritus sancti grátia.

Lectio iii.

EXALTASTI super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum Patrem Dñi mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meae, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dñi.

℟. Spécie tua, et pulchritúdine tua: * Inténde, próspere procéde, et regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.— Inténde, próspere. Glória Patri. Inténde, próspere.

In secundo Nocturno.

Ex libro S. Cypriáni Epíscopi et Mártyris de disciplína et hábitu Vírginum.

Lectio iv. *Cap.* ii.

UNC nobis ad vírgines sermo est, quarum quo sublímior glória est, major et cura est. Flos est ille Ecclesiástici gérminis, decus atque ornaméntum grátiae spiritális, laeta índoles, laudis et honóris opus íntegrum atque incorrúptum, Dei imágo respóndens ad sanctimóniam Dñi, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Ecclésiae matris gloriósa foecúnditas: quantóque plus copiósa virgínitas número suo addit, tanto plus gáudium matris augéscit. Ad has lóquimur, has adhortámur affectióne pótius quam potestáte : non quod extrémi, et mínimi, et humilitátis nostrae ádmodum cónscii áliquid ad censúram licéntiae vindicémus; sed quod ad sollicitúdinem magis cauti, plus de diá-

boli infestatióne timeámus. ℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua intende, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet te. Bened. Christus perpétuae

Lectio v.

DEQUE inánis haec cáutio est, et vana formído, quae ad salútis viam cónsulit, quae Domínica et vitália praecépta custódit, ut quae se Christo dicáverint, et a carnáli concupiscéntia recedéntes, tam carne, quam mente se Deo vóverint, consúmment opus suum magno praemio destinátum: nec ornári jam, aut placére cuíquam, nisi Dño suo stúdeant, a quo et mercédem virginitátis expéctant, dicénte ipso: Non omnes cápiunt verbum, sed illi quibus datum est. Sunt enim spadónes, qui ex útero matris sic nati sunt: et sunt spadónes, qui coácti sunt ab homínibus; et sunt spadónes, qui seípsos castravérunt propter regnum coelórum.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Propterea. Benedictio. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

DENUO quoque per hanc Angeli vocem continéntiae munus ostenditur, virgínitas praedicátur. Hi sunt, qui cum muliéribus se non coinquinavérunt: vírgines enim permansérunt: hi sunt qui sequúntur Agnum quocúmque íerit. Neque enim tantum másculis continéntiae grátiam Dóminus repromíttit, et féminas praeterit: sed quóniam fémina viri pórtio est, et ex eo sumpta atque formáta est, in Scriptúris fere ómnibus ad protoplástum Deus lóquitur, quia sunt duo in carne una, et in másculo simul significátur et fémina. Quod si Christum continéntia séquitur, et regno Dei virgínitas destinátur: quid est illis cum terréno cultu, et cum ornaméntis, quibus dum homínibus placére géstiunt, Deum offéndunt?

℟. Afferéntur Regi. cxiii.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xix.

IN illo témpore: Accessérunt ad Jesum Pharisaei tentántes eum, et dicéntes: Si licet hómini dimíttere uxórem suam, quacúmque ex causa? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.
Homil. lxiii. *in Matth. sub médium.*

DOMINUS noster, quia ad virginitátem hortári grave esse videbátur, a necessitáte legis de non solvéndo matrimónio, eos ad cupiditátem illíus tráhere studet. Deínde ut eam esse possíbilem osténdat, sic inquit : Sunt eunúchi qui ex ventre matris ita nati sunt, et sunt qui ab homínibus eunúchi facti sunt, et sunt qui seípsos castravérunt propter regnum coelórum. Quibus verbis laténter eos ad eligéndam virginitátem indúcit, dum eam virtútem esse possíbilem ástruit.

℟. Haec est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quae accéptis lampádibus, sumpsit secum óleum : ℣ Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℟. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. — Et veniénte. Bened. Cujus, vel Quarum festum cólimus.

Lectio viii.

ID autem hoc fere modo confírmat : Cógita tecum, si aut natúra talis esses, aut ab homínibus eam injúriam passus, quid fáceres, cum et ejúsmodi voluptáte caréres, et nullam caréndo mercédem conseqüeréris ? Grátias ígitur nunc Deo agas, quod cum mercéde atque corónis idem sústines, quod illi sine corónis ac praemio tólerant : imo vero non idem, sed multo lévius, tum quia spe erígeris, et consciéntia recte facti ; tum quia non ita ingéntibus concupiscéntiae flúctibus jactáris.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades. — Ecce. Glória Patri. Ecce. Bened. Ad societátem.

Lectio ix.

CUM ergo de illis eunúchis díxerit, qui nisi étiam ipsi mente se contíneant, frustra et inutíliter tales sunt ; ac de illis, qui ut regnum coelórum consequántur, se cóntinent, subjúnxit rursus, dicens : Qui potest cápere, cápiat : ut alacrióres efficiat eo ipso, quod grave esse opus osténdit, et ineffábili benignitáte sua nóluit eam rem intra necessitátem legis conclúdere : idque dicéndo, adhuc magis possíbilem esse demónstrat, ut voluntátis stúdium plus augeátur.

Te Deum laudámus. 17.

Commune
SANCTAE MARTYRIS TANTUM,
ET NEC VIRGINIS NEC MARTYRIS.

AD VESPERAS.

Ant. Dum esset Rex, cum reliquis de Laud. cxxviii. Ps. Dixit Dóminus, cum reliquis de Communi Virginum. ciii.

Pro Martyre tantum.

Capitulum. *Eccli.* li.

CONFITEBOR tibi, Dñe Rex, et collaudábo te Deum Salvatórẽ meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Pro nec Virg. nec Mart.

Capit. *Prov.* xxxi. *b.*

MULIEREM fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

Hymnus.

FORTEM viríli péctore
Laudémus omnes féminam,
Quae sanctitátis glória
Ubíque fulget inclyta.

Haec sancto amóre sáucia,
Dum mundi amórẽ nóxium
Horréscit, ad coeléstia
Iter perégit árduum.

Carnem domans jejúniis,
Dulcíque mentem pábulo
Oratiónis nútriens,
Coeli potítur gáudiis.

Rex Christe, virtus fórtium,
Qui magna solus éfficis,
Hujus precátu quaesumus
Audi benignus súpplices.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne saeculum. Amen.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Ant. Simile est regnum coelórum * hómini negotiatóri quaeránti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Pro una Martyre tantum, Oratio.

DEUS, qui inter caetera poténtiae tuae mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius ; ut, qui beátae N. Mártyris tuae natalítia cólimus, per

ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Pro plur. Mart. tantum, Oratio.

DA nobis, quaesumus Dómine Deus noster, sanctárum Mártyrum tuárum N. et N. palmas incessábili devotióne venerári : ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Pro nec Virg. nec Mart. Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutáris noster : ut, sicut de beátae N. festivitáte gaudémus, ita piae devotiónis erudiámur affécTu. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Laudémus Deum nostrum, * In confessióne beátae N. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

HUJUS orátu, Deus alme, nobis
Débitas poenas scélerum remítte ;
Ut tibi puro resonémus almum
Péctore carmen.
Sit decus Patri, genitaequae Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis aevo. Amen.

Antiphonae, Psalmi et VV. Noctúrnorum, dicúntur ut supra in Communi Virginum, excepta secunda Antiphona primi Noctúrni, cujus loco dicitur sequens Ana. Laeva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

Lectiones primi Noct. pro Mart. tantum leguntur ut supra. Confitébor. cxix.

Pro nec Virgine, nec Martyre ut sequuntur.

De parábolis Salomónis.

Lectio i. *Cap.* xxxi. *b.*

MULIEREM fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitae suae. Quaesívit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque praedam domésticis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum.

℟. Veni eléCta mea, et ponam in te thronum meum : Quia concupívit Rex spéciem tuam. ℣. Spécie

tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. —Quia concupívit.

Lectio ii.

GUSTAVIT, et vidit quia bona est negotiátio ejus: non extinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam aperuit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suae a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terrae. Sindonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananaeo.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: * Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Proptérea benedíxit.

Lectio iii.

FORTITUDO et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum aperuit sapiéntiae, et lex cleméntiae in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suae, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam praedicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multae filiae congregavérunt divítias, tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dñum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum: et laudent eam in portis ópera ejus.

℟. Spécie tua, et pulchritúdine tua * Inténde, próspere procéde, et regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in aetérnum. —Inténde. Glória Patri. Inténde.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi de Víduis.

Lectio iv. *Prope fin.*

AGRUM hunc Ecclésiae fértilem cerno, nunc integritátis flore vernántem, nunc viduitátis gravitáte polléntem, nunc étiam conjúgii frúctibus redundántem. Nam etsi divérsi, unius tamen agri fructus sunt: nec tanta hortórum lília, quantae aristae ségetum, méssium spicae: compluriúmque spátia campórum recipiéndis aptántur semínibus, quam rédditis novales frúctibus feriántur. Bona ergo vidúitas, quae tóties Apostólico judício praedicátur. Haec enim magístra fídei, magístra est castitátis.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justí-

tiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Et.

Lectio v.

UNDE et illi qui deórum suórum adultéria et probra venerántur, coelibátus et viduitátis statuére poenas, ut aemuli críminum mulctárent stúdia virtútũ, spécie quidem, qua foecunditátem quaererent, sed stúdio, quo propósitum castitátis abolérent. Nam confécti et miles stipéndiis arma depónit, et relícto offício quod gerébat, ad própria veteránus rura dimíttitur, ut et ipse exércitae labóribus vitae réquiem consequátur ; et álios spes futúrae quiétis subeúndis fáciat opéribus promptióres. Agrícola quoque matúrior torquéndam áliis stivam committit, et juvenáli gravátus ópere providéntiam curae senílis explórat : vitem facilius tóndere, quam prémere, ut juvenescéntem luxúriã réprimat, et adolescéntem lascíviam faice succídat, parcórum quamdam pártuum castitátem docens étiam in vítibus expeténdam.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Propterea unxit te Deus Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam.—Propterea unxit.

Lectio vi.

SIMILIS huic vídua velut eméritis veterána stipéndiis castitátis, et si conjúgii arma depónat, domus tamen totíus pacem gubérnat : et si vehéndis onéribus otiósa, maritándis tamen junióribus próvida, ubi cultus utílior, ubi fructus ubérior sit, quarum cópulam aptiórem, senáli gravitáte dispónit. Itaque si maturióribus quam junióribus commíttitur ager, cur putes utiliórem nuptam esse quam viduam? Quod si persecutóres fídei fuérunt étiam viduitátis : útique fidem sequéntibus vidúitas non pro supplício fugiénda est, tenénda pro praemio.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.—Múlier timens. Glória Patri. Múlier timens.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xiii. *f.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile est regnum coelórum the-

sáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papae. *Homil.* xi. *in Evang.*

COELORUM regnum, fratres charíssimi, idcírco terrénis rebus símile dicitur, ut ex his quae ánimus novit, surgat ad incógnita quae non novit: quátenus exémplo visibílium se ad invisibília rápiat, et per ea quae usu dídicit, quasi confricátus incaléscat: ut per hoc quod scit notum dilígere, discat et incógnita amáre. Ecce enim regnum coelórum thesáuro abscóndito in agro comparátur: quem qui ínvenit homo, abscóndit, et prae gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quae habet, et emit agrum illum.

℟. Os suum apéruit sapiéntiae, et lex cleméntiae in lingua ejus: considerávit sémitas domus suae, * Et panem otiósa non comédit. ℣. Gustávit et vidit quia bona est negotiátio ejus: non extinguétur in nocte lucérna ejus.—Et panem.

Lectio viii.

QUA in re hoc quoque notándum est, quod invéntus thesáurus abscónditur, ut servétur: quia stúdium coeléstis desidérii a malígnis spirítibus custodíre non súfficit, qui hoc ab humánis láudibus non abscóndit. In praesénti étenim vita, quasi in via sumus, qua ad pátriam pérgimus. Malígni autem Spíritus iter nostrum quasi quidam latrúnculi óbsident. Depraedári ergo desíderat, qui thesáurum públice portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant, cum scriptum sit: Vídeant ópera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est: sed ut per hoc, quod ágimus, laudes extérius non quaerámus. Sic autem sit opus in público, quátenus inténtio máneat in occúlto: ut et de bono ópere próximis praebeámus exémplum, et tamen per intentiónem, qua Deo soli placére quaerimus, semper optémus secrétum.

℟. Regnum mundi, et omnem ornátum saeculi contémpsi, propter amórem Dómini mei Jesu Christi: * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi.—Quem. Glória Patri. Quem.

Lectio ix.

THESAURUS autem coeléste est desidérium: ager vero, in quo thesáurus abscónditur, disciplína stúdii coeléstis. Quem

profécto agrum, vénditis ómnibus, cómparat, qui voluptátibus carnis renúntians, cuncta sua terréna desidéria per disciplínae coeléstis custódiam calcat: ut nihil jam, quod caro blanditur, líbeat; nihil, quod carnálem vitam trucídat, spíritus perhorréscat.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES

et per Horas, Añae.

1. Dum esset Rex * in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Psal. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. In odórem * unguentórum tuórum cúrrimus, adolescéntulae dilexérunt te nimis.

3. Jam hiems tránsiit,* imber ábiit, et recéssit: surge amíca mea, et veni.

4. Veni elécta mea, * et ponam in te thronum meum, allelúia.

5. Ista est speciósa* inter fílias Jerúsalem.

Pro Martyre tantum,

Capitulum. *Eccli.* li.

CONFITEBOR tibi, Dñe Rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Pro nec Virg. nec Mart.

Capitulum. *Prov.* xxxi. *b.*

MULIEREM fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

Hymnus.

FORTEM virili péctore
Laudémus omnes féminam,
Quae sanctitátis glória
Ubíque fulget ínclyta.

Haec sancto amóre sáucia,
Dum mundi amórem nóxium
Horréscit, ad coeléstia
Iter perégit árduum.

Carnem domans jejúniis,
Dulcíque mentem pábulo
Oratiónis nútriens,
Coeli potítur gáudiis.

Rex Christe, virtus fórtium,
Qui magna solus éfficis,
Hujus precátu, quaesumus,
Audi benígnus súpplices.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne saeculum. Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Ad Bened. Ańa. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Pro una Mart. tantum, Oratio.

DEUS, qui inter caetera poténtiae tuae miracula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius ; ut qui beátae N. Mártyris tuae natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Pro plur. Mart. tantum, Oratio.

DA nobis, quaesumus Dómine Deus noster, sanctárum Mártyrum tuárum N. et N. palmas incessábili devotióne venerári : ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Pro nec Virg. nec Mart. Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutáris noster : ut, sicut de beátae N. festivitáte gaudémus, ita piae devotiónis erudiámur affectu. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Ańa. In odórem.

Pro Martyre tantum, Capit. Confitébor. CXXVIII.

Pro nec Virg. nec Mart. Capit. Mulíerem. CXXVIII.

℟. br. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine. Glória. Spécie tua. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM.

Ańa. Jam hiems tránsiit.

Pro una Mart. tantum, Capitulum. *Eccli.* li.

LIBERASTI me secúndum multitúdinem misericórdiae nóminis tui a rugiéntibus, praeparátis ad escam, de mánibus quaeréntium ánimam meam, et de multis tribulatiónibus quae circumdedérunt me.

Pro nec Virg. nec Mart. Capitulum. *Prov.* XXXI. *c.*

MANUM suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suae a frigóribus nivis.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus vultu. Glória. Adjuvábit eam.

℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM.

Ańa. Ista est speciósa.

Pro Martyre tantum, Capitulum. *Eccli.* li.

LAUDABIT usque ad mortem ánima mea Dóminum : quóniam éruit

sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiae, Dómine Deus noster.

Pro nec Virg. nec Mart. Capitulum. *Prov.* xxxi. *d.*

QULTAE fíliae congregavérunt divítias; tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur.

℟. br. Elégit eam Deus,* Et praelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et praelégit. Glória Patri. Elégit. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

AD VESPERAS.

Antiphona. Dum esset Rex, et alia ut in primis Vesperis, cxxiii.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Ad Magnif. Añ. Manum suam * apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

Si fuerint plures non Virg. idem fit Offic. ut. cxxiii.

II. LECTIONES

Pro Martyre tantum.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Serm. lxvii. *de diversis novi Testamenti locis.*

Lectio iv.

EGO máxime commemoratiónes díligo Mártyrum, díligo, et amplléctor : atque omnes quidem, sed tum praecípue, cum mulíerum certámina proponúntur. Quanto enim infírmius est vas, tanto major est grátia, tanto illústrius est trophaeum, tanto insígnior est victória, non ob imbecillitátem sexus athletárum, sed quod per ea, quibus vícerat inimícus, nunc étiam vincátur.

℟. Propter. cxxv.

Lectio v.

PER mulíerem vicit, per mulíerem superátus est. Hoc illíus ántea telum erat ; hoc illíus nunc caedis factum est instruméntum, hoc vas appáruit insuperábile. Peccávit illa prior, et mórtua est: ista mórtua est, ne peccáret. Illa tum fútilis promíssi spe inflàta, Dei leges violávit : haec vitam praeséntem contémpsit, ne fidem in suum benefactórem ejuráret. Quam ígitur deínceps speráre póterunt excusatiónem viri, si molles sint, et ignávi ; quam vero véniam, cum fórtiter ac viríliter se gerant mulíeres, cum ádeo se generóse ad certámina pietátis accíngant ?

℟. Dilexísti. cxxvi.

Lectio vi.

FUIT illi corpus imbecíllum, et obnóxius sexus injúriae; verúmtamen ómnium horum imbecillitátem advéniens grátia occultávit. Nihil enim est, nihil plane poténtius est eo, qui magno cum stúdio Déi timórem hábeat in mente defíxum; sed quamvis ignes, quamvis ferrum, quamvis béstias, quamvis áliud quidvis miméntur hostes, ómnia nullo negótio contémnit; quod útique Beáta ista étiam fecit.

℟. Fallax grátia. cxxvi.

Commune
DEDICATIONIS ECCLESIAE.

AD VESPERAS.

Ańa. Domum tuam, cum reliquis de Laudibus, cxlii. Ps. Dixit Dñus, cum reliquis de Dominica, 133.; et loco ultimi, Ps. Lauda Jerúsalem. 155.

Capitulum. *Apoc.* xxi.

VIDI civitátem sanctam Jerúsalem novam descendéntem de coelo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

Hymnus.

COELESTIS Urbs Jerúsalem,
Beáta pacis visio,
Quae celsa de vivéntibus
Saxis ad astra tólleris,
Sponsaeque ritu cíngeris
Mille Angelórum míllibus.

O sorte nupta próspera,
Dotáta Patris glória,
Respérsa Sponsi grátia,
Regína formosíssima,
Christo jugáta Príncipi,
Coeli corúsca Cívitas.

Hic margarítis émicant,
Paténtque cunctis óstia:
Virtúte namque praevia
Mortális illuc dúcitur,
Amóre Christi pércitus
Torménta quisquis sústinet.

Scalpri salúbris ictibus,
Et tunsióne plúrima,
Fabri políta málleo
Hanc saxa molem cónstruunt,
Aptísque juncta néxibus
Locántur in fastígio.

Decus Parénti débitum
Sit usquequáque Altíssimo,
Natóque Patris único,
Et inclyto Paráclito,
Cui laus, potéstas, glória
Aetérna sit per saecula.
Amen.

℣. Haec est domus Dómini firmiter aedificáta.

℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Ad Magníf. Ańa. Sanctificávit Dñus * tabernáculum suum: quia haec est domus Dei, in qua invocábitur nomen ejus, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

In ipso die Dedicationis Ecclesiae, et per Octavam, et quando varianda est Oratio ob concursum Dedicationis alterius Ecclesiae.

Oratio.

DEUS, qui invisibíliter ómnia cóntines, et tamen pro salúte géneris humáni signa tuae poténtiae visibíliter osténdis: templum hoc poténtia tuae inhabitatiónis illústra, et concéde; ut omnes, qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuae benefícia consequántur. Per Dóminum.

In Anniversario Dedicationis Eccles. et per Octav.

Oratio.

DEUS, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repraeséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et praesta; ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse laetétur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Domum Dei decet sanctitúdo: * Sponsum ejus Christum adorémus in ea. Ps. Veníte. 2. Hymn. Coeléstis Urbs. cxxxi.

In primo Nocturno.

Ańa. Tóllite * portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles.

Psalmus xxiv.

OMINI est terra, et plenitúdo ejus: * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * et super flúmina praeparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec juravit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dño: * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Haec est generátio quaeréntium eum, * quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles: * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus fortis et potens: Dñus potens in praelio.

Attóllite portas, príncipes,

vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae?* Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae.

Ant. Tóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles.

Ant. Erit mihi Dñus in Deum, et lapis iste vocábitur domus Dei.

Psalmus xlv.

DEUS noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quae invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra: * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátae sunt aquae eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus laetíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátae sunt Gentes et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Venite, et vidéte ópera Dómini, quae pósuit prodígia super terram : * áufe-rens bella usque ad finem terrae.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in Géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Ant. Erit mihi Dóminus in Deum, et lapis iste vocábitur domus Dei.

Ant. Ædificávit Móyses altáre Dómino Deo.

Psalmus xlvii.

MAGNUS Dóminus, et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsae terrae mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terrae congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt : * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis,* in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei

nostri : * Deus fundávit eam in aetérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae : * justítia plena est déxtera tua.

Laetétur mons Sion, et exúltent fíliae Judae, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in aetérnum, et in saeculum saeculi : * ipse reget nos in saecula.

Ant. Ædificávit Móyses altáre Dómino Deo.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Pater noster. Absolutio. Exáudi, Dómine. ℣. Jube, domne. Bened. Benedictióne perpétua.

De libro secúndo Paralipómenon.

Lectio i. *Cap.* vii.

CUM complésset Sálomon fundens preces, ignis descéndit de coelo, et devorávit holocáusta et víctimas : et majéstas Dómini implévit domum. Nec póterant Sacerdótes ingredi templum Dómini, eo quod implésset majéstas Dómini templum Dómini. Sed et omnes fílii Israël vidébant descendéntem ignem, et glóriam Dómini super domum : et corruéntes proni in terram super paviméntum stratum lápide, adoravérunt, et laudavérunt Dóminum : Quóniam bonus, quóniam in saeculum misericórdia ejus. Rex autem, et omnis pópulus immolábant víctimas coram Dómino. Mactávit ígitur rex Sálomon hóstias, boum vigínti duo míllia, aríetum centum vigínti míllia : et dedicávit domum Dei rex, et univérsus pópulus.

℟. In dedicatióne templi decantábat pópulus laudem : * Et in ore eórum dulcis resonábat sonus. ℣. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, et vénient ad eam omnes Gentes.—Et in ore. Benedictio. Unigénitus Dei fílius.

Lectio ii.

SACERDOTES autem stabant in offíciis suis : et Levítae in órganis cárminum Dómini, quae fecit David rex ad laudándum Dóminum : Quóniam in aetérnum misericórdia ejus, hymnos David canéntes per manus suas. Porro

Sacerdótes canébant tubis ante eos, cunctúsque Israël stabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium átrii ante templum Dómini : obtúlerat enim ibi holocáusta et ádipes pacificórum : quia áltare aeneum, quod fécerat, non póterat sustinére holocáusta et sacrifícia et ádipes. Fecit ergo Sálomon solemnitátem in témpore illo septem diébus, et omnis Israël cum eo, ecclésia magna valde, ab introítu Emath usque ad torréntem Ægypti. Fecítque die octávo collectam, eo quod dedicásset altáre septem diébus, et solemnitátem celebrásset diébus septem.

℟. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, et exaltáta est super omnes colles : * Et vénient ad eam omnes Gentes, et dicent : Glória tibi, Dómine. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos. —Et vénient. Benedíctio. Spíritus sancti grátia.

Lectio iii.

COMPLEVITQUE Sálomon domum Dómini, et domum regis, et ómnia quae disposúerat in corde suo, ut fáceret in domo Dómini, et in domo sua, et prosperátus est. Appáruit autem ei Dóminus nocte, et ait : Audívi orationem tuam, et elégi locum istum mihi in domum sacrifícii. Si cláusero coelum, et plúvia non flúxerit, et mandávero et praecépero locústae, ut dévoret terram, et mísero pestilentiam in pópulum meum : convérsus autem pópulus meus, super quos invocátum est nomen meum, deprecátus me fúerit, et exquisíerit fáciem meam, et égerit poenitentiam a viis suis péssimis : et ego exáudiam de coelo, et propítius ero peccátis eorum, et sanábo terram eórum. Oculi quoque mei erunt apérti, et aures meae eréctae ad oratiónem ejus, qui in loco isto oráverit. Elégi enim, et sanctificávi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempitérnum, et permáneant óculi mei, et cor meum ibi cunctis diébus.

℟. Bénedic, Dómine, domum istam, quam aedificávi nómini tuo : veniéntium in loco isto, * Exáudi preces in excélso sólio glóriae tuae. ℣. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad sanctuárium tuum.— Exáudi preces. Glória Patri. Exáudi preces.

In secundo Nocturno.

Ant. Non est hic áliud, * nisi domus Dei, et porta coeli.

Psalmus lxxxiii.

QUAM dilécta tabernácula tua, Dñe virtútum : * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum : * Rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine : * in saecula saeculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis : * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus : * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Ant. Non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta coeli.

Ant. Vidit Jacob scalam, súmmitas ejus coelos tangébat, et descendéntes Angelos, et dixit: Vere locus iste sanctus est.

Psalmus lxxxvi.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenae, et Tyrus, et pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus ?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut laetántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Vidit Jacob scalam, súmmitas ejus coelos tangébat, et descendéntes Angelos, et dixit : Vere locus iste sanctus est.

Ant. Eréxit Jacob * lápidem in títulum, fundens óleum désuper.

Psalmus lxxxvii.

DOMINE Deus salútis meae : * in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea : * inclína aurem tuam ad precem meam :

Quia repléta est malis ánima mea : * et vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum : * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlchris, quorum non es memor ámplius : * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri : * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus : * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me : * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar : * óculi mei languérunt prae inópia.

Clamávi ad te, Dómine, tota die : * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília : * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi ?

Numquid narrábit áliquis in sepúlchro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne ?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua : * et justítia tua in terra oblivióni ?

Et ego ad te, Dómine, clamávi : * et mane orátio mea praeveniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratiónem meam : * avértis fáciem tuam a me ?

Pauper sum ego, et in labóribus a juventúte mea : * exaltátus autem humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt irae tuae : * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die : * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum et próximum : * et notos meos a miséria.

Ant. Eréxit Jacob lápidem in títulum, fundens óleum désuper.

℣. Domus mea. ℟. Domus oratiónis vocábitur.

Pater noster. Absolutio. Ipsius piétas. ℣. Jube, domne. Benedictio. Deus Pater omnípotens.

Sermo S. Augustíni Epísc. *Serm.* cclii. *de Temp.*

Lectio iv.

QUOTIESCUMQUE, fratres charíssimi, altáris vel templi festivitátem cólimus, si fidéliter ac diligénter atténdimus, et sancte ac juste vívimus, quidquid in templis manufáctis ágitur, totum in nobis spirituáli aedificatióne complétur. Non enim mentítus est ille, qui dixit: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos: et iterum: Nescítis, quia córpora vestra templum sunt Spíritus Sancti, qui in vobis est? Et ídeo, fratres charíssimi, quia nullis praecedéntibus méritis per grátiam Dei merúimus fíeri templum Dei, quantum póssumus cum ipsíus adjutório laborémus, ne Dóminus noster in templo suo, hoc est, in nobis ipsis invéniat, quod óculos suae majestátis offéndat.

℟. Orántibus in loco isto, Dimítte peccáta pópuli tui Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto. ℣. Qui regis Israël inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim.—Dimítte. Benedíctio. Christus perpétuae.

Lectio v.

SED habitáculum cordis nostri evacuétur vítiis, et virtútibus repleátur: claudátur diábolo, et aperiátur Christo: et ita laborémus, ut nobis bonórum óperum clávibus jánuam regni coeléstis aperíre possímus. Sicut enim malis opéribus, quasi quibúsdam seris ac véctibus, vitae nobis jánua cláuditur: ita absque dúbio bonis opéribus aperítur. Et ídeo, fratres charíssimi, unusquísque consíderet conscién̄tiam suam, et quando se áliquo crímine vulnerátum esse cognóverit; prius oratiónibus, jejúniis, vel eleemósynis stúdeat mundáre conscién̄tiam suam, et sic Eucharístiam praesúmat accípere.

℟. O quam metuéndus est locus iste! Vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta coeli. ℣. Haec est domus Dómini fírmiter aedificáta, bene fundáta est supra firmam petram.—Vere. Benedíctio. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

SI enim agnóscens reátum suum, ipse se a divíno altári subtráxerit, cito ad indulgéntiam divínae misericórdiae pervéniet. Quia sicut qui se exáltat, humiliábitur; ita e contrá-

rio, qui se humíliat, exaltábitur. Qui enim, sicut dixi, agnóscens reátum suum, ipse se humíliter ab altári Ecclésiae pro emendatióne vitae removére volúerit, ab aetérno illo et coelésti convívio excommunicári pénitus non timébit.

℟. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper, votum vovit Dómino : * Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. ℣. Cumque evigilásset Jacob de somno, ait. — Vere locus. Glória Patri. Vere locus.

In tertio Nocturno.

Ant. Qui hábitat * in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei coeli commorábitur.

Quando haec Antiphona dicitur integra, et illi non additur in fine Allelúia, tunc principium Psalmi est a secundo Versu, Dicet Dómino.

Psalmus xc.

QUI hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei coeli commorábitur.

DICET Dómino : Susceptor meus es tu, et refúgium meum : * Deus meus sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * et a verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi : * et sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus : * non timébis a timóre noctúrno,

A sagítta volánte in die, a negótio perambulánte in ténebris : * ab incúrsu, et daemónio meridiáno.

Cadent a látere tuo mille, et decem míllia a dextris tuis : * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis : * et retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es, Dómine, spes mea : * altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum : * et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te: * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te : * ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem et basilíscum ambulábis : * et conculcábis leónem et draconem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum : * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, et ego exáudiam eum : * cum ipso sum in tribulatióne: erípiam eum, et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum : * et osténdam illi salutáre meum.

Ańa. Qui hábitat in adjutorio Altíssimi, in protectióne Dei coeli commorábitur.

Ańa. Templum Dómini * sanctum est, Dei structúra est, Dei aedificátio est.

Psalmus xcv.

CANTATE Dómino cánticum novum : * cantáte Dño omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium daemónia : * Dóminus autem coelos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriae Géntium, afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terrae qui non commovébitur : * judicábit pópulos in aequitáte.

Laeténtur coeli, et exúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quae in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrae in aequitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ańa. Templum Dómini sanctum est, Dei structúra est, Dei aedificátio est.

Antiphona. Benedícta * glória Dñi de loco sancto suo, allelúia.

Psalmus xcviii.

DOMINUS regnávit, irascántur pópuli : * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus : * et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno : quóniam terríbile, et sanctum est : * et honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes : * judícium et justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte

scabéllum pedum ejus : * quóniam sanctum est.

Móyses, et Aaron in sacerdótibus ejus : * et Sámuel inter eos, qui ínvocant nomen ejus :

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : * in colúmna núbis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * et praecéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos : * Deus, tu propítius fuísti eis, et ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dñum Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus : * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Ant. Benedícta glória Dómini de loco sancto suo, allelúia.

℣. Haec est domus Dñi firmiter aedificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣ Jube, domne. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xix.

IN illo témpore : Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachaeus : et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Episcopi.

Lib. 8. *in Luc. prope fin.*

ZACHAEUS statúra pusíllus, hoc est, nulla nobilitátis ingénitae dignitate sublímis, exíguus méritis sicut pópulus natiónum, audíto Dñi Salvatóris advéntu, quem sui non recéperant, vidére cupiébat. Sed nemo fácile Jesum videt : nemo potest Jesum vidére constitútus in terra. Et quia non Prophétas, non legem habébat, tamquam formae grátiam naturális, ascéndit in sycómorum, vanitátem scílicet Judaeórum vestígio suo próterens, erráta quoque córrigens superióris aetátis: et ídeo Jesum in interióris domus recépit hospítio.

℟. Domus mea, domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus : in ea omnis qui petit, áccipit ; et qui quaerit, ínvenit : * Et pulsánti aperiétur. ℣. Pétite, et accipiétis : quaerite, et inveniétis.—Et pulsánti. Benedíctio. Divínum auxílium.

Lectio viii.

ET bene ascéndit in árborem, ut arbor bona bonos fructus fáceret : ac naturáli excísus oleástro, et contra natúram insértus in bonam olívam, fructum posset legis afférre. Radix

enim sancta, etsi rami inútiles : quorum infructuósam glóriam plebs Géntium fide resurrectiónis, quasi quadam córporis elevatióne transcéndit. Zachaeus ergo in sycómoro, caecus in via : quorum álterum Dñus miseratúrus expéctat, álterum mansiónis suae claritáte nobílitat, álterum sanatúrus intérrogat, apud álterum se non invitátus invítat. Sciébat enim úberem hospítii sui esse mercédem. Sed tamen, etsi nondum vocem invitántis audíerat, jam víderat affléctum.

℟. Lápides pretiósi omnes muri tui : * Et turres Jerúsalem gemmis aedificabúntur. ℣. Portae Jerúsalem ex sapphíro et smarágdo aedificabúntur, et ex lápide pretióso omnis circúitus muri ejus.—Et turres. Glória Patri. Et turres. Bened. Ad societátem.

Lectio ix.

TERUM ne caecum illum tamquam fastidiósi páuperum cito reliquisse videámur, et transísse ad divitẽ, expectémus eum, quia expectávit et Dóminus: interrogémus eum, quia interrogávit et Christus. Nos interrogémus, quia nescímus: ille quia nóverat. Nos interrogémus, ut sciámus unde iste curátus sit : ille interrogávit, ut in uno plures discerémus, unde Dñum vidére mereámur. Interrogávit enim, ut crederémus, néminem nisi confiténtem posse salvári.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES

et per Horas Añae.

1. Domum tuam, Dñe, * decet sanctitúdo in longitúdinem diérum. Ps. Dñus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Domus mea, * domus oratiónis vocábitur.

3. Haec est domus Dñi * firmiter aedificáta, bene fundáta est supra firmam petram.

4. Bene fundáta est * domus Dómini supra firmam petram.

5. Lápides pretiósi * omnes muri tui, et turres Jerúsalem gemmis aedificabúntur.

Capitulum. *Apoc.* xxi.

VIDI civitátem sanctam Jerúsalem novam descendéntem de coelo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

Hymnus.

ALTO ex Olympi vértice
Summi Paréntis Fílius,
Ceu monte deséctus lapis
Terras in imas décidens,
Domus supérnae, et ínfimae,
Utrúmque junxit ángulum.
Sed illa sedes coelitum
Semper resúltat láudibus,

Deúmque Trinum et Unicum
Jugi canóre praedicat :
Illi canéntes júngimur
Almae Siónis aemuli.

Haec templa, Rex coeléstium,
Imple benígno lúmine :
Huc o rogátus ádveni,
Plebísque vota súscipe,
Et nostra corda júgiter
Perfúnde coeli grátia.

Hic ímpetrent fidélium
Voces precésque súpplicum
Domus beátae múnera,
Partísque donis gáudeant :
Donec solúti córpore
Sedes beátas ímpleant.

Decus Parénti débitum
Sit usquequáque Altíssimo,
Natóque Patris único,
Et ínclyto Paráclito,
Cui laus, potéstas, glória
Ætérna sit per saecula.
Amen.

℣. Haec est domus Dñi fírmiter aedificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Ad Benedíctus, Añа. Zachaee festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére : at ille festínans descéndit, et suscépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est, allelúia.

In ipso die Dedicationis Ecclesiae, et per Octavam, et quando varianda est Oratio ob concursum Dedicationis alterius Ecclesiae.

Oratio.

DEUS, qui invisibíliter ómnia cóntines, et tamen pro salúte géneris humáni signa tuae poténtiae visibíliter osténdis: templum hoc poténtia tuae inhabitatiónis illústra, et concéde ; ut omnes, qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuae beneficia consequántur. Per Dóminum.

In Anniversario Dedicationis Ecclesiae, et per Oct.

Oratio.

DEUS, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repraeséntas incólumes : exáudi preces pópuli tui, et praesta ; ut quisquis hoc templum beneficia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse laetétur. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Añа. Domus mea.
Capit. Vidi. cxlii.
℟. br. Domum tuam, Dñe, Decet sanctitúdo. Domum. ℣. In longitúdinem diérum. Decet. Glória Patri. Domum.

℣. Locus iste sanctus est, in quo orat sacérdos. ℟. Pro delíctis et peccátis pópuli.

AD SEXTAM.

Antiphona. Haec est domus Dómini.

Capitulum. *Apoc.* xxi.

ET audívi vocem magnam de throno dicéntem : Ecce tabernáculù Dei cum homínibus, et habitábit cum eis. Et ipsi pópulus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

℟. br. Locus iste sanctus est, * In quo orat sacérdos. Locus. ℣. Pro delíctis et peccátis pópuli. In quo. Glória Patri. Locus.

℣. Haec est domus Dómini firmiter aedificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

AD NONAM.

Ánt. Lápides pretiósi.

Capitulum. *Apoc.* xxi. *b.*

ET abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno : Ecce nova fácio ómnia.

℟. br. Haec est domus Dñi * Firmiter aedificáta. Haec est. ℣. Bene fundáta est supra firmam petram. Firmiter. Glória Patri. Haec.

℣. Bene fundáta est domus Dómini. ℟. Supra firmam petram.

In secundis Vesperis, Antiphonae, Psalmi, Capitulum et Hymnus ut in primis Vesperis, cxxxi.

℣. Domum tuam, Dñe, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Ad Magníficat, Ánt. O quam metuéndus est locus iste ! vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta coeli.

SECUNDA DIE

Infra Octavam.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex Tractátu S. Augustíni Epíscopi super Psalmos.

Lectio iv. *In Ps.* cxxi.

IERUSALEM, quae aedificátur ut cívitas. Fratres, quando dicébat ista David, perfécta erat illa cívitas, non aedificabátur. Néscio quam ergo civitátem dicit, quae modo aedificátur, ad quam currunt in fide lápides vivi ; de quibus dicit Petrus : Et vos tamquam lápides vivi coaedificámini in domum spirítalem, id est, templum Dei sanctum. Quid est, Lápides vivi coaedificámini ? Vivis, si credis : si autem credis, efficiéris templum Dei ; quia dicit Apóstolus Paulus : Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

℟. Orántibus. cxxxviii.

Lectio v.

IPSA ergo modo cívitas aedificátur. Praecidúntur de móntibus lápides per manus praedicántium veritátem, conquadrántur, ut intrent in structúram sempitérnam. Adhuc multi lápides in mánibus artíficis sunt : non cadant de mánibus artíficis, ut possint perfécti coaedificári in structúram templi. Est ergo ista Jerúsalem, quae aedificátur ut cívitas : fundaméntum ipsíus Christus est. Dicit Apóstolus Paulus : Fundaméntum áliud nemo potest pónere praeter id, quod pósitum est, quod est Christus Jesus.

℟. O quam. cxxxviii.

Lectio vi.

FUNDAMENTUM quando pónitur in terra, désuper aedificántur paríetes, et pondus paríetũ ad ima tendit, quia in imo pósitum est fundaméntum. Si autem fundaméntum nostrum in coelo est, ad coelum aedificémur. Córpora aedificavérunt istam structúrã, quam vidétis amplam surrexísse hujus Basílicae : et quia córpora aedificavérunt, fundaméntum in imo posuérunt. Quia vero spirituáliter aedificámur, fundaméntum nostrum in summo pósitum est. Illuc ergo currámus, ibi aedificémur ; quia de ipsa Jerúsalem dictum est : Stantes erant pedes nostri in átriis tuis Jerúsalem.

℟. Mane surgens. cxxxix.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xix.

IN illo témpore : Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachaeus : et hic princeps erat publicanórũ, et ipse dives. Et réliqua.

De Homília S. Ambrósii Epíscopi.

Ex lib. 8. *in Luc. in fine.*

ET conféstim, inquit, vidit, et sequebátur illum, magníficans Dóminum. Aliter enim non vidéret, nisi sequerétur Christum, nisi Dñum praedicáret, nisi saeculum praeteríret. Cum divítibus quoque in grátiam revertámur. Nólumus enim offéndere dívites, qui vólumus, si fieri potest, sanáre omnes : ne in caméli comparatióne praestricti, et in Zachaeo cítius quam opórtuit, derelícti, justae hábeant commotiónis offénsam.

℟. Domus. cxli.

Lectio viii.

DISCANT divites, non in facultátibus crimen haerére, sed in iis, qui uti nésciant facultátibus.

Nam divítiæ ut impedimenta ímprobis, ita bonis sunt adjumenta virtútis. Dives certe Zachæus, et eléctus a Christo: sed dimídium bonórum suórum paupéribus largiéndo, redděndo étiam in quádruplum, quae fraude sustúlerat (álterum non enim sat est, nec habet grátiam liberálitas, si injúria persevérat, quia non spólia, sed dona quaerúntur) uberiórem mercédem quam conferébat accépit.

℟. Lápides. cxlii.

Lectio ix.

QUI bene princeps indúcitur publicanórum. Quis jam de se despéret, quando et iste, cui census ex fraude, ad salútem pervénit? Et ipse, inquit, dives. Ut scias non omnes dívites, avaros. Quia statúra pusíllus erat. Quid sibi vult, quod nullíus altérius statúram Scriptúra, nisi hujus expréssit? Vide ne forte malítia pusíllus, aut adhuc pusíllus fide. Nondum enim réddere promíserat: nondum víderat Christum: mérito adhuc pusíllus. Joánnes autem magnus, quia et Christum vidit, et Spíritum sicut colúmbam super Christum manéntem, sicut ipse ait: Vidi Spíritum descendéntem sicut colúmbam, et manéntem super eum.

Te Deum laudámus. 17.

TERTIA DIE
infra Octavam.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Augustíni Epísc. *Serm.* cclvi. *de Temp.*

Lectio iv.

CELEBRITAS hujus congregatiónis, dedicátio est domus oratiónis. Domus ergo nostrárum oratiónum ista, domus autem Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi, nos in hoc saeculo aedificámur, ut in fine saeculi dedicémur. Ædifícium, immo aedificátio habet labórem; dedicátio exultatiónem. Quod hic fiébat, quando ista surgébant; hoc fit modo, cum congregántur credéntes in Christum. Credéndo enim, quasi de silvis et móntibus ligna et lápides praecidúntur; cum vero catechizántur, baptizántur, formántur, tamquam inter manus fabrórum et opifícum dolántur, collineántur, complanántur. Verúmtamen domum Dómini non fáciunt, nisi quando charitáte compaginántur.

℟. Orántibus. cxxxviii.

Lectio v.

LIGNA ista et lápides si non sibi certo órdine cohaerérent, si non se pacífice innécterent, si

non se ínvicem, cohaeréndo sibi, quodámmodo amárent, nemo huc intráret. Dénique quando vides in áliqua fábrica lápides et ligna bene sibi cohaerére, secúrus intras, ruínam non times. Volens ergo Dñus Christus intráre, et in nobis habitáre, tamquam aedificándo dicébat: Mandátum novum do vobis: Ut vos ínvicem diligátis. Mandátum, inquit, novum do vobis. Véteres enim erátis, domum mihi nondum faciebátis, in vestra ruína jacebátis. Ergo ut eruámini a vestrae ruínae vetustáte, vos ínvicē amáte.

℟. O quam. cxxxviii.

Léctio vi.

CONSIDERET ergo cháritas vestra, aedificári adhuc istam domum toto, sicut praedíctum est et promíssum, orbe terrárum. Cum enim aedificátur domus post captivitátem, sicut habet álius Psalmus, dícitur: Cantáte Dño cánticum novum: cantáte Dño omnis terra. Quod ibi dixit, cánticum novum; hoc Dóminus dixit, mandátum novum. Quid enim habet cánticum novum, nisi amórem novum? Cantáre amántis est. Vox hujus cantóris, fervor est sancti amóris. Amémus, gratis amémus: Dñum enim amámus, quo nihil mélius invenímus: ipsum amémus propter ipsum, et nos in ipso, tamen propter ipsum.

℟. Mane surgens. cxxxix.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xix.

IN illo témpore: Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachaeus: et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

De Homilia S. Ambrósii Episcopi.

Ex. lib. 8. in Luc. prope fin.

QUAE autem turba, nisi imperítae confúsio multitúdinis, quae vértícem nequit vidére sapiéntiae? Ergo Zachaeus quámdiu in turba est, non videt Christum: supra turbam ascéndit, et vidit: hoc est, plebis jam transgréssus inscítiam, méruit quem desiderábat, aspícere. Pulchre autem áddidit: Quia illa parte erat transitúrus Dñus; vel ubi sycómorus, vel ubi creditúrus: ut et mystérium serváret, et grátiam semináret. Sic enim vénerat, ut per Judaeos transíret ad Gentes.

℟. Domus mea. cxli.

Lectio viii.

QUIDIT ítaque Zachaeum sursum. Jam enim sublimitáte fídei inter fructus novórum óperum,

velut foecúndae altitúdine árboris eminébat. Et quóniam de typo ad morália defléximus, inter tot credéntium voluptátes Dominica die relaxáre ánimum, festivitatem admiscére deléctat. Zachaeus in sycómoro, novum vidélicet novi témporis pomum, ut in hoc quoque complerétur illud : Arbor fici prodúxit grossos suos.

℟. Lápides. cxlii.

Lectio ix.

AD hoc enim Christus advénit, ut ex lignis non poma, sed hómines nasceréntur. Légimus álibi: Cum esses sub árbore fici, vidi te. Ergo Nathánaël sub árbore, hoc est, supra radícem, quia justus. Radix enim sancta. Sub árbore tamen Nathánaël, quia sub lege : Zachaeus supra árborem, quia supra legem. Ille Dómini occúltus defénsor, hic públicus praedicátor. Ille adhuc Christum ex lege quaerébat : iste jam supra legem relinquébat sua, et Dóminum sequebátur.

Te Deum laudámus. 17.

QUARTA DIE

infra Octavam.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

Ex Serm. cclvi. *de Temp.*

Lectio iv.

ATTENDITE in Psalmo dedicatiónis, quem modo cantávimus ex ruína aedificiórum. Conscidísti saccum meum : hoc pértinet ad ruínam. Quid ergo ad aedifícium ? Et accínxisti me laetítia. Vox dedicatiónis : Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar. Quis est, qui lóquitur? In verbis ejus agnóscite. Si expóno, obscurum est. Ergo verba ejus dicam, contínuo agnoscétis loquéntem, ut amétis alloquéntem. Quis est, qui dícere pótuit : Erúisti, Dómine, ab inferis ánimam meam ?

℟. Oránti bus. cxxxviii.

Lectio v.

CUJUS ánima jam ab ínferis éruta est, nisi de qua dictum est álio loco : Non derelínques ánimam meam in inférno ? Propónitur dedicátio, et cantátur liberátio, cánticum dedicatiónis domus, et dícitur : Exaltábo te, Dñe, quóniam suscepísti me : et non jucundásti inimícos meos super me. Atténdite Judaeos inimícos, qui se putábant occidísse Christum, vicísse tamquam inimícum, perdidísse quasi hóminē caeteris símilem atque mortálem.

℟. O quam. cxxxviii.

Lectio vi.

'RESURREXIT tértia die, et ejus vox est : Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me. Atténdite Apóstolum dicéntem : Propter quod eum exaltávit. Et non jucundásti inimícos meos super me. Ipsi quidem in Christi morte jucundabántur, sed in ejus resurrectióne, ascensióne, praedicatióne áliqui compungebántur. In ejus ergo praedicatióne, et per Apostolórum constántiae diffamatiónem áliqui compungebántur, et convertebántur : áliqui obdurabántur, et confundebántur, nulli tamen jucundabántur.

℟. Mane surgens. cxxxix.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xix.

'IN illo témpore : Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachaeus : et hic princeps erat publicanórũ, et ipse dives. Et réliqua. Homilía S. Gregórii Papae. *Lib. 27. Moral. cap.* xxvii. *post medium.*

SI veráciter sapiéntes esse, atque ipsam sapiéntiam contemplári appétimus, stultos nos húmíliter cognoscámus. Relinquámus nóxiam sapiéntiam, discámus laudábilem fatuitátem. Hinc quippe scriptum est : Stulta mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes. Hinc rursum dícitur : Si quis vidétur inter vos sápiens esse in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sápiens. Hinc Evangélicae históriae verba testántur : quia Zachaeus cum vidére prae turba nihil posset, sycómori árborem ascéndit, ut transeúntem Dñum cérneret. Sycómorus quippe ficus fátua dícitur.

℟. Domus mea. cxli.

Lectio viii.

'PUSILLUS ítaque Zachaeus sycómorum súbiit, et Dóminum vidit : quia qui mundi stultítiam humíliter éligunt, ipsi Dei sapiéntiam subtíliter contemplántur. Pusillitátem namque nostram ad vidéndum Dóminum turba praepedit : quia infirmitátem humánae mentis, ne lucem veritátis inténdat, curárum saeculárium tumúltus premit. Sed prudénter sycómorum ascéndimus, si próvide eam, quae divínius praecípitur, stultítiam mente tenémus. Quid enim in hoc mundo stúltius, quam amíssa non quaerere, possássa rapiéntibus relaxáre, nullam pro accéptis injúriis injúriam réddere, immo

adjúnctis áliis patiéntiam praebére?

℟. Lápides. cxlii.

Lectio ix.

QUASI enim sycómorum nos ascéndere Dóminus praecípit cum dicit : Qui aufert quae tua sunt, ne répetas. Et rursum : Si quis te percússerit in déxteram maxíllam, praebe illi et álteram. Per sycómorum Dóminus tránsiens cérnitur : quia per hanc sapiéntem stultítiam, etsi necdum, ut est, sólide, jam tamen per contemplatiónis lumen Dei sapiéntia quasi in tránsitu vidétur, quam vidére néqueunt qui sibi sapiéntes esse vidéntur : quia ad conspiciéndum Dóminum, in eláta cogitatiónum suárum turba deprehénsi, adhuc sycómori árborem non invenérunt.

Te Deum laudámus. 17.

QUINTA DIE

infra Octávam.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

Ex Serm. ccivi. *de Temp.*

Lectio iv.

MODO, quando impléntur Ecclésiae, putámus jucundári Judaeos? Ecclesiae aedificántur, dedicántur, impléntur : quómodo illi jucundántur? Non solum non jucundántur, sed étiam confundúntur, et implétur vox exultántis : Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me : et non jucundásti inimícos meos super me. Non jucundásti super me : si mihi credant, jucundábis in me. Ne multa dicámus, ad illa, quae cantávimus, aliquándo veniámus. Quómodo dicit Christus : Conscidísti saccum meum, et accinxísti me laetítia? Saccus ejus erat similitúdo carnis peccáti.

℟. Orántibus. cxxxviii.

Lectio v.

NON tibi viléscat, quod ait, Saccum meum : ibi erat inclúsum prétium tuum. Conscidísti saccum meum. Evásimus ad saccum istum. Conscidísti saccum meum. In passióne conscíssus est. Quómodo ergo Deo Patri dícitur : Conscidísti saccum meum? Quómodo Patri dicátur, vis audíre : Conscidísti saccum meum? Quia próprio Fílio non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum. Fecit enim per Judaeos nesciéntes, unde redimeréntur sciéntes, et confunderéntur negántes. Nésciunt enim quid boni nobis operáti sunt malo suo.

Suspénsus est saccus, et quasi laetátus est ímpius. Conscídit saccum láncea persecútor, et fudit prétium nostrum Redémptor.

℟. O quam. cxxxviii.

Léctio vi.

CANTET Christus Redémptor, gemat Judas véndítor, erubéscat Judaeus emptor. Ecce Judas véndidit, Judaeus emít, malum negótium egérunt, ambo damnáti sunt, seípsos perdidérunt véndítor et emptor. Dicat ergo caput nostrum, dicat pro córpore occíso, pro córpore dedicáto. Dicat, audiámus: Conscidísti saccum meum, et accinxísti me laetítia: id est, conscidísti mortalitátem meam, et accinxísti me immortalitáte et incorruptióne. Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar. Quid est, Non compúngar? Jam contra me non ferat lánceam persecútor, ut non compúngar. Christus enim surgens a mórtuis, jam non móritur, et mors illi ultra non dominábitur.

℟. Mane surgens. cxxxix.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xix.

IN illo témpore: Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachaeus: et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedae Presbyteri.

L. 5. cap. lxxvii. *in Lucae* xix.

QUAE impossibília sunt apud hómines, possibília sunt apud Deum. Ecce enim camélus, depósita gibbi sárcina per forámen acus transit; hoc est, dives et publicánus, relícto ónere divitiárum, contémpto censu fraudum, angústam portam, arctámque viam, quae ad vitam ducit, ascéndit. Qui mira devotióne fídei ad vidéndum Salvatórem quod natúra minus habúerat, ascénsu supplet árboris: atque ídeo juste, quamvis ipse rogáre non áudeat, benedictiónem Domínicae susceptiónis, quam desiderábat, accépit.

℟. Domus mea. cxli.

Lectio viii.

QYSTICE autem Zachaeus, qui interpretátur justificátus, credéntem ex Géntibus pópulum significat. Qui quanto curis saeculáribus occupátior, tanto flagítiis depriméntibus erat factus humílior. Sed ablútus est, sed sanctificátus, sed justificátus in nómine Dómini nostri Jesu Christi

et in spíritu Dei nostri. Qui intrántem Jéricho Salvatórem vidére quaerébat, sed prae turba non póterat : quia grátiae fídei, quam mundo Salvátor áttulit, participáre cupiébat : sed inólita vitiórum consuetúdo, ne ad votum perveníret, obstíterat.

℟. Lápides. cxlii.

Lectio ix.

EADEM namque turba nóxiae consuetúdinis quae supra caecum clamántem, ne lumen péteret, increpábat, étiam suspiciéntem publicánum, ne Jesum vídeat, tardat. Sed sicut caecus turbárum voces magis ac magis clamándo devícit : ita pusíllus necésse est turbae nocéntis obstáculum altióra peténdo transcéndat, terréna relínquat árborem crucis ascéndat. Sycómorus namque (quae est arbor fóliis morosímilis, sed altitúdine praestans, unde et a Latínis celsa nuncupátur) ficus fátua dícitur. Et éadem Domínica crux, quae credéntes alit ut ficus, ab incrédulis irridétur ut fátua.

Te Deum laudámus. 17.

SEXTA DIE

infra Octavam.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

Ex Serm. cclvi. *de Temp.*

Lectio iv.

SURGO, dum novam constructiónem sanctae hujus Ecclésiae libénter atténdimus, quam divíno nómini hódie dedicámus, invenímus a nobis debéri et Deo nostro máximam laudem, et sanctitáti vestrae cóngruum de divínae domus aedificatióne sermónem. Tunc autem sermo noster cóngruus erit, si in se áliquid aedificatiónis hábeat, quod utilitáti animárum vestrárum, Deo vos intérius aedificánte, prófíciat. Quod hic factum corporáliter vidémus in pariétibus, spiritáliter fiat in méntibus : et quod hic perféctum cérnimus in lapídibus et lignis, hoc, aedificánte grátia Dei, perficiátur in corpóribus vestris.

℟. Orántibus. cxxxviii.

Lectio v.

PRINCIPALITER ergo grátias agámus Dómino Deo nostro, a quo est omne datum óptimum, et omne donum perféctum : et ejus bonitátem tota córdis alacritáte laudémus, quóniam ad **construéndam istam do-**

mum oratiónis, fidélium suórum visitávit ánimum, excitávit affléctum, surrogávit auxílium, inspirávit necdum voléntibus ut vellent, adjúvit bonae voluntátis conátus ut fácerent: ac per hoc Deus, qui operátur in suis et velle et perfícere pro bona voluntáte, haec ómnia ipse coepit, ipse perfécit.

℟. O quam. cxxxviii.

Lectio vi.

EST quia ópera bona in conspéctu suo nunquam esse permíttit inánia, fidélibus suis, quibus operántibus praebuit virtútis suae favórem, tríbuet condígnam pro tanta operatióne mercédem. Adhuc ámplius agéndae sunt grátiae Deo nostro. Hanc enim Ecclésiam, quam fecit nómini suo cónstrui, fecit étiam sanctórum Mártyrum relíquiis ámplius honorári.

℟. Mane surgens. cxxxix.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xix.

IN illo témpore: Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachaeus: et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

De Homília venerábilis Bedae Presbyteri.

Lib. 5. *C.* lxxvii. *in Luc.* xix.

T cum venísset ad locum, suspíciens Jesus vidit illum. Perámbulans Jéricho Salvátor venit ad locum, ubi praecúrrens Zachaeus sycómorum conscénderat: quia missis per mundum sui verbi praecónibus, in quibus ipse nimírum et loquebátur et ibat, venit ad pópulũ natiónum, qui passiónis ejus fide jam sublímis exístens, étiam divinitátis ejus ardébat ágnita fácie beári. Suspíciens vidit illum, quia per grátiam fídei a terrénis cupiditátibus elevátum, turbísque infidélibus praeeminéntem elégit. Vidére enim Dei, elígere vel amáre est. Unde est illud: Oculi Dómini super justos. Nam et nos quae amámus, vidére; ab his, quae execrámur, intúitum festinámus avértere.

℟. Domus mea. cxli.

Lectio viii.

VIDIT ergo Jesus vidéntem se, quia elégit eligéntem se, et amávit amántem. Hunc sane órdinem proficiéndi, hoc est, per fidem Domínicae Incarnatiónis ad cognitiónem divinitátis perveniéndi, quasi per sycómorum Jesu fáciem speculándi Doctor

egrégius osténdit, cum ait: Non enim judicávi scire me áliquid inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifíxum. Itémque et áliis éxprobrans: Facti estis, inquit, quibus lacte opus sit, non sólido cibo. Lac infírma temporáriae dispensatiónis sólidum cibum árdua perpétuae majestátis appéllans.

℟. Lápides. cxlii.

Lectio ix.

ET dixit ad eum: Zachaee, festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére. Et festínans descéndit, et excépit illum gaudens. Manébat aliquándo Dñus in domo príncipis Pharisaeórum, hoc est, in Judaeórum synagóga docébat: sed quia non baptizátum ante prándium, sábbato curántem, publicános et peccatóres recipiéntem, contra avarítiam disputántem, et caetera digna Deo geréntem, lingua venenáta carpébant: pertaesus eórum facínora, discéssit et aufúgit, dicens: Relinquétur vobis domus vestra desérta. Hódie autem in domo pusílli Zachaei opórtet illum manére: hoc est, novae lucis grátia coruscánte, in húmili credéntium natiónum corde quiéscere.

Te Deum laudámus. 17.

SEPTIMA DIE
infra Octavam.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Homilia xxxiii. *in capite* ix. *Matthaei.*

Lectio iv.

COMMUNIS cmnium domus est Ecclésia, in quam, vobis prius ingréssis, nos intrámus, discipulórum formam retinéntes: ideóque commúniter ómnibus statim atque ingréssi fuérimus, ut illis datam legem sequámur, pacem offérimus. Nemo ígitur socórdia tórpeat: nemo saeculáribus rebus suspénsum ánimum hábeat, cum jam ad praedicándum sacerdótes intráverint. Non enim parva huic rei ímminet poena. Equidem míllies pótius malim in domum alicújus vestrum ingréssus destítui, quam hic praedicans non audíri. Hoc mihi moléstius esset quam illud, quandóquidem magis própria haec est, quam illa.

℟. Oránti bus. cxxxviii.

Lectio v.

NAM hic magnae illae nostrae opes pósitae sunt, hic spes nostra om-

nis. Quid enim hoc loco non magnum est et admirándum? Nam haec mensa longe pretiósior est atque jucúndior; et lucérna haec, quam illa, ut norunt qui cum fide óleo perúncti, a morbis liberáti sunt. Arca étiam haec multo mélior, magísque necessária. Non enim vestes, sed misericórdiam inclúsam cóntinet: quamvis pauci sint qui eam possídeant. Hic et léctulus est valde illo praestántior: divinárum enim Scripturárum réquies quovis lecto suávior est.

℟. O quam. cxxxviii.

Léctio vi.

ET quidem si concórdia perfécte servarétur a nobis, nullam áliam domum praeter hanc haberémus. Hoc autem quod dixi, non esse durum, testántur illa tria míllia, et quinque míllia hóminum, quibus et domus una, et mensa una, et ánima una erat. Multitúdinis enim credéntium, inquit, unum erat cor, et ánima una. Sed quia longe ab illórum virtúte ábsumus, et per domos disjúncti sumus, saltem quando huc convenímus, id omni stúdio faciámus. Nam etsi in áliis rebus páuperes, et ínopes sumus, hoc loco saltem cum huc ad vos intrámus, cum charitáte nos suscípite: cumque, Pax vobis, dico: Et cum spíritu tuo, non voce solum, sed ánimo quoque respondéte.

℟. Mane surgens. cxxxix.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Léctio vii. *Cap.* xix.

IN illo témpore: Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachaeus: et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

De Homília venerábilis Bedae Presbyteri.

Paulo post praedicta.

ET cum vidérent omnes, murmurábant, dicéntes quod ad hóminem peccatórem divertísset. Maniféstum est, Judaeos semper Géntium odísse salútem. Scriptum est enim: Sequénti vero sábbato pene univérsa cívitas convénit audíre verbum Dei. Vidéntes autem turbas, Judaei repléti sunt zelo, et contradicébant iis, quae a Paulo dicebántur. Et álibi, fidéles étiam fratres advérsus Apostolórum princípem disceptábant, dicéntes: Quare introísti ad viros praepútium habéntes, et manducásti cum illis?

℟. Domus mea. cxli.

Lectio viii.

STANS autem Zachaeus, dixit ad Dñum : Ecce dimídium bonórum meórum, Dñe, do paupéribus : et si quid áliquem defraudávi, reddo quádruplum. Aliis calumniántibus hóminem peccatórem, ipse Zachaeus stans, id est, in ea quam coeperat fídei veritáte persístens, non solum se ex peccatóre convérsum, sed étiam inter perféctos probat esse conversátum. Dicénte enim Dño : Si vis perféctus esse, vade, vende ómnia quae habes, et da paupéribus : quisquis ante conversiónem innocénter vixit, ómnia convérsus potest dare paupéribus.

℟. Lápides. cxlii.

Lectio ix.

AT qui áliqua fraude sústulit, primo haec juxta legem réddere, deínde quod sibi remánserit, debet dare paupéribus. Ac sic et ipse, quia sibi nil rétinet, ómnia sua dispérgit, dat paupéribus, justítia ejus manet in saeculum saeculi. Et haec est sápiens illa stultítia, quam de sycómoro publicánus quasi fructum vitae légerat : rapta vidélicet réddere, própria relínquere, visibília contémnere, pro invisibílibus étiam mori desideráre, seípsum abnegáre, et ejus, qui necdum videátur, Dómini vestígia sequi concupíscere.

Te Deum laudámus. 17.

IN OCTAVA DEDICATIONIS ECCLESIAE.

Duplex.

Omnia ut in die, praeter Lect. secundi Nocturni.

Ex Epístola prima Sancti Felícis Papae Quarti. *De Consecr. dist.* i. *cap.* ii.

Lectio iv.

ABERNACULUM Móysen, Dño praecipiénte, fecísse et sacrásse, cum mensa et altári ejus, et caeteris vasis et utensílibus ad divínum cultum expléndum, légimus : et non solum divínis précibus ea sacrásse, sed étiam sancti ólei unctióne, Dño jubénte, perlinísse nóvimus. Quáliter autem haec facta sint, et quómodo ipsa sacra non álii quam sacerdótes sacra unctióne delibúti, Dominóque cum véstibus sanctis sacráti, et Levítae tractábant, ferébant, erigébant et deponébant : in ipsis institutiónibus, quae jubénte Dño conscríptae sunt per Móysen, in lege Dómini reperítur.

℟. Orántibus. cxxxviii.

Lectio v.

QUALITER ergo David regum piíssimus amplificáverit cultum Dei, et

templum Dño aedificáre volúerit, sed propter multum sánguinem quem effúderat, prohíbitus est, et ipse collégerat expénsas : Sálomon quoque fílius ejus, idípsum quod ipse fácere optáverat, jubénte et auxiliánte Deo perfécit, et templum cum altári, et réliqua ad divínum cultum peragéndum consecrávit : in libro Regum légitur. Fecit ergo Sálomon in témpore illo festivitátem célebrem, et omnis Israël cum eo, multitúdo magna ab intróitu Emath usque ad rivum Ægypti, coram Dómino Deo nostro septem diébus, et septem diébus, id est, quatuórdecim diébus, et in die octáva dimísit pópulos.

℟. O quam. cxxxviii.

De Consecr. dist. 1. *cap.* xvii.

Lectio vi.

SOLEMNITATES dedicatiónum Ecclesiárum et sacerdótum, per síngulos annos solémniter sunt celebrándae, ipso Dómino exémplum dante, qui ad festum dedicatiónis templi, ómnibus id faciéndi dans formam, cum réliquis pópulis eámdem festivitátem celebratúrus venit, sicut scriptum est : Facta sunt encaenia in Jerosólymis, et hiems erat, et ambulábat Jesus in templo in pórticu Salomónis. Quod autem octo diébus encaenia sint celebránda, in libro Regum, perácta dedicatióne templi, reperiétis.

℟. **Mane surgens. cxxxix.**

In festis B. Mariae Virginis

PER ANNUM.

AD VESPERAS.

Ańa. Dum esset Rex * in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Psalmus cix.

IXIT Dñus Dño meo : * Sede a dextris meis : Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuae emíttet Dñus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuae in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dñus, et non poenitébit eum : * Tu es sacérdos in aetérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die irae suae reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Ańa. Dum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Ańa. Laeva ejus * sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

Psalmus cxii.

LAUDATE púeri Dñum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super coelos glória ejus.

Quis sicut Dñus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in coelo et in terra ?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum laetántem.

Ańa. Laeva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

Ańa. Nigra sum, * sed formósa, fíliae Jerúsalem : ídeo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubículum suum.

Psalmus cxxi.

LAETATUS sum in his, quae dicta sunt mihi : * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quae aedificátur ut cívitas : * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini : * testimónium Israël ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quae ad pacem sunt Jerúsalem : * et abundántia diligéntibus te :

Fiat pax in virtúte tua : * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et próximos meos, * loquébar pacem de te :

Propter domum Dñi Dei nostri, * quaesívi bona tibi.

Añа. Nigra sum, sed formósa, fíliae Jerúsalem : ídeo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubículum suum.

Añа. Jam hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit : surge amica mea, et veni.

Psalmus cxxvi.

NISI Dñus aedificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui aedificant eam.

Nisi Dñus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum : * ecce haeréditas Dómini fílii : merces, fructus ventris.

Sicut sagíttae in manu poténtis : * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Añа. Jam hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit : surge amica mea, et veni.

Añа. Speciósa facta es, et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

Psalmus cxlvii.

LAUDA Jerúsalem Dóminum : * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terrae : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cínerem spargit,

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit ?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquae.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Ána. Speciósa facta es, et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

Capit. *Eccli.* xxiv. *b.*

B initio, et ante saecula creáta sum, et usque ad futúrũ saeculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus.

AVE maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix coeli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevae nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen caecis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos,
Mites fac et castos.

Vitam praesta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Jesum,
Semper collaetémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Magníf. Ána. Sancta María, * succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam festivitátem.

Oratio.

CONCEDE nos fámulos tuos, quaesumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére: et gloriósa beátae Maríae semper Vírginis intercessióne, a praesénti liberári tristítia, et aetérna pérfrui laetítia. Per Dóminum.

Ad Completorium et Horas, in fine Hymnorum dicitur :

JEsu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,

Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

AD MATUTINUM.

Invitator. Sancta María Dei Génitrix Virgo,* Intercéde pro nobis.

Ps. Veníte. 2.

Hymnus.

QUEM terra, pontus, sídera
Colunt, adórant, praedicant,
Trinam regéntem máchinam,
Claustrum Maríae bájulat.

Cui luna, sol, et ómnia
Desérviunt per témpora,
Perfúsa coeli grátia,
Gestant puéllae víscera.

Beáta Mater múnere,
Cujus supérnus Artifex,
Mundum pugíllo cóntinens,
Ventris sub arca clausus est.

Beáta coeli núntio,
Foecúnda sancto Spíritu,
Desideratus Géntibus,
Cujus per alvum fusus est.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

In primo Noćturno.

Aña. Benedícta tu * in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Psalmus viii.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua,* super coelos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quae tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulóminus ab ángelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres coeli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Aña. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Aña. Sicut myrrha *

elécta, odórem dedísti suavitátis, sancta Dei Génitrix.

Psalmus xviii.

COELI enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélae, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terrae verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo coelo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam praestans párvulis.

Justítiae Dómini rectae, laetificántes corda : * praecéptum Dómini lúcidum ; illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in saeculum saeculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * et redémptor meus.

Ant. Sicut myrrha elécta, odórem dedísti suavitátis, sancta Dei Génitrix.

Antiphona. Ante torum * hujus Vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis.

Psalmus xxiii.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina praeparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam

suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Haec est generátio quaeréntium eum, * quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in praelio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae.

Ańa. Ante torum hujus Vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Pater noster. Absolutio. Exáudi. ℣. Jube, domne. Bened. Benedictióne perpétua.

De Parábolis Salomónis.

Lectio i. *Cap.* viii. *b. et* ix.

EGO sapiéntia hábito in consílio, et erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum : arrogántiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilíngue detéstor. Meum est consílium et aequitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditóres justa decérnunt. Per me príncipes ímperant, et poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vígilant ad me, invénient me.

℟. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam néscio : * Quia quem coeli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. — Quia. Benedictio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ii.

QECUM sunt divítiae et glória, opes supérbae et justítia. Mélior est enim fructus meus auro et lápide pretióso, et genímina mea argénto elécto. In viis justítiae ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam. Dóminus possédit me in initio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab aetérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego

jam concépta eram: necdum fontes aquárum erúperant: necdum montes gravi mole constíterant: ante colles ego parturiébar.

℟. Congratulámini mihi omnes qui dilígitis Dñum, quia cum essem párvula, plácui Altíssimo : * Et de meis viscéribus génui Deum et hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. — Et de meis viscéribus. Benedictio. Spíritus sancti grátia.

Lectio iii.

BEATUS homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino: qui autem in me peccáverit, laedet ánimam suam. Omnes, qui me odérunt, dilígunt mortem. Sapiéntia aedificávit sibi domum, excídit colúmnas septem. Immolávit víctimas suas, míscuit vinum, et propósuit mensam suam. Misit ancíllas suas, ut vocárent, ad arcem et ad moenia civitátis : Si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est : Veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis.

℟. Beáta es, virgo María, quae Dóminum portásti, Creatórem mundi : * Genuísti qui te fecit, et in aetérnum pérmanes virgo. ℣. Ave María, grátia plena : Dóminus tecum. — Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

In secundo Nocturno.

Ant. Spécie tua, * et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Psalmus xliv.

RUCTAVIT cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribae, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma prae fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : * propterea benedíxit te Deus in aetérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna,

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttae tuae acútae, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * propterea unxit te Deus, Deus

tuus óleo laetítiae prae consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te filiae regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliae Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliae Regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam : * próximae ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in laetítia et exultatióne : * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in aetérnum : * et in saeculum saeculi.

Antiphona. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Antiphona. Adjuvábit eam * Deus vultu suo: Deus in médio ejus, non commovébitur.

Psalmus xlv.

DEUS noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quae invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátae sunt aquae eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus laetíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátae sunt Gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dñi, quae pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terrae.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni :

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in Géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Ańa. Adjuvábit eam Deus vultu suo : Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ańa. Sicut laetántium * ómnium nostrum habitátio est in te, sancta Dei Génitrix.

Psalmus lxxxvi.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : * díligit Dñus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenae, et Tyrus, et pópulus Æthíopū, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet * Homo, et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus ?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut laetántium ómnium * habitátio est in te.

Ańa. Sicut laetántium ómnium nostrum habitátio est in te, sancta Dei Génitrix.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Pater noster. Absolutio. Ipsíus píetas. ℣. Jube, domne. Benedictio. Deus, Pater omnípotens.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Lectio iv. *Apud Metaph.*

DEI Fílius non dívitem, aut locúpletem áliquam féminam sibi matrem elégit, sed beátam Vírginē illam, cujus ánima virtútibus ornáta erat. Cum enim beáta María supra omnem humánam natúram castitátem serváret, propterea Christum Dóminum in ventre concépit. Ad hanc ígitur sanctíssimam Vírginē et Dei Matrem accurrénte, ejus patrocínii utilitátem assequámur. Itaque, quaecúmque estis vírgines, ad Matrem Dómini confúgite. Illa enim pulchérrimam, pretiosíssimam, et incorruptíbilem possessiónem patrocínio suo vobis conservábit.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. — Dedi suavitátem. Bened. Christus perpétuae.

Lectio v.

MAGNUM revéra miráculum, fratres dilectíssimi, fuit beáta semper Virgo María. Quid namque illa majus aut illústrius ullo unquam témpore invéntum est, seu aliquándo inveníri póterit? Haec sola coelum ac terram amplitúdine superávit. Quidnam illa sánctius? Non Prophétae, non Apóstoli, non Mártyres, non Patriárchae, non Angeli, non Throni, non Dominatiónes, non Séraphim, non Chérubim: non dénique áliud quídpiam inter creátas res, visíbiles aut invisíbiles, majus aut excelléntius inveníri potest. Eadem ancílla Dei est et mater: éadem virgo et génitrix.

℟. Quae est ista, quae procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliae Sion, et beátam dixérunt, et Regínae laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállių. — Vidérunt. Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

HAEC ejus mater est, qui a Patre ante omne princípiū génitus fuit, quem Angeli et hómines agnóscunt Dñum rerum ómnium. Visne cognóscere quanto Virgo haec praestántior sit coeléstibus Poténtiis? Illae cum timóre et tremóre assístunt, fáciem velántes suam: haec humánum genus illi offert, quem génuit. Per hanc et peccatórum véniam conséquimur. Ave ígitur mater, coelum, puélla, virgo, thronus, Ecclésiae nostrae decus, glória et firmaméntū, assídue pro nobis precáre Jesum Fílium tuum, et Dóminum nostrum: ut per te misericórdiam invenire in die judícii, et quae repósita sunt iis, qui díligunt Deum, bona cónsequi possímus, grátia et benignitáte Dñi nostri Jesu Christi: cum quo Patri et sancto Spíritui glória et honor et impérium nunc et semper in saecula saeculórum. Amen.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dñus concupívit: * Et vidéntes eam fíliae Sion, beatíssimā praedicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deauráto, circúmdata varietáte.—Et. Glória. Unguéntū.

In tertio Nocturno.

Aña. Gaude, María virgo,* cunctas haereses sola interemísti in univérso mundo.

Psalmus xcv.

CANTATE Dómino cánticum novum: * cantáte Dño omnis terra. Cantáte Dómino, et be-

nedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium daemónia : * Dóminus autem coelos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriae Géntium, afférte Dño glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terrae qui non commovébitur : * judicábit pópulos in aequitáte.

Laeténtur coeli, et exúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quae in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrae in aequitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ána. Gaude, María virgo, cunctas haereses sola interemísti in univérso mundo.

Ána. Dignáre me * laudáre te, Virgo sacráta : da mihi virtútem contra hostes tuos.

Psalmus xcvi.

DOMINUS regnávit, exúltet terra : * laeténtur ínsulae multae.

Nubes, et caligo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terrae : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt coeli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et laetáta est Sion.

Et exultavérunt fíliae Judae, * propter judícia tua, Dómine :

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde laetítia.

Laetámini justi in Dómino : * et confitémini memóriae sanctificatiónis ejus.

Antiphona. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta : da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ana. Post partum * Virgo invioláta permansísti, Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

Psalmus xcvii.

CANTATE Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus:* et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum:* in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiae suae,* et veritátis suae dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terrae * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, et exultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubae córneae.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini : * moveátur mare, et plenitúdo ejus : orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt a conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia,* et pópulos in aequitáte.

Ana. Post partum Virgo invioláta permansísti, Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Pater noster. Absolutio. A vinculis. ℣. Jube, domne. Benedictio. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xi. *d.*

IN illo témpore : Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quaedam múlier de turba dixit illi : Beátus venter, qui te portávit. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedae Presbyteri.

Lib. 4. *cap.* xlix. *in Luc.* ix.

MAGNAE devotiónis et fidei haec múlier osténditur, quae Scribis et Pharisaeis Dóminum

tentántibus, simul et blasphemántibus, tanta ejus incarnatiónem prae ómnibus sinceritáte cognóscit, tanta fidúcia confitétur, ut et praeséntium prócerum calúmniam, et futurórum confúndat haereticórum perfídiam. Nam sicut tunc Judaei, sancti Spíritus ópera blasphemándo, verum consubstantialémque Patri Dei Fílium negábant : sic haerétici póstea negándo Maríam semper Vírginem, sancti Spíritus operánte virtúte, nascitúro cum humánis membris Unigénito Dei, carnis suae matériam ministrásse, verum consubstantialémque matri fílium hóminis fatéri non debére dixérunt.

℟. Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima : ℣. Quia ex te ortus est sol justítiae, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque celébrant tuam sanctam Festivitátem.—Quia. Benedíctio. Cujus festum.

Lectio viii.

SED si caro Verbi Dei secúndum carnem nascéntis a carne Vírginis matris pronuntiátur extránea, sine causa venter qui eam portásset, úbera quae lactássent, beatificántur. Dicit autem Apóstolus : Quia misit Deus Fílium suum factum ex muliére, factum sub lege. Neque audiéndi sunt qui legéndum putant : Natum ex muliére, factum sub lege ; sed : Factum ex muliére : quia concéptus ex útero virgináli, carnem non de níhilo, non aliúnde, sed matérna traxit ex carne : alióquin nec vere Filius hóminis dicerétur, qui oríginẽ non habéret ex hómine. Et nos ígitur his contra Eutychen dictis, extollámus vocem cum Ecclésia Cathólica, cujus haec múlier typum gessit, extollámus et mentem de médio turbárum, dicamúsque Salvatóri : Beátus venter qui te portávit, et úbera quae suxísti. Vere enim beáta parens, quae sicut quidam ait : Enixa est puérpera Regem, qui coelum terrámque tenet per saecula.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes : ℣. Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum.—Quia. Glória Patri. Quia. Bened. Ad societátem.

Lectio ix.

QUINIMMO beáti qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt. Pulchre

Salvátor attestatióni mulíeris ánnuit, non eam tantúmmodo quae Verbum Dei corporáliter generáre merúerat, sed et omnes qui idem Verbum spiritáliter audítu fídei concípere, et boni óperis custódia, vel in suo, vel in proximórum corde párere, et quasi álere studúerint, asséverans esse beátos : quia et éadem Dei Génitrix, et inde quidem beáta, quia Verbi incarnándi minístra facta est temporális : sed inde multo beátior, quia ejúsdem semper amándi custos manébat aetérna.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Dum esset Rex * in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis. Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Laeva ejus * sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

3. Nigra sum, * sed formósa, fíliae Jerúsalem : ídeo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubículum suum.

4. Jam hiems tránsiit, * imber ábiit et recéssit : surge, amíca mea, et veni.

5. Speciósa facta es * et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

AB inítio, et ante saecula creáta sum, et usque ad futúrum saeculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi

Hymnus.

O GLORIOSA vírginum,
Sublímis inter sídera,
Qui te creávit, párvulum
Lacténte nutris úbere.
Quod Heva tristis ábstulit,
Tu reddis almo gérmine :
Intrent ut astra flébiles,
Coeli reclúdis cárdines.
Tu Regis alti jánua,
Et aula lucis fúlgida :
Vitam datam per Virginem,
Gentes redémptae pláudite,
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Ad Benedictus, Antiphona. Beáta es, * María, quae credidísti : perficiéntur in te quae dicta sunt tibi a Dómino.

Oratio.

CONCEDE nos fámulos tuos, quaesumus Dñe Deus, perpétua mentis

et córporis sanitáte gaudére : et gloriósa beátae Maríae semper Vírginis intercessióne, a praesénti liberári tristítia, et aetérna pérfrui laetítia. Per Dñum.

Ad Primam. In R̃. br. V. Qui natus es de María Vírgine, etiam in Festis infra Oct. B. Mariae Virginis.

AD TERTIAM.

Ańa. Laeva ejus.

Capit. Ab inítio, ut supra.

R̃. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie. V. Inténde, próspere procéde, et regna. Et. Glória Patri. Spécie.

V. Adjuvábit eam Deus vultu suo. R̃. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM.

Ańa. Nigra sum.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei haeréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

R̃. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. V. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit.

V. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. R̃. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM.

Ańa. Speciósa.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

IN platéis sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

R̃. br. Elégit eam Deus, * Et praeelégit eam. Elégit. V. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et praeelégit Glória Patri. Elégit.

V. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. R̃. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

In secundis Vesperis omnia dicuntur ut in primis praeter V. Dignáre me laudáre te Virgo sacráta. R̃. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Ańa. Beátam me dicent * omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus.

Officium Beatae Mariae
IN SABBATO.

OMNIBUS Sabbatis per annum, praeterquam in Quatuor Temporibus et Vigiliis; et nisi Officium fieri debeat de Feria, propter Officium alicujus Dominicae infra Hebdomadā ponendum, ut dicitur in Rubrica de Dominicis; ac nisi Festum novem Lectionum occurrat, fit Officium de S. Maria, modo infrascripto.

In Vesp. Feriae vi. dic. Psalmi feriales in Psalt. positi, nisi fuerit Festum ix. Lect.; quia tunc de S. Maria fit tantum commemoratio in dictis Vesp. cum Ańa, ℣. et Oratione, ut infra. Quae commem. omittitur, quando Feria vi. occurrit aliud ejusdem Beatae Mariae Officium.

Capitulum. Ab initio, et Hymnus. Ave maris stella, ut in Festis B. M. clx.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedixit te Deus in aetérnum.

Ad Magnif. Ańa. Beáta Mater * et intácta Virgo, gloriósa Regína mundi, intercéde pro nobis ad Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

CONCEDE nos fámulos tuos, quaesumus Dñe Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére: et gloriósa beátae Maríae semper Vírginis intercessióne, a praesénti liberári tristítia, et aetérna pérfrui laetítia. Per Dñum.

Post Orationem fiunt comm. consuetae de Apostolis, de S. Joseph, et de Pace, ut supra.

Si autem occurrat Festum Simplex, de eo fit commemoratio ante ipsa Suffragia.

Completorium ut in Psalterio. Et in fine Hymni Te lucis ante términum, dicitur Jesu, tibi sit glória, Qui natus es de Vírgine, etiam si in Vesperis facta sit tantum commem. de B. Maria, nisi Hymni illius Festi, quod Feria vi. celebratum est, aliter concludendi sint, ut in Transfiguratione Domini.

AD MATUTINUM.

Invitat. Ave María, grátia plena, * Dóminus tecum. Ps. Veníte. 2.

Hymnus. Quem terra, ut in Festis B. Mariae.

Nocturnum Sabbati ut in Psalterio. 116. Et in fine ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in aetérnum. Pater noster.

Absolutio.

PRECIBUS et méritis beátae Maríae semper Vírginis, et ómnium Sanctórum, perdúcat nos Dóminus ad regna coelórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere.

Pro prima Lectione Benedíctio. Nos cum prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

Primae duae Lectiones de Scriptura libri currentis: tertia, una ex inferius positis per ordinem, ut infra.

℟. i. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam, néscio: * Quia quem coeli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.—Quia quem coeli.

Pro secunda Lectione, Benedíctio. Ipsa Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

℟. ii. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiae, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiónem. Quia ex te. Glória Patri. Christus.

Pro tertia Lectione, Bened. Per Vírginem matrem concédat nobis Dóminus salútem et pacem. ℟. Amen.

Post tertiam Lectionem dicitur Te Deum laudámus. 17.

Ad Laudes et per Horas, omnia ut in Festis B. M. V. clxxi. praeter sequentia.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Benedictus, Antiphona. Beáta Dei Génitrix María, * virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritus sancti, sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo: ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu.

Oratio. Concéde nos fámulos tuos, ut supra. clxxi.

Deinde fiunt comm. ut supra. clxxiii.

Ad Horas, Hymni et Psalmi ut in Psalt. sed in fine Hymnorum dicitur: Jesu, tibi sit glória, qui natus es de Vírgine.

Ad Primam in R7. brevi V. Qui natus es de María Vírgine.

Ad Vesperas, Antiphonae et Psalmi feriales, Capitulum et reliqua omnia, si non occurrat Festum Duplex, de Dominica.

In fine commemorationes consuetae, ut in Psalterio.

Lectiones sequentes dicuntur singulis Mensibus in Officio Beatae Mariae in Sabbato, ordine subscripto.

MENSE MAIO.

Ex tractátu sancti Augustíni Epíscopi de Symbolo ad Catechúmenos.

Lib. iii. *C.* iv. *in fine*, *tom.* 9.

Lectio iii.

PER féminam mors, per féminam vita: per Hevam intéritus, per Maríam salus. Illa corrúpta secúta est seductórem: haec íntegra péperit Salvatórem. Illa póculum a serpénte propinátum libénter accépit, et viro trádidit, ex quo simul mereréntur occídi: haec, grátia coelésti désuper infúsa, vitam prótulit, per quem caro mórtua possit resuscitári. Quis est, qui haec operátus est, nisi vírginis fílius, et vírginum sponsus: qui áttulit matri foecunditátem, sed non ábstulit integritátem?

Te Deum laudámus. 17.

MENSE JUNIO.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

De verbis Apoc. Cap. xii. *Signum magnum.*

Lectio iii.

UTEHEMENTER quidem nobis, dilectíssimi, vir unus et múlier una nocuére: sed grátias Deo, per unum nihilóminus virum, et mulíerem unam ómnia restaurántur, nec sine magno foenore gratiárum. Neque enim sicut delíctum, ita et donum: sed excédit damni aestimatiónem benefícii magnitúdo. Sic nimírum prudentíssimus, et clementíssimus ártifex, quod quassátum fúerat, non confrégit, sed utílius omníno refécit: ut vidélicet nobis novum formáret Adam ex véteri, Hevam transfúnderet in Maríam.

Te Deum laudámus. 17.

MENSE JULIO.

Ex Epístola S. Ambrósii Epísc. ad Sirícium Papam.

Epist. lxxxi. *al.* vii. *circa medium.*

Lectio iii.

NON excédit fidem, quod homo exívit de vírgine, quando petra fontem prófluum scaturívit, ferrum super aquas natávit, ambulávit homo super aquas. Ergo si hóminem

unda portávit, non pótuit hóminem virgo generáre, atque hóminem, de quo légimus : Et mittet illis Dñus hóminem, qui salvos fáciet eos, et notus erit Dñus Ægyptiis ? In véteri ítaque testaménto virgo Hebraeórum per mare duxit exércitum : in novo testaménto virgo géneris aula coeléstis, eléćta est ad salútem.

Te Deum laudámus. 17.

MENSE AUGUSTO.

De Expositióne S. Gregórii Papae in libros Regum.

In primum Reg. i.

Lećtio iii.

FUIT vir unus de Ramáthaim Sophim, de monte Ephraim. Potest hujus montis nómine, beatíssima semper virgo María, Dei génitrix, designári. Mons quippe fuit, quae omnem eléćtae creatúrae altitúdinem, electiónis suae dignitáte transcéndit. An non mons sublímis María, quae ut ad conceptiónem aetérni Verbi pertíngeret, meritórum vérticem supra omnes Angelórum choros, usque ad sólium Deitátis eréxit ? Hujus enim montis praecellentíssimã dignitátem Isaías vaticinans, ait : Erit in novíssimis diébus praeparátus mons domus Dómini in vértice móntium. Mons quippe in vértice móntium fuit, quia altitúdo Maríae supra omnes Sanćtos refúlsit.

Te Deum laudámus. 17.

MENSE SEPTEMBRI.

Ex Epístola sancti Leónis Papae ad Pulchériam Augústam.

Epist. xiii. *ante medium.*

Lećtio iii.

SACRAMENTUM reconciliatiónis nostrae ante témpora aetérna dispósitum, nullae implébant figúrae : quia nondum supervénerat Spíritus sanćtus in Vírginem, nec virtus Altíssimi obumbráverat ei, ut et intra intemeráta víscera aedificánte sibi Sapiéntia domum, Verbum caro fíeret, et forma Dei ac forma servi in unam conveniénte persónam, creátor témporum nascerétur in témpore, et per quem facta sunt ómnia, ipse inter ómnia gignerétur. Nisi enim novus homo, factus in similitúdinem carnis peccáti, nostram suscíperet vetustátem ; et consubstantiális Patri consubstantiális esse dignarétur et matri, naturámque sibi nostram solus a peccáto liber uníret : sub jugo diáboli generáliter tenerétur humána captívitas.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Laudes et per Horas, omnia ut supra. clxxiv.

Officium Parvum

Beatae Mariae.

ON dicitur, quando fit Officium ix. Lectionum, nec in Sabbatis, quando fit Officium de Sancta Maria. Quibus diebus omittitur a primis Vesperis. Cum dicitur in Choro, in Matutinis, et in Vesperis praeponitur Officio diei. In aliis Horis postponitur. Prima dicitur post **Benedicámus Dómino,** antequam legatur Martyrologium. Extra chorum potest dici pro temporis opportunitate.

OFFICIUM B. M. EXTRA ADVENTUM

AD VESPERAS.

Ave María secreto, quae dicitur semper in principio omnium Horarum B. Mariae, quando non conjunguntur cum Officio diei.

EUS, in adjutórium meum inténde. ℟. **Dñe, ad adjuvándum me festína. Glória Patri. Sicut erat.**

In fine **Allelúia,** ad omnes Horas.

Antiphonae, Psalmi, Capitulum et Hymnus ut in Festis B. Mariae. clviii.

℣. **Diffúsa est grátia in lábiistuis.** ℟. **Propterea benedíxit te Deus in aetérnum.**

Ad Magnif. Aña. **Beáta Mater, * et intácta Virgo, gloriósa Regína mundi, intercéde pro nobis ad Dñum.**

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

℣. **Dóminus vobíscum.** ℟. **Et cum spíritu tuo.**

Oratio.

CONCEDE nos fámulos tuos, quaesumus Dñe Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : et gloriósa beátae Maríae semper Virginis intercessióne, a praesénti liberári tristítia, et aetérna pérfrui laetítia. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. **Amen.**

Sequens commemoratio pro Sanctis fit tantum ad Vesperas et Laudes in Officio S. Mariae.

Aña. **Sancti Dei omnes, intercédere dignémini pro nostra omniúmque salúte.**

℣. **Laetámini in Dño, et exultáte, justi.** ℟. **Et gloriámini, omnes recti corde.**

Oratio.

PROTEGE, Dñe, pópulum tuum, et Apostolórum tuórum Petri et Pauli, et aliórum Apostolórum patrocínio confidéntem, perpétua defensióne consérva.

OMNES Sancti tui, quaesumus Dñe, nos ubique ádjuvent : ut dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus : et pacem tuam nostris concéde tempóribus, et ab Ecclésia tua cunctam repélle nequítiam : iter, actus, et voluntátes nostras, et ómnium famulórum tuórum, in salútis tuae prosperitáte dispóne : benefactóribus nostris sempitérna bona retríbue ; et ómnibus fidélibus defúnctis réquiem aetérnam concéde. Per Dóminum

AD COMPLETORIUM

Ave María, ut supra.

℣. Convérte nos Deus salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutórium. Glória Patri. Sicut. Allelúia.

Psalmi. Saepe expugnavérunt. De profúndis, et Dómine, non est exaltátum, ut in Vesperis Feriae iv. 143.

Hymnus.

QEMENTO, rerum Cónditor,
Nostri quod olim córporis,
Sacráta ab alvo Vírginis
Nascéndo, formam súmpseris.

María Mater grátiae,
Dulcis Parens clementíae,
Tu nos ab hoste prótege,
Et mortis hora súscipe.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *c.*

EGO mater pulchrae dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctae spei. ℟. Deo grátias.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi

Ad Nunc dimittis, Aña. Sub tuum praesídium confúgimus, sancta Dei Génitrix : nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus ; sed a periculis cunctis líbera nos semper, Virgo gloriósa et benedícta.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

BEATAE et gloriósae semper Vírginis Mariae, quaesumus Dñe, intercéssio gloriósa nos prótegat, et ad vitam perdúcat aetérnam. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Ave María, ut supra.

℣. Dómine, lábia mea

apéries. ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutórium. Glória Patri. Sicut erat. Allelúia.

Invitatorium. Ave María, grátia plena : * Dóminus tecum. Psal. Veníte, exultémus. 2.

Hymn. Quem terra. clxi.

In Nocturno, Antiphonae et Psalmi dicuntur ut in Festis B. M. V. scilicet :

Feria ii. et v. ut in primo Nocturno. **clxi.**

Feria iii. et vi. ut in secundo Nocturno. clxiv.

Feria iv. et Sabbato ut in tertio Nocturno. clxvii.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutio.

PRECIBUS et méritis beátae Maríae semper Vírginis, et ómnium Sanctórum, perdúcat nos Dñus ad regna coelórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Nos cum prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

Lectio i. *Eccli.* xxiv.

IN ómnibus réquiem quaesívi, et in haereditáte Dómini morábor. Tunc praecépit, et dixit mihi Creátor ómnium: et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi : In Jacob inhábita, et in Israël haereditáre, et in eléctis meis mitte radíces. ¶ Tu autem, Dómine, miserére nobis.

℟. Deo grátias.

℟. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus évferam, néscio : Quia quem coeli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.—Quia. ℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Ipsa Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum.

℟. Amen.

Lectio ii.

ET sic in Sion firmáta sum, et civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei haeréditas illíus, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea. ¶ Tu autem.

℟. Beáta es Virgo María, quae Dóminum portásti Creatórem mundi: Genuísti qui te fecit, et in aetérnum pérmanes Virgo. ℣. Ave María, grátia plena : Dñus tecum. — Genuísti. ℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Per Vírginem Matrem concédat nobis

Dóminus salútem et pacem. ℟. Amen.

Lectio iii.

QUASI cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion : quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosae in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum, et bálzamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. ¶ Tu autem, Dómine.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est sol justítiae, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiónē. — Quia. Glória. Christus.

AD LAUDES.

Añae. 1. Assúmpta est * María in coelum, gaudent Angeli ; laudántes benedícunt Dóminum. Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis de Dominica. 18.

2. María Virgo * assúmpta est ad aethéreum thálamum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio.

3. In odórem * unguentórum tuórum cúrrimus : adolescéntulae dilexérunt te nimis.

4. Benedícta * fília tu a Dño : quia per te fructum vitae communicávimus.

5. Pulchra es, * et decóra, fília Jerúsalem : terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Capitulum. *Cant.* vi. *c.*

VIDERUNT eam filiae Sion, et beatíssimam praedicavérunt, et regínae laudavérunt eam. ℟. Deo grátias.

Hymnus. O gloriósa vírginum. clxxi.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Benedictus, Añae. Beáta Dei Génitrix María, * Virgo perpétua, templum Dñi, sacrárium Spíritus sancti : sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo : ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

DEUS, qui de beátae Maríae Vírginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti : praesta supplícibus tuis : ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per

eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pro Sanctis, Ańa. Sancti Dei, ut supra. clxxvii.

AD PRIMAM.

Ave María, etc. ℣. Deus, in adjutórium.

Hymn Meménto.clxxviii.

Ańa. Assúmpta est.

Ps. Deus in nómine. 23. Benedixísti. 106. Laudáte Dñum, omnes Gentes. 137.

Ańa. Assúmpta est María in coelum, gaudent Angeli; laudántes benedícunt Dóminum.

Capitulum. *Cant.* vi.

QUAE est ista, quae progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, eléćta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

℟. Deo grátias.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

DEUS, qui virgináłem aulam beátae Maríae, in qua habitáres, elígere dignátus es: da quaesumus: ut sua nos defensióne munítos, jucúndos fácias suae interésse commemoratióni: Qui vivis et regnas.

AD TERTIAM.

Ave María, etc. ℣. Deus, in adjutórium.

Hymn Meménto.clxxviii.

Ańa. María Virgo.

Psalmi. Ad Dñum. 137. Levávi óculos. 138. Laetátus sum. 140.

Ańa. María Virgo assúmpta est ad aethéreum thálamum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. ℟. Deo grátias.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

DEUS, qui salútis aetérnae, beátae Maríae virginitáte foecúnda, humáno géneri praemia praestitísti: tríbue quaesumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitae suscípere, Dñum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit.

AD SEXTAM.

Ave María, etc. ℣. Deus, in adjutórium.

Hymn. Meménto.clxxviii.
Ańa. In odórem.
Ps. Ad te levávi. 141. Nisi quia Dóminus. 141. Qui confídunt. 141.
Ańa. In odórem unguentórum tuórum cúrrimus : adolescéntulae dilexérunt te nimis.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

EXtradicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei haeréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. ℟. Deo grátias.
℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.
Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

CONCEDE, misércors Deus, fragilitáti nostrae praesídium : ut qui sanctae Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio a nostris iniquitátibus resurgámus. Per eúmdem Dóminum.

AD NONAM.

Ave María, etc. ℣. Deus, in adjutórium.

Hymn. Meménto, rerum Cónditor. clxxviii.
Ańa. Pulchra es.
Ps. In converténdo. 142. Nisi Dóminus. 143. Beáti omnes. 143.
Ańa. Pulchra es et decóra, fília Jerúsalem : terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

IN platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi, quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. ℟. Deo grátias.
℣. Post partum virgo invioláta permansísti. ℟. Dei Génitrix, intereéde pro nobis.
Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

FAMULORUM tuórum, quaesumus Dómine, delíctis ignósce : ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur: Qui tecum vivit.

Officium Defunctorum.

DICITUR extra tempus Paschale prima cujusque mensis die, non impedita Festo novem Lectionum, alioquin alia sequenti die similiter non impedita. In Choro dicitur post Officium diei, id est, Vesperae post Vesperas, et Matutinum post Laudes diei, nisi alia sit consuetudo Ecclesiarum : extra Chorum vero pro opportunitate temporis.

AD VESPERAS

Absolute incipitur ab Aña. Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Psalmus cxiv

DILEXI, quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meae.

Quia inclinávit aurem suam mihi : * et in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis : * et pericula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem et dolórem invéni : * et nomen Dómini invocávi.

O Dñe, líbera ánimam meam : * miséricors Dñus, et justus, et Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus : * humiliátus sum, et liberávit me.

Convértere ánima mea in réquiem tuam : * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte : * óculos meos a lácrymis, pedes meos a lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

In fine omnium Psalmorum dicitur :

Réquiem aetérnam * dona eis, Dómine.

Et lux perpétua * lúceat eis.

Aña. Placébo Dómino in regióne vivórum.

Aña. Hei mihi, Dñe, * quia incolátus meus prolongátus est.

Psalmus cxix.

AD Dóminum cum tribulárer clamávi: * et exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis, * et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam ?

Sagíttae poténtis acútae, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est : habitávi cum habitántibus Cedar : * multum incola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus : * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Réquiem aetérnam, etc.

Ant. Hei mihi, Dómine, quia incolátus meus prolongátus est.

Ant. Dóminus custódit te * ab omni malo : custódiat ánimam tuam Dóminus.

Psalmus cxx.

LEVAVI óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dómino, * qui fecit coelum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum : * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua, * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te : * neque luna per nóctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxitum tuum : * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

Réquiem aetérnam.

Antíphona. Dóminus custódit te ab omni malo : custódiat ánimam tuam Dóminus.

Ant. Si iniquitátes * observáveris, Dómine : Dñe, quis sustinébit ?

Psalmus cxxix.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine : * Dómine, exáudi vocem meam :

Fiant aures tuae intendéntes, * in vocem deprecatiónis meae.

Si iniquitátes observáveris, Dómine : * Dómine, quis sustinébit ?

Quia apud te propitiátio est : * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Réquiem aetérnam.

Ant. Si iniquitátes observáveris, Dómine : Dómine, quis sustinébit ?

Ant. Opera * mánuum tuárum, Dómine, ne despícias.

Psalmus cxxxvii.

CONFITEBOR tibi, Dómine, in toto corde meo : * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi : * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exaúdi me : * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine. omnes reges terrae : * quia audiérunt ómnia verba oris tui :

Et cantent in viis Dómini : * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit : * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me : * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : * Dómine, misericórdia tua in saeculum : ópera mánuum tuárum ne despícias.

Réquiem aetérnam.

Antiph. Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despícias.

℣. Audívi vocem de coelo dicéntem mihi. ℟. Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur.

Añа. Omne, quod dat mihi Pater, ad me véniet : et eum qui venit ad me, non ejíciam foras.

Canticum
Beatae Mariae Virginis.

Lucae i. *e.*

MAGNIFICAT * ánima mea Dóminum : Et exultávit spíritus meus * in Deo salutári meo.

Quia respéxit humilitátem ancíllae suae : * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna qui potens est : * et sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus a progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo : * dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede, * et exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis : * et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israël púerum suum, * recordátus misericórdiae suae.

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, et sémini ejus in saecula.

Réquiem aetérnam.

Añа. Omne, quod dat mihi Pater, ad me véniet : et

eum qui venit ad me, non ejíciam foras.

Preces infrascriptae dicuntur flexis genibus, similiter et ad Laudes.

Pater noster, secreto. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Psalmus cxlv.

AUDA ánima mea Dñum, laudábo Dñum in vita mea: * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus: * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, et revertétur in terram suam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus: * qui fecit coelum et terram, mare, et ómnia, quae in eis sunt.

Qui custódit veritátem in saeculum, facit judícium injúriam patiéntibus: * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos: * Dñus illúminat caecos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.

Dñus custódit ádvenas, pupíllum et víduam suscípiet: * et vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dñus in saecula, Deus tuus Sion, * in generatiónem et generatiónem.

Cujus loco ad Laudes dicitur Psalmus De profúndis, ut supra. clxxxiv.

Qui Psalmi non dic. in die omnium Fidelium Defunctorum, neque in die obitus seu depositionis defuncti. Alias semper dicuntur.

In fine Psalmi Réquiem aetérnam * dona eis, Dñe. Et lux perpétua * lúceat eis.

Deinde ℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum. ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

DEUS, qui inter apostólicos sacerdótes, fámulos tuos pontificáli, seu sacerdotáli fecísti dignitáte vigére: praesta quaesumus; ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio.

DEUS, véniae largítor, et humánae salútis amátor: quaesumus cleméntiam tuam: ut nostrae congregatiónis fratres, propínquos, et benefactóres, qui ex hoc saeculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuae beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

FIDELIUM Deus ómnium Cónditor et Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur: Qui vivis et regnas in saecula saeculórum. ℟. Amen.

In die vero Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quando dicitur haec ultima tantum Oratio, dicitur: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia saecula saeculórum. ℟. Amen.

In die depositionis Defuncti, Oratio.

ABSOLVE, quaesumus Dñe, ánimam fámuli tui N. ut defúnctus saeculo tibi vivat: et quae per fragilitátem carnis humána conversatióne commísit, tu vénia misericordíssimae pietátis abstérge. Per Dóminum.

Si fuerit femina, dicatur ánimam fámulae tuae N. ut defúncta.

In anniversario die, Oratio.

DEUS indulgentiárum Dñe: da animábus famulórum famularúmque tuárum, quorum anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, et lúminis claritátem. Per Dóminum.

Si pro uno tantum fit Anniversarium, dicatur in singulari numero.

Pro uno Episc. defuncto, Oratio.

DEUS, qui inter apostólicos sacerdótes fámulum tuum N. pontificáli fecísti dignitáte vigére: praesta quaesumus; ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio. Per Dóminum nostrum.

Si fuerit Sacerdos, dicitur sacerdotáli fecísti, etc.

Pro fratribus vero, et familiaribus, vel benefactoribus, dicitur Oratio Deus, véniae.

Pro patre et matre, Oratio.

DEUS, qui nos patrem et matrem honoráre praecepísti: miserére cleménter animábus patris ac matris meae, eorúmque peccáta dimítte; meque eos in aetérnae claritátis gáudio fac vidére. Per Dóminum.

Si fit pro pluribus dicatur animábus paréntum nostrórum, et ubi dicitur meque, dicatur nosque.

Si pro patre tantum, dicatur ánimae patris mei, vel nostri.

Si pro matre tantum, dicatur ánimae matris meae, vel nostrae.

Pro uno Defuncto, Oratio.

INCLINA, Dñe, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur ; ut ánimam fámuli tui, quam de hoc saeculo migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, et Sanctórum tuórum júbeas esse consórtem. Per Dñum.

Pro una Defuncta, Oratio.

QUAESUMUS Dñe, pro tua pietáte miserére ánimae fámulae tuae : et a contágiis mortalitátis exútam, in aetérnae salvatiónis partem restítue. Per Dóminum.

℣. Réquiem aetérnam dona eis, Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

AD MATUTINUM.

Invit. Regem, cui ómnia vivunt, * Veníte adorémus.

Repet. Regem, cui ómnia vivunt, veníte adorémus.

Psalmus xciv.

ENITE, exultémus Dño, jubilémus Deo salutári nostro : praeoccupémus fáciem ejus in confessióne, et in psalmis jubilémus ei.

Regem, cui ómnia vivunt, veníte adorémus.

Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos : quóniam non repéllet Dóminus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terrae, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Veníte adorémus.

Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus ejus : venite, adorémus, et procidámus ante Deum : plorémus coram Dómino qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster : nos autem pópulus ejus, et oves páscuae ejus.

Regem, cui ómnia vivunt, veníte adorémus.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto : ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt, et vidérunt ópera mea.

Veníte adorémus.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, et dixi : Semper hi errant corde : ipsi vero non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in ira mea, si introíbunt in réquiem meam.

Regem, cui ómnia vivunt, veníte adorémus.

Réquiem aetérnam dona eis, Dómine : et lux perpétua lúceat eis.

Veníte adorémus.

Regem, cui ómnia vivunt, veníte adorémus.

Hoc Invitatorium dicitur tantum in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, et in die depositionis Defuncti, quibus diebus dicuntur tres infrascripti Nocturni, et Añae duplicantur. Aliis temporibus dicitur tantum unum Nocturnum cum Laudibus, hoc ordine : Feria ii. et v. primum Nocturnum : Feria iii. et vi. secundum Nocturnum : Feria iv. et Sabbato tertium Nocturnum.

In primo Nocturno.
Pro Feria ii. et v.

Aña. Dírige, Dñe Deus meus, in conspéctu tuo viam meam.

Psalmus v.

VERBA mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meae, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiae tuae.

Introíbo in domum tuam : * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos : * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et laeténtur omnes, qui sperant in te, * in aetérnum exultábunt . et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum · * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonae voluntátis tuae * coronásti nos.

Réquiem aetérnam.

Aña. Dírige, Dñe Deus meus, in conspéctu tuo viam meam.

Aña. Convértere, Dñe, * et éripe ánimam meam :

quóniam non est in morte qui memor sit tui.

Psalmus vi.

DOMINE, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum : * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde : * sed tu, Dñe, úsquequo ?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam : * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui : * in inférno autem quis confitébitur tibi ?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum : * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me omnes, qui operámini iniquitátē : * quóniam exaudívit Dñus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant, et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei : * convertántur, et erubéscant valde veló-citer.

Réquiem aetérnam.

Ańa. Convértere, Dñe, et éripe ánimam meam : quóniam non est in morte qui memor sit tui.

Ańa. Nequándo * rápiat ut leo ánimam meam, dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Psalmus vii.

DOMINE Deus meus, in te sperávi : * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, et líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud, * si est iníquitas in mánibus meis :

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam mérito ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam, et comprehéndat, et concúlcet in terra vitam meam, * et glóriam meam in púlverē dedúcat.

Exúrge, Dómine, in ira tua : * et exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exúrge, Dómine Deus meus, in praecépto quod mandásti : * et synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere : * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me, Dómine, secúndum justítiam meam, * et secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, et díriges justum, * scrutans corda et renes Deus.

Justum adjutórium meum a Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus, fortis, et pátiens : * numquid irascitur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit : * arcum suum teténdit, et parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis, * sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam : * concépit dolórem, et péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, et effódit eum : * et incidit in fóveam, quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus : * et in vérticem ipsíus iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndum justítiam ejus : * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Réquiem aetérnam.

Ańa. Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dñe, ánimas eórum.

Pater noster, totum secreto.

Lectiones leguntur sine Absolutione, Benedictionibus et Titulo.

Lectio i. *Job.* vii. *b.*

CARCE mihi, Dñe: nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, et súbito probas illum. Usquequo non parcis mihi, nec dimíttis me, ut glútiam salívam meam? Peccávi: quid fáciam tibi, o custos hóminum? Quare posuísti me contrárium tibi, et factus sum mihimetípsi gravis? Cur non tollis peccátum meum, et quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam, et si mane me quaesíeris, non subsístam.

Lectiones terminantur sine **Tu autem,** vel alia conclusione.

℟. Credo quod Redémptor meus vivit · et in novíssimo die de terra surrectúrus sum : Et in carne mea vidébo Deum Salvatórem meum. ℣. Quem visúrus sum ego ipse, et non álius, et óculi mei conspectúri sunt.— Et in carne.

Lectio ii. *Job.* x.

TAEDET ánimam meam vitae meae : dimíttam advérsum me elóquium meum : loquar in amaritúdine ánimae meae. Dicam Deo : Noli me condemnáre : Indica mihi cur

me ita júdices. Numquid bonum tibi vidétur, si calumniéris me, et ópprimas me opus mánuum tuárum, et consílium impiórum ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi sunt: aut sicut videt homo, et tu vidébis? Numquid sicut dies hóminis dies tui, et anni tui sicut humána sunt témpora, ut quaeras iniquitátem meam, et peccátum meum scrutéris? Et scias quia nihil ímpium fécerim, cum sit nemo qui de manu tua possit erúere.

℟. Qui Lázarum resuscitásti a monuménto foetidum: * Tu eis, Dñe, dona réquiem, et locum indulgéntiae. ℣. Qui ventúrus es judicáre vivos et mórtuos, et saeculum per ignem. — Tu eis.

Lectio iii. *Job.* x. *b.*

MANUS tuae fecérunt me, et plasmavérunt me totum in circúitu, et sic repénte praecípitas me? Meménto, quaeso, quod sicut lutum féceris me, et in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsísti me, et sicut cáseum me coagulásti? Pelle et cárnibus vestísti me: óssibus et nervis compegísti me: vitam et misericórdiam tribuísti mihi, et visitátio tua custodívit spíritum meum.

℟. Dñe, quando véneris judicáre terram, ubi me abscóndam a vultu irae tuae? * Quia peccávi nimis in vita mea. ℣. Commíssa mea pavésco, et ante te erubésco: dum véneris judicáre, noli me condemnáre. — Quia peccávi. ℣. Réquiem aetérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. Quia peccávi.

Postea ad Laudes, ut infra, cc quando dicitur unum tantum Nocturnum.

In secundo Nocturno.
Pro Feria iii. et vi.

Ańa. In loco páscuae * ibi me collocávit.

Psalmus xxii.

DOMINUS regit me, et nihil mihi déerit: * in loco páscuae ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiae, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbrae mortis, non timébo mala: * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus: * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: * et calix meus inébrians quam praeclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitae meae :

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Réquiem aetérnam.

Añа. In loco páscuae ibi me collocávit.

Antiphona. Delícta * juventútis meae, et ignorántias meas ne memíneris, Dómine.

Psalmus xxiv.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam : * Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei : * étenim univérsi, qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácue.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi : * et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, et doce me : * quia tu es Deus salvátor meus, et te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * et misericordiárum tuárum, quae a saeculo sunt.

Delícta juventútis meae, * et ignorántias meas ne memíneris.

Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu : * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis et rectus Dóminus : * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício : * docébit mites vias suas.

Univérsae viae Dómini, misericórdia et véritas, * requiréntibus testaméntum ejus et testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dñe, propitiáberis peccáto meo : * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum ? * legem státuit ei in via, quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur : * et semen ejus haereditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum : * et testaméntum ipsíus ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum : * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, et miserére mei : * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátae sunt: * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, et labórem meum : * et dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos quóniam multiplicáti sunt: * et ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, et érue me : * non erubéscam, quóniam sperávi in te.

Innocéntes et recti adhaesérunt mihi : * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israël, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Réquiem aetérnam.

Ańa. Delícta juventútis meae, et ignorántias meas ne memíneris, Dómine.

Ańa. Credo vidére* bona Dómini in terra vivéntium.

Psalmus xxvi.

DOMINUS illuminátio mea, et salus mea, * quem timébo?

Dóminus protéctor vitae meae : * a quo trepidábo?

Dum approprópiant super me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt, et cecidérunt.

Si consístant advérsum me castra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsum me praelium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii a Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dñi ómnibus diébus vitae meae :

Ut vídeam voluptátem Dómini, * et vísitem templum ejus.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo : * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me : * et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, et immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis : * cantábo, et psalmum dicam Dómino.

Exaúdi, Dómine, vocem meam, qua clamávi ad te : * miserére mei, et exáudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te fácies mea : * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam a me : * ne declínes in ira a servo tuo.

Adjútor meus esto : * ne derelínquas me, neque despícias me, Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus, et mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi, Dñe, in via tua : * et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me : * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dñi * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age : * et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

Réquiem aetérnam.

Ańa. Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

℣. Cóllocet eos Dóminus cum princípibus. ℟. Cum princípibus pópuli sui.

Pater noster, totum secréto.

Lectio iv. *Job.* xiii. *d.*

RESPONDE mihi: quantas hábeo iniquitátes et peccáta, scélera mea et delícta osténde mihi. Cur fáciem tuam abscóndis, et arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium, quod vento rápitur, osténdis poténtiam tuam, et stípulam siccam perséqueris. Scribis enim contra me amaritúdines, et consúmere me vis peccátis adolescéntiae meae. Posuísti in nervo pedem meum, et observásti omnes sémitas meas, et vestígia pedum meórum considerásti. Qui quasi putrédo consuméndus sum, et quasi vestiméntum, quod coméditur a tínea.

℟. Meménto mei, Deus, quia ventus est vita mea, * Nec aspíciat me visus hóminis. ℣. De profúndis clamávi ad te, Dñe, Dómine, exáudi vocem meam.—Nec aspíciat.

Lectio v. *Job.* xiv.

HOMO natus de muliere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur et contéritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperíre óculos tuos, et addúcere eum tecum in judícium? Quis potest fácere mundum de immúndo concéptum sémine? nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, númerus ménsium ejus apud te est: constituísti términos ejus, qui praeteríri non póterunt. Recéde páululum ab eo, ut quiéscat, donec optáta véniat, sicut mercenárii dies ejus.

℟. Hei mihi, Dñe, quia peccávi nimis in vita mea. Quid fáciam miser? ubi fúgiam, nisi ad te, Deus meus? * Miserére mei, dum véneris in novíssimo die. ℣. Anima mea turbáta est valde, sed tu, Dómine, succúrre ei.—Miserére.

Lectio vi. *Job.* xiv. *c.*

QUIS mihi hoc tríbuat, ut in inférno prótegas me, et abscóndas me, donec pertránseat furor tuus, et constítuas mihi tempus, in quo recordéris mei? Putásne mórtuus homo rursum vivat? cunctis diébus, quibus nunc míllito, expécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, et ego respondébo tibi: óperi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem gressus meos dinumerásti, sed parce peccátis meis.

℟. Ne recordéris peccáta mea, Dómine,* Dum véneris judicáre saeculum per ignem. ℣. Dirige, Dómine Deus meus, in conspéctu tuo viam meam.—Dum. ℣. Réquiem aetérnam. Dum.

Postea ad Laudes, ut infra. cc. quando dicitur unum tantum Nocturnum.

In tertio Nocturno.
Pro Feria iv. et Sabbato.

Ańa. Compláceat* tibi, Dñe, ut erípias me : Dñe, ad adjuvándum me réspice.

Psalmus xxxix.

EXPECTANS expectávi Dóminum, * et inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas : * et edúxit me de lacu misériae, et de luto faecis.

Et státuit super petram pedes meos : * et diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi et timébunt : * et sperábunt in Dño.

Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus : * et non respéxit in vanitátes et insánias falsas.

Multa fecísti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua : * et cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi et locútus sum : * multiplicáti sunt super número.

Sacrifícium et oblatiónem noluísti : * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum et pro peccáto non postulásti : * tunc dixi : Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me ut fácerem voluntátem tuam : * Deus meus vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiã tuam in ecclésia magna, * ecce lábia mea non prohibébo : Dómine, tu scisti.

Justítiam tuam non abscóndi in corde meo : * veritátem tuam et salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam et veritátem tuam * a concílio multo.

Tu autem, Dñe, ne longe fácias miseratiónes tuas a me : * misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est número : * comprehendérunt me iniquitátes meae, et non pótui ut vidérem.

Multiplicátae sunt super capíllos cápitis mei : * et cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me : * Dómine, ad adjuvándum me réspice.

Confundántur et revereántur simul, qui quaerunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertántur retrórsum, et revereántur, * qui volunt mihi mala.

℣. Ferant confústim confusiónem suam, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exúltent, et laeténtur super te omnes quaeréntes te : * et dicant semper : Magnificétur Dóminus : qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum, et pauper : * Dóminus sollícitus est mei.

Adjútor meus, et protéctor meus tu es : * Deus meus, ne tardáveris.

Réquiem aetérnam.

Añ. Compláceat tibi, Dómine, ut erípias me : Dómine, ad adjuvándum me réspice.

Añ. Sana, Dómine, * ánimam meam, quia peccávi tibi.

Psalmus xl.

BEATUS, qui intélligit super egénum et páuperem : * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra : * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus : * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi : Dómine, miserére mei : * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur, * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, * et loquebátur in idípsum.

Advérsum me susurrábant omnes inimíci mei : * advérsum me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsum me : * Numquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meae, in quo sperávi : * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére mei, et resúscita me : * et retríbuam eis.

In hoc cognóvi, quóniam voluísti me : * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti : * et confirmásti me in conspéctu tuo in aetérnum.

Benedíctus Dñus Deus Israël a saeculo, et usque in saeculum : * fiat, fiat.

Réquiem aetérnam.

Añ. Sana, Dñe, ánimam meam, quia peccávi tibi.

Añ. Sitívit * ánima mea ad Deum vivum : quando véniam et apparébo ante fáciem Dómini?

Psalmus xli.

QUEMADMODUM desíderat cervus ad fontes aquárum:* ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum : * quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymae meae panes die ac nocte : * dum dícitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus?

Haec recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis et confessiónis : * sonus epulántis.

Quare tristis es, ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est : * proptérea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dñus misericórdiam suam : * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitae meae, * dicam Deo : Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei * et quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus? * quare tristis es, ánima mea, et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Réquiem aetérnam.

Ańa. Sitivit ánima mea ad Deum vivum : quando véniam, et apparébo ante fáciem Dómini?

℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi. ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Pater noster, totum secreto.

Lectio vii. *Job.* xvii.

SPIRITUS meus attenuábitur, dies mei breviabúntur, et solum mihi súperest sepúlchrum. Non peccávi, et in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me, Dómine, et pone me juxta te; et cujúsvis manus pugnet contra me. Dies mei transiérunt, cogitatiónes meae

dissipátae sunt, torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem, et rursum post ténebras spero lucem. Si sustinúero, inférnus domus mea est, et in ténebris stravi léctulum meum. Putrédini dixi : Pater meus es, mater mea, et soror mea, vérmibus. Ubi est ergo nunc praestolátio mea, et patiéntiam meam quis consíderat ?

℟. Peccántem me quotídie, et non me poeniténtem, timor mortis contúrbat me : * Quia in inférno nulla est redémptio, miserére mei, Deus, et salva me. ℣. Deus, in nómine tuo salvum me fac, et in virtúte tua líbera me.—Quia.

Lectio viii. *Job.* xix. *c.*

QUELLI meae, consúmptis cárnibus, adhaesit os meum, et derelícta sunt tantúmmodo lábia circa dentes meos. Miserémini mei, miserémini mei, saltem vos amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, et cárnibus meis saturámini ? Quis mihi tríbuat, ut scribántur sermónes mei ? Quis mihi det, ut exaréntur in libro stylo férreo, et plumbi lámina, vel celte sculpántur in sílice? Scio enim quod Redémptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum : Et rursum circúmdabor pelle mea, et in carne mea vidébo Deum meum. Quem visúrus sum ego ipse, et óculi mei conspectúri sunt, et non álius : repósita est haec spes mea in sinu meo.

℟. Dómine, secúndum actum meum noli me iudicáre : nihil dignum in conspéctu tuo egi : ideo déprecor majestátem tuam, * Ut tu, Deus, déleas iniquitátem meam. ℣. Amplius lava me, Dómine, ab injustítia mea, et a delícto meo munda me.—Ut tu.

Lectio ix. *Job.* x. *d.*

QUARE de vulva eduxísti me? qui útinam consúmptus essem, ne óculus me vidéret. Fuíssem quasi non essem, de útero translátus ad túmulum. Numquid non páucitas diérum meórum finiétur brevi? Dimitte ergo me, ut plangam páululum dolórem meum : ántequam vadam, et non revértar, ad terram tenebrósam, et opértam mortis calígine : terram misériae et tenebrárum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempitérnus horror inhábitat.

℟. Líbera me, Dómine, de viis inférni, qui portas aereas confregísti : et visitásti inférnum, et dedísti eis lumen, ut vidérent te : * Qui erant in poenis tenebrárum. ℣. Clamántes et

dicéntes: Advenísti, Redémptor noster.—Qui. ℣. **Réquiem aetérnam. Qui.**

Sequens ℟. dicitur solummodo in die Commem. omnium Defunctorum, et quandocumque pro Defunctis dicuntur ix. Lectiones.

℟. **Líbera me, Dómine, de morte aetérna, in die illa treménda : * Quando coeli movéndi sunt et terra : * Dum véneris judicáre saeculum per ignem.** ℣. **Tremens factus sum ego, et timeo ; dum discússio vénerit, atque ventúra ira.— Quando.** ℣. **Dies illa, dies irae, calamitátis et misériae, dies magna et amára valde.— Dum véneris.** ℣. **Réquiem aetérnam.**

Líbera, usque ad i. ℣.

AD LAUDES

Absolute incipitur Ańa. **Exultábunt * Dómino ossa humiliáta.**

Psalmus l.

MISERERE mei Deus, *secúndum magnam misericórdiam tuam :

Et secúndum multitúdinem miseratiónũ tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta et occúlta sapiéntiae tuae manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et laetítiam : * et exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi laetítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meae : * et exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dñe, in bona voluntáte tua Sion : * ut aedificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiae, oblatiónes, et holocáusta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Réquiem aetérnam.

Añа. Exultábunt Dómino ossa humiliáta.

Añа. Exáudi, Dómine, * oratiónem meam : ad te omnis caro véniet.

Psalmus lxiv.

TE decet hymnus, Deus, in Sion : * et tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exáudi oratiónem meam : * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum praevaluérunt super nos : * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus, quem elegísti, et assumpsísti : * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuae : * sanctum est templum tuum, mirábile in aequitáte.

Exáudi nos, Deus, salutáris noster, * spes ómnium fínium terrae, et in mari longe.

Praeparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia : * qui contúrbas profúndum maris sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, et timébunt qui hábitant términosa signis tuis : * éxitus matutíni, et véspere delectábis.

Visitásti terram et inebriásti eam : * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum : * quóniam ita est praeparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus : * in stillicídiis ejus laetábitur gérminans.

Benedíces corónae anni benignitátis tuae : * et campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti : * et exultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, et valles abundábunt frumento : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Réquiem aetérnam.

Añа. Exáudi, Dómine, oratiónem meam : ad te omnis caro véniet.

Añа. Me suscépit * déxtera tua, Dómine.

Psalmus lxii.

DEUS Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta, et ínvia, et inaquósa : * sic in sancto appárui tibi, ut vidérem virtútem tuam, et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas : * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea : * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea : * et lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutínis meditábor in te : * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo, adhaesit ánima mea post te : * me suscépit déxtera tua.

Ipsi vero in vanum quaesiérunt ánimam meam, introíbunt in inferióra terrae : * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex vero laetábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo : * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Hic non dic. **Réquiem.**

Psalmus lxvi.

DEUS misereátur nostri, et benedícat nobis : * illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

℣. Ut cognoscámus in terra viam tuam : * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus : * confiteántur tibi pópuli omnes.

Laeténtur et exúltent gentes : * quóniam júdicas pópulos in aequitáte, et gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus : confiteántur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus : * et métuant eum omnes fines terrae.

Réquiem aetérnam.

Añs. Me suscépit déxtera tua, Dómine.

Añs. A porta ínferi érue, Dñe, ánimam meam.

Canticum Ezechiae.

Isaíae xxxviii. *b.*

EGO dixi : In dimídio diérum meórum * vadam ad portas ínferi.

Quaesívi resíduum annórum meórum : * dixi : Non vidébo Dñum Deum in terra vivéntium.

Non aspíciam hóminem ultra, * et habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est et convolúta est a me, * quasi tabernáculum pastórum.

Praecísa est velut a texénte, vita mea: dum adhuc ordírer, succídit me : * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad mane, * quasi leo sic contrivit ómnia ossa mea :

De mane usque ad vésperam fínies me : * Sicut pullus

hirúndinis sic clamábo, meditábor ut colúmba :

Attenuáti sunt óculi mei,* suspiciéntes in excélsum :

Dómine, vim pátior, respónde pro me. * Quid dicam, aut quid respondébit mihi, cum ipse fécerit.

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimae meae.

Dómine, si sic vívitur, et in tálibus vita spíritus mei, corrípies me, et vivificábis me. * Ecce in pace amaritúdo mea amarríssima :

Tu autem eruísti ánimam meam ut non períret : * projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te : * non expectábunt qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi, sicut et ego hódie : * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, salvum me fac,* et psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitae nostrae in domo Dómini.

Réquiem aetérnam.

Añia. A porta ínferi érue, Dómine, ánimam meam.

Añia. Omnis spíritus * laudet Dóminum.

Psalmus cxlviii.

LAUDATE Dóminum de coelis : * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus : * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol et luna : * laudáte eum omnes stellae, et lumen.

Laudáte eum coeli coelórum : * et aquae omnes, quae super coelos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in aetérnum, et in saeculum saeculi : * praecéptum pósuit, et non praeteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum : * quae fáciunt verbum ejus.

Montes, et omnes colles : * ligna fructífera, et omnes cedri.

Béstiae, et univérsa pécora : * serpéntes, et vólucres pennátae :

Reges terrae, et omnes pópuli : * príncipes, et omnes júdices terrae.

Júvenes, et vírgines : senes cum junióribus laudent nomen Dñi : * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super coelum et terram : * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus : * fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

Hic non dic. **Réquiem.**

Psalmus cxlix.

CANTATE Dño cánticum novum : * laus ejus in Ecclésia sanctórum.

Laetétur Israël in eo, qui fecit eum : * et fílii Sion exúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympano, et psaltério psallant ei.

Quia beneplácitum est Dño in pópulo suo : * et exaltábit mansuétos in salútem.

Exultábunt sancti in glória : * laetabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum : * et gládii ancípites in mánibus eórum :

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus : * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus : * et nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum : * glória haec est ómnibus sanctis ejus.

Hic non dic. Réquiem.

Psalmus cl.

LAUDATE Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubae : * laudáte eum in psaltério, et cíthara.

Laudáte eum in tympano, et choro : * laudáte eum in chordis, et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus : laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Réquiem aetérnam.

Añ. Omnis spíritus laudet Dóminum.

℣. Audivi vocem de coelo dicéntem mihi. ℟. Beáti mórtui qui in Dómino moriúntur.

Ad Benedict. Añ. Ego sum * resurréctio, et vita : qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit, vivet : et omnis qui vivit, et credit in me, non moriétur in aetérnum.

Canticum Zachariae.

Lucae i. *g.*

BENEDICTUS Dóminus Deus Israël, * quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis suae :

Et eréxit cornu salútis nobis : * in domo David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui a saeculo sunt, prophetárum ejus :

Salútem ex inimícis nostris, et de manu ómnium, qui odérunt nos :

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris : * et memorári testaménti sui sancti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem

nostrum, * datúrum se nobis :

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte, et justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: * praeíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus.

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus : * in remissiónem peccatórum eórum :

Per víscera misericórdiae Dei nostri : * in quibus visitávit nos, óriens ex alto:

Illumináre his, qui in ténebris, et in umbra mortis sedent : * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Réquiem aetérnam.

Ańa. Ego sum resurréctio et vita : qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit, vivet : et omnis qui vivit, et credit in me, non moriétur in aetérnum.

Deinde Pater noster. Ps. De profúndis. clxxxiv ; cum Precibus et Orationibus, ut supra in Vesperis. clxxxvi.

Psalmi Graduales.

DICUNTUR in Quadragesima Feria quarta cujuslíbet Hebdomadae, non impedita aliquo Festo ix. Lectionum, in Choro ante Matutinum diei : extra Chorum pro opportunitate temporis.

Primi quinque Psalmi dicuntur sine Glória Patri, sed in fine ultimi dicitur : Réquiem aetérnam.

Incipiuntur absolute sine Ańa Psalmi : Ad Dñum cum tribulárer. 137. Levávi. 138. Laetátus sum. 140. Ad te levávi. 141. Nisi quia. 141.

Réquiem aetérnam * dona eis, Dómine.

Et lux perpétua * lúceat eis.

Deinde dicitur flexis genibus : Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dñe, ánimas eórum.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

ABSOLVE, quaesumus Dñe, ánimas famulórum famularúmque

tuárum, et ómnium fidélium defunctórum, ab omni vínculo delictórum : ut in resurrectiónis glória inter sanctos et eléctos tuos resuscitáti respírent. Per Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

Post Oratiónem statim dicuntur alii Psalmi Graduales, qui sequuntur ; et in fine cujuslíbet Psalmi dicitur Glória Patri.

Psalmi : Qui confídunt. 141. In converténdo. 142. Nisi Dóminus. 143. Beáti omnes. 143. Saepe expugnavérunt. 143.

Postea dicitur flexis genibus : Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Meménto congregatiónis tuae. ℟. Quam possedísti ab inítio.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, cui próprium est miseréri semper et párcere, súscipe deprecatiónem nostram : ut nos, et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuae pietátis cleménter absólvat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Post Oratiónem statim dicuntur alii Psalmi Graduales qui sequuntur ; et in fine cujuslíbet Psalmi dicitur Glória Patri.

Psalmi : De profúndis. 144. Dómine, non est. 144. Meménto, Dñe, David. 145. Ecce quam bonum. 146. Ecce nunc benedícite. 160.

Deinde dicitur flexis genibus : Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus, sperántes in te.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

PRAETENDE, Dñe, fámulis et famulábus tuis déxteram coeléstis auxílii : ut te toto corde perquírant et quae digne póstulant, cónsequi mereántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Septem Psalmi Poenitentiales

CUM LITANIIS.

DICUNTUR flexis genibus in omnibus sextis Feriis Quadragesimae quando Officium fit de Feria. Litaniae autem, omissis septem Psalmis, dicuntur in Litaniis majoribus in Festo S. Marci, et in tribus diebus Rogationum.

Dicuntur autem in Quadrag. in Choro post Matutinum et Laudes diei, dicto Benedicámus Dómino : extra Chorum pro opportunitate temporis.

Añn. Ne reminiscáris.

Psalmus vi.

DOMINE, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum : * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde : * sed tu, Dómine, úsquequo ?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam : * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui : * in inférno autem quis confitébitur tibi ?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum : * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me omnes, qui operámini iniquitátem : * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant, et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei : * convertántur et erubéscant valde velóciter.

Glória Patri, etc.

Psalmus xxxi.

BEATI, quorum remíssae sunt iniquitátes : * et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus

tua : * convérsus sum in aerúmna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci, * et injustítiam meam non abscóndi.

Dixi : Confitébor advérsum me injustítiam meam Dómino : * et tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum a tribulatióne, quae circúmdedit me : * exultátio mea érue me a circumdántibus me.

Intellectum tibi dabo, et ínstruam te in via hac, qua gradiéris : * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus, * quibus non est intellectus.

In camo et fraeno maxíllas eórum constrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris, * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Laetámini in Dómino, et exultáte justi : * et gloriámini omnes recti corde.

Glória Patri, etc.

Psalmus xxxvii.

DOMINE, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagíttae tuae infixae sunt mihi : * et confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea a fácie irae tuae : * non est pax óssibus meis a fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meae supergréssae sunt caput meum : * et sicut onus grave gravátae sunt super me.

Putruérunt, et corrúptae sunt cicatríces meae, * a fácie insipiéntiae meae.

Miser factus sum, et curvátus sum usque in finem : * tota die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus : * et non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum, et humiliátus sum nimis : * rugiébam a gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum : * et gémitus meus a te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea : * et lumen oculórum meórum, et ipsum non est mecum.

Amíci mei, et próximi mei * advérsum me appropinquavérunt, et stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longe stetérunt : * et vim faciébant qui quaerébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitá-

tes : * et dolos tota die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam : * et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens:*et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi : * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi : Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei : * et dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum:*et dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo : * et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, et confirmáti sunt super me : * et multiplicáti sunt qui odérunt me iníque.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi : * quóniam sequébar bonitátē.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus : * ne discésseris a me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meae.

Glória Patri, etc.

Psalmus l.

MISERERE mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miserationū tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta et occúlta sapiéntiae tuae manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et laetítiam:* et exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi laetitiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meae: * et exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dñe, in bona voluntáte tua Sion: * ut aedificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiae, oblatiónes, et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Glória Patri, etc.

Psalmus ci.

DOMINE, exáudi oratiónem meam: * et clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam a me: * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exáudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei: * et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut foenum, et áruit cor meum: * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitus mei * adhaesit os meum carni meae.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis: * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei: * et qui laudábant me, advérsum me jurábant.

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * et potum meum cum fletu miscébam.

A fácie irae et indignatiónis tuae: * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt: * et ego sicut foenum árui.

Tu autem, Dómine, in aetérnum pérmanes: * et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Tu exúrgens miseréberis Sion: * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus: * et terrae ejus miserebúntur.

Et timébunt Gentes nomen tuum, Dñe, * et omnes reges terrae glóriam tuam.

Quia aedificávit Dñus Sion: * et vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium: * et non sprevit precem eórum.

Scribántur haec in generatióne áltera : * et pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum :

Quia prospéxit de excélso sancto suo : * Dóminus de coelo in terram aspéxit :

Ut audíret gémitus compeditórum : * ut sólveret fílios interemptórum :

Ut annúntient in Sion nomen Dómini : * et laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum, * et reges ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suae : * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : * in generatiónem et generatiónem anni tui.

Inítio tu, Dómine, terram fundásti : * et ópera mánuum tuárum sunt coeli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes : * et omnes sicut vestiméntum veteráscent.

Et sicut opertórium mutábis eos, et mutabúntur : * tu autem idem ipse es, et anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt : * et semen eórum in saeculum dirigétur.

Glória Patri, etc.

Psalmus cxxix.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine : * Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendéntes, * in vocem deprecatiónis meae.

Si iniquitátes observáveris, Dómine : * Dómine, quis sustinébit ?

Quia apud te propitiátio est : * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri, etc.

Psalmus cxlii.

DOMINE, exáudi oratiónem meam : áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua : * exáudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo : * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos saeculi : * et anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis : * in

factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi :

Velóciter exáudi me, Dómine : * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam a me : * et símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam : * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem : * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dñe, ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in acquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam : * et in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes, qui tríbulant ánimam meam : * quóniam ego servus tuus sum.

Glória Patri, etc.

Ańa. Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra, vel paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

Litaniae.

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Christe audi nos.

Christe exáudi nos.

Pater de coelis Deus, miserére nobis.

Fili Redémptor mundi Deus, miserére nobis.

Spíritus sancte Deus, miserére nobis.

Sancta Trínitas unus Deus, miserére nobis.

Sancta María, ora pro nobis.

Sancta Dei Génitrix, ora.

Sancta Virgo vírginum, ora.

Sancte Míchaël, ora.

Sancte Gábriel, ora.

Sancte Ráphaël, ora.

Omnes sancti Angeli et Archángeli, oráte.

Omnes sancti beatórum Spirítuum órdines, oráte pro nobis.

Sancte Joánnes Baptísta, ora pro nobis.

Sancte Joseph, ora.

Omnes sancti Patriárchae et Prophétae, oráte pro nobis.

Sancte Petre, ora.

Sancte Paule, ora.

Sancte Andréa, ora.

Sancte Jacóbe, ora.

Sancte Joánnes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philíppe, ora.
Sancte Bartholomaee, ora.
Sancte Matthaee, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddaee, ora.
Sancte Mathía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apóstoli et Evangelístae, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte pro nobis.
Omnes sancti Innocéntes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancti Fabiáne et Sebastiáne, oráte pro nobis.
Sancti Joánnes et Paule, oráte pro nobis.
Sancti Cosma et Damiáne, oráte pro nobis.
Sancti Gervási et Protási, oráte pro nobis.
Omnes sancti Mártyres, oráte pro nobis.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Omnes sancti Pontífices et Confessóres, oráte.
Omnes sancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Bernárde, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Francísce, ora.
Omnes sancti Sacerdótes et Levítae, oráte.
Omnes sancti Mónachi et Eremítae, oráte.
Sancta María Magdaléna, ora pro nobis.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Caecília, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Anastásia, ora.
Omnes sanctae Vírgines et Víduae, oráte pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercédite pro nobis.
Propítius esto, parce nobis, Dómine.
Propítius esto, exáudi nos, Dómine.
Ab omni malo, líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
A subitánea et improvisa morte, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
Ab ira, et ódio, et omni mala voluntáte, líbera.
A spíritu fornicatiónis, líbera nos, Dómine.
A fulgúre et tempestáte, líbera nos, Dómine.
A flagéllo terraemótus, líbera nos, Dómine,
A peste, fame et bello, líbera nos, Dómine,
A morte perpétua, líbera.

Per mystérium sanctae incarnatiónis tuae, líbera nos, Dómine.
Per advéntum tuum, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera nos, Dómine.
Per baptísmum et sanctum jejúnium tuum, líbera.
Per crucem et passiónem tuam, líbera.
Per mortem et sepultúram tuam, líbera.
Per sanctam resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem ascensiónem tuam, líbera.
Per advéntum Spíritus sancti Paráclíti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut nobis parcas, te rogámus, audi nos.
Ut nobis indúlgeas, te rogámus, audi nos.
Ut ad veram poeniténtiam nos perdúcere dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere et conserváre dignéris, te rogámus.
Ut domnum Apostólicum et omnes Ecclesiásticos órdines in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut inimícos sanctae Ecclésiae humiliáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut régibus et princípibus christiánis pacem et veram concórdiam donáre dignéris, te rogámus.
Ut cuncto pópulo christiáno pacem et unitátem largíri dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut mentes nostras ad coeléstia desidéria érigas, te rogámus, audi nos.
Ut ómnibus benefactóribus nostris sempitérna bona retríbuas, te rogámus.
Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum, et benefactórum nostrórum ab aetérna damnatióne erípias, te rogámus.
Ut fructus terrae dare et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem aetérnam donáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus, audi nos.
Fili Dei, te rogámus.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.
Christe audi nos. Christe exáudi nos. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.
Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Psalmus lxix.

DEUS, in adjutórium meum inténde: * Dómine, ad adjuvándum me festína.

Confundántur, et revereántur, * qui quaerunt ánimam meam:

Avertántur retrórsum, et erubéscant, * qui volunt mihi mala:

Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent et laeténtur in te omnes qui quaerunt te, * et dicant semper: Magnificétur Dóminus: qui diligunt salutáre tuum.

Ego vero egénus et pauper sum: * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus, et liberátor meus es tu: * Dómine, ne moréris.

Glória Patri. Sicut erat.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus, sperántes in te.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.

℣. Nihil proficiat inimícus in nobis. ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis.

℣. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias nobis. ℟. Neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis.

℣. Orémus pro Pontífice nostro N. ℟. Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra, et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

℣. Orémus pro benefactóribus nostris. ℟. Retríbuere dignáre, Dñe, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum vitam aetérnam. Amen.

℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem aetérnam dona eis, Dñe, et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

℣. Pro frátribus nostris absséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te.

℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, cui próprium est miseréri semper, et párcere: súscipe deprecatiónem nostram; ut nos, et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuae pietátis cleménter absólvat.

EXAUDI, quaesumus Dñe, súpplicum preces, et confiténtium tibi parce peccátis : ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus et pacem.

INEFFABILEM nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde : ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, et a poenis, quas pro his merémur, erípias.

DEUS, qui culpa offénderis, poeniténtia placáris : preces pópuli tui supplicántis propítius réspice ; et flagélla tuae iracúndiae, quae pro peccátis nostris merémur, avérte.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, miserere fámulo tuo Pontífici nostro N. et dírige eum secúndum tuam cleméntiã in viam salútis aetérnae : ut te donánte, tibi plácita cúpiat, et tota virtúte perfíciat.

DEUS, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera : da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem ; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla.

URE igne sancti Spíritus renes nostros, et cor nostrum, Dñe : ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

FIDELIUM Deus ómnium Cónditor et Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum, remissiónem cunctórum tríbue peccatórum : ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur.

ACTIONES nostras, quaesumus Dómine, aspirándo praeveni, et adjuvándo proséquere : ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et per te coepta finiátur.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul et mortuórum, omniúmque miseréris, quos tuos fide et ópere futúros esse praenóscis : te súpplices exorámus : ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus sanctis tuis, pietátis tuae cleméntia, ómnium delictórum suórum véniam consequántur. Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Exáudiat nos omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen.

℣. Et fidélium ánimae per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Ordo Commendationis Animae.

Primum dicuntur Litaniae breves in hunc modum.

YRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Sancta María, ora pro eo
Omnes sancti Angeli et Archángeli, oráte pro eo.
Sancte Abel, ora pro eo.
Omnis chorus Justórum, ora pro eo.
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joánnes Baptísta, ora pro eo.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriárchae et Prophétae, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Omnes sancti Apóstoli et Evangelístae, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte pro eo.
Omnes sancti Innocéntes, oráte pro eo.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte pro eo.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Omnes sancti Pontífices et Confessóres, oráte.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Francísce, ora.
Omnes sancti Mónachi et Eremítae, oráte.
Sancta María Magdaléna, ora pro eo.
Sancta Lúcia, ora.
Omnes sanctae Vírgines et Víduae, oráte pro eo.
Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercédite pro eo.
Propítius esto, parce ei, Dómine.
Propítius esto, líbera eum, Dómine.
Propítius esto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
A períeulo mortis, líbera.
A mala morte, líbera.
A poenis inférni, líbera.
Ab omni malo, líbera.
A potestáte diáboli, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera eum, Dómine.
Per crucem et passiónem tuam, líbera.
Per mortem et sepultúram tuam, líbera.
Per gloriósam resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem ascensiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritus sancti Paráclíti, líbera.
In die judicii, líbera.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut ei parcas, te rogámus, audi nos.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Deinde cum in agone sui exitus anima anxiatur, dicantur sequentes Orationes :

Oratio.

PROFICISCERE, ánima christiána, de hoc mundo, in nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit : in nómine Jesu Christi Fílii Dei vivi, qui pro te passus est : in nómine Spíritus sancti, qui in te effúsus est : in nómine Angelórum et Archangelórum : in nómine Thronórum et Dominatiónum : in nómine Principátuum et Potestátum : in nómine Chérubim et Séraphim : in nómine Patriarchárum et Prophetárum : in nómine sanctórum Apostolórum et Evangelistárum : in nómine sanctórum Mártyrum et Confessórum : in nómine sanctórum Monachórum et Eremitárum : in nómine sanctárum Vírginum, et ómnium Sanctórum et Sanctárum Dei : hódie sit in pace locus tuus, et habitátio tua in sancta Sion. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Oratio.

DEUS miséricors, Deus clemens, Deus, qui secúndum multitúdinẽ miseratiónum tuárum peccáta poeniténtium deles, et praeteritórum críminum culpas vénia remissiónis evácuas : réspice propítius super hunc fámulum tuum N. et remissiónem ómnium peccatórum suórum tota cordis confessióne poscéntẽ deprecátus exáudi. Rénova in eo, piíssime Pater, quidquid terréna fragilitáte corrúptum, vel quidquid diabólica fraude violátum est : et unitáti córporis Ecclésiae membrum redemptiónis annécte. Miserére, Dómine, gemituum, miserére lacrymárum ejus : et non habéntem fidúciam, nisi in tua misericórdia, ad tuae sacraméntum reconciliatiónis admítte. Per Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

COMMENDO te omnipoténti Deo, caríssime frater, et ei, cujus es creatúra, commítto : ut cum humanitátis débitum morte interveniénte persólveris, ad auctórem tuum, qui te de limo terrae formáverat, revertáris. Egrediénti itaque ánimae tuae de córpore spléndidus Angelórum coetus occúrrat : judex Apostolórum tibi senátus advéniat : candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet : liliáta rutilántium te Confessórum turma circúmdet : jubilántium te Vírginum chorus excípiat : et beátae

quiétis in sinu Patriarchárum te compléxus astríngat : mitis atque festívus Christi Jesu tibi aspéctus appáreat, qui te inter assisténtes sibi júgiter interésse decérnat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod stridet in flammis, quod crúciat in torméntis. Cedat tibi tetérrimus sátanas cum satellítibus suis : in advéntu tuo te, comitántibus Angelis, contremíscat, atque in aetérnae noctis chaos immáne diffúgiat. Exúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus : et fúgiant, qui odérunt eum a fácie ejus. Sicut déficit fumus deficiant : sicut fluit cera a fácie ignis, sic péreant peccatóres a fácie Dei : et justi epuléntur, et exúltent in conspéctu Dei. Confundántur ígitur et erubéscant omnes tartáreae legiónes, et minístri sátanae iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te a cruciátu Christus, qui pro te crucifíxus est. Líberet te ab aetérna morte Christus, qui pro te mori dignátus est. Constítuat te Christus Fílius Dei vivi intra paradísi sui semper amoena viréntia, et inter oves suas te verus ille Pastor agnóscat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te absólvat, atque ad déxteram suam in electórum suórum te sorte constítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas, et praesens semper assístens, manifestíssimam beátis óculis aspícias veritátem. Constítutus ígitur inter ágmina beatórum, contemplatiónis divínae dulcédine potiáris in saecula saeculórum. ℟. Amen.

Oratio.

SUSCIPE, Dómine, servum tuum in locum sperándae sibi salvatiónis a misericórdia tua. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui ex ómnibus perículis inférni, et de láqueis poenárum, et ex ómnibus tribulatiónibus. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Henoch et Eliam de commúni morte mundi. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Noë de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Abraham de Ur Chaldaeórum. ℟. Amen.

Líbera, Dñe, ánimam servi tui, sicut liberásti Job de passiónibus suis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Isaac de hóstia, et de manu patris sui Abrahae. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Lot

de Sódomis, et de flamma ignis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Móysen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti tres púeros de camíno ignis ardéntis, et de manu regis iníqui. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Susánnam de falso crímine. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti David de manu regis Saul, et de manu Goliae. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Petrum et Paulum de carcéribus. ℟. Amen.

Et sicut beatíssimam Theclam Vírginem et Mártyrem tuam de tribus atrocíssimis torméntis liberásti, sic liberáre dignéris ánimam hujus servi tui, et tecum fácias in bonis congaudére coeléstibus. ℟. Amen.

Oratio.

COMMENDAMUS tibi, Dñe, ánimam fámuli tui N. precamúrque te, Dómine, Jesu Christe, Salvátor mundi ut propter quam ad terram misericórditer descendísti, Patriarchárum tuórum sínibus insinuáre non rénuas. Agnósce, Dómine, creatúram tuam, non a diis aliénis creátam, sed a te solo Deo vivo et vero: quia non est álius Deus praeter te, et non est secúndum ópera tua. Laetífica, Dómine, ánimam ejus in conspéctu tuo, et ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, et ebrietátum, quas suscitávit furor, sive fervor mali desidérii. Licet enim peccáverit, tamen Patrem, et Fílium, et Spíritum sanctum non negávit, sed crédidit, et zelum Dei in se hábuit, et Deum, qui fecit ómnia, fidéliter adorávit.

Oratio.

DELICTA juventútis, et ignorántias ejus, quaesumus, ne memíneris, Dñe: sed secúndum magnam misericórdiam tuam memor esto illíus in glória claritátis tuae. Aperiántur ei coeli, collaeténtur illi Angeli. In regnum tuum, Dómine, servum tuum súscipe. Suscípiat eum sanctus Míchaël Archángelus Dei, qui militiae coeléstis méruit principátum. Véniant illi óbviam sancti Angeli Dei, et perdúcant eum

in civitátem coeléstem Jerúsalem. Suscípiat eum beátus Petrus Apóstolus, cui a Deo claves regni coeléstis tráditae sunt. Adjuvet eum sanctus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiónis. Intercédat pro eo sanctus Joánnes eléctus Dei Apóstolus, cui reveláta sunt secréta coeléstia. Orent pro eo omnes sancti Apóstoli, quibus a Dómino data est potéstas ligándi atque solvéndi. Intercédant pro eo omnes sancti et elécti Dei, qui pro Christi nómine torménta in hoc saeculo sustinuérunt : ut vínculis carnis exútus, pervenire mereátur ad glóriam regni coeléstis, praestánte Dómino nostro Jesu Christo : Qui cum Patre et Spíritu sancto vivit et regnat in saecula saeculórum. ℟. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicuntur hi Psalmi, videlicet. Confitémini Dño. 26. et totus Ps. Beáti immaculáti, per Horas distributus. 27.

Egressa autem anima, dicitur hoc ℟. Subveníte, Sancti Dei, occúrrite, Angeli Dómini : Suscipiéntes ánimam ejus : * Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi. ℣. Suscípiat te Christus qui vocávit te, et in sinum Abrahae Angeli dedúcant te.—Suscipiéntes.

℣. Réquiem aetérnam dona ei, Dñe : et lux perpétua lúceat ei.—Offeréntes.

Deinde Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Postea Pater noster, secreto. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Réquiem aetérnam dona ei, Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dñe, ánimam ejus.

℣. Requiéscat in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

TIBI, Dómine, commendámus ánimam fámuli tui N. ut defúnctus saeculo tibi vivat : et quae per fragilitátem humánae conversatiónis peccáta commísit, tu vénia misericordíssimae pietátis abstérge. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio Mensae.

ANTE PRANDIUM

Sacerdos benedicturus mensam incipit :

BENEDICITE, et alii repetunt, Benedícite. Deinde dicit ℣. Oculi ómnium, et alii prosequuntur : In te sperant, Dómine, et tu das escam illórum in témpore opportúno. Aperis tu manum tuam, et imples omne ánimal benedictióne.

Glória Patri. Sicut erat.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Postea Sacerdos dicit :

Orémus.

BENEDIC, Dñe nos, et haec tua dona, quae de tua largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Lector Jube, domne, benedícere. Benedícto. Mensae coeléstis partícipes fáciat nos Rex aetérnae glóriae. ℟. Amen.

POST PRANDIUM

Aguntur gratiae hoc modo : Dicto a Lectore Tu autem, Dñe, miserére nobis. ℟. Deo grátias, omnes surgunt.

Sacerdos incipit: ℣. Confiteántur tibi, Dñe, ómnia ópera tua. ℟. Et Sancti tui benedícant tibi.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Postea Sacerdos absolute dicat :

AGIMUS tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérsis benefíciis tuis: Qui vivis et regnas in saecula saeculórum. ℟. Amen.

Deindealternatim dicitur Psalm. Miserére mei 59. vel Psalmus cxvi.

LAUDATE Dñum omnes Gentes : * laudáte eum, omnes pópuli :

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in aetérnum.

Glória Patri. Sicut erat.

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Sacerdos dicit Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus

manet in saeculum saeculi.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore. ℟. Semper laus ejus in ore meo.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea. ℟. Audiant mansuéti, et laeténtur.

℣. Magnificáte Dóminum mecum. ℟. Et exaltémus nomen ejus in idipsum.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum.

Deinde sine Orémus.

BETRIBUERE dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum vitam aetérnam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias

℣. Fidélium ánimae per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Pater noster, secreto.

Quo finito, dícit Sacerdos: Deus det nobis suam pacem. ℟. Amen.

ANTE COENAM

Sacerdos benedícturus mensam incípit Benedícite, et alii repetunt Benedícite.

Deinde Sacerdos incipit ℣. et alii prosequuntur :

EDENT páuperes, et saturabúntur, et laudábunt Dóminum, qui requírunt eum : vivent corda eórum in saeculum saeculi.

Glória Patri. Sicut erat.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Orémus. Bénedic, Dómine, ut supra in prandio. Jube, domne, benedícere. Benedíctio. Ad coenam vitae aetérnae perdúcat nos Rex aetérnae glóriae. ℟. Amen.

IN FINE COENAE.

Dicitur ℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors et miserátor Dóminus : escam dedit timéntibus se.

Glória Patri. Sicut erat.

Sacerdos dicat :

BENEDICTUS Deus in donis suis, et sanctus in ómnibus opéribus suis : Qui vivit et regnat in saecula saeculórum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Ps. Laudáte Dóminum, et reliqua ut supra. ccxxii.

Quando semel comeditur, omnia dicantur ut in coena.

Praedíctus módus benedicendi mensam, et agendi gratias, servatur omni tempore hujus Partis Æstivae.

Itinerarium.

CLERICUS in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat quae sequuntur in singulari : si cum sociis, in plurali.

Ant. In viam pacis.

Canticum. Benedíctus Dóminus Deus Israël. 22.

In fine Glória Patri.

Ant. In viam pacis et prosperitátis dírigat nos omnípotens et miséricors Dóminus : et Angelus Ráphaël comitétur nobíscum in via, ut cum pace, salúte, et gáudio revertámur ad própria.

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus, sperántes in te.

℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére nos.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.

℣. Nihil proficiat inimícus in nobis. ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis.

℣. Benedíctus Dóminus die quotídie. ℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum.

℣. Vias tuas, Dómine, demónstra nobis. ℟. Et sémitas tuas édoce nos.

℣. Utinam dirigántur viae nostrae. ℟. Ad custodiéndas justificatiónes tuas.

℣. Erunt prava in dirécta. ℟. Et áspera in vias planas.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, qui fílios Israël per maris médium sicco vestígio ire fecísti, quique tribus Magis iter ad te, stella duce, pandísti : tríbue nobis, quaesumus, iter prósperum, tempúsque tranquíllum : ut, Angelo tuo sancto cómite, ad eum quo pérgimus locum, ac demum ad aetérnae salútis portum prevenire felíciter valeámus.

DEUS, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldaeórum edúctum, per omnes suae peregrinatiónis

vias illaesum custodísti : quaesumus, ut nos fámulos tuos custodíre dignéris : esto nobis, Dómine, in procínctu suffrágium, in via solátium, in aestu umbráculum, in plúvia et frígore teguméntum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte praesídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus : ut, te duce, quo téndimus, próspere perveniámus, et demum incólumes ad própria redeámus.

ADESTO, quaesumus Dñe, supplicatiónibus nostris : et viam famulórum tuórum in salútis tuae prosperitáte dispóne; ut inter omnes viae et vitae hujus varietátes tuo semper protegámur auxílio.

PRAESTA, quaesumus omnipotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat : et beáti Joánnis Praecursóris hortaménta sectándo, ad eum quem praedíxit, secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia saecula saeculórum. ℟. Amen.

℣. Procedámus in pace. ℟. In nómine Dñi. Amen.

Lectori monitum.

Quae adnotantur Officia, utpote universalem non respiciant Ecclesiam, sed pro aliquibus tantum indulta sint locis, extra ordinem aliorum hic in fine posita sunt pro majori Psallentium commoditate.

DIE VII. MAII.

In festo S. Benedicti II., Papae et Conf. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibis.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter ea quae hic habentur propria.

Oratio. Da quaesumus.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BENEDICTUS hujus nóminis secúndus, Románus génere, patre Joánne ortus, post Leónis secúndi óbitum, ad munus apostólicum assúmptus est, anno Christi sexcentésimo octogésimo quarto, et suprémum christiánae reipúblicae clavum, novem circiter menses ténuit, digníssimus certe, qui diútius teneret; cum a primis puerítiae annis se totum ecclesiásticis ministériis addixísset, ac sédulam divínis litteris, et sacrae psalmódiae óperam navásset.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.

HIC non uno dumtáxat nómine, verum étiam coeléstis benedictiónis grátia, et sanctae conversatiónis exémplo Benedictus, mansuétus, mitis, et húmilis, insígnis étiam patiéntiae, et páuperum amantíssimus, in quos larga manu réditus Ecclésiae profúdit. Ad restaurándam quoque, ac exornándam príncipis Apostolórum basílicam, aliásque Urbis ecclésias, ánimum et manum applícuit, in quo multa aureórum míllia pie consúmpsit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi

eléctum de plebe mea :* Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vi.

QUIRIFICO étiam conservándae, et propagándae religiónis zelo flagrávit. Macárium Patriárcham Antiochénum, a sexta synodo propter haeresim depósitum, ad saniórem mentem redúcere, summo stúdio laborávit. Scriptis étiam ad Episcopos Hispániae lítteris, eósdem mónuit, ut declarárent apértius, et sánius, quae de voluntáte Dei, et tribus Christi substántiis ante scrípserant. Constantínus vero imperátor tanto illum amóre, et honóre prosecútus est, ut et capíllos suórum filiórum, in signum observántiae, illi obtúlerit. Sancto tandem fine quiévit, et sepúltus est in Vaticáno.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est :* Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Homiliâ super Evang. Homo péregre proficíscens. lxx.

DIE XI. MAII.

In festo S. Alexandri I., Papae et Mart. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Comm. unius Martyris. xxvii. praeter sequentia.

Oratio. Infirmitátem.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ALEXANDER Románus ex patre Alexándro de vico Caput Tauri, júvenis quidem aetáte, sed sanctitáte incomparábilis, et fide claríssimus, post Evarístum, sedem apostólicam obtínuit. In memóriam passiónis Christi, primus in sacrifício missae áddidit : Qui prídie quam paterétur : usque ad ea verba : Hoc est Corpus meum. Instítuit, ut tantúmmodo panis et vinum in mystério offerrétur, atque in consecratióne córporis et sánguinis Dómini vinum aqua miscerétur, propter sánguinem et aquam, quae ex Jesu Christi látere profluxérunt. Idem decrévit, ut aqua benedícta sale admíxta, sacris précibus interpósitis, tam in templis, quam in cubículis ad fugándos daemones, perpétuo asservarétur. Cum autem esset

christiánae religiónis ferventíssimus praedicátor, dum vixit, mirum in modum in hoc díligens fuit, ut doctrína, vitaeque exémplo, quoscúmque posset, ad veram Christi religiónem perdúceret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam: et in vínculis non derelíquit eum.—Et.

Lectio v.

QUUM ígitur multis Romae, ut, abjuráta falsa religióne, veram fidem suscíperent, persuasísset, senatóres áliquot, et Hermétem Urbis praefectum cum uxóre, fíliis, soróre, ac tota domo, Jesu Christo péperit. Quam ob rem accusátus, quod Christiánus esset, ex príncipis edícto captus, et in cárcerem conjéctus, ibídem diu, quod a christiánae fídei professióne recédere nollet, deténtus est : cum autem vinctus tenerétur, púeri ministério, qui facem ardéntem praeferébat, prodigióse intempéstae noctis siléntio, e cárcere ad domum Quiríni tribúni, ubi beátus Hermes Urbis praefectus paulo ante captus in custódia servabátur, edúctus, primum fíliam ejus Balbínam aegram sanávit, deínde patrem Quirínum miráculo attónitum, et ad Christum tradúctum cum fília baptísmi lavácro ábluit. Hinc vero factum est, ut Quirínus iis ómnibus, quotquot pro fide Christi vinctos habébat, libertátem abeúndi concésserit. Erant inter illos Evéntius, et Theodúlus, qui sancto Alexándro adjúncti, exíre de cárcere noluérunt, sed Deo laudes persolvéntes martyrii palmam constánter expectárunt.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Et voluntáte.

Lectio vi.

EX his sanctus Alexánder primum ab Aureliáno júdice interrogátus de christiánae religiónis mystériis, ea reveláre nóluit, ásserens sanctum esse, quod Aureliánus manifestári cupiébat, et non permítti a Christo, sanctum dari cánibus. Ob quae verba, beátus Póntifex in equúleum impósitus est, úngulis dilaniátus, atque lampádibus admótis gravíssime ustus, cumque nullam

ámplius vocem emítteret, interrogátus ab Aureliáno, cur tacéret? hoc dignum Mártyre respónsum dedit: quia témpore oratiónis homo christiánus cum Deo lóquitur. Depósito Alexándro, exhíbiti sunt Evéntius, et Theodúlus, quos cum Aureliánus in fide constántes invenísset, jussit Alexándrum et Evéntium dorsum ad dorsum ligátos in ignem praecipitári, Theodúlum vero ibídem adstáre, ut quasi eórum pertérritus passióne, ad sacrificándum idólis consentíret. Cum autem Theodúlus sponte in flammas prosiliísset, et cum ipsis hymnos decantáret, ac Deo grátias ágeret, fecit ímpius judex Alexándrum punctis crebérrimis per ómnia membra perforári, quo fine vir sanctus martyrium suum glorióse complévit. Hujus corpus beáta Sevéra religiósa foemina sústulit, et cum córpore beáti Evéntii gládio consummáti, in uno eodémque sepúlchro pósuit via Nomentána in praedio suo, unde póstea ad Urbem translátum, in ecclésia sanctae Sabínae recónditum fuit.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: ℣. Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℟. Cibávit illum Dóminus pane vitae et intelléctus: et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum.—Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno, Homilia super Evang. Si quis venit, xxxvi.

EADEM DIE.

In festo sancti Francisci de Hieronymo, Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea quae hic assignantur.

Oratio.

DEUS, qui beátum Franciscum ad animárum salutem exímium verbi tui praecónem effecísti, ejus nobis intercessióne concéde; ut legis tuae mandáta et júgiter scrutémur in corde, et fidéliter opéribus exequámur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente. In Feria secunda et quarta Rogationum: Justus si morte, de Commúni lxxxv.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

FRANCISCUS de Hierónymo in Tarentíni agri óppido, cui Cryptaleae nomen, honésto loco natus, pia paréntum cura institútus, ac coeli benedi-

ctióne praeéntus, puerítiam egit innocentíssimis móribus praestántem, et futúrae sanctitátis indíciis conspícuam. Duodécimo aetátis anno in quorúmdam evangelicórum operariórum contubérnium admíssus, in catechizándis rúdibus adhuc adoléscens diligéntem óperam pósuit, et apostólico ministério, ad quod Deus illum destináverat, jam tum prolúdere visus est. Theológica stúdia Neápoli aggréssus, et sacerdótio initiátus, ita vitae suae ratiónes ad evangélica consília accommodávit, ut Sacerdótis sancti nomen adéptus fúerit. Societátem Jesu ingréssus, jactis in tirocínio religiósae perfectiónis, ardentíssimae in Deum et próximos charitátis, insígnis patiéntiae, aliarúmque virtútum fundaméntis, quae majus in dies síngulos increméntum accipiébant, theológiae currículum confécit, et solémni quátuor votórum professióne sese obstríngens, exímium reguláris observántiae exémplar evásit. Pro sacra ad Japónes expeditióne, quam martyrii cúpidus in votis hábuit, Neápoli reténtus, praefectúram missiónum jussu praesulum accépit; quod non sine Dei númine factum eventus comprobávit.

℟. Honéstum fecit illum Dñus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio v.

ETSI enim córpore, erat grácili, neque satis firma valetúdine, ac praetérea carnem assíduis jejúniis, vigíliis, verberibúsque macerábat, tamen tot ónera in se suscípiens, quot feréndis plures simul vix pares essent, incredíbile dictu est, quanta pro glória Dei, quam únice quaerébat, égerit, non solum Neápoli, sed in áliis quoque ejúsdem regni provínciis, quot labóres et aerúmnas túlerit, quanto cum fructu in agro domínico excoléndo plus quam quadragínta annis desudáverit. Frequéntes et saepius plures eódem die habébat conciónes per vicos, cómpita, et platéas, ad carcéribus deténtos, ad régiis trirémibus mancipátos, ad mílites, contra circulatóres impudéntes, contra públicos quosvis peccatóres, contra famae prostitútae muliérculas. Accedébant mirabília signa, treménda divínae ultiónis advérsus pervicáces documénta, scrutátio córdium, praedictio

rerum futurárum, ejus córporis divérsis in locis replicátio, grátia sanitátum, annóna divínitus multiplicáta, vox étiam ex ore meretrícis súbita morte corréptae extórta, quae se apud ínferos esse palam denuntiávit. Ex quo fiébat, vix ut unquam e superióri loco ad pópulum díceret, quin insígnem áliquem peccatórem Christo lucrifáceret. Intérdum étiam decem, nonnúnquam quíndecim meretrículae simul sua crímina defléntes in concióne, ad poenitentiam confugérunt.

℟. Amávit eum Dñus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et.

Lectio vi.

ASSIDUA ejus ópera fuit in aegrótis inviséndis, in moribúndis ad mortem rite praeparándis, in concórdia animórum dissidéntium conciliánda, in paupéribus ope ac solátio sublevándis. Communiónem, quam dicunt generálem, síngulis cujúslibet mensis tértiis diébus Domínicis usque ádeo promóvit, ut saepe quíndecim míllia fidélium, aliquándo vigínti míllia, aut eo ámplius, ad eucharísticam mensam convénerint. Exercítiis spirituálibus, ex sancti Ignátii institutóris praescripto, Sacerdótum coetus, virórum religiosórum, et vírginum Deo devotárum monastéria, puellárum coenóbia, studéntium júvenum colégia et seminária, atque omne hóminum genus mirífice excóluit. Gravíssimas difficultátes et moléstias, quas illi daemon excitábat, invícta patiéntia superávit; nec semel maxíllam percutiéntibus submísso ánimo álteram praebuit: quin et acerbíssimos dolóres brachio captívi Mahometáni, qui eum percússerat, a Deo ultóre inflíctos signo crucis repénte cessáre fecit, hominémque ad christiánam religiónem addúxit. Demum in coelum a Deo evocátus, plácide efflávit ánimam in Neapolitána professórum domo, die undécima Maii, anno millésimo septingentésimo décimo sexto, aetátis vero suae septuagésimo quarto. Quem méritis ac miráculis clarum Pius séptimus Póntifex máximus in Beatórum númerum rétulit. Novis autem signis a Deo illustrátum, praesértim in pátria, iísque rite probátis, Gregórius décimus sextus solémni ritu in festo sanctíssimae Trinitátis anno millésimo octingentésimo trigésimo nono in Sanctórum album adnumerávit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam:* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno, Homilia super Evang. Sint lumbi vestri praecíncti, de Communi Confessoris non Pontificis. xcii.

DIE XIV. MAII.

In festo sancti Paschalis I., Papae et Confessoris. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter sequentia.

Oratio. Da quaesumus.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PASCHALIS, hujus nóminis primus, bíduo post Stéphani quinti óbitum vix exácto, communibus cleri suffrágiis, ad suprémum sedis apostólicae ápicem, invítus licet, et valde relúctans, anno Dómini nostri Jesu Christi octingentésimo décimo séptimo, promótus est. Vir sane omnígena doctrína, sacra praesértim instructíssimus, vitae sanctimónia insígnis, dicéndi facultáte clarissimus, singulári déniique pietáte in Deum, et charitáte in próximum, ut exterióra bona, hílari semper ánimo, paupéribus erogábat, ita interióris ánimi opes, vigíliis, oratiónibus, et jejúniis vacans, accumulábat.

℟. Invéni David. ccxxvi.

Lectio v.

APUERITIA in Lateranénsis ecclésiae patriarchio, sub óculis Pontíficum educátus, ita in omni virtútum génere, lítteris, et disciplína ecclesiástica profécit, ut primum sacris ordínibus initiátus, mox ejus virtúte perspécta, a Leóne tértio monastério sancti Stéphani praefectus fúerit; in quo, et súbditis sibi mónachis exémplo fuit, et peregrínos ad límina Apostolórum turmátim accedéntes ita excépit, ut ómnibus necessária suppeditáret, iísque, Christum imitátus, abjécta étiam exhibéret ministéria; quibus pietátis, et charitátis offíciis, dignissimus ómnium hábitus est, qui Domínico gregi, et toti Ecclésiae praeésset.

℟. Pósui. ccxxvi.

Lectio vi.

NIHIL porro in eo desiderátum est, quod ad perfectam regíminis apostólici sollicitúdinem pertinéret. Ecclésiae Occidentális disciplínam, quae sub eo máxime flóruit, intáctam servávit; Orientálem vero ab imperatóre et Patriárcha Iconómachis agitátam, líteris et legatióne recreávit, et Graecis Romam confugiéntibus, monastérium sanctae Praxédis, amplíssimis redítibus a se instrúctum, benígne concéssit. Multa étiam córpora Sanctórum ex coemetériis, Pauli primi exémplo, ac praesértim sanctae Caecíliae, ipsa monstránte, et revelánte, in Urbem íntulit. Nova templa excitávit, restauravit, et mirífice ornávit, antíqua xenodochía, et sacrárum vírginum coenóbia, novo censu recreávit. Extíncti demum incéndii miráculo claríssimus, migrávit ad Dóminum, octávo sui pontificátus anno, et in Vaticána basílica cónditus est.

℟. Iste est. ccxxvii.

In tertio Nocturno Homilia super Evang. Homo péregre. lxx. cum nona Lectione (ex duabus una) S. Bonifacii Mart. ejusque Commem. in Laudibus.

DIE XV. MAII.

In festo S. Isidori Agricolae, Confessoris. Duplex.

Pro Statu Ecclesiastico, et alibi.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii.

In Hymno mutatur tertius versus.

Oratio.

OA nobis, quaesumus misericors Deus, beáto Isidóro Agrícola Confessóre tuo intercedénte, supérbe non sápere, sed ejus méritis, et exémplis plácita tibi semper humilitáte deservíre. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ISIDORUS Agrícola prope Matrítum Hispániae urbem, in qua natus fúerat, merecéde coléndis agris condúctus, brevi magnárum sibi virtútum eo in exercítio ubérrimam ségetem parávit. Admirábilis enim Christi, ac Sanctórum imitátor, nunquam ad opus mane se conferébat, nisi prius Dei regnum studióse quaereret, ecclesiásque in ipsíus, ac Deíparae honórem dicátas visitáret. Quare cum illíus moram agri dóminus gráviter ferret, atque

ex editióre loco quadam die, ut eum libérius increpáret, Agrícolam opperirétur, binos Angelos cándida veste dúplici bovum jugo arántes, mediúmque inter illos Isidórum conspéxit. Quo miráculo vulgáto, magno deínceps honóri tam apud herum, quam apud caeteros hómines habéri coepit.

℟. Honéstum. ccxxx.

Lectio v.

CHARITATE in páuperes ádeo flagrávit, ut mercédem, quam labóribus parábat, egéntibus erogáret. Quin étiam cum aliquándo ad commúne cum réliquis confrátribus prándium plúrimos páuperes adduxísset, nihílque áliud, prándio scílicet finíto, quam pulménti partem sibi reservátam reperísset, illam vir Dei, fide singulári fretus, ita distríbuit, ut admirabíliter aucta iis ómnibus aléndis saturandísque sufficeret. Illud étiam inter caetera mirándum, quod per aestívos calóres ad extinguéndam in agro sitim, aquae potum hero flagitánte, cum núllibi scatéret, Isidórus stímulo, quem gerébat, humo percússa, úberem ex ea, et perénnem ad haec usque témpora fontem elícuit.

℟. Amávit eum. ccxxxi.

Lectio vi.

IGITUR sanctitáte clarus cum ad últimam senectútem pervenísset, obdormívit in Dómino, et in coemetério sancti Andréae sepúltus, támdiu ibi jácuit, quoad cives de ipsíus córpore honéstius in eccléisia collocándo divínitus móniti, illud in lóculo íntegrum, atque ádeo incorrúptum invenérunt, ut ex eo suavíssimus odor, qui hac étiam tempestáte perdúrat, effláret. Sacrum corpus in ecclésiam translátum, et in editióre loco situm, máximis Deus miráculis illustrávit. Quorum beneficéntiam non semel tam ipsa Matríti cívitas, quam étiam caetera Hispániae loca, ope ipsíus imploráta, persensérunt. Quem postrémo post annos fere quadringéntos fama sanctitátis, ac miráculis illústrem, Gregórius decimusquíntus in Sanctórum número rétulit.

℟. Iste homo. ccxxxii.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* xv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.
Tract. lxxx. *in Joannem.*

ISTE locus evangélicus, fratres, ubi se dicit Dñus vitem, et discípulos suos pálmites, secúndum hoc dicit, quod est caput Ecclésiae, nosque membra ejus, mediátor Dei et hóminum homo Christus Jesus. Unius quippe natúrae sunt vitis et pálmites. Propter quod cum esset Deus, cujus natúrae non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humána natúra, cujus et nos hómines pálmites esse possémus.

℟. Iste est. xcii.

Lectio viii.

QUID ergo est, Ego sum vitis vera? Numquid ut ádderet, vera, hoc ad eam vitem rétulit, unde ista similitúdo transláta est? Sic enim dícitur vitis per similitúdinem, non per proprietátem : quemádmodum dícitur ovis, agnus, leo, petra, lapis anguláris, et caetera hujúsmodi, quae magis ipsa sunt vera, ex quibus ducúntur istae similitúdines, non proprietátes. Sed cum dicit : Ego sum vitis vera, ab illa se útique discérnit, cui dícitur : Quómodo convérsa es in amaritúdinem vitis aliéna? Nam quo pacto est vitis vera, quae expectáta est ut fáceret uvam, fecit autem spinas?

℟. Sint lumbi. xciii.

Lectio ix.

EGO sum, inquit, vitis vera, et Pater meus agrícola est. Numquid unum sunt agrícola, et vitis? Secúndum hoc ergo vitis Christus, secúndum quod ait : Pater major me est. Secúndum autem id quod ait : Ego et Pater unum sumus; et ipse agrícola est : nec talis, quales sunt, qui extrínsecus operándo éxhibent ministérium; sed talis, ut det étiam intrínsecus incremèntum. Nam neque qui plantat, est áliquid, neque qui rigat : sed, qui incremèntum dat, Deus. Sed útique Deus est Christus, quia Deus erat Verbum : unde ipse et Pater unum sunt : et, si Verbum caro factum est, quod non erat, manet quod erat.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XVI. MAII.

In festo sancti Joannis Nepomuceni, Martyris. Duplex.

Pro aliquibus locis.

Omnia de Communi unius Martyris, xxvii. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui ob invíctum beáti Joánnis sacramentále silléntium, nova Ec-

clésiam tuam martyrii coróna decorásti : da nobis ejus intercessióne et exémplo, linguam caute custodíre, ac ómnia pótius mala, quam ánimae detriméntum, in hoc saeculo toleráre. Per Dñum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

IOANNES Nepomúci Bohémiae óppido, unde Nepomucéni cognómen duxit, a paréntibus aetáte provéctis, non sine futúrae sanctitátis praeságio, flammis supra nascéntis domum mirabíliter collucéntibus, ortus est. Cum infans in gravem morbum incidísset, beátae Vírginis ope, cui natum paréntes referébant accéptum, e vitae perículo evásit incólumis. Egrégia índole, piáque institutióne coeléstibus indíciis obsequénte, inter sanctas religiosásque exercitatiónes puerítiam egit ; nam ecclésiam frequénter adíre, ac Sacerdótibus ad aras operántibus ministráre in delíciis habébat. Zatécii politióribus lítteris ad humanitátem informátus : Pragae vero gravióribus disciplínis excúltus, philosóphiae, theológiae, sacrorúmque cánonum magistérium et láuream eméruit. Sacerdótio initiátus, atque a sciéntia Sanctórum ad lucra animárum rite comparátus, ministério verbi Dei se pénitus addíxit. Cum igitur in vítiis extirpándis, et revocándis in viam salútis errántibus, eloquéntia, et pietáte úberes éderet fructus, inter canónicos metropolitánae Ecclésiae Pragénsis cooptátus, mox sibi demandátam Evangélii coram rege Wencesláo quarto praedicándi provínciam suscépit, eo succéssu, ut Joánnis suásu, multa rex fáceret, magnóque in honóre ejus virtútes habéret. Conspícuas tamen, quas ille óbtulit dignitátes, Dei servus, ne a divíni verbi praecónio avocarétur, constantíssime recusávit.

℟. Honéstum. ccxxviii.

Lectio v.

REGIIS illum eleemósynis in páuperes erogándis praeféctum, Joánna regína consciéntiae sibi moderatórem adscívit. Cum autem Wencesláus ab offício institutóque decessísset, atque in vítia praeceps abriperétur ; piae autem cónjugis obtestatiónes, et mónita graváte ferret, conténdere ausus est, ut in sacramentáli judício Sacerdóti crédita regínae arcána sibi a Joánne panderéntur. At Dei miníster blandítiis primum,

torméntis deínde, et cárceris squalóre tentátus, nefáriae regis cupiditáti fórtiter óbstitit. Furéntem tamen Wenceslái ánimum cum ab execrándo propósito nec humána, nec divína jura deterrérent, suprémum agónem quem instáre sibi athléta Christi nóverat, pópulo in concióne de impendéntibus étiam regni calamitátibus admónito, non obscúre praenuntiávit. Mox Boleslávium proféctus, ad beátae Vírginis imáginem antíquo cultu célebrem, coeléste praesídium ad certándum bonum certámen effúsis précibus implorávit. Inde véspere reverténtem in pervigílio Domínicae Ascensiónis rex e fenéstra conspicátus arcéssit; cumque veheméntius urgéret, et próximam in aquis, si oblucátári pérgeret, submersiónē intentáret, Joánnes invícta constántia terróres, minásque refutávit. Itaque regis império in Moldávā flumen Pragam intérfluens noctu dejéctus, illústrem martyrii corónam est consecútus.

℟. Desidérium. ccxxviii.

Lectio vi.

SACRILEGUM fácinus clam patrátum, et Mártyris glóriam insígne prodígium divínitus patefécit. Ubi enim exánime corpus secúndo flúmine vehi coepit, ardéntes faces aquis supernatántes, et discurréntes apparuérunt. Quamóbrem ex aréna postrídie mane corpus elátum canónici deínde, regis iram nihil timéntes, in metropolitánam ecclésiam solémni pompa intulérunt, et sepultúrae mandárunt. Cum autem in dies invícti Sacerdótis memória miráculis, et máxima fidélium, eórum praecípue, qui fama periclitántur, veneratióne crésceret, post annos demum ámplius tercéntos in jurídica recognitióne córporis, quod sub humo támdiu jacúerat, lingua ejus incorrúpta, et vívida repérta est: quae sexto post anno judícibus a sede apostólica delegátis exhíbita novo prodígio repénte intúmuit, et subobscúrum rubórem in purpúreum commutávit. His ítaque, aliísque signis rite probátis, Benedíctus decimustértius Póntifex máximus die decimanóna mensis Mártii anno salútis millésimo septingentésimo vigésimo nono, primum hunc sacramentális sigílli assertórem, arcáni fidem sánguine obsignántem, sanctórum Mártyrum catálogo adscrípsit.

℟. Stola. ccxxix.

In tertio Nocturno, Homilia S. Hilarii in Evang. Nihil est opértum, ut in Communi tertio loco. xlii.

DIE XXI. MAII.

In festo sancti Felicis a Cantalicio, Confessoris. Semiduplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. Ixxxiii. praeter sequentia.

In Hymno mutatur tertius versus.

Oratio.

FAC nos, Dómine Jesu, in simplicitáte, et innocéntia cordis nostri ambuláre, quarum amóre de sinu Matris inter beáti Felícis Confessóris tui bráchia descendísti : Qui vivis et regnas.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

FELIX a Cantalício in Sabínis, humílibus sed piis paréntibus natus, a púero pascéndis grégibus, mox et agro coléndo addíctus, multo impénsius rerum coeléstium meditatióne ánimum nutríre, et corpus assíduis vigíliis, ac jejúniis domáre coepit, eremíticam agens vitam pótius, quam rústicam. Ferventióre autem in Deum pietáte incénsus, cum non posset quotídie, ut optábat, sacris mystériis interésse, grege ad loca solitária compúlso, ipse ante crucem árborum cortícibus incísam diu oráre, seque ácriter flagelláre consuéverat ; sed et aliquándo glebas in agro vértere, simúlque sacris in templo adésse visus est. Alias inter arándum furéntibus, quos júnxerat indómitis juvéncis, humi stratus, et arátro superdúcto plane proscindéndus, laceráta dumtáxat veste, surréxit illaesus. Quo perículo, ut ad tutiórem reguláris disciplínae palaestram vocánti jam pridem Deo paréret, admónitus ; rústica supelléctili paupéribus distríbui jussa, ad fratres Minóres, quos Capuccínos vocant, própere se cóntulit.

℣. Honéstum. ccxxx.

Lectio v.

ADHUC tyro, necdum vota solémnia proféssus, religiósae perfectiónis ápicem jam attigísse videbátur. Obediéntiae sédulus cultor, ad praecipiéntis non modo verbum, sed étiam nutum praesto erat. Seque coenóbii juméntum dictitans, vilíssima quaeque minitéria semper arrípuit, ac ludíbria, et contumélias hílari vultu excipiébat. Paupertátis quam esset studiósus, illústri documénto Deus ipse declarávit. Ostiátim enim per vicos, et platéas aléndis

frátribus mendícans (quod ille munus per annos quadragínta nudis fere semper pédibus obívit) cum die quadam inusitáto póndere se ópprimi sentíret, mánticam scrutátus, injéctum clam nummum deprehéndit: quo projécto, nec sine indignatióne proculcáto, álacer, et levis inde ábiit. Castitátem, quam usque ad óbitum servávit illibátam, (sanctus córpore, et spíritu a Paulo quinto proptérea appellátus,) vígili oculórum custódia, et voluntário córporis cruciátu communívit; aspérrimo flagéllo se quotídie cruéntans, ac férreo cilício constrictus, septem étiam Urbis basílicas idéntidem invísens. Jejúnia órdinis inédia quandóque cumulávit. Lectus ejus dolóris pótius quam quiétis erat: brevem quippe somnum flexis nuda super tábula génibus, ac fasce sarmentórum cápiti suppósito, carpébat.

℟. Amávit eum. ccxxxi.

Lectio vi.

QUITAE austeritáte sibi asper, áliis carus acceptúsque sanctis praesértim Cárolo et Philíppo Nério, simplicitáte atque innocéntia semper fuit. In oratióne pernóctans, dulcíssimam frequénter éxtasim est passus: et aliquándo in ulnis suis reclinátum a Vírgine Matre púerum Jesum suavíssime complécti méruit. Prophetíae grátia, et miraculórum clarus, demórtuum étiam fílium matri vivum restítuit. Méritis tandem in bona senectúte cumulátus, secúnda (ut praedíxerat) féria Pentecóstes ad coeléstem pátriam, Deípara invitánte, laetus ábiit. Ejus corpus in eccléSia sui órdinis summa Urbis veneratióne cólitur, Dómino crebris miráculis servi sui sanctitátem illustránte, quem proptérea Urbánus Papa octávus Beatórum, Clemens vero undécimus Sanctórum fastis adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia. ccxxxii.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xi.

IN illo témpore: Respóndens Jesus dixit: Confíteor tibi Pater, Dñe coeli et terrae, quia abscondísti haec a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

Serm. ix. *de Verbis Domini, n.* lxx.

OMNIA saeva, et immánia prorsus facília, et prope nulla éfficit amor. Quanto ergo cértius, ac fa-

cílius ad veram beatitúdinem cháritas facit, quod ad miséria, quantum pótuit cupíditas, fecit? Quam fácile tolerátur quaelibet advérsitas temporális, ut aetérna poena vitétur, ut aetérna réquies comparétur? Non immérito ille vas electiónis cum ingénti laetítia dixit: Non sunt condígnae passiónes hujus témporis ad superventúram glóriam, quae revelábitur in nobis. Écce unde illud jugum suáve est, et sárcina levis, et si angústa est paucis eligéntibus, fácilis tamen ómnibus diligéntibus. Dicit Psalmísta: propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

℟. Iste est. xcii.

Lectio viii.

SED quae dura sunt laborántibus, eísdem ipsis mitéscunt amántibus. Propter quod ita divínae pietátis dispensatióne actum est, ut intérior homo, qui renovátur de die in diem, non adhuc sub lege pósitus, sed jam sub grátia exonerátus sárcinis innumerabíliũ observatiónum, quod erat revéra grave jugum, sed durae cervíci convenién ter impósitum, facilitáte símplicis fídei, et bonae spei, et sanctae charitátis, quidquid molestiárum exterióri hómini forínsecus intulísset ille princeps, qui missus est foras, interióri gáudio leve fieret.

℟. Sint lumbi. xciii.

Lectio ix.

NIHIL enim tam fácile est bonae voluntáti, quam ipsa sibi, et haec súfficit Deo. Quantúmlibet ergo saeviat iste mundus, veríssime Angeli nato carne in Dómino, clamavérunt: Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonae voluntátis, quia ejus qui natus erat, suáve jugum est, et sárcina levis. Et sicut dicit Apóstolus: Fidélis Deus, qui nos non sinit tentári supra id, quod póssumus ferre, sed facit cum tentatióne étiam éxitum, ut possímus sustinére.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XXIV. MAII.

In festo beatae Mariae Virginis sub titulo Auxilium Christianorum. Duplex.

Omnia ut in festis beatae Mariae Virginis. clviii. praeter sequentia.

IN I. VESPERIS.

Hymnus.

SAEPE dum Christi pópulus cruéntis
Hostis infénsi premerétur armis,
Venit adjútrix pia Virgo coelo
Lapsa séreno.

Prisca sic Patrum monuménta narrant,
Tempia testántur spóliis opímis
Clara, votívo repetíta cultu
Festa quotánnis.
En novi grates líceat Maríae
Cántici laetis móculis referre
Pro novis donis, resonánte plausu
Urbis, et Orbis.
Oh! dies felix, memoránda fastis,
Qua Petri sedes fídei Magístrum
Triste post lustrum réducem beáta
Sorte recépit!
Vírgines castae, puerique puri,
Géstiens clerus, populúsque grato
Corde Regínae celebráre coeli
Múnera certent.
Vírginum Virgo, benedícta Jesu
Mater, haec auge bona; fac, precámur,
Ut gregem Pastor pius ad salútis
Páscua ducat.
Te per aetérnos venerémur annos,
Trínitas, summo celebránda plausu;
Te fide mentes, resonóque linguae
Cármine laudent.
Amen.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Ańa. Ecce María erat spes nostra, ad quam confúgimus in auxílium, ut liberáret nos, et venit in adjutórium nobis.

Oratio.

OMNIPOTENS, et miséricors Deus, qui ad defensiónē pópuli christiáni in beatíssima Vírgine María perpétuum auxílium mirabíliter constituísti: concéde propítius; ut tali praesídio muníti certántes in vita, victóriam de hoste maligno cónsequi valeámus in morte. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Sancta María Dei Génitrix Virgo, * Intercéde pro nobis. Psalmus. Veníte, exultémus Dómino. 2.

Hymnus. Saepe dum Christi, ut supra. ccxl.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Ex Sermone de xii. *Stellis.*

Lectio iv.

EHEMENTER quidem nobis, dilectíssimi, vir unus, et múlier una nocuére: sed grátias Deo, per unum nihilóminus

virum, et mulíerem unam, ómnia restaurántur, nec sine magno foenore gratiárum. Et quidem sufficere póterat Christus: síquidem et nunc omnis sufficiéntia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat, esse hóminem solum. Cóngruum magis, ut adésset nostrae reparatióni sexus utérque. Jam ítaque nec ipsa Múlier benedícta in muliéribus vidébitur otiósa: inveniétur équidem locus ejus in hac reconciliatióne. Opus est enim mediatóre ad mediatórem Christum: nec alter nobis utílior quam María. Crudélis nimium mediátrix Heva, per quam serpens antíquus pestíferum étiam ipsi viro virus infúdit: sed fidélis María, quae salútis antídotum et viris, et muliéribus propinávit. Illa enim minístra seductiónis, haec propitiatiónis, illa suggéssit praevaricatiónem, haec ingéssit redemptiónē. Quid ad Maríam accédere trépidet humána fragílitas? Nihil austérum in ea, nihil terríbile, tota suávis est, ómnibus ófferens lac, et lanam. Revólve diligéntius evangélicae históriae sériem univérsam: et si quid forte increpatórium, si quid durum, si quod dénique signum vel levis indignatiónis occúrrerit in María, de caetero suspéctam hábeas, et accédere vereáris.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, *Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans. — Dedi.

Lectio v.

QUOD si, ut vere sunt, plena magis ómnia pietátis, et grátiae, plena mansuetúdinis, et misericórdiae, quae ad eam pértinent, invéneris, age grátias ei, qui talem mediatrícem benignissima miseratióne provídit, in qua nihil possit esse suspéctum. Dénique ómnibus ómnia facta est, sapiéntibus et insipiéntibus copiosíssima charitáte debitrícem se fecit. Omnibus misericórdiae sinum áperit, ut de plenitúdine ejus accípiant univérsi, captívus redemptiónē, aeger curatiónem, tristis consolatiónem, peccátor véniam, justus grátiam, Angelus laetítiam. Ipsa praetérita non discutit mérita, sed ómnibus sese exorábilem, ómnibus clementíssimam se praebet, ómnium dénique necessitátes amplíssimo quodam miserátur afféctu. Ipsa est quondam a Deo promíssa múlier serpéntis antíqui caput virtútis pede

contritúra, cujus plane calcáneo in multis versútiis insidiátus est, sed sine causa. Sola enim contrívit univérsam haeréticam pravitátē. Contríti sunt insidiántes, conculcáti supplantatóres, confutáti derogatóres, et beátam eam dicunt omnes generatiónes. Jam si Eccléśia lunae intelligénda vidétur vocábulo, habes mediatrícem evidénter expréssam : Múlier, inquit, amícta sole, et luna sub pédibus ejus. Amplectámur Maríae vestígia, et devotíssima supplicatióne beátis illíus pédibus provolvámur. Teneámus eam, nec dimittámus, donec benedíxerit nobis : potens est enim.

℟. Quae est ista quae procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam filiae Sion, et beátam dixérunt, et regínae laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium.— Vidérunt eam filiae Sion et beátam.

Ex publicis Monumentis.

Lectio vi

PRAESENTISSIMUM Deíparae auxílium ad religiónis hostes profligándos saepe pópulus christiánus mirum in modum expértus est : ex quo factum, ut sanctíssimus Póntifex Pius quintus post insígnem victóriam, intercedénte beatíssima Vírgine, a Christiánis de Turcárum tyránno apud Echínadas ínsulas reportátam, in Litaníis Lauretánis eámdem Regínam coelórum interália praecónia Auxílium Christianórum appellári constitúerit. Sed illud in primis memorábile est, atque exploráti miráculi loco habéndum, quod cum Románus Póntifex Pius séptimus impiórum consíliis et armis, ex apostólica Petri sede exturbátus, et arcta custódia, praesértim Savónae per annos quinque, eóque ámplius fuísset deténtus, viis ómnibus pénitus interclúsis, ne Dei Eccléśiam régere posset, nullo símilis persecutiónis in priscis annálibus exémplo, inopináto, et praeter ómnium expectatiónem contigit, ut ingénti plausu, ac véluti univérsi orbis mánibus pontifício sólio restituerétur. Quod et secúndo áccidit, dum íterum commóto túrbine, ab Urbe discédens sacro comitánte Cardinálium collégio, Ligúriam conténdit. Verum praesentíssimo Dei benefício, cessánte procélla, quae grave minabátur excídium, Romam plaudéntibus prae novo gáudio pópulis, revérsus est. Antea tamen, quod

in votis habúerat, et captivitáte deténtus éxequi nequíverat, áurea coróna insígnem Savónae imáginem Deíparae Vírginis sub título Matris Misericórdiae solémni ritu propriísque mánibus decorávit. Quam mirábilem rerum vicissitúdinem idem Póntifex máximus Pius séptimus totíus evéntus íntime cónscius, cum intercessióni sanctíssimae Dei Genitrícis, cujus poténtem opem, et ipse impénse imploráverat, et ab ómnibus Christifidélibus implorári curáverat, accéptam mérito referret, in ejúsdem Vírginis Matris honórem sub appellatióne Auxílii Christianórum solémne festum indíxit perpétuo celebrándum die mensis Maii vigésimo quarto, faustíssimi sui in Urbem réditus anniversário, adprobáto étiam officio próprio, ut tanti beneficii distincta, et perénnis extet memória, et gratiárum áctio.

℣. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit. * Et vidéntes eam fíliae Sion beatíssimam praedicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto circúmdata varietáte.—Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum effúsum.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xi. *d.*

IN illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quaedam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter qui te portávit. Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis.

In Nativitate beatae Mariae Virginis.

INTUÉRE o homo consílium Dei, agnósce consílium sapiéntiae, consílium pietátis. Coelésti rore áream rigatúrus totum vellus prius infúdit: redemptúrus humánum genus, prétium univérsum cóntulit in Maríam. Altius ergo intuémini quanto devotiónis affféctu a nobis eam volúerit honorári, qui totíus boni plenitúdinem pósuit in María: ut proínde si quid spei in nobis est, si quid grátiae, si quid salútis, ab ea novérimus redundáre, quae ascéndit deliciis áffluens. Totis ergo medúllis córdium, totis praecordiórum affféctibus, et votis ómnibus Maríam hanc venerémur, quia sic est volúntas ejus, qui totum nos habére vóluit per Maríam. Haec, inquam, volúntas ejus est, sed pro nobis.

℟. Felix namque es, sacra virgo María, et omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justítiae, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque tuum sanctum implórant auxílium. — Quia.

Lectio viii.

IN ómnibus síquidem et per ómnia próvidens míseris, trepidatiónem nostram solátur, fidem éxcitat, spem róborat, diffidéntiam ábigit, érigit pusillanimitátem. Ad Patrem verebáris accédere, solo auditu térritus, ad fília fugiébas: Jesum tibi dedit mediatórem. Quid non apud talem Patrem Fílius talis obtíneat? Exaudiétur útique pro reveréntia sua: Pater enim díligit Fílium. Sed fórsitan et in ipso majestátem vereáre divínam, quod licet factus sit homo, mánserit tamen Deus. Advocátum habére vis et ad ipsum? Ad Maríam recúrre. Pura síquidem humánitas in María, non modo pura ab omni contaminatióne, sed pura singularitáte natúrae. Nec dúbius díxerim, exaudiétur et ipsa pro reveréntia sua. Exáudiet útique Matrem Fílius, et exáudiet Fílium Pater.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. — Quia fecit mihi. Glória Patri. Quia fecit mihi.

Lectio ix.

FILIOLI haec peccatórum scala, haec mea máxima fidúcia est, haec tota rátio spei meae. Quid enim? Potéstne Fílius aut repéllere, aut sustinére repúlsam? Non audíre, aut non audíri Fílius potest? Neutrum plane. Invenísti, ait Angelus, grátiam apud Deum: felíciter. Semper haec invéniet grátiam, et sola est grátia, qua egémus; nimírum sola est grátia, qua salvámur. Quid nos ália concupíscimus fratres? Quaerámus grátiam, et per Maríam quaerámus, quia quod quaerit ínvenit, et frustrári non potest. Quaerámus grátiam, sed grátiam apud Deum; nam apud hómines grátia fallax. Quaerant álii méritum, nos invenire grátiam studeámus. Quid enim? Non grátiae est quod hic sumus? Profécto misericórdiae Dómini est, quod non sumus consúmpti nos.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES.

Hymnus.

TE Redemptóris, Domínque nostri
Dícimus Matrem, speciósa Virgo,
Christianórum decus, et levámen
Rebus in arctis.

Saeviant portae licet inferórum,
Hostis antíquus fremat, et mináces,
Ut Deo sacrum populétur agmen,
Súscitet iras :

Nil truces possunt fúriae nocére
Méntibus castis, prece quas vocáta
Annuens Virgo fovet, et supérno
Róbore firmat.

Tanta si nobis fáveat Patróna,
Béllici cessat scéleris tumúltus,
Mille sternúntur, fugiúntve turmae,
Mille cohórtes.

Tollit ut sancta caput in Sióne
Turris, arx firmo fabricáta muro,
Civitas David, clypeis, et acri
Mílite tuta.

Virgo sic fortis Dómini poténti
Déxtera, coeli cumuláta donis,
A piis longe fámulis repéllit
Daemonis ictus.

Te per aetérnos venerémur annos,
Trínitas, summo celebránda plausu ;
Te fide mentes, resonóque linguae
Cármine laudent.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Ad Benedictus, Antiphona. Ad te, o sancta Dei Génitrix, clamávimus, et per te venit Dómini auxílium nobis.

Oratio.

OMNIPOTENS, et miséricors Deus, qui ad defensiónē pópuli christiáni in beatíssima Vírgine Maria perpétuum auxílium mirabíliter constituísti: concéde propítius; ut tali praesídio muníti certántes in vita, victóriam de hoste malígno cónsequi valeámus in morte. Per Dóminum.

IN II. VESPERIS.

Omnia dicuntur ut in primis. ccxl.

Ad Magnif. Ańa. Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu: séntiant omnes tuum

juvámen quicúmque tuum sanctum implórant Auxílium.

DIE XXVII. MAII.

In festo S. Joannis I., Papae et Martyr. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi unius Martyris, xxvii. praeter sequentia.

Oratio. Deus qui, xxviii.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOANNES Etrúscus, Constantíno patre génitus, totíus cleri consénsu, in locum Hormísdae vita functi, ex Presbytero títuli Pammáchii subrogátus fuit. Justíno senióre imperatóre, rexit Ecclésiam, ad quem profectus est Constantinópolim, auxílii causa, quod Theodorícus rex haereticus divexábat Itáliam. Cujus étiam iter Deus miráculis illustrávit. Nam cum ei nóbilis vir ad Corínthum, equum, quo ejus uxor mansuéto utebátur, itíneris causa commodásset : factum est, ut dómino póstea remíssus equus, ita ferox eváderet, ut frémitu, et totíus córporis agitatióne, semper deínceps dóminam expúlerit, tamquam indignarétur mulíerem recípere, ex quo sedísset in eo Jesu Christi vicárius. Quamóbrem illi equum Pontífici donavérunt.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non dereliquit eum.—Et dedit.

Lectio v.

SED illud majus miráculum, quod Constantinópoli, in áditu portae Aureae, inspectánte frequentíssimo pópulo, qui una cum imperatóre Pontífici honóris causa occúrrerat, caeco lumen restítuit. Ad cujus pedes prostrátus étiam imperátor eum veneratus est. Rebus cum imperatóre compósitis, in Itáliam rédiit, statímque epístolam scripsit ad omnes Itáliae Epíscopos, jubens eos Arianórum ecclésias ad cathólicum ritum consecráre, illud subjúngens : Quia et nos, quando fúimus Constantinópoli, tam pro religióne cathólica, quam pro regis Theodorici causa, quascúmque illis in pártibus eórum ecclésias reperíre potúimus, cathólicas eas consecrávimus.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Lectio vi.

QUOD iniquíssimo ánimo ferens Theodorícus, dolo accersítum Pontíficem Ravénnam, in cárcerem conjécit, ubi squalóre, inediáque afflictus, paucis diébus cessit e vita, cum sedísset annos duos, menses novem, dies quatuórdecim: ordinátis eo témpore Episcopis quíndecim. Paulo post móritur Theodorícus: quem quidam Eremíta, ut scribit sanctus Gregórius, vidit inter Joánnem Pontíficem, et Symmachum patrícium, quem idem occíderat, demérgi in ignem Liparitánum: ut vidélicet illi, quibus mortem attúlerat, tamquam júdices essent ejus intéritus. Joánnis corpus Ravénna Romam delátum est, et in basílica sancti Petri sepúltum.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae et intellectus: et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum. — Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evangelium: Si quis vult, de Communi. xli.

DIE XXVIII. MAII.

In festo S. Urbani I., Papae et Martyris. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi unius Martyris. xxvii. praeter sequentia

Oratio.

OA quaesumus, omnípotens Deus: ut qui beáti Urbáni Mártyris tui atque Pontíficis solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

RBANUS Románus, Alexándro Severo imperatóre, doctrína et vitae sanctitáte multos ad Christi fidem convértit: in illis Valeriánum beátae Caecíliae sponsum, et Tibúrtium Valeriáni fratrem, qui póstea martyrium forti ánimo subiérunt. Hic de bonis Ecclésiae attribútis scripsit his verbis: Ipsae res fidélium, quae Dómino

offerúntur, non debent in álios usus, quam ecclesiásticos, et christianórum fratrum, vel indigéntium convérti : quia vota sunt fidélium, et prétia peccatórum, ac patrimónia páuperum. Sedit annos sex, menses septem, dies quátuor ; ac martyrio coronátus sepúltus est in coemetério Praetextáti, octávo Kaléndas Júnii. Ordinatiónibus quinque hábitis mense Decémbri, creávit Presbyteros novem, Diáconos quinque, Epíscopos per divérsa loca octo.

℟. Honéstum. ccxlvii.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

De S. Cypriano, serm. xii.

Lectio v.

SERMONEM éxigit tam grata, et religiósa solémnitas, qua passiónem beáti Mártyris Urbáni celebrámus. Tristis proculdúbio tunc Ecclésia fuit, non damno cadéntis, sed desidério recedéntis ; semper cúpiens vidére praeséntem tam bonum rectórem, atque doctórem. Sed quos afflíxerat sollicitúdo certáminis, consoláta est coróna victóris. Et nunc non solum sine ulla tristítia, verum étiam cum ingénti laetítia, cuncta, quae tunc gesta sunt, legéndo recólimus : diéque isto gaudére nobis concéssum est, non timére. Neque enim formidámus terribíliter veniéntem, sed expectámus hiláriter redeúntem.

℟. Desidérium. ccxlviii.

Lectio vi.

VICINA córporis morte, non moriebátur in ánimo pastóris vigilántia pastorális : et cura tuéndi Domínici gregis, usque ad extrémum vitae hujus diem, mente sóbria tenebátur. Nec excutiébat ab ánimo diligéntiam fidelíssimi dispensatóris manus jam próxima cruénti carnifícis. Ita se Mártyrem cogitábat futúrum, ut esse non oblivisceréetur Epíscopum ; magis curans, quam ratiónem pastórum princípi de commíssis sibi óvibus rédderet, quam quid infidéli procónsuli de fide própria respondéret. Amábat quippe eum, qui Petro díxerat : Amas me? Pasce oves meas. Et pascébat oves ejus, pro quibus sánguinem fúndere, illum imitans se praeparábat.

℟. Stola. ccxlviii.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium : Homo péregre proficíscens, de Communi Confessoris Pontificis primo loco. lxx. Responsoria vero de Communi unius Mart. xxxvi.

DIE XXIX. MAII.

In festo S. Bonifacii IV., Papae et Confess. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Commun. Confessoris Pontificis. lxi. praeter ea quae sequuntur.

In Hymno mutatur tertius versus.

Oratio. Da quaesumus.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BONIFACIUS hujus nóminis quartus, Joánnis filius, Valériae Marsórum natus, ex mónacho sancti Sebastiáni extra Urbem, et Presbytero Cardináli, sub imperatóre Phoca, ad pontificátum assúmptus est, et consecrátus die Domínico, quinto Kaléndas Septémbris, anno Dómini sexcentésimo séptimo, sedítque annos sex, menses octo, dies trésdecim, duábus ordinatiónibus peráctis mense Decémbri, in quibus Epíscopos vigínti quínque, Diáconos octo creávit.

℟. Invéni David. ccxxvi.

Lectio v.

STATIM patérnam domum in monastérium eréxit, et fundos suos in monachórũ usum eidem monastério adscrípsit; sed ut longe majóri beneficio, hujus institúti hómines sibi obstríngeret, convocátis ad synodum Itáliae Epíscopis, sanctis légibus labéntem monachórum disciplínam restítuit. Mellítus Londinénsis Epíscopus, qui Romam vénerat, de rebus Anglicis Christi vicárium consultúrus, synodo intérfuit, illiúsque decréta, cum lítteris Bonifácii in Británniam tulit.

℟. Pósui. ccxxvi.

Lectio vi.

AB imperatóre Phoca sanctíssimus Póntifex nóbile Romae delúbrũ, Pántheon scilicet, obtínuit: Christiáno ritu consecrátum in ecclésiam Deíparae Vírgini, et sanctis Martyribus dicátam mutávit. Ad majórem sanctitátem conciliándam, incredíbilem sacrárum reliquiárum vim, ex divérsis arenáriis edúctam, inférri et juxta príncipem aram condi curávit. Dénique sub Heraclio virtúte, ac méritis clarus obdormívit in Dómino octávo Kaléndas Júnii, sepultúsque est in Vaticáno.

℟. Iste est. ccxxvii.

In tertio Nocturno, Homilia super Evang. Homo péregre proficíscens. lxx.

DIE XXX. MAII.

In festo sancti Felicis I., Papae et Martyris. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi unius Martyris. xxvii. praeter haec propria.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

FELIX Románus, patre Constántio, Aureliáno imperatóre praefuit Ecclésiae. Constítuit, ut missa supra memórias et sepúlchra Mártyrum celebrarétur. Qui cum mense Decémbri habuísset ordinatiónes duas, et creásset Presbyteros novem, Diáconos quínque, Epíscopos per divérsa loca quinque, martyrio coronátus, via Aurélia sepelítur in basílica, quam a se aedificátam dedicárat. Vixit in pontificátu annos duos, menses quátuor, dies viginti novem.

℣. Honéstum. ccxlvii.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi. *De verbis Domini.* 1.

Lectio v.

PASTOR bonus Christus. Quid Petrus? Nonne bonus pastor? Nonne et ipse ánimam suam pro óvibus pósuit? Quid Paulus? Quid caeteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi Mártyres? Quid étiam iste sanctus Felix? Nonne omnes pastóres boni, non mercenárii, de quibus dicitur: Amen dico vobis percepérunt mercédem suam? Omnes ergo illi pastóres boni, non solum, quia sánguinem fudérunt, sed quia pro óvibus fudérunt. Non enim fudérunt elatióne, sed charitáte.

℣. Desidérium. ccxlviii.

Lectio vi.

NAM et apud haerétícos qui propter iniquitátes, et errónes suos áliquid molestiárum perpéssi fuérunt, nómine martyrii se jactant: ut hoc pállio dealbáti facílius furéntur, quia lupi sunt. Si autem vultis scire, in quo número habéndi sunt, pastórem bonum Paulum Apóstolum audíte: Quóniam non omnes, qui córpora sua in passióne étiam ignibus tradunt, aestimándi sunt sánguinem fudísse pro óvibus, sed pótius contra oves. Si distribúero, inquit, ómnia mea paupéribus, et tradídero corpus meum, ut árdeam: jam ipsi sunt: sed vide quid séquitur: Charitátem autem non hábeam, nihil mihi prodest. Ecce venítur

ad passiónem, ecce venítur et ad sánguinis effusiónem, venítur et ad córporum incensiónem : et tamen nihil prodest, quia cháritas deest. Adde charitátem, prosunt ómnia: détrahe charitátem, nihil prosunt caetera.

℟. Stola. ccxlviii.

In tertio Nocturno, de Homilia in Evangelium : Si quis venit. xxxvi. de Communi.

EADEM DIE.

In festo
S. Ferdinandi III., Castellae et Legionis Regis, Conf.
Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui beáto Confessóri tuo Ferdinándo praeliári praelia tua, et fídei inimícos superáre dedísti : concéde ; ut ejus nos intercessióne muníti, ab hóstibus mentis et córporis liberémur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno

Lectio iv.

FERDINANDUS tértius, Castéllae et Legiónis rex, cui Sancti cognoméntum jam inde a quátuor saeculis ecclesiasticórum et saeculárium consénsus dedére, tantum prudéntiae adoléscens adhuc spécimen praebuit, ut Berengária mater, Castéllae regina, a qua persáncte educátus fúerat, abdicátum a se regnum in fílium transtúlerit. In eo, adjúnctis regni curis, régiae virtútes emicuére, magnanímitas, cleméntia, justítia, et prae caeteris cathólicae fídei zelus, ejúsque religiósi cultus tuéndi ac propagándi ardens stúdium. Id praestitit in primis haeréticos insectándo, quos núllibi regnórum suórum consístere passus, própriis ipse mánibus ligna comburéndis damnátis ad rogum advehébat. Praestitit insuper in erigéndis, dotándis, et consecrándis christiáno ritu Cordubénsi, Giennénsi, Hispalénsi, et aliárum úrbium Ecclésiis, Máurico ereptárum jugo, simúlque in instaurándis primáriis templis Toletáno, Burgénsi, et áliis pia et régia munificéntia.

℟. Honéstum. lxxxix.

Lectio v.

INTER haec per Castéllae et Legiónis regnum, in quo patri Alphónso succésserat, colléctis magnis exercítibus, ánnuas expeditiónes contra Saracénos, christiáni nóminis

hostes, suscépit. In quibus, ut semper vínceret, praecípui exércitus fuére preces piíssimi regis ad Deum fusae, et quod ante pugnam, ut sibi Deum propitiáret, flagris in se saeviébat, atque áspero cilício muniébat corpus : sicque insígnes contra ingéntes Maurórum ácies victórias reportávit, et plures urbes christiáno cúltui imperióque restítuit, et conquisítis Giénnii, Córdubae et Múrtiae regnis, ac Granaténsi vectígáli facto, ad expugnándam Híspalim primáriam Boeticae urbem, hortánte in visióne (ut tráditum est) beáto Isidóro, olim illíus urbis Episcopo, victrícia signa tránstulit. In ea obsidióne, ut fertur, praeséntem divínam opem hábuit : nam férream caténam, quae super Boetim transvérsim exténsa, Mahometánis pro repágulo erat, coórto validióri vento, una ex návibus régiis, regis jussu eo deláta, tanto ímpetu fregit, ut lóngius praetervécta, pontem quoque ligneum, et simul spes Maurórum obrúperit, et ad deditiónem coégerit.

℟. Amávit eum Dóminus. lxxxix.

Lectio vi.

TOT victórias beátae Vírginis Maríae patrocínio ferébat accéptas, cujus imáginem secum in castris habens, peculiári cultu prosequebátur. Capta Híspali, prima religiónis cura fuit ; nam templum Maurórum expiátum, et Christianórum dedicátum sacris, insígni archiepiscopátu, et honestíssimo canonicórum et dignitátum collégio, régia et religiósa liberalitáte exornávit. Alia deínde in urbe templa et coenóbia eréxit, inter quae pietátis offícia, dum trajícere in Africam parat, Mahometánum in ea impérium eversúrus, ad coeléstem régiam vocátur. In extrémo vitae agóne sacram Eucharístiam pro viático allátam, fune ad collum alligáto, et humi stratus, cum lácrymis ubértim fusis adórans, eáque dignis reveréntiae, humilitátis et cathólicae fídei obtestatiónibus accépta, obdormívit in Dómino. Jacet ejus corpus incorrúptum adhuc post quátuor saecula in templo máximo Hispalénsi, honorificentíssimo inclúsum sepúlchro.

℟. Iste homo perfécit ómnia. xc.

In tertio Nocturno, Homilia venerabilis Bedae Presbyteri in Evang. Nolíte timére pusíllus grex, de Communi. xcvii.

FESTA JUNII.

DIE I. JUNII.

In festo sancti Eleutherii, Papae et Martyris.
Duplex.
Pro Clero Urbis, et alibi.
Omnia de Communi unius Martyris, **xxvii.** praeter ea quae hic propria habentur.

Oratio. **Infirmitátem.**

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ELEUTHERIUS, natióne Graecus, Abúndio patre natus Nicópoli Epíri óppido, ex Presbytero sanctae Románae Ecclésiae, post Sotéris mortem, totíus cleri suffrágiis, Románus Póntifex renuntiátus est, Marco Aurélio imperatóre augústo : quo múnere egrégie, et summa cum laude functus est, annos quíndecim, dies vigínti tres: tribus ordinatiónibus mense Decémbri factis, creatísque Presbyteris duódecim, Diáconis octo, Episcopis per divérsa loca quíndecim.

℟. Honéstum. ccxlvii.

Lectio v.

AB Ecclésia Lugdunénsi per lítteras, de nonnúllis quaestiónibus consúltus, Irenaeum virum doctíssimum litterárum latórem humániter excépit, eíque apostólicas traditiónes, quas Romána Ecclésia illibátas serváverat, apéruit. Superstitiósas Montanistárum xeropháqias damnávit. Optimas leges pro recta judiciórum ecclesiasticórũ forma praescrípsit : Marciónem, et Valentínum saepius relápsos, ab Ecclésia pénitus ejécit.

℟. Desidérium. ccxlviii.

Lectio iv.

QUUM summa pace Ecclésia fruerétur, multos étiam ex optimátibus ad Christi fidem Romae convértit. A Lúcio Britannórum rege lítteras per legátos accépit, divíni verbi ministros postulánte, ad quem Fugátium, et Damiánum Románae Ecclésiae Presbyteros misit, a quibus rex ipse cum tota família, et súbditi fere omnes sacro lavácro regenerâti fuére. His demum, aliísque pro divíno cultu peráctis, sancto fine quiévit, sub imperatóre Cómmodo quinto Kaléndas Júnii, sepúltus in Vaticáno.

℟. Stola. ccxlviii.

In tertio Nocturno, Homília in Evang. **Si quis venit,** de Communi. **xxxvi.**

DIE II. JUNII.

In festo sancti Eugenii I., Papae et Conf. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Comm. Conf. Pontif. lxi. praeter ea quae hic propria adnotantur.

In Hymno mutatur tertius versus.

Oratio. Da quaesumus.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BEATO Martíno hujus nóminis primo, tyránnica haerétici imperatóris sententia Chersónam relegáto, Theodóro exárcho instánte, Eugénius, pátria Románus, qui fere a cunábulis, sacro clericórum órdini se addíxerat, abséntis Pontíficis vices gessit, ne Románae Ecclésiae administrátio cessásse omníno viderétur ; sed hac revéra potestáte modéste uti visus est, cum probe sciret, Martíno vivénte, se legítimum Pontíficem non esse, sed illíus dumtáxat quasi vices geréntem.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus enim.

Lectio v.

UBI vero praedíctus Christi Martyr aerúmnis, et inédia confectus, ad beátam vitam migravísset, in cáthedra Petri, clero consentiénte, ut legítimus Petri succéssor sedit, et in illo apostólici ministérii cúlmine, talem se gessit, qualem suprémi múneris ei créditi dignitas, et ómnium Christi fidélium ejus curae commissórum salus, et utílitas postulábant ; mitis enim fuit, benígnus, et mansuétus ; et quod caput est, vitae sanctimónia illústris.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vi.

SINGULAREM cleri curam hábuit, quem patérno semper amóre, et multis beneficiis prosecútus est. In egénos tamen mirábilis ejus beneficéntia enítuit, quibus réditus Ecclésiae vivens, et móriens liberáli manu erogávit, appríme ratus Ecclésiae opes ad nobilióres usus applicári non posse, et ex mánibus indigéntium ad aeternitátis aerárium cum incredíbili spirituális usúrae lucro recta tradúci. Trans-

áctis demum duóbus annis et novem fere ménsibus, sancto fine quiévit, anno Christi sexcentésimo quinquagésimo quinto, et ejus corpus in basílica sancti Petri recónditum fuit.

℟. Iste est qui ante Dèum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Nocturno, Homilia super Evangelium : **Homo péregre. lxx.**

Nona Lectio (ex duabus una) SS. Marcellini, Petri et Erasmi, cum eorum Commemoratione in Laudibus.

DIE XII. JUNII.

In festo S. Leonis III., Papae Conf. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Comm. Conf. Pont. lxi. praeter sequentia.

Oratio. Da quaesumus.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

VEO, hujus nóminis tértius, Románus ex patre Asúppio, a puerítia in Vestiário patriarchii Lateranénsis, in omnem ecclesiásticam, ac divínam disciplínam educátus, ex mónacho sancti Benedícti, Présbyter Cardinális, ac demum Póntifex máximus, incredíbili ómnium consensióne, ipso die óbitus Adriáni creátus est, anno septingentésimo nonagésimo quinto, sedítque in sancta Petri sede annos vigínti, menses quinque, dies decem et septem.

℟. Invéni David. cclv.

Lectio v.

TALEM se in pontificátu exhíbuit, qualem se ante assumptiónem praebúerat ; piíssimum scílicet, mitíssimum, singulári in Deum religióne, erga próximum charitáte, pruděntia in rebus geréndis, páuperum, aegrorúmque paréntem, Ecclésiae defensórem, divíni cultus promotórem, útpote qui máxima quaeque pro Christo, et Ecclésia sédulo praestitit, et patiénter tolerávit.

℟. Pósui. cclv.

Lectio vi.

CUM ab ímpiis, érutis óculis, et confóssus vulnéribus semivívus relíctus fuísset, postrídie per insígne miráculum sanus invéntus est, iisdémque parricídis vitam suis précibus obtínuit. Cárolo Magno Francórum regi Románum

impérium détulit ; peregrínis amplíssimum xenodochium, extrúxit ; patrimóniũ aliósque fundos paupéribus adscripsit. Basílicas Urbis, praesértim Lateranénsem (in cujus patriarchío Triclíniũm magnum super ómnia Triclínia fundávit) et sacras aedes tot, ac tantis divítiis cumulávit, ut fidem omnem superáre videátur. Vitam demum religiosíssimam pio fine coronávit, prídie Idus Júnii anno Dómini octingentésimo décimo sexto, et sepúltus est in Vaticáno.

℟. Iste est qui. cclvi.

In tertio Nocturno, Homilia super Evangelium : Homo péregre. lxx. cum nona Lectione SS. Basilidis et sociorum Martyrum (ex duabus una) eorumque Commemoratione in Laudibus.

DIE XVI. JUNII.

In festo S. Joannis Francisci Regis, Confessoris. Societatis Jesu. Duplex.

Pro aliquibus locis.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii.

In Hymno mutatur tertius versus.

Oratio.

DEUS, qui ad plúrimos pro salúte animárum perferéndos labóres beátum Joánnem Francíscum Confessórem tuum mirábili charitáte, et invícta patiéntia decorásti : concéde propítius ; ut ejus exémplis instrúcti, et intercessiónibus adjúti, aetérnae vitae praemia consequámur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

IOANNES Franciscus Regis, nóbili génere natus, in oppídulo Narbonénsis Gálliae, cui nomen Fonscoopértus, exímiae sanctitátis a téneris annis indícia praebuit. In eo jam tum eluxére mira morum innocéntia, flagrans oratiónis stúdium, pudor, et modéstia singuláris. Societátem Jesu ingréssus Tolósae anno aetátis decimonóno, humilitáte, obediéntia, charitáte, ódio sui, caeterísque vitae religiósae virtútibus excélluit. Absolútis stúdiis, totum se procurándae animárum salúti pénitus devóvit. Asperos Vivariénsium, Velaunórum, et Forénsium montes, et ingéntes Helvió… tractus, glácie, nivibúsque fere perpétuis hórridos, eorúmque colónos inscítia, rusticitáte, barbárie intractábiles suscépit excoléndos, eo succéssu, ut innumerábiles hómines, aut

Calviniána lue inféctos, aut pérditis móribus corrúptos, ad cathólicam fidem, et ad christiánam pietátem tradúxerit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit illi.

Lectio v.

CAMPESTRIBUS missiónibus hibérno témpore perfúnctus, aestívo revertebátur Anícium, ibíque in nosocomiis, et in carcéribus, in privátis aedibus, in cómpitis, ac templis omne hóminum genus, ómnibus ómnia factus sublevábat. Páuperum greges corrogátis úndique subsídiis praesértim cum saevíret fames, multiplicáto étiam non semel per miráculũ fruménto, sustentábat, unde illi patris páuperum cognómen índitum fuit. In flagitiósis homínibus, et pérditis praesértim muliérculis e vitiórum coeno educéndis, vix credíbile est quot probra, ludíbriaque pertúlerit, erécto semper et álacri vultu impertérritus, licet gládiis júgulo saepe admótis ; álapis ori impáctis et fústibus córpori. Grassánte peste, infírmos eo morbo laboránte sédulo invísens, ardénti refíciébat charitáte. Erga álios blandus, ac benéficus, in se ipsum saeviébat acérrime, ásperis cilíciis, férreis caténis, cruéntis flagellatiónibus, somnum bréviter in nuda tábula, aut humi carpens, semper abstémius, vilissimóque semper víctitans cibo, et ádeo ténui, ut arcéndae morti pótius, quam substentándae vitae sufficeret.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas paradísi.

Lectio vi.

DIVINO amóre sic erat incénsus, ut illum unum spiráre, loqui, cogitáre viderétur. Plures noctis horas oratióni dabat, coeléstibus áffluens delíciis, et extra se saepe raptus. Rem divínam ea ánimi attentióne, eo vultus ardóre faciébat, ut sacrum, quo effervescébat, ignem, étiam in adstántes diffúnderet. Miráculis, aliísque donis supernaturálibus mire cláruit. Tandem vocátus ad praemia labórum, in Viennénsis dioecésis pago, cui

nomen est Lalovéscus, corréptus lethali morbo ex labóribus contrácto, cum saeviret hiems frigidíssima, coeléstibus recreátus illustratiónibus, ad aetérna gáudia invitátus, spíritum Creatóri réddidit anno millésimo sexcentésimo quadragésimo, die trigésima prima Decémbris, vitae suae quadragésimo quarto. Ejus sepúlchrum incredíbili populórum per aspérrimos montes úndique confluéntium concúrsu, ob sanctitátis et miraculórum famam, quae máxime percrebrescébat, summa devotióne est frequentátum. Quibus ómnibus permótus Clemens undécimus, Póntifex máximus, Joánnem Franciscum Beatórum, Clemens vero duodécimus Sanctórum fastis solémni ritu adscrípsit, die decimasexta Júnii ejúsdem celebrándae festivitáti a Benedícto decimoquárto assignáta.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia te vidi justum. Glória Patri. Quia te vidi justum.

In tertio Nocturno, Homília in Evang. Sint lumbi, ut in eodem Communi. xcii.

DIE XX. JUNII.

In festo S. Silverii, Papae et Martyris. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi unius Martyris. xxvii. praeter sequentia.

Oratio. Infirmitátem.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SILVERIUS Campánus, post Agapítum próxime Póntifex creátus est : cujus doctrína et sánctitas illúxit in insectándis haeréticis, et constántis ánimi magnitúdo perspécta est in tuéndo judício Agapíti. Nam Anthimum, quem, quia Eutychiánam haeresim defendébat, Agapítus ab episcopátu Constantinopolitáno deposúerat, cum a Theodóra Augústa saepíssime rogátus esset, restitúere nóluit.

℟. Honéstum. ccxlvii.

Lectio v.

QUAMOBREM iráta múlier mandat Belisário, ut Silvérium mittat in exílium. Qui exulávit in ínsula Póntia, unde his

verbis scripsísse fertur ad Amatórem Epíscopum : Susténtor pane tribulatiónis, et aqua angústiae, nec tamen dimísi, aut dimítto officium meum. Quod re ipsa probávit : nam ibi coácto concílio multórum Episcopórum, quaedam constítuit, quae ad integritátem fídei cathólicae, et ad restituéndam ecclesiásticam disciplínam pertinébant. Ubi brevi incómmodis, aerumnísque confléctus, obdormívit in Dño, duodécimo Kaléndas Júlii ; cujus sepúlchrum multis miráculis illustrátum fuit : cum Ecclésiae praefuísset annos tres et ámplius, creátis mense Decémbri Presbyteris trésdecim, Diáconis quinque, Epíscopis per divérsa loca decem et novem.

℟. Desidérium. ccxlviii.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

De S. Cypriano, serm. xii.

Lectio vi

SERMONEM éxigit tam grata, et religiósa solémnitas : qua passiónem beáti Mártyris Silvérii celebrámus. Tristis proculdúbio tunc Ecclésia fuit, non damno cadéntis, sed desidério recedéntis ; semper cúpiens vidére praeséntem tam bonum rectórem, atque doctórem. Sed quos afflíxerat sollicitúdo certáminis, consoláta est coróna victóris. Et nunc non solum sine ulla tristítia, verum étiam cum ingénti laetítia, cuncta, quae tunc gesta sunt, legéndo recólimus ; diéque isto gaudére nobis concéssum est, non timére. Neque enim formidámus terribíliter veniéntem, sed expectámus hiláriter redeúntem.

℟. Stola. ccxlviii.

In tertio Nocturno, Homilia super Evang. Si quis venit. xxxvi. Octavum ℟. Dómine praevenísti. xxxvii.

DIE XXV. JUNII.

In festo S. Gallicani, Martyris. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi unius Martyris. xxvii. praeter ea quae hic propria adnotantur.

Oratio.

DEUS, qui beátum Gallicánum Mártyrem ad tui cognitiónem mirabíliter perduxísti, et per eum novo Ecclésiam tuam charitátis exémplo illustráre dignátus es: concéde propítius ; ut ejúsdem précibus, et imitatióne promíssa misericórdibus praemia consequámur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

GALLICANUS vir consuláris, et triumphali honóre claríssimus, sua virtúte, et militári glória Constantíni Augústi sibi grátiam conciliávit. Magis autem, quae Dei sunt quaerens, a sanctis Joánne, et Paulo coelésti luce perfúsus, et Evangélii doctrína eruditus, Jesu Christi fidem ore simul, atque ópere profitéri coepit. Nam cum sancto Hilaríno ad Ostia Tiberína secédens, peregrinórum atque infirmórum curae, et servitúti se totum addixit, cujus rei fama toto orbe divulgáta, multi úndique illuc confluéntes vidébant virum ex patrítio, et cónsule lavántem páuperum pedes, ponéntem mensam, aquam mánibus effundéntem, languéntibus sollícite ministrántem; dénique tamquam Christo ipsi, mínimis ejus, scílicet mendícis, et peregrínis officia étiam humíllima exhibéntem.

℣. Honéstum fecit illum Dñus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: ℟. Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum — Et dedit illi.

Lectio v.

HIS misericórdiae opéribus, quae frátribus exhíbuit, Patris coeléstis misericórdiam proméritus est, et passióne Christo Fílio Dei consociári. Cum enim impérium impius apóstata Juliánus adéptus esset, Gallicánus ex illa misericórdiae sede, et páuperum, ac peregrinórum hospítio pulsus Alexandríam perréxit, ubi eum Rauciánus judex sacrificáre daemóniis, idest Ethnicórum diis, imperávit. Verum Christi miles júdicis minas contémnens, nec curans illécebras, nullum honórem idólis Géntium, tamquam mórtuis simulácris, sed Deo vivo tribuéndum docens, torméntis, et morti se parátum exhíbuit. Itaque gládio percússus, vitam páuperum servítio nóbilem, glorióso martyrio consummávit.

℣. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dñe, ℟. Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Ex Oratióne S. Gregórii Nysséni.

Append. Gretseri pag. 237. *sive tom.* iii. *oper. S. Greg.*

Lectio vi.

FRANGE esuriénti panem tuum, et egénos sine tecto induc in domum tuam. Multam nobis hoc tempus affert nudórum, vagorúmque cópiam. Hóspites, exulésque non desunt; ubíque licet protensas opem implorántium manus aspícere. His aer sub dio tectum praebet. Pórticus, et bívia, et partes fori magis desértae sunt hospítia: nyctícoracum, et noctuárum more in cavérnis látitant. Pannósis, attrítis, et lacerátis tegúntur induméntis. Agricultúrae fructus est illis miserántium ánimi benígnitas. Cibus, si quid ab accedénte quópiam impetráverint, pótio éadem, quae brutis animántibus, nimírum fontes. Vagam, et agréstem tradúcunt vitam calamitátibus, et necessitáte compúlsi. His necessária victui suppédita tu, qui jejúnas. Erga fratres calamitósos benígnus esto; quod ventri súbtrahis, tríbue esuriénti.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dñus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dñus pane vitae et intellléctus: et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum.—Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* x. *v.* xxx.

IN illo témpore Suscípiens Jesus dixit: Homo quidam descendébat ab Jerúsalem in Jéricho, et íncidit in latrónes, qui étiam despoliavérunt eum, et plagis impósitis abiérunt, semivívo relícto. Et réliqua.

Homília beáti Gregórii Nazianzéni.

Ex oratione xvi. *tom.* i.

URGEMUR ítaque per misericórdiae officia, labésque, et sordes ánimae extergámus, ac dealbémur álii ut lana, álii ut nix, pro misericórdiae vidélicet proportióne; atque ut formidabílius áliquid dicam, si nulla est tibi confráctio, neque livor, nec plaga tumens, nec ulla ánimae lepra, aut significatiónis tactus, aut candor, quae a lege quidem exígue curabántur, médicam autem Christi manum requírunt; at certe eum, qui salútis nostrae causa vulnéribus, et languóre affléctus est, veneráre. Veneráberis autem, si te Christi membro benígnum, atque humánum praebeas. Quod si te fortásse animárum nostrárum praedo, et tyrán-

nus, vel ab Jerúsalem in Jérico descendéntem, vel álibi úspiam inérmem, et imparátum offéndens ita sanciávit, ut ne medicínam quidem exquíras, heu plagam sane gravíssimam, calamitatémque altíssime grassántem!

℟. Coróna áurea super caput ejus,* Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Expréssa signo.

Lectio viii.

AT mihi quidem hoc quoque nómine necessária esse benígnitas, et misericórdia erga páuperes vidétur, ut iis, qui de illis ita séntiunt, os obstruámus, nec inánibus verbis cedámus, crudelitátis legem advérsus nosmetípsos sancciéntes. Caeterum ómnium máxime divíno mandáto, et exémplo moneámur. Quodnam porro hoc mandátum est? at vidéte quaeso quam constans sit, atque sincérum. Neque enim homínibus Spíritu sancto afflátis sat fuit semel, atque íterum de paupéribus sermónem habuísse; nec quidam dumtáxat de his rebus verba fecérunt, réliqui mínime; aut álii copiósius, álii párcius, velut de re non ita magna, nec ádmodum necessária: verum et omnes in univérsum, et sédulo quisque vel primo, vel in primis ad eam rem nos hortántur, nunc admonéntes, nunc comminántes, nunc exprobrántes, nonnúnquam étiam eos, qui virtútis hujus múnere fungúntur, láudibus efferéntes; nimirum, ut per admonitiónis assiduitátem eo nos addúcant, ut hoc mandátum exequámur.

℟. Hic est vere martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit:* Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénae dignitátis glóriam quaesívit, sed ad coeléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

VERUM díxerit fortásse áliquis, haec pro paupéribus illis, et inópibus dicta sunt, qui injúria afficiúntur. Sit ita sane; nam de hoc litem nullam movébo. At hoc quoque tamen ad colénda humanitátis offícia te extímulet. Quorum enim, si quid injúriae eis inferátur, tanta rátio habétur, iisdem certe benefício affectis ámplior,

et ubérior est grátia. Nam si qui páuperem déspicit, eum a quo factus est, ad iram concitat; non dúbium est, quin opíficem honóre afficiat, qui ipsíus opus complécitur. Rursus cum audis : Pauper, et dives occurrérunt sibi, utrúmque autem creávit Dóminus, ne illum quidem páuperem, hunc autem dívitem ab eo creátum intélligas, ex eóque in páuperem insurgéndi ansam accípias. Nam Dei figméntum utérque est : tamétsi, quod ad res extérnas áttinet, díspari conditióne sint. Hoc te ad miseratiónem, et charitátem inflécat.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XXIX. JUNII.

Pro Commem. omnium SS. Apostolorum.

In utrisque Vesperis et Laudibus festi SS. Petri et Pauli, Aña et ℣. de Communi. ii.

Oratio.

DEUS, qui nos per beátos Apóstolos tuos ad agnitiónem tui nóminis venire tribuísti : da nobis eórum glóriam sempitérnam et proficiéndo celebráre, et celebrándo proficere. Per Dóminum.

Ubi concessa est, fit sequens Commemoratio.

In primis Vesperis, Aña. In hoc cognóscent omnes, quia discípuli mei estis, si dilectiónem habuéritis ad ínvicem.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutáris noster : et ómnium sanctórum Apostolórum tuórum tuére praesídiis, quorum donásti fidéles esse doctrínis : Qui vivis et regnas.

Ad Laudes, Aña. Vos qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicántes duódecim tribus Israël.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terrae verba eórum.

In secundis Vesperis, Aña. Vos amíci mei estis, si fecéritis quae ego praecípio vobis, dicit Dóminus.

℣. Gloriósus in sanctis suis, fáciens mirabília. ℟. Hic Deus meus et glorificábo eum.

I. DIE NON IMPEDITA

post tertio Kal. Julii.

In festo S. Irenaei, Episcopi et Martyris. Duplex.

Romae et in Districtu.

Omnia de Comm. unius Mart. xxvii. exceptis iis, quae hic propria habentur.

Oratio.

DEUS, qui beáto Irenaeo Mártyri tuo atque Pontífici tribuísti, ut et veritáte doctrínae expugnáret haereses, et pacem Ecclésiae feliciter confirmáret ; da quaesumus plebi tuae in sancta religióne constántiam, et pacem tuam nostris concéde temporibus. Per Dóminum.

In primo Nocturno.

De Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio i. *Cap.* ii. *v.* xv.

SOLLICITE cura teípsum probábilem exhibére Deo, operárium inconfusíbilem, recte tractántem verbum veritátis : profána autem, et vaniloquia devíta : multum enim proficiunt ad impietátem : Et sermo eórum ut cancer serpit, ex quibus est Hymenaeus, et Philétus, qui a veritáte excidérunt, dicéntes : resurrectiónem esse jam factam, et subvertérunt quorúmdam fidem. Sed firmum fundaméntum Dei stat, habens signáculum hoc : cognóvit Dóminus, qui sunt ejus : et discédat ab iniquitáte omnis, qui nóminat nomen Dómini. In magna autem domo non solum sunt vasa áurea, et argéntea, sed et lígnea, et fictília : et quaedam quidem in honórem, quaedam autem in contuméliam. Si quis ergo emundáverit se ab istis, erit vas in honórem sanctificátum, et útile Dño, ad omne opus bonum parátum. Juvenília autem desidéria fuge, sectáre vero justítiam, fidem, charitátem, et pacem cum iis, qui invocant Dóminum de corde puro. Stultas autem, et sine disciplína quaestiónes devíta, sciens quia génerant lites. Servum autem Dómini non opórtet litigáre, sed mansuétum esse ad omnes, docíbilem, patiéntem, cum modéstia corripiéntem eos, qui resístunt veritáti, nequándo Deus det illis poeniténtiam ad cognoscéndam veritátem, et resipíscant a diáboli láqueis, a quo captívi ténentur ad ipsíus voluntátem.

℟. Iste sanctus pro lege Dei. xxx.

Lectio ii.

Cap. iii. *v.* i. *et seq.*

HOC autem scito, quod in novíssimis diébus instábunt témpora periculósa : erunt hómines seípsos amántes, cúpidi, eláti, supérbi, blasphémi, paréntibus non obediéntes, ingráti, scelésti, sine affectióne, sine

pace, criminatóres, incontinéntes, immítes, sine benignitáte, proditóres, protérvi, túmidi, et voluptátum amatóres magis quam Dei; habéntes spéciem quidem pietátis, virtútem autem ejus abnegántes. Et hos devíta: ex his enim sunt, qui pénetrant domos, et captívas ducunt muliérculas onerátas peccátis, quae ducúntur váriis desidériis: semper discéntes, et nunquam ad sciéntiam veritátis perveniéntes. Quemádmodum autem Jannes, et Mambres restitérunt Móysi: ita et hi resístunt veritáti, hómines corrúpti mente, réprobi circa fidem. Sed ultra non proficient; insipiéntia enim eórum manifésta erit ómnibus, sicut et illórum fuit. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónē, patiéntiam, persecutiónes, passiónes; quália mihi facta sunt Antiochíae, Icónii, et Lystris, quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur. Mali autem hómines, et seductóres proficient in pejus, errántes, et in errórem mitténtes.

℟. Justus. xxxi.

Lectio iii.

TU vero pérmane in iis, quae didicísti, et crédita sunt tibi, sciens a quo didíceris: et quia ab infántia sacras lítteras nosti, quae te possunt instrúere ad salútem, per fidem, quae est in Christo Jesu. Omnis Scriptúra divínitus inspirata útilis est ad docéndū, ad arguéndum, ad corripiéndum, ad erudiéndū in justítia: ut perféctus sit homo Dei ad omne opus bonum instrúctus. Testíficor coram Deo et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos, et mórtuos per advéntum ipsíus, et regnum ejus. Praedica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia, et doctrína. Erit enim tempus, quum sanam doctrínā non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus: et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístae, ministérium tuum imple.

℟. Iste cognóvit. xxxi.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

IRENAEUS, non longe ab urbe Smyrna in Asia proconsulári natus, jam inde a púero sese

Polycárpo Joánnis Evangelístae discípulo, eidémque Epíscopo Smyrnaeórum tradíderat in disciplínam. Hoc tam excellénti magístro, progréssus in doctrína praeceptísque christiánae religiónis insígnes fecit. Polycárpo in coelum Martyrii glória subláto, etsi erat Irenaeus in sacris lítteris egrégie versátus, quod tamen incredíbili stúdio flagráret discéndi, quae dógmata depósiti loco custodiénda caeteri accepíssent, quos Apóstoli institúerant; horum quam pótuit plures convénit, quaeque ab iísdem audívit, mémori mente ténuit, ea deínceps opportúne advérsus haereses allatúrus, quas quum vidéret ingénti pópuli christiáni damno látius in dies manáre, diligénter, copioséque reféllere cogitárat. In Gállias inde proféctus a Photíno Epíscopo Présbyter est constitútus Ecclésiae Lugdunénsis. Quod munus sic laborándo in verbo, et doctrína gessit, ut (téstibus sanctis Martyribus, qui Marco Aurélio imperatóre, strénue pro vera pietáte certárant) aemulatórem sese praestíterit testaménti Christi.

℟. Honéstum fecit. cclxi.

Lectio v.

QUUM Mártyres ipsi, clerúsque Lugdunénsis de pace Ecclesiárum Asiae, quam Montanistárum fáctio turbárat, sollíciti cum primis essent, Irenaeum, cujus esse potíssimum habéndam ratiónem praedicábant, unum ómnium máxime delegérunt, quem Romam ad Eleuthérium Pontíficem mítterent rogátum, ut novis sectáriis auctoritáte sedis apostólicae reprobátis, discordiárum causa tollerétur. Jam Photínus Epíscopus Martyr decésserat, huic Irenaeus quum successísset, tam feliciter munus óbiit episcopátus, ut sapiéntia, oratióne, exemplóque suo non modo brevi cives Lugdunénses omnes, sed multos étiam aliárum Gálliae úrbium íncolas superstitiónem, atque errórem abjecísse, dedísseque christiánae milítiae nómina víderit. Intérea, quum de die celebrándi Páschatis orta esset conténtio, ac Victor Románus Póntifex Asiános Epíscopos ab collégis réliquis fere ómnibus dissidéntes aut prohibuísset communióne sacrórum, aut prohibére minátus esset, eum Irenaeus, sequéster pacis, decénter mónuit, exemplísque usus Pontíficum superiórum indúxit, ut ne tot Ecclésias ob ritum, quem a majóribus accepísse se dícerent, avélli ab unitáte cathólica paterétur.

℟. Desidérium. cclxi.

Lectio vi.

QULTA scripsit, quae Eusébius Caesariénsis, et sanctus Hierónymus mémorant, quorúmque pars magna intércidit injúria témporum. Extant ejus advérsus haereses libri quinque anno círciter centésimo octogésimo perscripti, dum adhuc Eleuthérius rem christiánam públicam géreret. In tértio libro vir Dei ab iis edóctus, quos auditóres constat fuísse Apostolórum, grave in primis atque praeclárum de Romána Ecclésia, deque illíus Episcopórum succession̄e divínae traditiónis fidéli, perpétua, certíssima custóde dixit. Atque ad hanc, dixit, Ecclésiã propter potiórem principalitátem necésse est omnem convenire Ecclésiam, hoc est eos, qui sunt úndique fidéles. Postrémo una cum áliis prope innumerabílibus, quos ipse ad veram fidem, frugémque perdúxerat, Martyrio coronátus migrávit in coelum, anno salútis ducentésimo secúndo, quo témpore Septímius Sevérus Augústus eos omnes, qui constántes in colénda christiána religióne perstáre voluíssent, in summum cruciátum dari, atque intérfici imperáverat.

℟. Stola. cclxii.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii.

Cap. v. *v.* xi. *et sequent.*

IN illo témpore : Dixit Jesus Pharisaeis : Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. cxxxviii. *de Verbis Domini.*

AUDIVIMUS Dóminum Jesum commendántem nobis boni pastóris officium. In qua commendatióne admónuit nos útique, ut intélligi datur, bonos esse pastóres. Et tamen ne intelligerétur pervérso modo multitúdo pastórum : ego sum, inquit, Pastor bonus : et unde sit pastor bonus, consequénter osténdit : Pastor, inquit, bonus ánimam suam ponit pro óvibus. Pastor ergo bonus Christus. Quid Petrus ? nonne bonus pastor ? nonne et ipse ánimam suam pro óvibus pósuit ? Quid Paulus ? Quid caeteri Apóstoli ? Quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi Mártyres ? nonne omnes pastóres boni ?

℟. Coróna áurea. cclxiii.

Lectio viii.

OMNES ergo isti pastóres boni, non solum quia sánguinem fudérunt, sed quia pro óvibus fudérunt. Non enim fudérunt elatióne, sed charitáte. Quómodo autem habet vel exíguam charitátem, qui étiam convíctus non amat unitátem? Hanc Dñus unitátem comméndans pastóribus bonis, nóluit multos appellâre pastóres. Neque enim, ut dixi, jam non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apóstoli caeteri, et posterióres sancti Episcopi. Omnes hi pastóres boni; et tamen ille pastóribus bonis non commendávit pastóres bonos, sed pastórem bonum.

℟. Hic est vere. cclxiii.

Lectio ix.

QUID est ergo, quod pastóribus bonis comméndas unum pastórem, nisi quia in uno pastóre doces unitátem? Et expónit apértius ipse Dñus per ministérium nostrum ex ipso Evangélio commémorans charitátem vestram, et dicens (audíte quid commendávit:) Ego sum Pastor bonus, dixi: quia omnes caeteri, omnes pastóres boni membra mea sunt. Unum caput, unum corpus, unus Christus. Ergo et pastor pastórum, et pastóres pastóris, et oves cum pastóribus sub pastóre. Mérito Christus in se habens omnes pastóres bonos, unum comméndat, dicens: Ego sum, unus sum, mecum omnes in unitáte unum sunt. Qui extra me pascit, contra me pascit. Qui mecum non cólligit, spargit.

Te Deum laudámus. 17.

FESTA JULII.

DIE III. JULII.

In festo S. Pauli I., P. C.
Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter sequentia.

In Hymno mutatur tertius versus.

Oratio. Da quaesumus.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PAULUS hujus nóminis primus, natióne Román-nus, patre Constantíno, post óbitum Stéphani tértii germáni fratris, anno Christi septingentésimo, quinquagésimo séptimo in ejus locum, novo exémplo, subrogátus est. Sed hoc exímiae illíus virtúti debebátur. Cum enim a Gregório secúndo in Pa-

triarchío Lateranénsi, una cum fratre, a primis annis ad christiános mores, et omnem eruditiónem ecclesiásticam egrégie formátus fuísset, digniórem clerus non hábuit, quem perturbatíssimis illis tempóribus, pio fratri successórem elígeret.

℟. Invéni David. cclv.

Lectio v.

CONSTANTINUM Coprónymum, lítteris per legátum ad eum missis, semel atque íterum sollicitávit, ut saniórem doctrínam amplecterétur; sed haeréticus, et indurátus princeps sollíciti pastóris vocem audíre nóluit, et in Cathólicos, ac praecípue in mónachos saevíre non cessávit: quorum plúrimi, ut a tyránno se subdúcerent, in Itáliam se recepérunt, quos benígne Paulus excépit, iísque templa, et monastéria, cóngruis instrúcta redítibus assignávit, in quibus Graeca lingua, et pátrio ritu sacra perágerent.

℟. Pósui. cclv.

Lectio vi.

EXTANT multae illíus epístolae ad Pipínum Francórum regem scriptae, in quibus grátias agit óptimo, et de Romána Ecclésia benemérito príncipi, pro suscépta Ecclésiae contra Longobardórum irruptiónes defensióne; eúmque raris elógiis cumulátum impénse hortátur, ne unquam a coepto desístat. Cum autem coemetéria extra muros a Longobárdis díruta fuíssent, multas inde Sanctórum exúvias, ne bárbaris in praedam céderent, in Urbem íntulit; quarum non módicam partem in ecclésiam monastérii a se constrúcti in patérnis aedibus, et pingui censu ditáti, collocávit. Caeterum si quid ipsi témporis resídui ecclesiástici regíminis cura relínqueret, id totum aléndis Christi paupéribus, aegris, víduis, ac deténtis in cárcere consolándis, liberandísque oppréssis aere aliéno impéndit. Et tandem matúrus coelo pie óbiit, undécimo pontificátus anno jam ínito, et in Vaticáno sepúltus est.

℟. Iste est qui. cclvi.

In tertio Nocturno, Homilia super Evangelium: Homo péregre. lxx.

Dominica prima non impedita post festum SS. Apostolorum Petri et Pauli.

COMMEMORATIO

Omnium SS. S. R. E. Summorum Pontificum.

Duplex.

AD VESPERAS.

Antiphona. Sancti tui, Dómine, florébunt, cum

reliquis de Laudibus. cclxxv. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis de Communi Apostolorum. ii.

Capítulum. Fratres, Mementóte. Hymnus. Rex glorióse Praesulum. cclxxv.

℣. Exáltent eos in ecclésia plebis. ℟. Et in cáthedra seniórum laudent eos.

Ad Magnif. Añа. Sacerdótes Dei benedícite Dóminum, servi Dñi hymnum dícite Deo, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis, et amóre domináris: da spíritum sapiéntiae, suffragántibus méritis Antístitum Ecclésiae tuae, quibus dedísti régimen disciplínae; ut de profféctu sanctárum óvium, fiant gáudia aetérna pastórum. Per Dñum.

Et fit Commemoratio Dominicae occurrentis.

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum Príncipem Pastórum: * Veníte, adorémus. Ps. Veníte. 2.

Hymnus.

AETERNA Christi múnera,
Et glóriam Pontíficum,
Laudes canéntes débitas,
Laetis canámus méntibus.

Ecclesiárum Príncipes,
Belli triumpháles duces;
Coeléstis aulae mílites,
Et vera mundi lúmina.

Devóta Sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cháritas,
Mundi triúmphat Príncipem.

In his Patérna glória,
In his volúntas Spíritus,
Exúltat in his Fílius,
Coelum replétur gáudio.

Te nunc Redémptor, quaesumus,
Ut ípsórum consórtio
Jungas precántes sérvulos,
In sempitérna saecula.
Amen.

Añae Psalmi et ℣℣. Nocturnorum dicuntur de Communi Apostolorum. v.

In primo Nocturno.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap* xliv.

LAUDEMUS viros glorióso, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a saeculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua praediti, nuntiántes in Prophétis dignitátem Prophetárum, et imperántes in praesénti pópulo, et virtúte prudéntiae pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupó-

rum, dicit Dñus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbae. ℣. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis.—Estóte.

Lectio ii.

HOMINES dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes, pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suae glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum; et sunt quorum non est memória; periérunt quasi qui non fúerint; et nati sunt quasi non nati, et fílii ipsórum cum ipsis.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et discite a me, quia mitis sum, et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris.—Jugum.

Lectio iii.

SED illi viri misericórdiae sunt, quorum pietátes non defuérunt ; cum sémine eórum pérmanent bona, haeréditas sancta nepótes eórum : et in testaméntis stetit semen eórum, et fílii eórum propter illos usque in aetérnum manent; semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt; et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórũ narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

℟. Dum stetéritis ante reges et praesides, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis, qui loquímini : sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis.—Dábitur. Glória Patri. Dábitur.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

In festo S. Malachiae Episc.

Lectio iv.

CONGRATULEMUR, fratres, congratulémur, ut dignum est, Pontifícibus nostris : quia et pium est defúnctos plángere, et pium magis congaudére vivéntibus. Numquid non vivunt? Et beáte. Nimírum visi sunt óculis insipiéntium mori, illi autem sunt in pace. Dénique jam concíves Sanctórum, et doméstici Dei psallunt páriter, et grátias agunt, dicéntes : Transívimus per ignem, et aquam, et indúxisti nos in refrigérium. Transivérunt plane viríliter,

et felíciter pertransiérunt. Transivérunt per ignem, et aquam, quos neque trístia frángere, nec detinére mólli potuérunt.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes splándidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium coelum, voce magna clamántem, et dicéntem.—Isti sunt viri.

Lectio v.

LAETEMUR, quod Pontífices nostri ascendérunt ad cives suos, pro filiis captivitátis legatióne fungéntes, corda nobis conciliántes Beatórum, vota illis intimántes miserórum. Laetémur, inquam, et exultémus, quia coeléstis illa cúria ex nobis habet, quibus sit cura nostri, qui suis nos prótegant méritis, quos informavérunt exémplis, miráculis confirmavérunt. Sancti Pontífices, qui in spíritu humilitátis hóstias pacíficas coelis frequénter invéxerant, per semetípsos introivérunt ad altáre Dei, ipsi hóstiae, et Sacerdótes.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me : * Gaudéte et exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in coelis. ℣. Cum vos odérint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis.—Gaudéte.

Lectio vi.

BENEDICTUS Dñus Deus, qui tantórum Pontíficum ministério visitávit plebem suam. Et nunc assúmptis iis in sanctam civitátem, tantae recordatióne suavitátis nostram non désinunt consolári captivitátem. Exúltent in Dómino eórum spíritus, quod leváti póndere corpóreae molis, nulla jam faeculénta, vel terréna matéria praegravántur, quo minus tota alacritáte ac vivacitáte corpóream omnem, et incorpóream transeúntes creatúram, pergant toti in Deum, et adhaeréntes illi, unus sint cum eo spíritus in aetérnum. Domum istam decet sanctitúdo, in qua tantae frequentátur memória sanctitátis.

℟. Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt praemia aetérna : * Modo coronántur et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine

Agni.— Modo corónántur. Glória Patri. Modo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xvi.

IN illo témpore : Venit Jesus in partes Caesaréae Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens : Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et réliqua.

Homília S. Leónis Papae. *Sermone* ii. *in Annivers. Assumpt. suae, ante med.*

QUM, sicut evangélica lectióne reserátum est, interrogásset Dñus discípulos, quem ipsum, (multis divérsa opinántibus) créderent ; respondissétque beátus Petrus, dicens : Tu es Christus Fílius Dei vivi : Dóminus ait : Beátus es Simon Bar-Jóna, quia caro, et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est : et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificábo Ecclésiam meam, et portae ínferi non praevalébunt advérsus eam, et tibi dabo claves regni coelórum, et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in coelis : et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in coelis. Manet ergo dispósitio veritátis, et beátus Petrus in accépta fortitúdine petrae persevérans, suscépta Ecclésiae gubernácula non relíquit.

℟. Amávit eos Dñus, et ornávit eos : stolam glóriae índuit eos, * Et ad portas paradísi coronávit eos. ℣. Induit eos Dóminus lorícam fídei, et ornávit eos.—Et ad portas.

Lectio viii.

IN univérsa namque Ecclésia, Tu es Christus Fílius Dei vivi, quotídie Petrus dicit : et omnis lingua, quae confitétur Dóminum, magistério hujus vocis imbúitur. Haec fides diábolum vincit, et captivórum ejus víncula dissólvit. Haec érutos mundo ínserit coelo, et portae ínferi advérsus eam praevalére non possunt. Tanta enim divínitus soliditáte munita est, ut eam neque haerética unquam corrúmpere právitas, nec pagána potúerit superáre perfídia. His ítaque modis, dilectíssimi, rationábili obséquio celebrátur hodiérna festivitas, ut in persóna humilitátis meae, ille intelligátur, ille honorétur, in quo et ómnium pastórum sollicitúdo, cum commendatárum sibi óvium custódia persevérat, et cujus étiam dignitas in indígno haeréde non déficit.

℟. Isti sunt qui ante Deum magnas virtútes operáti sunt, et omnis terra doctrína eórum repléta est:* Ipsi intercédant pro peccátis ómnium populórum. ℣. Isti sunt qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad coeléstia regna. — Ipsi intercédant. Glória Patri. Ipsi intercédant.

Lectio nona de Homilia Dominicae occurrentis.

Postea Te Deum. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis de Dominica. 18.

2. In coeléstibus regnis sanctórum habitátio est, et in aetérnũ réquies eórum.

3. Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in aetérnum.

4. Spíritus, et ánimae justórum hymnum dícite Deo nostro, allelúia.

5. Fulgébunt justi sicut sol in conspéctu Dei.

Capitulum. *Hebr. c.* xiii.

FRATRES, Memeníte praepositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus.

REX glorióse Praesulum,
Coróna confiténtium,
Qui respuéntes térrea
Perdúcis ad coeléstia.

Aurem benígnam prótinus
Appóne nostris vócibus;
Trophaea sacra pángimus,
Ignósce quod delíquimus.

Tu vincis in Martyribus,
Parcéndo Confessóribus:
Tu vince nostra crímina,
Donándo indulgéntiam.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Justos dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illis regnum Dei.

Ad Bened. Aña. Vos estis lux mundi: non potest cívitas abscóndi supra montem pósita, neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt.

Oratio.

DEUS, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis, et amóre domináris: da spíritum sapiéntiae, suffragántibus méritis Antístitum Ecclésiae tuae, quibus dedísti régimen disciplínae; ut de profectu sanctárum óvium, fiant gáudia aetérna pastórum. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Dominicae occurrentis.

AD TERTIAM.

Ańa. In coeléstibus regnis. Capit. Fratres, Mementóte. ℟. br. Laetámini in Dómino, * Et exultáte, justi. Laetámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et exultáte. Glória Patri. Laetámini. ℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in laetítia.

AD SEXTAM.

Ańa. Córpora sanctórum. Capitulum. *Act. c.* xx. ATTENDITE vobis, et univérso gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo. ℟. br. Exúltent justi, * In conspéctu Dei. Exúltent. ℣. Et delecténtur in laetítia. In conspéctu. Glória Patri. Exúltent. ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dñum est merces eórum.

AD NONAM.

Ańa. Fulgébunt justi. Capitulum. *Hebr. c.* xiii. OBEDITE praepósitis vestris, et subjacéte eis : ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri. ℟. br. Justi autem * In perpétuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In perpétuum. Glória Patri. Justi autem. ℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

IN II. VESPERIS.

Antiphonae, Psalmi, Capitulum et Hymnus, ut in primis Vesperis. cclxx. et loco ultimi Psalm. Meménto, Dómine, David. lxxxiii. ℣. Elégit eos Dóminus Sacerdótes sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Ad Magnif. Ańa. Dum essent summi Pontífices, terréna non metuérunt, sed ad coeléstia regna gloriósi migrárunt.

Et fit Commemoratio Dominicae occurrentis.

DIE V. JULII.

In festo S. Michaelis de Sanctis, Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter sequentia.

Oratio.

MISERICORS Deus, qui sanctum Michaélem Confessórem tuum, morum innocéntia et mirábili charitáte praestáre voluísti : concéde quaesumus

ejus intercessióne; ut a vítiis liberáti, et igne tui amóris succénsi ad te pervenire mereámur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MICHAEL de Sanctis, Vici in Hispánia citerióre piis et honéstis paréntibus natus, mundum ántea contempsísse quam agnovísse visus est. Pene infans perpétuam virginitátem Deo vovit; cumque rei cónscius pater núptias illi per jocum propóneret, in lácrymas effúsus puer atque ad Deíparae Vírginis aram confúgiens emíssum votum fervéntius renovábat. Sexénnis ad sanctórum vestígia sectánda in Monsénii spelúncam secéssit, in qua, dum patiéntis Christi mystéria in génua provolútus piis sénsibus lacrymísque proséquitur, a patre repértus, domum redíre coáctus est. Neque tamen de praeconcépto severióris vitae propósito quidquam remísit. Unicum illi erat coeléstium desidérium, perpétua cum Deo consuetúdo, innocéntis vero carnis macerátio major quam ut ténera illa aetas ferre posse vidérétur. Nam ter in unaquáque hebdómada jejúnans, somnum super sarmentórum fáscibus, saxo cápiti suppósito, carpens, flagéllis in se ipsum saevíre, et étiam aliquándo corpúsculum, sancti Francísci exémplo, in spinárum acérvum conjícere, et cruentándum volutáre non dubitávit, quin tamen, singulári Dei benefício spinae illae purissima membra attíngerent, atque in mínimo offénderent. Quibus aliísque cruciátibus admirábili illi poeniténtiae proludébat, quam póstea ad hóminum stupórem tantópere adáuxit.

℟. Honéstum. cclviii.

Lectio v.

ANNO aetátis duodécimo nondum expléto solus et pedes egrédiens de domo et cognatióne sua, Barcinónam conténdit, ibíque sanctíssimae Trinitátis redemptiónis captivórum órdinem inter calceátos ampléxus, quam prímum per aetátem licuit solémnia vota nuncupávit. Paucis inde post ménsibus ad stricti6rem discalceatórũ ejúsdem órdinis famíliam se tránstulit. In hac nova reguláris disciplínae palaestra mirum est, quot quantísque virtútum increméntis étiam inter contínuas studiórum exercitatiónes anteáctae vitae sanctitátem cumuláverit. Tanto enim stúdio

síngulas institúti leges observábat, ut nullam ex eis praeteriísse compértum fúerit. Virginitátem, quam quinquénnis Deo vóverat, non modo inviolátam servávit, verum étiam praeclaríssimo Dei múnere nunquam carnis illécebris allécta est, neque in mente cogitatiónem ullam minus honéstam hábuit. Arctíssima praeditus paupertáte per plures annos neque cubículum hábuit neque pulvínar, ubi caput reclináret. Christi mansuetúdine indútus, cum ómnibus pátiens fuit et miséricors ; iis, qui sibi contumélias aut damnum intúlerant, semper pro malo bonum réddidit. Invícta in advérsis enítuit fortitúdine. Prudentíssimus in aliórum regímine, sibi se júdicem acérrimum, réliquis vero humaníssimum patrem exhíbuit.

℟. Amávit eum. cclviii.

Lectio vi.

QUUM Deum totis víribus dilígeret, ab ipso maximis locupletári méruit charismátibus. Nam crebris et mirificis rapiebátur extásibus, quibus vel in sublíme toto assurgébat córpore, vel coelum ascéndere videbátur, cum aut de Dei bonitáte loquerétur, aut sacris óperans cálicem eleváret. Nec minóri erga próximos charitáte flagrábat, quos et privátis consíliis, et públicis conciónibus, et assídua sacraménti poeniténtiae administratióne juváre nunquam praetermísit. Cum vero virtútes ejus non pópuli modo, sed viri príncipes admiraréntur, ea tamen erat ánimi demissióne, ut se daemónibus ipsis deteriórem affirmáret. At humáni géneris Redémptor, cui exaltáre húmiles in delíciis est, hunc servum suum fidélem peculiári vóluit illustráre prodígio, quo ipse divíni sui cordis mysticam commutatiónem cum corde illíus iníre dignátus est. Hoc ítaque charitátis incéndio decúmbens, spíritum Deo réddidit Vallisoléti, die décima Aprílis anno millésimo sexcentésimo vigésimo quinto, aetátis suae trigésimo tértio. Quem multis ante et post óbitum miráculis clarum summus Póntifex Pius sextus Beatórum fastis adscrípsit. Pius vero nonus Póntifex máximus, sacro Cardináliũ aliorũmque fere trecentórum Antístitum Ecclésiae et apostólicae sedis jura strénue contra insidiántes hostes propugnántium senátu circúmdatus, recurrénte plausu Urbis et orbis sacro Pentecóstes die octáva Júnii anni millésimi octingentésimi sexagésimi secúndi in Vaticána basí-

lica illum novis fulgéntem signis Sanctórum catálogo solémni ritu accénsuit.

℟. Iste homo. cclix.

In tertio Nocturno. Homilia S. Joannis Chrysostomi in Evangelium : Respóndens Jesus ait Sadducaeis, ut in festo S. Aloisii, die xxi. Junii. 439.

DIE VII. JULII.

In festo B. Benedicti XI., P. C. Duplex.

Pro Clero Urbis et alibi.

Omnia de Communi Confessoris Pontif. lxi. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui beátum Benedíctum Pontíficem benedictiónis tuae grátia ad coelum sublevásti : pópulum tuum, quaesumus, nova benedictióne sanctífica; et a cunctis malis imminéntibus ejus méritis, et précibus, tua virtúte defénde. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BENEDICTUS undécimus ex honésta Boccassinórum família Tarvísii natus, anno aetátis decimoquárto Praedicatórum institútum ampléxus est; in quo humánis divinísque stúdiis quatuórdecim annis impénse vacávit, totidémque summa cum eruditiónis laude privátim, ac públice dócuit. Sanctitátis, et prudéntiae fama conspícuus, per vários gradus, et dignitátes órdinis ad suprémum ejus magistérium evéctus est; quo in múnere caeteris exémplo praelúcens, disciplínam mirífice fovit, ac brevi témpore órdinem ipsum amplificávit. Illíus ópera Bonifácius octávus in pacificándis Galliárum, et Británniae régibus felíciter usus, lustrándis commíssis sibi provínciis in Gállia peregrinántem sanctae Románae Ecclésiae Cardinálem Presbyterum creávit, atque ad Urbem accítum in Pannóniam legátum designávit, ubi tres príncipes de regni illíus successióne contendéntes mira dexteritáte compósuit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : ℣. Manus enim mea auxiliábitur ei. ℟. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus enim.

Lectio v.

PACATA Hungária Romam revérsus, Bonifácio Anágniae circumvénto inter hóstium minas,

et invasiónes fórtiter ádstitit, haesítque indivúlse, réliquis ferme ómnibus ab eo fugiéntibus. Mox eódem Pontífice humánis rebus exémpto, in Petri sedem mira Patrum consensióne suffléctus est. In eo dignitátis fastígio, ab omni fastu prorsus aliénus, demissiónem ádeo cóluit, ut addúctam ad se matrem adhuc supérstitem paulo splendídius, ut decére videbátur, ornátam, a se dimíserit tamquam non suam : mox vero natívo, atque humilióre cultu vestítam peramánter amplexátus, honorífice hábuit. Violátae in praedecessóre suo pontifíciae dignitátis auctóres anathémate mulctávit : ab illo autem sevérius hábitos, prístinis honóribus restitútos in véniam, et grátiam recépit. Pacándis Itáliae provínciis, Guelphórum et Gibellinórum, Albórum et Nigrórum factiónibus miserrime divexátis, Nicoláum Cardinálem Praténsem órdinis Praedicatórum a látere legátum creávit, eumdémque in Angliam, Scótiam, et Hibérniam ad conciliándos reges, et príncipes ire jussit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : ℣. Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vi.

PACIS studiosíssimus eam náviter promóvit, tum in Germánia, cui intestínis dissídiis laboránti praesto fuit, tum in Sicília, quam, subláto interdícto, communióni restítuit. Sed et Galliárum regni cum apostólica sede concórdiam paulo ántea gravíssime laesam felíciter instaurávit. In Oriéntem étiam aliásque schismaticórum províncias apostólicae mentis curas porréxit, et Martíno Archiepíscopo Antibarénsi disciplínae ecclesiásticae restauratiónem impénse commendávit. Sérviae regem Orósium ad ejurándum schisma lítteris amantíssimis excitávit. Syriae demum ac Palaestínae recuperándae inténtum, áliaque ad religiónis increméntum cogitántem, atque moliéntem communis necéssitas praevénit. Mórtuus est Perúsiae, anno millésimo trecentésimo quarto, nono pontificátus mense nondum expléto, humilique, ut ipse jússerat, loco apud fratres suos Praedicatóres cónditus est, miráculis statim post óbitum clarus. Cultum ab immemorábili témpore ei delátum Clemens duodécimus approbávit, utque

ejus festum cum Offício, et missa sub ritu dúplici in univérso Praedicatórum órdine, atque a clero Tarvisíno, et Perusíno celebrarétur, indúlsit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Nocturno, Homilia super Evangelium : Homo péregre. lxx.

DIE VIII. JULII.

In festo B. Eugenii III., Papae Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi, praeter sequentia.

Oratio.

DA quaesumus, omnípotens Deus, beáti Eugénii Confessóris tui atque Pontíficis intercessióne, ut toto tibi corde famulémur : quia nulla nobis praevalébit hostílitas, si in te veráciter confidámus. Per Dóminum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio iv.

EUGENIUS hujus nóminis tértius, Bernárdus ántea dictus, pátria Pisánus fuit. Exácta adolescéntia, clericáli milítiae nomen dedit, et sacerdótio póstea initiátus, ob egrégias ánimi dotes, inter Canónicos Metropolitánae Pisánae cooptári méruit. Sancti Bernárdi, qui tunc Pisas advénerat, exémplo illéctus, eídem sese instituéndum dedit, atque in Claraválle monásticũ índuit hábitum. Tanti viri disciplína ádeo profécit, ut primum Farfénsi monastério ab eo praepósitus, deínde Abbas coenóbii sanctórum Vincéntii et Anastásii ad Aquas Sálvias ab Innocéntio secúndo summo Pontífice eléctus fúerit. Quo in obeúndo múnere cum sanctimóniae ac prudéntiae miro splendóre inclarúisset, a Cardinálibus post Lúcii secúndi óbitum cunctis suffrágiis Póntifex máximus creátus est. Vix autem ab ínito pontificátu, perduéllium turbis Ecclésiae Románae principátum evértere adniténtibus, semel atque íterum ab Urbe discédere cógitur, sedatáque deínde tempestáte íterum ad eam, summo honóre, et

bonórum gratulatióne regréditur.

℟. Invéni David. cclxxix.

Lectio v.

UITERBII cómmorans, Angliae legátos, Scótiae, Germániae, Hispániae et Gálliae excépit, beáto Petro in ejus persóna obediéntiam et obséquium profiténtes ; itémque nonnúllos Arméniae Epíscopos, qui ínsuper Metropolitáni ac gentis suae nómine de gravióribus orientális Ecclésiae negótiis ejus exquisivérunt sententiam. Profóctus in Gálliam, concília Rhemis ac Tréviris celebrávit, in quibus Eonis et Gilbérti Porretáni proscrípsit erróres, áliaque plura sapiénter constítuit ad cleri disciplínam, et Ecclésiae libertátem. Coenóbia deínde Claravallénse ac Cisterciénse una cum sancto Bernárdo invísit praecláris ubíque sanctae conversatiónis exémplis relíctis. Ab eódem Bernárdo salutária mónita exquisívit ad Ecclésiam administrándam, et apostólicae sedis jura protuénda ; ille vero ei pretiósum librum de Consideratióne dedit, quo Pontíficis principísque praerogatívae et offícia coelésti sapiéntia declarántur. Litterárum quoque cultor exímius, cum theológiae ac jurisprudéntiae reformávit stúdia, tum académicos, uti vocant, gradus instítuit ; quo adolescéntium ánimos alacrióres rédderet.

℟. Pósui. cclxxx.

Lectio vi.

SINGULARI pacis fovéndae cupiditáte, curas omnes inténdit ut discórdias Pisános inter et Lucénses compóneret. Decórem domus Dei summópere diléxit : nam et basilicam Liberiánam pulchrióri decorávit ornátu, et ália templa quamplúra aut refécit, aut pretiósis donis ditávit ; Vaticánae autem basílicae quartam oblatiónum partem sibi de more competéntem, praeter décimam jam a sancto Leóne nono Apostolórum príncipi adtribútam, elargítus est. Henrícum imperatórem, catholicórum príncipum nóbile exémplar, Sanctórum in album rétulit. Tandem Tibúre quo aestívos calóres vitándi causa ab Urbe concésserat, gravi morbo implícitus mortem justórum oppétiit octávo Idus Júlii anno millésimo centésimo quinquagésimo tértio, postquam in Petri cáthedra sedísset annos octo, et menses quátuor. Corpus Romam delátum, cónditum fuit in Vaticáno, una cum sancti Gregórii

tértii, et beáti Petri Levítae exúviis. Sacrum porro cultum jam tunc miraculórum accedénte fulgóre, ei exhíbitum, et in áliis quoque regiónibus, ad haec usque témpora vigéntem, summus Póntifex Pius nonus, ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, ratum hábuit et confirmávit.

℟. Iste est. cclxxxi.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evangelium: **Homo péregre,** ut in Communi primo loco. lxx.

DIE IX JULII.

In festo Prodigiorum B. M. V. Duplex.

Omnia ut in festis beatae Mariae Virginis. clviii.

EADEM DIE.

In festo S. Veronicae de Julianis, Virginis. Duplex.

Pro Statu Ecclesiastico et alibi.

Omnia de Communi Virginum. ciii. praeter haec propria

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui beátam Verónicam Vírginem passiónis tuae signis mirábilem effecísti: concéde propítius; ut carnem crucifigéntes, ad gáudia aetérna pervenire mereámur: Qui vivis.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

VERONICA de Juliánis ántea Ursula dicta, Mercatélli quod óppidū est Urbaniénsis dioecésis, piis honestísque paréntibus nata, ab ipsis incunábulis mira futúrae sanctitátis indícia praebuit. Nam infántula cum álias copiósum lac súgeret, tribus hebdómadae diébus paucas gúttulas mane et véspere gustábat. Vix sex menses nata die sanctíssimae Trinitáti dicáto e sinu matris firmis pédibus prosíliit. Adhuc tenélla hóminem quemdam grávibus verbis ab injustítia detérruit. Familiári Jesu púeri, beatissimaeque Virginis consuetúdine fruebátur, et aliquándo divínus Puer ad eam cum lácrymis orántem, ut consolarétur, descéndit; quandóque étiam ab ipsa Deípara illum accépit, praenuntiáto ejúsdem cum Jesu spirituáli sponsalítio, adjúncta arrha, bello scílicet, quod ipsi sustinéndum fuit ab homínibus, atque inférnis hóstibus. Ad hoc Verónica, cum nondum puerítiam excessísset, sese accínxit humilitáte summa, paríque obediéntia, et veheménti Christum

Dóminum pro nobis passum et crucifíxum imitándi desidério. Ut autem id ubérius consequerétur, ad sanctimoniáles Capuccínas Tifernátes quae primaevam sanctae Clarae régulam profiténtur, superátis domésticis, externísque obstáculis, confúgit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet te mirabíliter.

Lectio v.

AB ipso tyrocínio perfectum áliquid et consummátum jam attigísse videbátur. Sustínuit invícto péctore a daemone excitátas adversitátes. Ubérrimis intérea grátiae suae donis victrícem sponsam locupletábat Jesus. Sacris stigmátibus eam fuísse signátam, itémque coróna spinárum alte confixárum, et passiónis insígnibus in corde decorátam, ac júgibus pene extásibus recreátam, multíplici testimónio tráditum est. Haec ómnia amplam molestiárum ségetem Verónicae peperérunt : non enim defuére qui id omne malis ártibus tribúerent, eámque dícerent poena omni infamíque supplício digníssimam. Ferébat haec alácriter fortíssima Virgo : optábat étiam ut crudelióra quotídie in se congereréntur pro Sponso suo cruxi affixo sustinénda. Trúditur in tenebricósum cárcerem, subjícitur ínfimae ex soróribus, cui edícitur ut eam acérbe tractet : neque vitam amat nisi summis exagitátam tribulatiónibus; etsi quandóque desértam se ab Sponso ac véluti derelíctam conquererétur, quod erat ei torméntum ómnium amaríssimum.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi.

QUAM Deo vóverat moderatóribus consciéntiae suae obediéntiam mirábili prorsus perfectióne cóluit. Diuturníssima jejúnia ex obediéntia transégit: neque vero extrémum emísit spíritum diu cum morte luctans, nisi cum esset jussa mori : quippe sciébat obediéntia nullum sponso suo esse grátius sacrifícium. Trigínta tribus annis, quibus praesidis obíre partes coácta est, tráditas ejus curae soróres ad omnem sanctitátem suo praecípue

exémplo provéxit. Ut patiéndi votis fieret satis, apopléxiae, qua corrépta fuit, accessére morbi prope omnes qui acerbíssimi judicántur. Sustínuit ómnia constánti ánimo trigínta tres dies, donec in Sponsi Jesu ampléxus evolávit die nona Júlii, anno salútis millésimo septingentésimo vigésimo séptimo, religiósae vitae quinquagésimo. Heroicárum dénique virtútum cúmulo, ac miráculis illústrem Pius séptimus Póntifex máximus Beátam nuncupávit, Gregórius vero Papa décimus sextus solémni ritu Domínica sanctíssimae Trinitátis anno millésimo octingentésimo trigésimo nono sanctárum Vírginum collégio adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximae ejus, * Afferéntur tibi in laetítia et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno. Homilia in Evangel. Símile erit regnum coelórum decem virgínibus, de Comm. Virginum. cxv.

DIE XI. JULII.

In festo S. Pii I., P. M. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Comm. unius Martyris. xxvii. praeter seq.

Oratio. Infirmitátem.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

IUS, hujus nóminis primus, Rufíni fílius, Hermétis frater, pátria Aquilejénsis, ex Presbytero sanctae Románae Ecclésiae summus Póntifex creátus est; seditque, Antoníno Pio, et Marco Aurélio imperatóribus Augústis. Quinque ordinatiónibus, mense Decémbri, Episcopos duódecim, octódecim Presbyteros creávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum.—Et dedit.

Lectio v.

EXTANT nonnúlla ab eo praecláre instituta, praesértim, ut resurréctio Dómini nonnísi die Domínico celebrarétur; quod póstea ab ejus successóribus Románis Pontificibus confirmátum est; quibus id máxime curae fuit, ut totius Ecclésiae Episcopi in Pascháli celebritáte unifórmes essent.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dñe : * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Et.

Lectio vi.

PRAXEDIS domum in ecclésiam mutávit, eámque título Pastóris dicávit, in qua saepius rem sacram fecit, et multos ad fidem convérsos, et sacro fonte purgátos, in fidélium número adscrípsit. Dum vero pii pastóris munus obíret, fuso pro suis óvibus, et summo Pastóre Christo sánguine, martyrio coronátus est, quinto Idus Júlii, ac sepúltus in Vaticáno.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dñus pane vitae, et intellectus: et aqua sapiéntiae salutáris pótavit illum.—Et. Glória. Et.

In tertio Nocturno, Homilia super Evang. Si quis venit, de Communi, xxxvi.

DIE XIII. JULII.

In festo S. Anacleti, P. M. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Comm. unius Mart. xxvii. praeter seq.

Oratio. Deus, qui nos.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANACLETUS natióne Graecus, Atheniénsis, patre Antíocho, multis rebus praecláre gestis celebérrimus, post interrégnum pontifícium quátuor ménsium et decem diérum, christiánae religiónis summum pontificátum adéptus, Cleménti per martyrium subláto, tértio Nonas Aprílis subrogátur; seditque in cáthedra Petri novem annos, tres menses, et dies decem; Presbyteris quinque, tribus Diáconis, et sex Epíscopis dúplici ordinatióne creátis, sub Trajáno imperatóre.

℟. Honéstum. cclxxxv.

Lectio v.

HIC príncipi Apostolórum memóriam, seu ecclésiam gratus et memor tanti benefícii ab eo accépti, per sacri órdinis collatiónem, dum adhuc Présbyter esset, in Vaticáno extrúxit, atque ornávit, Apostolórum trophaeum ab antíquis Pátribus mérito appellátam, quam nullo unquam furéntis licet persecutiónis túrbine déjici potuísse, sed, quod omnem

admiratiónem súperat, majóre in dies glória auctam fuísse, compértum est: futúrum sane secutúris tempóribus, majóris, et amplióris molis nóbile rudiméntum.

℟. Desidérium. cclxxxvi.

Lectio vi.

RES ab eo gestae, quas mirificas fuísse multis arguméntis conjícere licet, commúni scriptórum antiquórum naufrágio obscúrae, atque óbrutae mansérunt. Multa ad religiónem, et disciplínam spectántia prudénter státuit, ac prae caeteris, ut Epíscopus a paucióribus quam tribus Epíscopis mínime consecrarétur, ut clérici sacris ordínibus públice a próprio Epíscopo initiaréntur, et ut in missa, perácta consecratióne, omnes communicárent. Obiit tandem martyrio coronátus, tertio Idus Júlii, et juxta corpus beáti Petri sepúltus est.

℟. Stola. cclxxxvi.

In tertio Nocturno, Homilia super Evang. Si quis venit, de Communi. xxxvi.

DOMINICA III. JULII.

In festo SS. Redemptoris. Duplex.

AD VESPERAS.

Añae. 1. Virgam virtútis suae emíttet Dóminus ex Sion, et regnábit in saeculum saeculi. Psalm. Dixit Dóminus. 133.

2. Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo: mandávit in aetérnum testaméntum suum. Psalmus. Confitébor tibi, Dómine. 133.

3. Misericórdia mea, et refúgium meum Dóminus: susceptor meus, et liberátor meus. Psalm. Crédidi. 137.

4. Apud Dóminum misericórdia, et copiósa apud eum redémptio. Psalm. De profúndis. 144.

5. In quacúmque die invocávero te, exáudies me: multiplicábis in ánima mea virtútem. Psalmus. Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: quóniam. 149.

Capitulum. *Tob.* iii.



BENEDICTUM nomen tuum, Deus patrum nostrórum, qui cum irátus fúeris, misericórdiam fácies, et in témpore tribulatiónis peccáta dimíttis his, qui invocant te.

Hymnus.

CREATOR alme síderum,
Ætérna lux credéntium,
Jesu Redémptor ómnium,
Inténde votis súpplicum.

Commúne qui mundi nefas
Ut expiáres, ad crucem
E Vírginis sacrário
Intácta prodis víctima.

Cujus potéstas glóriae,
Noménque cum primum sonat ;
Et coelites, et ínferi
Treménte curvántur genu.
Qui daemonis ne fráudibus
Períret orbis, ímpetu
Amóris actus, lánguidi
Mundi medéla factus es.
Te deprecámur últimae
Magnum diéi Júdicem,
Armis supérnae grátiae
Defénde nos ab hóstibus.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

Sic terminantur Hymni ad omnes Horas.

℣. Redemísti nos, Dómine, in sánguine tuo. ℟. Et fecísti nos Deo nostro regnum.

Ad Magnif. Ańa. Salus autem mea in sempitérnum erit, et justítia mea in generatiónes generatiónum, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui Unigénitum tuum mundi Redemptórem constituísti, et per eum, devícta morte, nos misericórditer ad vitam reparásti: concéde, ut haec beneficia recoléntes, tibi perpétua charitáte adhaerére, et ejúsdem redemptiónis fructum percípere mereámur. Per eúmdem Dñum.

Deinde fit Commemoratio Dominicae occurrentis.

AD MATUTINUM.

Invitator. Redemptórem saeculórum, ipsum Regem Angelórum, * Adorémus Dóminum. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

RERUM Creátor ópti-me,
Rectórque noster áspice :
Nos a quiéte nóxia,
Mersos sopóre líbera.
Mentes, manúsque tóllimus,
Prophéta sicut nóctibus
Nobis geréndum praecipit,
Paulúsque gestis cénsuit.
Te, sancte Christe, póscimus,
Ignósce culpis ómnibus :
Ad confiténdum súrgimus,
Morásque noctis rúmpimus.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

In primo Nocturno.

Ańa. Voce mea ad Dóminum clamávi, et exaudívit me de monte sancto suo. Psalm. Dómine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me. 4.

Ańa. Dómine Dñus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa

terra. Psalm. Dómine Dóminus noster. 6.

Quando Aña dicitur integra, Psalmus incipitur a secundo versu.

Aña. Dóminus in templo sancto suo : Dóminus in coelo sedes ejus. Psalm. In Dómino confído. 8.

℣. Rédime me, Dómine, et miserére mei. ℟. In Eccléstiis benedícam te, Dómine.

De Isaía Prophéta.

Lectio i. *Cap.* li.

AUDITE me, qui sequímini, quod justum est, et quaeritis Dóminum : atténdite ad petram, unde excísi estis, et ad cavérnam laci, de qua praecísi estis. Consolábitur ergo Dóminus Sion, et consolábitur omnes ruínas ejus : et ponet desértum ejus quasi delícias, et solitúdinem ejus quasi hortum Dómini. Gáudium, et laetítia inveniétur in ea, gratiárum áctio, et vox laudis. Atténdite ad me, pópule meus, et tribus mea, me audíte : quia lex a me éxiet, et judícium meum in lucem populórum requiéscet. Prope est Justus meus, egréssus est Salvátor meus, et bráchia mea pópulos judicábunt : me ínsulae expectábunt, et bráchium meum sustinébunt.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum et elevátum : et plena erat omnis terra majestáte ejus: *Et ea, quae sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud : sex alae uni, et sex alae álteri.—Et ea, quae sub ipso.

Lectio ii.

LEVATE in coelum óculos vestros, et vidéte sub terra deórsum : quia coeli sicut fumus liquéscent, et terra sicut vestiméntum atterétur, et habitatóres ejus sicut haec interíbunt : salus autem mea in sempitérnum erit, et justítia mea non defíciet. Audíte me, qui scitis justum ; pópulus meus, lex mea in corde eórum : nolíte timére oppróbrium hóminum, et blasphémias eórum ne metuátis. Sicut enim vestiméntum, sic cómedet eos vermis : et sicut lanam, sic devorábit eos tínea. Salus autem mea in sempitérnum erit, et justítia mea in generatiónes generatiónum.

℟. Aspice, Dómine, de sede sancta tua, et cógita de nobis : inclína Deus meus aurem tuam, et audi. * Aperi óculos tuos, et vide tribulatiónem nostram. ℣ Qui regis Israël, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph.—Aperi óculos.

Lectio iii.

CONSURGE, consúrge, indúere fortitúdinem bráchium Dómini: consúrge sicut in diébus antíquis, in generatiónibus saeculórum. Nunquid non tu percussísti supérbum, vulnerásti draconem? Numquid non tu siccásti mare, aquam abyssi veheméntis: qui posuísti profúndum maris viam, ut transírent liberáti? Et nunc, qui redémpti sunt a Dómino, reverténtur, et vénient in Sion laudántes, et laetítia sempitérna super cápita eórum: gáudium, et laetítiam tenébunt, fúgiet dolor et gémitus. Ego, ego ipse consolábor vos: quis tu, ut timéres ab hómine mortáli, et a fílio hóminis, qui quasi foenum ita aréscet? Et oblítus es Dómini factóris tui, qui teréndit coelos, et fundávit terram, et formidásti júgiter tota die a fácie furóris ejus, qui te tribulábat, et paráverat ad perdéndum: ubi nunc est furor tribulántis? Cito véniet grádiens ad aperiéndum, et non interfíciet usque ad interneciónem, nec defíciet panis ejus. Ego autem sum Dóminus Deus tuus.

℟. Deus, qui sedes super thronum, et júdicas aequitátem, esto refúgium páuperum in tribulatióne: * Quia tu solus labórem, et dolórem consíderas. ℣. Tibi enim derelíctus est pauper, pupíllo tu eris adjútor.— Quia. Glória Patri. Quia.

In secundo Nocturno.

Ańa. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui. Psalmus. Exáudiat te. 15.

Ańa. Tu es ipse Rex meus, qui mandas salútes in Jacob. Psalmus. Dómini est terra. 31.

Ańa. Immola Deo sacrifícium laudis, et redde Altíssimo vota tua. Psalmus. Deus noster refúgium. 69.

℣. Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui. ℟. Vísita nos in salutári tuo.

Sermo sancti Leónis Papae.

Serm. i. *de jejunio X. mensis et collectis.*

Lectio iv.

SI fidéliter, dilectíssimi, atque sapiénter creatiónis nostrae intelligámus exórdium, inveniémus hóminem ideo ad imáginem Dei cónditum, ut imitátor sui esset auctóris: et hanc esse naturálem nostri géneris dignitátem, si in nobis, quasi in quodam spéculo, divínae benignitátis forma respléndeat. Ad quam quotídie nos útique réparat

grátia Salvatóris, dum quod cécidit in Adam primo, erígitur in secúndo. Causa autem reparatiónis nostrae non est, nisi misericórdia Dei, quem non diligerémus, nisi prius nos ipse dilígeret, et ténebras ignorántiae nostrae, suae veritátis luce discúteret.

℟. A dextris est mihi Dóminus, ne commóvear: * Propter hoc dilatátum est cor meum, et exultávit lingua mea. ℣. Dóminus pars hereditátis meae, et cálicis mei. — Propter.

Lectio v.

DILIGENDO ítaque nos Deus, ad imáginem suam nos réparat: et ut in nobis formam suae bonitátis invéniat, dat unde ipsi quoque, quod operátur, operémur, accéndens scílicet méntium nostrárum lucérnas, et igne nos suae charitátis inflámmans, ut non solum ipsum, sed étiam quidquid díligit, diligámus. Nam si inter hómines ea demum firma amicítia est, quam morum similitúdo sociárit, cum tamen parílitas voluntátum saepe in réprobos tendat affféctus: quantum nobis optándum, atque niténdum est, ut in nullo ab iis, quae Deo sunt plácita, discrepémus? De quo dicit Prophéta: Quóniam ira in indignatióne ejus, et vita in voluntáte ejus: quia non áliter nobis erit dignitas divínae majestátis, nisi imitátio fúerit voluntátis.

℟. Intuére, Dómine, quia facta est desoláta cívitas plena divítiis: sedet in tristítia dómina géntium: Non est qui consoléture eam, nisi tu Deus noster. ℣. Plorans plorávit in nocte, et lácrymae ejus in maxíllis ejus.—Non est qui.

Lectio vi.

DICENTE ítaque Dómino: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua; et dílliges próximum tuum sicut teípsum, suscípiat fidélis ánima auctóris sui, atque rectóris immarcescíbilem charitátem, totámque se étiam ejus subjíciat voluntáti, in cujus opéribus, atque judíciis níhil vacat a veritáte justítiae, nihil a miseratióne clementiae. Quóniam etsi magnis quis labóribus, et multis fatigétur incómmodis, bona est illi causa tolerándi, qui se advérsis vel córrigi intélligit, vel probári.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est laetítia magna in pópulo. ℣. In hymnis, et confessiónibus benedicébant Dómino. — Et. Glória Patri. Et.

In tertio Nocturno.

Ant. Ego autem ad Deum clamávi, et Dóminus salvábit me. Psalmus. Exáudi, Deus. 80.

Ant. Deus meus, Salvátor meus, salutáre meum, et spes mea in aetérnum. Psalmus. Confitébimur tibi Deus. 93.

Ant. Protéctor noster, áspice Deus, et réspice in fáciem Christi tui. Psalmus. Quam dilécta. 105.

℣. Notam fecísti in géntibus virtútem tuam. ℟. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* iii.

IN illo témpore : Dixit Jesus Nicodémo : Nemo ascéndit in coelum, nisi qui descéndit de coelo, Fílius hóminis, qui est in coelo. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Ex Tractatu in cap. iii. *Joannis.*

NEMO ascéndit in coelum, nisi qui de coelo descéndit. Descéndit enim, et mórtuus est, et ipsa morte liberávit nos a morte. Morte occísus, mortem occídit. Et nostis, fratres, quia mors ista per diáboli invídiam intrávit in mundum. Deus mortem non fecit, Scriptúra lóquitur : Nec laetátur, inquit, in perditióne vivórum; creávit enim, ut essent ómnia. Sed quid ibi ait? Invídia autem diáboli mors intrávit in orbem terrárum. Ad mortem a diábolo propinátam non veníret homo vi adáctus; non enim cogéndi poténtiam diábolus habébat, sed persuadéndi versútiam. Si non consentíres, nihil invéxerat diábolus; consénsio tua, o homo, te perdúxit ad mortem. A mortáli mortáles nati, et ex immortálibus mortáles facti. Ab Adam omnes hómines mortáles; Jesus autem Fílius Dei, Verbum Dei, per quod facta sunt ómnia, únicus, aequális Patri, mortális factus est, quia Verbum caro factum est, et habitávit in nobis. Si ergo mortem suscépit, et mortem suspéndit in cruce, de ipsa morte liberántur mortáles. Quod in figúra factum est apud antíquos, commemorávit illud Dóminus.

℟. Laudábilis pópulus, Quem Dóminus exercítuum benedíxit dicens : Opus mánuum meárum tu es : haereditas mea, Israël. ℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in haereditátem. — Quem Dóminus exercítuum benedíxit.

Lectio viii.

ET sicut, inquit, Móyses exaltávit serpéntem in erémo, ita exaltári opórtet Fílium hóminis : Quis est serpens exaltátus? Mors Dómini in cruce. Quia enim a serpénte mors, per serpéntis effígiem figurâta est mors. Morsus serpéntum lethális, mors Dñi vitális. Attenditur serpens, ut nihil váleat serpens. Quid est hoc? Atténditur mors, ut nihil váleat mors. Sed cujus mors? mors vitae. Nonne vita Christus? Et tamen mórtuus est Christus.

℟. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt, qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus : et hi tres unum sunt. — Sanctus. Glória Patri. Plena.

Nona Lectio legitur de Homilia Dominicae occurrentis ; si vero transferendum sit, tunc nona Lectio erit ut sequens.

Lectio ix.

INTERIM modo, fratres, ut a peccáto sanémur, Christum crucifíxum intueámur : quia sicut Móyses, inquit, exaltávit serpéntem in erémo, ita exaltári opórtet Fílium hóminis ; ut omnis, qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam aetérnam. Quómodo, qui intuebántur illum serpéntem, non períbant mórsibus serpéntum : sic, qui intuéntur fide mortem Christi, sanántur a mórsibus peccatórum. Sed illi sanabántur a morte ad vitam temporálem : hic autem ait, ut hábeant vitam aetérnam. Hoc enim ínterest inter figurátam imáginem, et rem ipsam : figúra praestábat vitam temporálem ; res ipsa, cujus illa figúra erat, praestat vitam aetérnam.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Cantáte Dómino, * quóniam magnífice fecit : annuntiáte hoc in univérsa terra. Ps. Dñus regnávit, cum reliquis de Domin. 18.

2. Ecce Deus * Salvátor meus, fiduciáliter agam : quia factus est mihi in salútem, allelúia.

3. Hauriétis aquas * in gáudio de fóntibus Salvatóris, et dicétis : Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus.

4. Facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potéstas Christi ejus.

5. Exúlta et lauda, * habitátio Sion, quia magnus in médio tui sanctus Israël

Capitulum. *Tob.* iii.

BENEDICTUM nomen tuum, Deus patrum nostrórum, qui cum irátus fúeris, misericórdiam fácies, et in témpore tribulatiónis peccáta dimíttis his, qui ínvocant te.

Hymnus.

SALUTIS humánae Sator,
Jesu volúptas córdium,
Orbis redémpti Cónditor,
Et casta lux amántium,
Qua victus es cleméntia,
Ut nostra ferres crímina?
Mortem subíres ínnocens,
A morte nos ut tólleres?
Te cogat indulgéntia,
Ut damna nostra sárcias,
Tuíque vultus cómpotes
Dites beáto lúmine.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

℣. Dómine, refúgium factus es nobis. ℟. A generatióne, et progénie.

Ad Bened. Aña. Ecce Deus noster iste, expectávimus eum, et salvábit nos: sustinúimus eum; exultábimus, et laetábimur in salutári ejus, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui Unigénitum tuum mundi Redemptórem constituísti, et per eum, devícta morte, nos misericórditer ad vitam reparásti: concéde, ut haec benefícia recoléntes, tibi perpétua charitáte adhaerére, et ejúsdem redemptiónis fructum percípere mereámur. Per eúmdem.

AD PRIMAM.

℟. br. Christe Fili. ℣. Qui redemísti mundum.

AD TERTIAM.

Aña. Ecce Deus.

Capitulum. Benedíctum nomen, ut supra.

℟. br. Rédime me, Dñe,* Et miserére mei. Rédime. ℣. In Ecclésiis benedícam te, Dómine. Et miserére mei. Glória Patri. Rédime. ℣. Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui. ℟. Vísita nos in salutári tuo.

AD SEXTAM.

Aña. Hauriétis aquas.

Capitulum. 1. *Cor.* i.

EX ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justítia, et sanctificátio, et redémptio.

℟. br. Meménto nostri, Dñe,* In beneplácito pópuli tui. Meménto. ℣. Vísita nos in salutári tuo. In beneplácito. Glória Patri. Meménto.

℣. Redemísti nos, Dñe, in sánguine tuo. ℟. Et fecísti nos Deo nostro regnum.

AD NONAM.

Ańa. Exúlta et lauda.

Capitulum. *Apoc.* iv.

DIGNUS es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, et honórem, et virtútem ; quóniam occísus es, et redemísti nos Deo in sánguine tuo, ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne, et fecísti nos Deo nostro regnum.

℟. br. Notam fecísti in pópulis * Virtútem tuam. Notam. ℣. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum. Virtútem tuam. Glória Patri. Notam.

℣. Dómine, refúgium factus es nobis. ℟. A generatióne, et progénie.

In secundis Vesp. omnia ut in primis. cclxxxvii.

Ad Magnif. Ańa. Regnum tuum, regnum ómnium saeculórum, et dominátio tua in omni generatióne, et generatiónem, allelúia.

Oratio. Deus, qui Unigénitum, ut supra. ccxciv.

Deinde fit Commemoratio Dominicae.

DIE XVII. JULII.

In festo S. Leonis IV., P.C. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis lxi. praeter ea quae sequuntur.

Oratio. Da quaesumus.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

LEO, hujus nóminis quartus, Románus, Rodúlphi fílius, mónachus sancti Benedícti primum, Cardinális deínde, ac demum post óbitum Sérgii secúndi eádem die, invítus licet, in Lateranénse patriarchíum dedúctus, ad sanctam sedem ómnium votis promótus est. Vir fuit religióne, innocéntia, pietáte, humanitáte, liberalitáte, prudéntia, et doctrína, praesértim ecclesiástica, insígnis. Sedit annos octo, sex menses, et tótidem dies, Lothário, et Ludovíco junióre imperatóribus Augústis.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.

PAUCIS ante illíus assumptiónem ménsibus, cum basílicae sanctórum Apostolórum Petri, et Pauli a Saracénis direptae fuíssent, ad álteram Urbis direptiónem jam accínctos suis précibus fregit,

et eórum classem dissipávit. Muris Vaticánum cinxit, et in civitátem Leonínam commutávit, quam beáto Petro custodiéndam trádidit. Tiberínam oram túrribus munívit, diréptas basílicas restaurávit, et ornátum domus Dei, praesértim in Lateranénsi patriarchío, sublátum restítuit

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vi.

MIRACULIS sanctíssimam vitam illustrávit ; nam et basilíscum, cujus anhélitu jam multi extíncti fúerant, suis précibus praesens occídit ; et máximum incéndium, quod basílicae Vaticánae imminébat, signo crucis extínxit. Qua sanctitáte permótus rex Angliae Astúlphus regnum suum Románae Eccléstiae tributárium fecit, et censum ánnuum constítuit. Vir sane de Urbe, totáque república christiána óptime méritus, óbiit décimo sexto Kaléndas Augústi, anno Dómini octingentésimo quinquagésimo quinto, et sepúltus est in Vaticáno.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Nocturno, Homilia sancti Gregorii Papae in Evang. **Homo péregre**, de Communi. lxx.

EADEM DIE.

In festo S. Alexii, Confess. Duplex.

Pro Clero Urbis, ejusque Districtu.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui beátum Alexium Confessórem tuum in mundi contémptu mirábilem effecísti: praesta, quaesumus, ut intercessiónis ejus auxílio fidéles tui terréna despíciant, et ad coeléstia semper aspírent. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ALEXIUS, Románus, Euphemiáni senatóris fílius, piíssime, ac liberalíssime in patérna domo a

téneris annis educátus, assíduo christianárum virtútum exercítio ádeo in Jesu Christi amórem exársit, ut secum statúerit famíliae nobilitátem, patrimónii amplitúdinem, mundi illécebras et voluptátes ejúsdem imitatióni postpónere. Quare prima nuptiárum nocte ductam paréntum voto cónjugem peculiári Dei mónitu intáctam relíquit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit illi claritátem.

Lectio v.

QUAM ítaque e domo abscédens, illústrium orbis terrae ecclesiárum peregrinatiónem suscépit. In quo instítuto cum ignótus septémdecim annos transegísset, aliquándo apud Edéssam Syriae urbem per imáginem sanctíssimae Maríae Vírginis ejus nómine divulgáto, ut ináne mundi glóriam declináret, inde navi discéssit : mox ad Portum Románum appúlsus, ac patri, Deo ita disponénte, óbviam factus, ab eódem in própria domo tamquam aliénus pauper hospítio recéptus est.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

HOC in loco, ut nova mundum arte delúderet, durum certámen aggréssus, inter uxóris, et paréntum diútinos questus, inter famulórum contémptum per decem et septem annos admirándae virtútis, et invíctae patiéntiae exémplum se praebuit, soli Deo notus. Post mortem scripto suo ágnitus, in quo nomen, genus, et totíus vitae cursus continebántur, Innocéntio primo Pontífice máximo, ad ecclésiam sancti Bonifácii, quae étiam sancti Aléxii nómine appellátur, summo honóre delátus est, ubi ad hanc usque diem pia fidélium veneratióne cólitur. Ejus diem festum senátus Románus, ut débitam erga tam insígnem concívem suum pietátem osténderet, a summo Pontífice Cleménte décimo secúndo ritu solemnióri Romae et in ejus distrítu celebrándum impetrávit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam:

Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* ix.

IN illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis.

Declam. in Ev. hujus verbi.

ARBITROR verba lectiónis hujus ea esse, de quibus ad immortálem Sponsum a fínibus terrae clamat Ecclésia : Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. Haec nempe sunt verba, quae contémptum mundi in univérso mundo, et voluntáriam persuasére homínibus paupertátem. Haec sunt, quae mónachis claustra replent, desérta anachorétis. Haec, inquam, sunt verba quae Ægyptum spóliant, et óptima quaeque ejus vasa dirípiunt. Hic sermo vivus, et éfficax, convértens ánimas felíci aemulatióne sanctitátis, et veritátis promissióne fidéli.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.—Ipse intercédat.

Lectio viii.

NAM, et mundus transit, et concupiscéntia ejus, et relínquere haec magis éxpedit, quam relínqui. Ecce, ínquit, relíquimus ómnia, et secúti sumus te : Nimírum quia exultávit ut gigas ad curréndam viam, nec curréntem sequi póterat onerátus. Sed nec inútilis commutátio, pro eo, qui super ómnia est, ómnia reliquísse ; nam, et simul cum eo donántur ómnia, et ubi apprehénderis eum, erit unus ipse ómnia in ómnibus, qui pro ipso ómnia reliquérunt. Omnia sane dixerim, non tantum possessiónes, sed étiam cupiditátes, et eas máxime.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.—

Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

Lectio ix.

PETRUS cogitátum suum jactans in Dómino, et omnem sollicitúdinem suam in eum projíciens, certus quod illi foret cura de eo, relíquit ómnia, secútus est Dóminum, ne intérrogans quidem de praemio, donec ex periculo dívitum, quod Salvátor prosequebátur, súmeret occasiónem percunctándi: Quid ergo erit nobis? Ait illis Jesus: Amen dico vobis. Verbum confirmatiónis praemíttitur; magnum nóveris esse, quod séquitur. In regeneratióne sedébitis et vos. Consequémini, ait, quem sequímini: ut cum ipse séderit, et vos páriter sedeátis. O séssio! quis mihi tríbuat, ut dignis éxprimam verbis, quod de sessióne hac cordis affectióne concípio? Imo quis tríbuat mihi sessiónis hujus imperturbáta frui réquie, quam desídero, quam cúpio, quam requíro?

Te Deum laudámus. 17.

DIE XIX. JULII.

In festo S. Symmachi, P. C. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter sequentia.

Oratio. Da quaesumus.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SYMMACHUS, génere Sardus, patre Fortunáto, ex Diácono a majóre et potióre cleri parte in Constantiniána basílica, quarto ab óbitu Anastásii die, in ejus locum suffréctus est. Quia tamen, distráctis electórum suffrágiis, festi senátus príncipis excónsulis instínctu, a nonnúllis Laurentius Archipresbyter promótus fúerat, gravíssimum inde schisma ortum hábuit, ex quo máxima christiánae reipúblicae clades imminébat, nisi exímia Symmachi prudéntia, cum singulári christiánae modéstiae exémplo conjúncta, et quátuor synodórum, Romae collectárum decrétis firmáta, quibus et Theodoríci regis, pro executióne auctóritas, et élegans Ennódii pro defensióne stylus accéssit, pénitus extínctum fuísset.

℟. Invéni David. ccxcv.

Lectio v.

IN commemorátis synodis, aliísque réliquo témpore hábitis, multa ejus nutu, et império statúta fuérunt, tum circa Románi Pontíficis, et Episcopórum

electiónem, ad turpem ámbitum amovéndum, abrogáta regis Odóacris iníqua lege; tum circa disciplínam ecclesiásticam, ac praesértim bonórum Ecclésiae alienatiónem. Imo sub ejus pontificátu, et auspíciis, Aurelianénsis, Agathénsis, et áliae synodi hábitae sunt, in quibus multi et egrégii cánones cónditi fuérunt, ad dignitátem Ecclésiae, et fidélium mores plúrimum conducéntes. Várias demum sédulus pastor epístolas scripsit, in quibus ardentíssimus propagándae ac servándae fídei zelus, cum indefésso pastorális curae stúdio mirabíliter enitéscit.

℟. Pósui. ccxcvi.

Lectio vi.

MAXIMAM pecúniae summam pro redimêndis Ligúriae captívis, ultro contríbuit : et quotánnis praesúlibus Africánis a Vándalis in ódium fídei in Sardíniam relegátis, aliménta, et vestes suppeditávit ; eósque sacris, quas petíerant, relíquiis, nec non epístola, Ennódii stylo niténte, recreávit. Admiratióne porro dignum est, quod sub bárbaro, et Ariáno rege, sub quo Urbs ipsa captíva quodámmodo tenebátur, tantam auri et argénti vim, tum ad novas basílicas a fundaméntis extruéndas, tum ad álias reparándas, et regáli cultu ornándas contúlerit. Anno demum Christi decimoquárto supra quingentésimum, quartodécimo Kaléndas Augústi, cum sedísset annos quíndecim, et menses octo, pie óbiit, et sepúltus est in Vaticáno.

℟. Iste est. ccxcvi.

In tertio Nocturno. Homilia super Evang. Homo péregre, de Comm. lxx.

DIE XXVIII. JULII.

In festo SS. Victoris, I. P. M. Innocentii I. P. C. Nazarii et Celsi, Martyrum.

Duplex.

Pro Clero Urbis et alibi.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum. xliv. praeter sequentia.

Oratio.

SANCTORUM tuórum nos, Dómine, Victóris, Innocéntii, Nazárii, ac Celsi, conféssio beáta commúniat : et fragilitáti nostrae subsídium dignánter exóret. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

VICTOR in Africa natus, Sevéro imperatóre rexit Ecclésiam. Confirmávit decrétum Pii primi,

ut sacrum Pascha in die Domínico celebrarétur: qui ritus, ut póstea in mores inducerétur, hábita sunt multis in locis concília, et in Nicaena dénique prima synodo sancítum est, ut Paschae dies festus, post quartam décimam lunam agerétur, ne Christiáni Judaeos imitári videréntur. Státuit, ut quavis aqua, modo naturáli, si necéssitas cógeret, quicúmque baptizári posset. Theódotum Coriárium Byzantínum, docéntem Christum tantúmmodo hóminem fuísse, ejécit ex Ecclésia. Scripsit de quaestióne Paschae, et ália quaedam opúscula. Creávit duábus ordinatiónibus mense Decémbri Presbyteros quátuor, Diáconos septem, Episcopos per divérsa loca duódecim. Martyrio coronátus, sepelítur in Vaticáno quinto Kaléndas Augústi. Sedit annos novem, mensem unum, dies vigínti octo.

℟. Sancti tui, Dñe. l.

Lectio v.

INNOCENTIUS Albanénsis, sancti Hierónymi, et Augustíni aetáte flóruit, de quo ille ad Demetríadem vírginem: Sancti Innocéntii, qui apostólicae cáthedrae, et beátae memóriae Anastásii succéssor, et fílius est, téneas fidem, nec peregrínam, quamvis tibi prudens, cállidaque videáris, doctrínam recípias. Eum tamquam justum Loth subtráctum Dei providéntia, ad Ravénnam servátum fuísse, scribit Orósius, ne Románi pópuli vidéret excídium. Is, Pelágio et Coeléstio damnátis, contra eórum haeresim decrétum fecit, ut párvuli ex christiána étiam muliere nati, per baptísmum renásci debérent; ut in eis regeneratióne mundétur, quod generatióne contraxérunt. Probávit étiam, ut Sábbato, ob memóriam Christi Dñi sepultúrae, jejúnium servarétur. Sedit annos quíndecim, mensem unum, dies decem. Quátuor ordinatiónibus mense Decémbri, creávit Presbyteros trigínta, Diáconos quíndecim, Episcopos per divérsa loca quinquagínta quátuor. Sepúltus est in coemetério ad Ursum pileátum.

℟. Vérbera carnífícum. l.

Lectio vi.

LAZARIUS, a beáto Lino Papa baptizátus, cum in Gálliam profécturus esset, ibi Celsum púerum a se christiánis praecéptis prius instrúctum, baptizávit: qui una Trévirim eúntes, Nerónis persecu-

tióne, in mare utérque dejicitur, unde mirabíliter evasérunt. Póstea Mediolánū veniéntes, cum ibi Christi fidem disseminárent, ab Anolíno praeféćto, constantíssime Christum Deum confiténtes, cápite plećtúntur : quorum córpora extra portam Románam sepúlta sunt. Quae, cum diu latuíssent, Dei mónitu a beáto Ambrósio, conspérsa recénti sánguine sunt invénta, tamquam si paulo ante martyrium passi essent : unde in Urbem transláta, honorífico sepúlchro contécta sunt.

℟. Tamquam aurum. li. In tertio Nocturno, Homilia super Evangelium : Cum audiéritis. liii.

DIE XXIX. JULII.

In festo S. Felicis II., P. M. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi unius Martyris, xxvii. praeter sequentia.

Oratio. Infirmitátem.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

FELIX secúndus, Románus, patre Anastásio, ex Románae Ecclésiae Archidiácono, in Pontificem eléctus est, vivénte Libério. Cum autem de Felícis pontificátu, témpore Gregórii decimitértii, non levis controvérsia incidísset, virique gravíssimi divérsum sentírent ; áccidit eo ipso témpore, ut in diaconía sanctórum Mártyrum Cosmae et Damiáni, in foro Románo, quidam thesáurum quaeréntes, in arcam marmóream inciderint : in qua corpus sancti Felícis repértum est, una cum lapídeo latérculo, ibídem intus pósito, hísque lítteris exaráto : Corpus sancti Felícis Papae et Mártyris, qui damnávit Constántium. Cóntigit id prídie ejus diéi, quo Felícis in Ecclésia natális dies agi consuéverat, quarto Kaléndas Augústi, anno Dómini millésimo quingentésimo octogésimo secúndo. Unde Felíce quasi pro se testimónium reddénte, festum ejus in eádem diaconía cum majóri solemnitáte síngulis annis celebrári consuévit.

℣. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum.—Et dedit illi claritátem.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.
De S. Cypriano, serm. xii.

Lectio v.

SERMONEM éxigit tam grata, et religiósa solémnitas, qua passiónem beáti Mártyris Felicis celebrámus. Tristis proculdúbio tunc Ecclésia fuit, non damno cadéntis, sed desidério recedéntis; semper cúpiens vidére praeséntem tam bonum rectórem atque doctórem. Sed quos afflixerat sollicitúdo certáminis, consoláta est coróna victóris. Et nunc non solum sine ulla tristítia, verum étiam cum ingénti laetítia, cuncta, quae tunc gesta sunt, legéndo recólimus, diéque isto gaudére nobis concéssum est, non timére. Neque enim formidámus terribiliter veniéntem, sed expectámus hiláriter redeúntem.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Lectio vi.

UICINA córporis morte, non moriebátur in ánimo pastóris vigilántia pastorális: et cura tuéndi domínici gregis, usque ad extrémum vitae hujus diem, mente sóbria tenebátur. Nec excutiébat ab ánimo diligéntiam fidelíssimi dispensatóris manus jam próxima cruénti carnífici. Ita se Mártyrem cogitábat futúrum, ut esse non obliviscerétur Epíscopum; magis curans, quam ratiónem pastórum príncipi de commíssis sibi óvibus rédderet, quam quid infidéli procónsuli de fide própria respondéret. Amábat quippe eum, qui Petro díxerat: Amas me? pasce oves meas. Et pascébat oves ejus, pro quibus sánguinem fúndere, illum ímitans, se praeparábat.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae, et intellectus: et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum. — Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno, Homilia super Evangelium: Si quis venit. xxxvi.

In Laudibus fit Commemoratio sanctorum Simplicii et sociorum Martyrum, omisso tamen in oratione nomine Felicis. 568.

FESTA AUGUSTI.

DIE II. AUGUSTI.

In festo S. Stephani I., P. M. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi unius Martyris. xxvii. praeter sequentia.

Oratio. **Deus, qui nos.**

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

STEPHANUS Románus pontificátum gessit Valeriáno et Galliéno imperatóribus. Instítuit, ut Sacerdótes et Diáconi nusquam sacris véstibus, nisi in ecclésia uteréntur. Baptizátos ab haeréticis, íterum baptizári vétuit, rescríbens sancto Cypriáno verbis illis: Nihil innovétur, nisi quod tráditum est. Multos étiam ad Christum convértit: in iis Olympium tribúnum eum uxóre Exupéria, et fílio Theodúlo; item Nemésium tribúnum cum tota família, óculis Lucíllae ejus fíliae restitútis: qui omnes Jesu Christi Mártyres fuérunt.

℟. Honéstum fecit. cccii.

Lectio v.

SED veheméntius jam ingravescénte persecutióne imperatórum, Stéphanus, convocáto clero, ad martyrium suos hortabátur, in cryptísque Mártyrum assídue missas, et concília celebrábat. Qui cum aliquándo raptus esset ab infidélibus ad templum Martis, ut ei sacrificáret, líbere negávit se daemónibus honórem velle tribúere, qui uni Deo deberétur. Quibus in verbis Martis státua terraemótu córcidit, templúmque contrémuit.

℟. Desidérium. cccii.

Lectio vi.

QUARE ómnibus aufugiéntibus, qui Stéphanum tenébant, Póntifex ad suos revértitur in coemetérium Lucínae: quos divínis praecéptis ínstruens, sacraménto córporis Christi communicávit; ibíque dum missárum solémnia pérficit, adveniéntibus íterum imperatórum satellítibus, ei in sua sede caput abscínditur. Corpus cum eádem sede conspérsa Mártyris sánguine, a cléricis sepúltum est in coemetério Callísti, quarto Nonas Augústi. Vixit in pontificátu annos tres, menses tres, dies vigínti duos. Hábuit ordinatiónes duas mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros sex, Diáconos quinque, Epíscopos tres.

℟. Stola cccili.

In tertio Nocturno, Homilia super Evang. Si quis vult, de Communi secundo loco. xli.

DIE VI. AUGUSTI.

In festo Transfigurationis D. N. J. C. Titularis Archibasilicae Lateranensis.

Pro Clero Urbis.

Duplex primae classis cum Octava.

Omnia ut in Breviario hac die. 595.

Hymnus ejusdem metri etiam per totam Octavam terminatur cum strophia:

Jesu, tibi sit glória,
Qui te revélas párvulis,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

In tertio Nocturno omissa ix. Lectione sanctorum Martyrum legatur pro eadem de Homilia S. Joannis Chrysostomi: Tu vero Matthaei, ut in Breviario. 609.

De SS. Felicissimo et Agapito Martyr. nihil fit.

DIE IX. AUGUSTI.

In festo S. Æmygdii, Episc. et Mart. Duplex.

Pro aliquibus locis.

Omnia de Communi unius Martyris. xxvii. praeter ea, quae hic propria adnotantur.

AD I. VESPERAS.

Añae ex Laudibus. cccx. Psalmi de Dominica. 133. et loco ultimi Ps. Laudáte Dñum omnes Gentes. 137.

Capitulum. *Jac.* i. *b.*

BEATUS vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitae, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

AUDIAT miras óriens cadénsque
Sol tuas laudes, celebrésque palmas,
Praesul Æmygdi, cólumen, tuaeque
Glória gentis.
O jubar coeli rádiis decórum,
O potens signis, meritísque felix,
Quem Deus gestis adhibére suévit
Grándibus olim.
Ethnico primum génitus paránte
Illico nomen súperis dedísti,
Pátriis spretis ópibus, beáta
Regna requírens.
Miles hinc scriptus Tríadis supérnae
Italis infers sacra bella plagis,
Instruis verbo, tribuísque mira
Dona salútis.

Victor, et dives spóliis deórum
Templa subvértis, simulácra, et aras,
Mox feras gentes numerósa reddis
Agmina Christo.
Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super coeli sólio corúscans
Totíus mundi sériem gubérnat
Trinus, et Unus.
Amen.

℣. Terra trémuit, et quiévit. ℟. Dum pro nobis deprecarétur Ægmygdius.

Ad Magnif. Aña. Ægmygdius spíritu oris sui idolórum cultum, et templa subvértit : quos in Christo génuit fílios, illos fidéliter a ruínis terraemótus servávit.

Oratio.

DEUS, qui beátum Ægmygdium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, idolórum victória, et miraculórum glória decorásti : concéde propítius ; ut, eo interveniénte, malórum spirítuum fraudes víncere, et coruscáre virtútibus mereámur. Per Dóminum.

Et fit Comm. S. Romani, Martyris. 619.

AD MATUTINUM.

Invitatorium de Communi unius Mart. xxviii.

Hymnus.

IMPERAS saxo, látitans repénte
Lympha consúrgit, flúitans salúbri
Fonte baptísmi, populósque lustras
Flúmine sacro.
Péctoris duros sílices repélle,
Sáxeum cordis túmidi rigórem
Cóntere, ut sordes lacrymósa manans
Abluat unda.
Non times saevi rábiem tyránni,
Sánguine effúso, generóse Martyr,
Quin tibi abscíssum caput usque ad aras
Mórtuus effers.
Nunc triumphátor super astra regnans
Sémitam nobis aditúmque monstra ;
Súpplices ductor génitos supérnis
Sédibus infer.
Annuat coelo Pater, atque Natus,
Annuat compar utriúsque virtus,
Spíritus votis, Deus unus omni
Témporis aevo. Amen.

In primo Nocturno.

Aña. Circuívit terram, et perambulávit eam, ut notam fáceret in pópulis glóriam Dei. Psalmi de Communi unius Martyris. xxviii.

Ańa. Virtúte magna reddébat testimónium summi Dei, et Jesu Christi Dómini nostri.

Ańa. Confúsi sunt, qui adorábant sculptília, et qui gloriabántur in simulácris suis.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* v. *v.* ii.

NE sequáris in fortitúdine tua concupiscéntiam cordis tui, et ne díxeris: quómodo pótui? aut quis me subjíciet propter facta mea? Deus enim víndicans vindicábit: Ne díxeris: Peccávi, et quid mihi áccidit triste? Altíssimus enim est pátiens réddítor. De propitiáto peccáto noli esse sine metu, neque adjícias peccátum super peccátum. Et ne dicas: miserátio Dómini magna est, multitúdinis peccatórũ meórum miserébitur. Misericórdia enim, et ira ab illo cito próximant, et in peccatóres réspicit ira illíus.

℟. Egréssus est de terra sua, et de cognatióne sua,* Et venit in terram, quam monstráverat illi Deus. ℣. Ut annuntiáret inter gentes ópera ejus. — Et venit in terram.

Lectio ii. *Cap.* x. *v.* xv.

INITIUM omnis peccáti est supérbia: qui tenúerit illam, adimplébitur maledíctis, et subvértet eum in finem. Proptérea exhonorávit Dóminus convéntus malórum, et destrúxit eos usque in finem. Sedes ducum superbórum destrúxit Deus, et sedére fecit mites pro eis. Radíces géntium superbárum arefécit Deus, et plantávit húmiles ex ipsis géntibus. Terras géntium evértit Dóminus, et pérdidit eas usque ad fundaménta.

℟. Diréctus est in conversiónem géntium, * Et tulit abominatiónes impietátis. ℣. Zelo zelátus est pro Dómino Deo. — Et tulit.

Lectio iii. *Cap.* xvi. *v.* vi.

NON dicas: a Deo abscóndar et ex summo quis mei memorábitur? In pópulo magno non agnóscar: quae est enim ánima mea in tam imménsa creatúra? Ecce coelum, et coeli coelórum, abyssus, et univérsa terra, et quae in eis sunt, in conspéctu illíus commovebúntur: montes simul, et colles, et fundaménta terrae, cum conspéxerit illa Deus, tremóre concutiéntur.

℟. Elégit abjéctus esse in domo Dei, * Magis quam

habitáre in tabernáculis peccatórum. ℣. Et virtúte magna reddébat testimónium Jesu Christi Dómini nostri.—Magis. Glória Patri. Magis.

In secundo Nocturno.

Ańa. Audiéntes autem gentes gavísae sunt, et glorificábant verbum Dei.

Ańa. Et cantábant cánticum novum, carmen Deo nostro: Dñus enĩm augébat quotídie, qui salvi fierent.

Ańa. Multitúdinis autem credéntium erat cor unum, et ánima una.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Lectio iv.

AEMYGDIUS, e nóbili Francórũ prosápia Tréviris natus, anno aetátis vigésimo tértio, paréntibus idolólatris frustra obstántibus, fidem Christi suscépit, et constantíssime proféssus est. Cum tribus discípulis Euplo, Germáno, et Valentíno vitam duxit. Humánis spretis oblectaméntis, rebus divínis plénius incumbébat; erga próximum charitátis ardóre aestuábat; idcírco ad procurándam multórum salútem Romam se cóntulit. Hospítio excéptus in ínsula Tíberis, hóspitis fíliam per quinquénnium immedicábili morbo languéntem baptísmo sanávit.

℟. A fácie furóris tui, Deus, conturbáta est omnis terra. * Miserére, et ne fácias consummatiónem. ℣. Avertátur furor tuus a pópulo tuo.—Miserére, et ne fácias.

Lectio v.

QOX, óculis caeci coram pópulo signo crucis apértis, a multitúdine, eum fílium Apóllinis credénte, in templum Æsculápii rápitur. Ibi Christi servum se proféssus, ejus invocatióne magnum númerum aegrórum, nequíquam idóli opem implorántium, valetúdini restítuit, aras díruit, Æsculápii signum confráctum in Tíberim projécit. Quibus rebus, et mille tercentórum Gentílium, praéter Æsculápii sacerdótes, conversióne inde secúta, irritáti Posthúmii Titiáni praefécti Urbis minas, Angeli mónitu, declínans, sanctum Marcéllum Pontíficem ádiit, a quo Epíscopus ordinátus, et Asculum missus est.

℟. Montes commovebuntur, et colles contremíscent: * Misericórdia autem mea non recédet a te. ℣. Et foedus pacis meae non movébitur. — Misericórdia.

Lectio vi.

QULTIS in itínere miráculis, ingénti multitúdine Christo adjúncta, simul ac Asculum Ægmygdius pervénit, daemones e simulácris idolórum per cuncta fana ejulátibus éditis, peregrínum dolóris sui causam indicárunt. Quem cum concitáta plebs ad caedem quaereret, éxcitus tumúltu Polymius civitátis praeses eum ad se vocátum multis, sed írritis verbis, ad Jovis, et Angáriae deae Asculi patrónae veneratiónem hortátur, promíssis étiam in praemium núptiis própriae fíliae Polysiae, quam Ægmygdius ad Christum convérsam baptizávit, et post eam mille et sexagínta hómines, edúcta e saxo per ingens miráculum aquárum cópia. His in rábiem actus Polymius sancto Episcopo caput abscídit, quo facto, truncus ejus mirabíliter eréctus abjéctum humo próprium caput attóllens mánibus, per spátium tercentórum pássuum ad oratórium portávit; inde ad templum máximum translátum est, ubi magna religióne Asculáni pópuli, et concúrsu exterórum hanc usque in diem cólitur. Incidit ejus beáta mors, persecutióne Diocletiáni duránte.

℟. Misericórdia tua, Dñe, non recédat a nobis: * Ut salvet nos, dum terra tremit. ℣. Eleva bráchium tuum: et déxtera tua glorificétur in nobis.—Ut. Glória. Ut.

In tertio Nocturno.

Ant. Sicut pastor gregem suum pavit, et in bráchio suo congregávit agnos.

Ant. Trádidit corpus suum in mortem, ídeo coronátus póssidet palmam.

Ant. In vita sua fecit monstra, et in morte mirabília operátus est.

℟. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xxi. *c.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis praelia, et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum haec fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum: et terraemótus magni erunt per loca. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papae. *Homilia* i. *in Evangelia.*

DOMINUS et Redémptor noster parátos nos invenire desíderans senescéntem mundum quae

mala sequántur denúntiat, ut nos ab ejus amóre compéscat. Appropinquántem ejus términum quantae persecutiónes praevéniant, innotéscit : ut si Deum metúere in tranquillitáte nólumus, saltem vicínum ejus judícium vel persecutiónibus attríti timeámus.

℟. Hic est fratrum amátor, et pópuli Israël: * Hic est, qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte Jerúsalem. ℣. Ipse intercédat pro nobis ad Dóminum.—Hic est.

Lectio viii.

HUIC étenim lectióni sancti Evangélii, quam modo vestra fratérnitas audívit, paulo supérius Dóminus praemísit dicens : Exúrget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum : et erunt terraemótus magni per loca, pestiléntiae, et fames. Et quibúsdam interpósitis, hoc, quod modo audístis, adjúnxit : Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressúra géntium prae confusióne sónitus maris, et flúctuum. Ex quibus profécto ómnibusália jam facta cérnimus,ália in próximo ventúra formidámus.

℟. Iste sanctus gloriósum sánguinem fudit pro Dómino, amávit Christum in vita sua, imitátus est eum in morte sua : * Et ídeo glorificávit eum in coelis. ℣. Iste sanctus conféssus est Jesum Christum coram homínibus. — Et ídeo. Glória Patri. Et ídeo.

Lectio nona de Homilia Vigiliae S. Laurentii.

Si vero contigerit transferri, erit sequens :

Lectio ix.

IAM gentem contra gentem súrgere, earúmque pressúram terris insístere plus jam in nostris tempóribus cérnimus, quam in codícibus légimus. Quod terraemótus urbes innúmeras óbruat, ex áliis mundi pártibus, scitis quam frequénter audívimus : pestiléntias sine cessatióne pátimur : signa vero in sole, et luna, et stellis adhuc apérte mínime vídimus, sed quia et haec non longe sint, ex ipsa jam áeris immutatióne colligimus.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES

et per Horas Añae.

1. Ut cognóvit Ægydius quod magnus est Dóminus Deus noster prae ómnibus diis, státuit custodíre judícia justítiae suae. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis de Domin. 18.

2. Exívit de domo sua, et de cognatióne sua, et venit in terram, quam monstráverat illi Deus.

3. In hoc excitávit illum Dóminus, ut osténderet in eo virtútē suam, et annuntiáret inter gentes nomen suum.

4. Intellēctum dedit ei, et instrúxit in via hac, qua graderétur, et firmávit super eum óculos suos.

5. Directus est in conversiónem géntium, et tulit abominatiónes eárum.

Capitulum. *Jac.* i. *b.*

BEATUS vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit accípiet corónam vitae, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

JESU, coróna Mártyrum,
Qui post cruénta praelia
Ad sempitérna praemia
Sanctum vocásti Ægmygdiū;

Casti cruóris púrpura,
Palmáque ovántem nóbili,
Inter choros coeléstium
Reples beáto lúmine.

Nunc ejus ad victórias
Nos somnoléntos éxcita,
Virtútis ad praecónia
Sopóre mersos líbera.

Ut invocátus réddidit
Membris salútem lánguidis,
Sic labe prorsus criminum
Arcána purget méntium.

Ut éditis miráculis
Aras deórum díruit,
Sic damna praesens árceat,
Quaecúmque nobis ímminent.

Ut voce quondam sústulit
Cultus nefándos daemonum,
Sic ímpetret precántibus
Ætérna coeli gáudia.

Tu postulátis ánnue,
Rex magne Jesu Mártyrum,
Cum Patre, et almo Spíritu,
Regnans per omne saeculum. Amen.

℣. Ora pro nobis sancte Ægmygdi. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Bened. Ańa. O virum ineffábilem, per quem nobis antíqua prodígia Móysis corúscant, cujus nútibus e saxo aqua baptísmatis Asculáno pópulo emanávit : per quem evangélica lux effúlsit ; quem triúmphans excépit cúria coeléstis : illic pro nobis intercédere dignétur, ut suo mereámur gaudére consórtio.

Et fit Commem. Vigiliae ac S. Romani, Mart. 619.

In secundis Vesperis si dicendae sunt, omnia ut in primis. 305. et loco ultimi dicitur Ps. Crédidi. 137.

Hymnus. Jesu coróna Mártyrum, ut in Laudibus.

℣. Méritis, et précibus beáti Ægmygdii. ℟. Propítius esto, Dómine, clero et pópulo tuo.

Ad Magnificat, Ańa. O Ægmygdi, Martyr glorióse,

quos in Christo genuísti fílios, et verae fídei lacte enutrísti, tua, quaesumus, orátio commendet nos indesinénter Deo.

Oratio ut supra. 306.

———

DIE XI. AUGUSTI.

In festo S. Xysti II., P. M. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi unius Martyris. xxvii. praeter sequentia.

Oratio. Infirmitátem.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

XYSTUS secúndus, Athenién sis, ex philósopho Christi discípulus, in persecutióne Valeriáni accusátus, quod públice Christum praedicáret, comprehénsus tráhitur in templum Martis, propósita ei capitáli poena, nisi illi simulácro sacrificáret. Qua impietáte constantíssime recusáta, cum ad martyrium ducerétur, occurrénti sancto Lauréntio, et dolénter in hunc modum interrogánti : Quo progréderis sine filio, Pater? quo, Sacérdos sancte, sine minístro próperas? Respóndit : Non ego te désero, fili ; majóra te manent pro Christi fide certámina : post tríduum me sequéris Sacerdótem Levíta : intérea, si quid in thesáuris habes, paupéribus distríbue. Eódem ígitur die interféctus est, una cum Felicíssimo, et Agapíto Diáconis, Januário, Magno, Vincéntio, et Stéphano Subdiáconis, et in coemetério Callísti sepúltus, octávo Idus Augústi: caeteri vero in coemetério Praetextáti. Sedit menses úndecim, dies duódecim ; quo témpore hábuit ordinatiónem mense Decémbri, creátis Presbyteris quátuor, Diáconis septem, Epíscopis duóbus.

℟. Honéstum. cccii.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

De S. Cypriano, sermone xii.

Lectio v.

SERMONEM éxigit tam grata, et religiósa solémnitas, qua passiónem beáti Mártyris Xysti celebrámus. Reliqua ut in festo S. Urbani. ccxlix.

———

EADEM DIE.

In festo S. Philumenae, Virginis et Martyris. Duplex.

Pro Clero Urbis.

Omnia de Communi Virginis Martyris. ciii. primo loco praeter sequentia.

Oratio. Deus, qui inter caetera poténtiae tuae. cv.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

INTER caetera Mártyrum sepúlchra, quae in coemetério Prisíllae ad viam Saláriam reperíri solent, illud éxtitit, quo repósitum fúerat sanctae Philuménae corpus, uti ex túmuli inscriptióne tribus latérculis appósita perlegebátur. Licet vero invénta ibidem fúerit phíala sanguinis, et ália inscúlpta conspiceréntur martyrii insígnia, doléndum tamen est, res ab eádem gestas, áctaque ac genus martyrii, quod ipsa fecit, obscúra perstitísse. Caeterum ubi primum sacrum hoc corpus, ex beneficéntia Pii séptimi initio pontificátus ejus accéptum, cúltui fidélis pópuli propósitum fuit Mugnáni in Nolána dioecési, ingens íllico famae celébritas ac religio erga sanctam Mártyrem percrébuit, praesértim ob signa, quae ejúsdem praesídio accessísse úndique ferebátur. Hinc factum est, ut complúrium Antístitum, cultorúmque Mártyris postulatiónibus permótus Gregórius décimus sextus Póntifex máximus, univérsa rei ratióne matúre perpénsa, festum ejúsdem cum officio et missa in memoráta Nolána dioecési, et álibi agéndum benígne permíserit.

℟. Propter. cxiii.

Lectiones v. et vi. Sermo S. Ambrosii Episcopi. Quóniam hódie natális, quae sunt iv. et v. de Communi primo loco. cxii.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Símile erit regnum coelórum decem Virgínibus, de Communi primo loco. cxv.

DIE XIII. AUGUSTI.

In die Octava Transfigurationis D.N.J.C. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi ubi hoc festum cum Octava celebratur.

Omnia ut in festo. cccv. praeter sequentia.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Cyrílli Episcopi Alexandríni. *Apud Metaph. post medium.*

Lectio iv.

ARBITRATUS fortásse beátus Petrus advenísse tempus regni Dei, in monte quidem versári díligit : dicit autem tria esse faciénda tabernácula, nésciens quid díceret. Non

erat enim tempus consummatiónis saeculi, neque in praesénti témpore sunt sancti futúri partícipes spei eis promíssae. Cum ergo dispensátio adhuc esset in princípio, et nondum esset finíta, quómodo erat consentáneum Christum, qui vénerat propter charitátem in mundum, desínere pro eo velle pati ? Nesciébat ergo Petrus, quid díceret.

℟. Inebriáti sunt ab ubertáte domus tuae :* Et torrénte voluptátis tuae potásti eos. ℣. Quóniam apud te est fons vitae, et in lúmine tuo vidébimus lumen.— Et torrénte.

Lectio v.

QAETERUM, praeter admirábile et arcánum Christi glóriae spectáculum, áliquid quoque áliud factum est útile et necessárium, ad confirmándum in se fidem, non solis discípulis, sed étiam nobis ipsis. Désuper enim ex alto éxtitit vox Dei et Patris dicéntis: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui, ipsum audíte. Et dum facta est, inquit, vox, invéntus est solus Jesus. Ecce praesénte Móyse Pater jubet sanctis Apóstolis, ut eum áudiant ; quod si eos voluísset sequi praecépta Móysis, dixísset : Serváte legem. Nunc autem ne hoc quidem dicit Deus, et Pater. Aberat quidem Móyses, Elías autem non áderat; solus vero erat Christus : jussit ergo ipsum audíre. Ipse enim est finis legis et Prophetárum.

℟. Praecéptor bonum est nos hic esse :* Faciámus hic tria tabernácula, tibi unum, Móysi unum, et Elíae unum. ℣. Non enim sciébat quid díceret. — Faciámus hic.

Lectio vi.

PROPTEREA Judaeórum pópulum allocútus est dicens : Si crederétis Móysi, crederétis útique mihi ; ille enim de me scripsit. Quóniam autem, et per sapientíssimum Móysen datum praecéptum contémnere, et quae per sanctos Prophétas dicta sunt nihil dúcere, perpétuo perseverárunt, jure sunt abalienáti, et exturbáti a bonis, quae promíssa sunt ipsis pátribus. Obediéntia enim mélior est, quam sacrifícium ; et auscultátio, quam ádipes agnórum, sicut scriptum est, et ita quidem se habet Rex Judaeórum. Nobis autem, qui ejus advéntum agnóvimus, ómnia omníno bona áderunt per ipsum, et in ipso Christo. Per quem, et cum quo Deo et Patri glória, et poténtia cum sancto

Spíritu, in saecula saeculórum. Amen.

℟. Si ministrátio mortis, lítteris deformáta in lapídibus, fuit in glória, ita ut non possent inténdere fílii Israël in fáciem Móysis, propter glóriam vultus ejus, quae evacuátur : * Multo magis ministratio spíritus, quae manet, erit in glória. ℣. Amplióris enim glóriae, Christus prae Móyse dignus est hábitus ; quanto ampliórem honórem habet domo, qui fabricávit eam.—Multo magis. Glória Patri. Multo magis.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xvii.

IN illo témpore: Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum, et transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

De Homília S. Ambrósii Episcopi.

Lib. 7. in Lucam cap. ix.

HIC est Fílius meus diléctus ; hoc est, non Elías filius, non Móyses filius, sed hic est filius, quem solum vidétis ; recessérunt enim illi, ubi coepit Dñus designári. Vides hanc non solum insipiéntium, sed étiam perfectórum, imo étiam coeléstium fidem esse perfécta, Fílium Dei scire. Sed quóniam haec jam supra díximus, cognósce nubem istam non fumigántium esse móntium nebulóso humóre concrétam, et coácti áeris calígine píceam, quae coelum tenebrárum horróre subtéxerat : sed lúcidam nubem, quae nos non pluviálibus aquis, et huméntis alluvióne imbris immádidet, sed de qua mentes hóminum, voce Dei omnipoténtis, emíssa, ros fídei rigávit.

℟. Vocávit nos Deus vocatióne sua sancta secúndum grátiam suam, quae manifestáta est nunc : * Per illuminatiónem Salvatóris Jesu Christi. ℣. Qui destrúxit mortem, illumináv it autem vitam in incorruptiónem.—Per illuminatiónem.

Lectio viii.

ITAQUE cum tres essent, unus est factus. Tres in princípio vidéntur, unus in fine. Perfécta enim fide unum sunt. Dénique hoc étiam Dóminus Patrem orat, ut omnes unum simus. Nec solum Móyses, et Elías in Christo unum sunt, sed étiam nos unum corpus sumus Christi. Ergo, et illi tamquam in uno córpore recipiúntur in Christi corpus, quia et nos unum érimus in Christo

Jesu. Aut fortássis, quia lex et Prophétae ex verbo; quae autem ex verbo coepérunt, in verbo désinunt. Finis enim legis est Christus, ad justítiam omni credénti.

℟. Deus, qui fecit de ténebris lumen splendéscere, illúxit in córdibus nostris,* Ad illuminatiónem sciéntiae claritátis Dei, in fácie Jesu Christi. ℣. Exórtum est in ténebris lumen réctis corde, miséricors, et miserátor, et justus.—Ad. Glória. Ad.

Nona Lectio SS. Hippolyti et Cassiani, Martyrum ut in Breviario. 635. et Commem. Octavae ac sanctorum Martyrum, ut ibid.

DIE XIV. AUGUSTI.

In festo S. Hormisdae, P. C. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter ea, quae hic habentur propria.

In Hymno mutatur tertius versus.

Oratio. Da quaesumus.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

HORMISDAS, natióne Campánus, Justo patre Frusináte, séptimo a Symmachi óbitu die, cum jam sanctae Románae Eccléside Diáconus esset, summa ómnium consensióne, ad sanctam Petri sedem provéctus est; in qua ita se gessit, et Domínico gregi pascéndo sédulam óperam navávit, ut non sine singulári Dei providéntia, ac divino consílio eléctum fuísse, perspéctum sit. Hoc quippe hómine iis tempóribus Ecclésia indigébat, qui, et res árduas faciéndas animóse suscíperet, et susséptas ad optátum finem stréneue perdúceret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.

UBI suprémum Pontificis munus íniit, totum fere christiánum orbem sub régibus bárbaris, vel haeréticis geméntem invénit, et distráctam in partes Ecclésiam. Sed octo annórum spátio, vir plane Deo plenus, perénni cura, ac felíci labórum suórum evéntu, eo rem addúxit, ut Orientáles Ecclésiae ab octogínta círciter annis foedo schísmate separátae, subscrípto libéllo, quem is per suos legátos míserat, ad unitátem redíerint;

et Africae sui Epíscopi, quos in Sardíniam Vándali relegárant, fúerint restitúti, et Lazórum rex, ac pópulus ad Christi fidem, ejus ópera, indúctus sit ; ac demum Clodoveus Francórum rex, ad eámdem fidem convérsus, solémni legatióne ad sedem apostólicam, corónam áuream gemmis distínctam Hormísdae obtúlerit, ad perpétuum obediéntiae et fídei monuméntū.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vi.

QANICHÆOS item discússit, eorúmque códices ante fores Constantiánae basílicae incéndio concremávit. Complúres epístolas scripsit ad vários per univérsum orbem christiánum, in quibus ardentíssimus zelus religiónis amplificándae, quo medúllitus flagrábat, sacrárum litterárum sciéntia, cum limpidíssimo et amoeno stylo conjúncta, qua plúrimum valébat, singulária rerum gerendárum perítia, praesértim cum régibus et optimátibus, qua prae caeteris pollébat, aliaeque heróici ánimi dotes, mirum in modum elúcent. Ejus demum pia liberálitas in egénos et sacras aedes profúsa fuit. Ac tandem suórum votórum compos, annis, ac méritis gravis, et rerum gestárum glória apud Deum et hómines celebérrimus, post novem pontificátus annos, ad coeléstem pátriam migrávit, anno Christi quingentésimo vigésimo tértio, exánimi córporis exúviis Vaticánae basílicae relíctis.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Homilia super Evang. Homo péregre. lxx. cum nona Lectione Vigiliae Assumptionis ut in Breviario. 638.

In Laudibus fit Commemoratio Octav. S. Laurentii. 626. ejusdem Vigiliae ac S. Eusebii, Confessoris. 639.

DIE XVI. AUGUSTI.

In festo S. Rochi, Confess. Duplex.

Pro aliquibus locis.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter sequentia.

Oratio.

POPULUM tuum, quaesumus Dómine, contínua pietáte custódi; et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimae et corporis contagióne secúrum. Per Dñum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ROCHUS, in monte Pessuláno natus quanta in próximum charitáte flagráret, tum máxime osténdit, cum saevíssima peste longe latéque per Itáliam grassánte, pátria relícta, Itálicam peregrinatiónem suscépit, urbésque et óppida péragrans, seípsum in aegrotántium obséquium impéndere, animámque suam pro frátribus pónere non dubitávit. Quod beáti viri stúdium quam gratum Deo fúerit, miris sanatiónibus declarátum est. Complúres enim pestiléntia infectos e mortis perículo signo crucis erípuit, et íntegrae sanitáti restítuit. In pátriam revérsus, virtútibus et méritis dives, sanctíssime óbiit, ejúsque óbitum statim subsecúta est venerátio fidélium, quae in Constantiénsi deínde concílio magnum recepísse dícitur increméntum, cum ad propulsándam ingruéntem luem Rochi imágo solémni pompa, omni comitánte pópulo, per eámdem civitátem, Epíscopis approbántibus, est deláta. Itaque ejus cultus mirífice propagátus est in univérso terrárum orbe, qui eúmdem sibi apud Deum advérsus contagiósam luem patrónum religióso stúdio adoptávit. Quibus accuráte perpénsis, Urbánus octávus Póntifex máximus, ut ejus dies festus iis in locis, in quibus forent ecclésiae sancti Rochi nómine Deo dicátae, Officio ecclesiástico celebrarétur, indúlsit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.— Et dedit.

Ex Tractátu sancti Augustíni Epíscopi in Epístolam Joánnis.

Tract. v. *in cap.* iii.

Lectio v.

PERFECTA ista cháritas est, ut parátus sis mori pro fratre. Hanc ipse Dóminus in se exhíbuit mórtuus pro ómnibus, orans pro eis, a quibus crucifigebátur, et dicens: Pater, ignósce illis, quia nésciunt

quid fáciunt : sed si solus hoc fecit, non erat Magíster, si discípulos non habébat. Si quis tantam habúerit charitátem, ut parátus sit pro frátribus étiam mori, perfécta est in illo cháritas, Sed numquid mox, ut náscitur, jam prorsus perfécta est ? Ut perficiátur, náscitur, cum fúerit nata, nutrítur, cum fúerit nutríta, corroborátur, cum fúerit roboráta, perfícitur, cum ad perfectiónem vénerit, quid dicit ? Mihi vívere Christus est, et mori lucrum : optábam dissólvi, et esse cum Christo. Multo enim magis óptimum, manére in carne necessárium propter vos. Propter eos volébat vívere, pro quibus parátus erat mori.

℟. Amávit eum Dñus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

HAEC est perfé-ctio charitátis, major omníno non potest inveníri, sed quia non in ómnibus perfécta est, et desperáre non debet, in quo perfécta non est, si jam nata est quae perficiátur, et útique si nata est, nutriénda est, et quibúsdam suis nutriméntis ad perfectiónem própriam perducénda. Quaesívimus inchoatiónem charitátis unde incípiat, et ibi contínuo invénimus : Si quis habet facultátes mundi, et víderit fratrem suum egéntem, et cláuserit víscera sua advérsus eum, quómodo diléctio Patris manet in illo? Ergo hinc íncipit ista cháritas, fratres, ut de suis supérfluis tríbuat egénti in angústiis alíquibus constitúto, ex eo, quod sibi abúndat, secúndum tempus a tribulatióne temporáli líberet fratrem : hinc exórdium est charitátis. Hanc ita coeptam, si verbo Dei, et spe futúrae vitae nutríeris, pervénies ad illam perfectiónem, ut parátus sis ánimam tuam pónere pro frátribus tuis.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia te vidi. Glória Patri. Quia te te vidi.

In tertio Noct. de Homil. Venerab. Bedae in Evang. **Nolíte timére,** de Communi secundo loco. **xcvii.**

In Laud. fit Comm. Oct. Assumpt. et S. Laurentii.

DIE XVIII. AUGUSTI.

In festo S. Helenae Imperatricis, Viduae. Duplex.

Pro aliquibus locis.

Omnia de Communi nec Virginis nec Mart. cxxiii. praeter sequentia.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui locum, ubi crux tua latébat, beátae Hélenae revelásti, ut per eam Ecclésiam tuam hoc pretióso thesáuro ditáres; ejus nobis intercessióne concéde, ut vitális ligni prétio, aetérnae vitae praemia consequámur: Qui vivis.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex Oratióne sancti Ambrósii in óbitu Theodósii.

Lectio iv.

GENIT ergo Hélena, coepit revísere loca sancta, infúdit ei Spíritus ut lignum crucis requíreret; accéssit ad Gólgotham, et ait: Ecce locus pugnae, ubi est victória? quaero vexillum salútis, et non invénio. Ego, inquit, in regnis, et crux Dómini in púlvere? Ego in aulis, et in ruínis Christi triúmphus? Ille adhuc latet, et latet palma vitae aetérnae. Quómodo me redémptā árbitror, si redémptio ipsa non cérnitur? Vídeo quid égeris, diábole, ut gládius, quo perémptus es, obstruerétur. Sed Isaac obstrúctos ab alienígenis púteos eruderávit, nec latére aquam passus est. Tollátur ígitur ruína, ut vita appáreat. Promátur gládius, quo veri Goliae caput est amputátum. Aperiátur humus, ut salus fúlgeat. Quid egísti, diábole, ut abscónderes lignum, nisi ut íterum vinceréris?

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Lectio v.

VICIT te María, quae génuit triumphatórem, quae sine immutatióne virginitátis édidit eum, qui crucifixus vínceret te, et mórtuus súbjugáret. Vínceris et hódie, ut múlier tuas insídias deprehéndat. Illa quasi sancta Dóminum gestávit, ego crucem ejus investigábo. Illa generátum détulit, ego resuscitátum. Illa fecit, ut Deus inter hómines viderétur, ego ad remédium peccatórum divínum de ruínis elevábo

vexíllum. Aperit ítaque humum, décutit púlverem, tria patíbula confúsa réperit, quae ruína contéxerat, inimícus abscónderat. Sed non pótuit obliterári Christi triúmphus. Incérta haeret ut múlier, sed certam indáginem sanctus Spíritus inspírat.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi.

QUAESIVIT clavos, quibus crucifíxus est Dóminus, et invénit. De uno clavo fraenos fíeri praecépit, de áltero diadéma intéxuit, unum ad decórem, álterum ad devotiónem vertit ! Visitáta est María, ut Evam liberáret ; visitáta est Hélena, ut imperatóres redimeréntur. Misit ítaque fílio suo Constantíno diadéma gemmis insignítum, quas pretiosióri ferro innéxas cruci redemptiónis divínae gemma connécteret; misit et fraenum. Utróque usus est Constantínus; et fidem transmísit ad pósteros reges. Princípium ítaque credéntium imperatórum sanctum est, quod super fraenum. Ex illo fides, ut persecútio cessáret, devótio succéderet. Sapiénter Hélena egit, quae crucem in cápite regum levávit, ut crux Christi in régibus adorétur. Non insolénitia ista, sed píetas est, cum deférturr sacrae redemptióni. Bonus ítaque clavus Románi imperatóris, qui totum regit orbem, et vestit príncipum frontem, ut sint praedicatóres, qui persecutóres esse consuevérunt.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.—Múlier. Glória Patri. Múlier.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Símile est regnum coelórum thesáuro, ut in Communi nec Virginis, nec Martyris, cxxvi. cum nona Lectione S. Agapiti, Martyris.

In Laud. fit Commem. Octavae Assumptionis, et S. Agapiti, Martyris.

DOMINICA
post Octavam Assumptionis B. M. V.
In festo Purissimi Cordis B. M. V. Duplex.

AD VESPERAS.

Antiphonae et Capitulum de Laud. cccxxvi. Psalmi ut in festis B. M. V. clviii.
Hymnus. Ave maris. clx.

℣. Exúlta in omni corde, fília Jerúsalem. ℟. Rex Israël Dóminus in médio tui.

Ad Magnif. Aña. Exultávit cor meum in Dño, et exaltátum est cornu meum in Deo meo, quia laetáta sum in salutári tuo.

Oratio. Omnípotens sempitérne Deus. cccxxvi.

Et fit Commem. Dominicae occurrentis.

AD MATUTINUM.

Invit. Ave María, grátia plena: Dñus tecum. Psalm. Venite, exultémus. 2.

Hymn. Quem terra. clxi.

In primo Nocturno.

Aña. Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Psalmi ut in festis B. M. V. clxi.

Aña. Et ait María: Magnificat ánima mea Dóminum, et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo.

Aña. Quia respéxit humilitátem ancillae suae: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

℣. Anima mea liquefácta est. ℟. Ut locútus est diléctus.

De Cánticis Canticórum.

Lectio i. *Cap.* iv.

QUAM pulchra es amíca mea, quam pulchra es! Oculi tui columbárum, absque eo quod intrínsecus latet. Sicut vitta coccínea, lábia tua; et elóquium tuum dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genae tuae absque eo quod intrínsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quae aedificáta est cum propugnáculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Vulnerásti cor meum, soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, in uno crine colli tui. Favus distíllans lábia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua. Hortus conclúsus, fons signátus.

℟. Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua: laetétur cor meum, * Ut tímeat nomen tuum. ℣. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum.—Ut tímeat.

Lectio ii. *Cap.* v.

VENI in hortum meum soror mea sponsa: méssui myrrham meam cum aromátibus meis: comédi favum cum melle meo. Vox dilécti mei pulsántis: Aperi mihi soror mea, amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea, quia caput meum plenum est rore, et cincínni mei guttis nóctium. Surréxi ut aperírem dilécto meo: manus meae stillavérunt myrrham, et dígiti mei pleni myrrha probatíssima.

Apérui dilécto meo, at ille declináverat atque transíerat. Anima mea liquefácta est, ut locútus est.

℟. In Dómino gaudébo, et exultábo in Deo Jesu meo : Deus Dóminus fortitúdo mea * Super excélsa dedúcet me. ℣. Laeva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.—Super excélsa.

Lectio iii. *Cap.* v. *et* vi.

QUALIS est diléctus tuus ex dilécto, o pulchérrima mulíerum ? qualis est diléctus tuus ex dilécto, quia sic adjurásti nos ? Diléctus meus cándidus et rubicúndus, eléctus ex míllibus, totus desiderábilis. Talis est diléctus meus, et ipse est amícus meus, filiae Jerúsalem. Quo ábiit diléctus tuus, o pulchérrima mulíerum ? Quo declinávit diléctus tuus, et quaerémus eum tecum ? Pulchra es amíca mea, suávis et decóra sicut Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Una est colúmba mea, perfécta mea, una est matris suae, elécta genitríci suae. Vidérunt eam fíliae, et beatíssimam praedicavérunt, reginae laudavérunt eam.

℟. Invéni grátiam apud óculos tuos, Dómine mi, Qui consolátus es me. et locútus es ad cor ancíllae tuae. ℣. In toto corde meo exquisívi te, ne repéllas me a mandátis tuis.—Qui consolátus. Glória Patri. Qui consolátus.

In secundo Nocturno.

Ant. Beáta, quae credidísti, quóniam perficiéntur ea, quae dicta sunt tibi a Dómino.

Ant. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Ant. Fecit poténtiam in bráchio suo, dispérsit supérbos mente cordis sui.

℣. Fortis est ut mors diléctio. ℟. Dura sicut infernus aemulátio.

Sermo sancti Bernardíni Senénsis.

Ex Serm. ix. *de Visitatione.*

Lectio iv.

QUIS mortálium, nisi divíno fretus oráculo, de vera Dei et hóminis Genitríce quidquam módicum, sive grande praesúmat pollútis lábiis nominare : quam Pater ante saecula Deus perpétuam praedestinávit in Vírginem dignissimam : Filius elégit in Matrem : Spíritus sanctus omnis grátiae domicílium praeparávit ? Quibus verbis ego homúnculus sensus altíssimos virginei cordis, sanctíssimo ore prolátos éfferam : quibus non súfficit lingua ómnium hóminum,

et étiam Angelórum? Dóminus enim ait : bonus homo de bono thesáuro cordis sui profert bona. Quis autem inter puros hómines mélior homo potest excogitári, quam illa, quae méruit éffici Mater Dei, quae in corde et in útero suo ipsum Deum hospitáta est? Quis thesáurus mélior, quam ipse divínus amor, quo cor Vírginis ardens erat?

℟. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vígilant ad me, invénient me. Mecum sunt divítiae et glória,* Opes supérbae et justítia. ℣. Ut ditem diligéntes me et thesáuros eórum répleam.—Opes.

Lectio v.

DE hoc ígitur corde quasi fornáce divíni ardóris Virgo beáta prótulit verba bona, idest verba ardentíssimae charitátis. Sicut enim a vase óptimo vino pleno, non potest exíre nisi óptimum vinum: aut sicut a fornáce summi ardóris non egréditur nisi incéndium fervens : sic de corde Matris Christi exíre non pótuit verbum, nisi summi, summéque divini amóris atque ardóris. Septem verba tantum mirae senténtiae et virtútis a Christi benedictíssima Matre legúntur dicta. Cum Angelo bis tantum locúta est. Cum Elísabeth bis étiam. Cum Fílio étiam bis. Cum minístris in núptiis semel. Haec septem verba, secúndum septem amóris actus, sub miro gradu et órdine proláta, quasi sunt septem flammae cordis ejus.

℟. Ego Mater pulchrae dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctae spei. In me grátia omnis viae et veritátis :* In me omnis spes vitae et virtútis. ℣. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini.— In me.

Lectio vi.

QUAE verba consíderans mens devóta, cum ipso Prophéta ait : Quam dúlcia fáucibus meis, idest ómnibus affectiónibus elóquia tua! Porro dulcédo haec, quam in verbis beátae Vírginis devóta mens sentit, est ardor piae devotiónis, quam in eis ánima experimentáliter probat. Distinguámus ígitur per órdinem has septem flammas amóris, verbórum Vírginis benedictae. Prima est flamma amóris separántis. Secúnda amóris transformántis. Tértia amóris communicántis. Quarta amóris jubilántis. Quinta amóris soporántis. Sexta amóris compatiéntis. Séptima amóris consummántis.

℟. Beátus homo, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. * Qui me invénerit, invéniet vitam et háuriet salútem a Dómino. ℣. Qui autem in me peccáverit laedet ánimam suam : omnes qui me odérunt, díligunt mortem.— Qui me invénerit. Glória Patri. Qui me invénerit.

In tertio Nocturno.

Ańa. Unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me?

Ańa. Misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum.

Ańa. Suscépit Israël púerum suum, recordátus misericórdiae suae.

℣. Ego dilécto meo. ℟. Et ad me convérsio ejus.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* ii. *g.*

IN illo témpore : Dixit Mater Jesu ad illum : Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce Pater tuus et ego doléntes quaerebámus te. Et réliqua.

De Homília venerábilis Bedae Presbyteri.

In Homil. Hiem. de Temp. Dom. I. post Epiph.

MATER ejus, inquit Evangelista, conservábat ómnia verba haec in corde suo. Omnia quae de Dómino, vel a Dómino dicta, sive acta cognóverat Mater Virgo, diligéntius in corde retinébat, sollícite cuncta memóriae commendábat, ut cum demum tempus praedicándae, sive scribéndae incarnatiónis ejus adveníret, sufficiénter univérsa, prout essent gesta, posset explicáre quaeréntibus. Imitémur et nos, fratres mei, piam Dómini Matrem, ipsi quoque ómnia verba et facta Dómini ac Salvatóris nostri fixa in corde conservándo.

℟. Aquae multae non potuérunt extínguere charitátem : * Neque flúmina óbruent eam. ℣. Si déderit homo omnem substántiam domus suae pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.— Neque.

Lectio viii.

HORUM Dómini verbórum et actórum meditatióne diúrna et noctúrna importúnos inánium nocentiúmque cogitatiónu repellámus incúrsus: horum crebra collatióne et nos et próximos nostros a fábulis supervácuis, et male dulcorátis detractiónum colloquiis castigáre, atque ad divinae frequéntiam laudis accéndere curémus. ¶ Si enim, fratres carissimi, in futúri beatitúdine saeculi habitáre in domo Dñi, ac

perpétuo illum laudáre desiderámus, opórtet nimírum et in hoc saeculo, quod in futúro quaerámus, sollícite praemonstrémus : frequentándo vidélicet Ecclésiae límina, et non solum in ea laudes Dómini canéndo, sed et in omni loco dominatiónis ejus ea, quae ad laudem gloriámque conditóris nostri proficiant, verbis páriter ac factis ostendéndo.

℟. Spíritus meus super mel dulcis et haeréditas mea super mel et favum. Qui audit me non confundétur. * Et qui operántur in me non peccábunt. ℣. Qui elúcidant me vitam aetérnam habébunt.—Et qui operántur. Glória Patri. Et qui operántur.

Lectio nona de Homilia Dominicae occurrentis. Sed si extra Dominicam agi de hoc festo contingat, tunc Lectio ix. incipiet a signo posito supra Lectione viii.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Trahe me post te, currémus in odórem unguentórum tuórum. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis de Dominica. 18.

2. Diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amica mea.

3. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis : quia amóre lángueo.

4. Adjúro vos, fíliae Jerúsalem, ne suscitétis diléctam quoadúsque ipsa velit.

5. Ego dórmio, et cor meum vígilat.

Capitulum. *Cant.* viii. *b.*

POne me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus aemulátio. Lámpades ejus lámpades ignis, atque flammárum.

Hymnus. O gloriósa vírginum. clxxi.

℣. Qui me invénerit invéniet vitam. ℟. Et háuriet salútem a Dómino.

Ad Bened. Aña. Extóllens vocem quaedam múlier de turba dixit illi : beátus venter qui te portávit, et úbera quae suxísti.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui in corde beátae Maríae Vírginis dignum Spíritus sancti habitáculum praeparásti : concéde propítius; ut ejúsdem purissimi cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum..... in unitáte ejúsdem.

Et fit Commem. Dominicae occurrentis.

Ad Primam. In ℟. brevi dicitur ℣. Qui natus es de María Vírgine. Ad Absolutionem Capituli lectio brevis. In omni terra, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM.

Aña. Diléctus meus.

Capitulum. Pone me.

℟. br. Anima mea * Liquefácta est. Anima. ℣. Ut locútus est diléctus. Liquefácta est. Glória Patri. Anima mea.

℣. Fortis est ut mors diléctio. ℟. Dura sicut inférnus aemulátio.

AD SEXTAM.

Aña. Fulcíte.

Capitulum. *Eccli.* xxiv.

EGO ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram : ego feci in coelis, ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram.

℟. br. Fortis est * Ut mors diléctio. Fortis. ℣. Dura sicut inférnus aemulátio. Ut mors. Glória Patri. Fortis est.

℣. Ego dilécto meo. ℟. Et ad me convérsio ejus.

AD NONAM.

Aña. Ego dórmio.

Capitulum. *Eccli.* xxiv.

IN omni terra steti, et in omni pópulo, et in ómnibus réquiem quaesívi, et in haereditáte Dñi morábor.

℟. br. Ego * Dilécto meo. Ego. ℣. Et ad me convérsio ejus. Dilécto meo. Glória Patri. Ego.

℣. Qui me invénerit invéniet vitam. ℟. Et hauriet salútem a Dómino.

In secundis Vesp. omnia ut in primis. cccxxi.

℣. Viam mandatórum tuórum cucúrri. ℟. Cum dilatásti cor meum.

Ad Magníficat, Aña. Exultávit cor meum in Deo salutári meo : quia fecit mihi magna qui potens est.

Et fit Commem. Dominicae occurrentis.

DIE XXVI. AUGUSTI.

In festo S. Zephyrini, P. M. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi unius Martyris. xxvii. praeter sequentia.

Oratio.

PRAESTA quaesumus omnípotens Deus ; ut beati Zephyríni Mártyris tui atque Pontíficis, cujus gaudémus méritis, instruámur exémplis. Per Dñum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

EPHYRINUS Románus, Sevéro imperatóre ad regéndam Eccléslam assúmptus, sancívit,

ut qui ordinándi essent, opportúno témpore, et multis praeséntibus cléricis et láicis, de more sacris initiaréntur : doctíque ac spectátae vitae hómines ad id officii munus deligeréntur. Decrévit praetérea, ut rem divínam faciénti Epíscopo Sacerdótes omnes adstárent. Item instituit, ut Patriárcha, Primas, Metropolitánus advérsus Epíscopum non ferant sententiam, nisi apostólica auctoritáte fulti. Vixit in pontificátu annos decem et octo. Hábuit ordinatiónes quátuor mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros trésdecim, Diáconos septem, Epíscopos per divérsa loca trésdecim. Antonino imperatóre martyrio coronátus est, et sepúltus via Appia prope coemetérium Callisti, séptimo Kaléndas Septembris.

℟. Honéstum fecit illum Dñus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vinculis non derelíquit eum.—Et dedit.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.
De verbo Domini. l.

Lectio v.

PASTOR bonus Christus. Quid Petrus ? Nonne bonus pastor ? Nonne et ipse ánimam suam pro óvibus pósuit ? Quid Paulus ? Quid caeteri Apóstoli ? Quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi Mártyres ? Quid étiam iste sanctus Zephyrínus ? Reliqua ut in festo S. Felícis. ccli.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium: Si quis vult, de Communi secundo loco. xli.

OFFICIUM
DE SS. SACRAMENTO.

Ex Indulto Clementis Papae XI. dato Romae 17 Augusti 1715. recitandum in Germania, sub ritu semiduplici omnibus Feriis quintis, non impeditis festo novem Lectionum, etiam translato, excepto Adventu, Quadragesima, Vigíliis, Octavis privilegiatis, ac etiam Feria illa, in qua secundum Rubricas Officium Dominicae aliquando erit apponendum, etc. juxta tenorem Decreti 20. Martii 1706.

Omnia dicuntur ut in die festo. 183. omisso Allelúia.

Si occurrat aliquod festum simplex, fit de eo Commemoratio.

Deinde fiunt Commem. communes, seu Suffragia, ut in Psalterio. 156. si facienda sint.

Ad Compl., et per Horas, in fine Hymnorum dicitur:

Jesu, tíbi sit glória,
Qui natus es de Vírgine.

Et dicuntur Preces Dominicales, ut in Psalt. 161. si dicendae sint.

AD MATUTINUM.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente, cum R℣. ex primo Nocturno diei festi. 189.

Lectiones vero secundi et tertii Nocturni cum suis R℣R. sumuntur ex Octava ejusdem, ut inferius ordine Mensium disponuntur.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Sapiéntia * aedificávit sibi domum, míscuit vinum, et pósuit mensam. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Angelórum esca * nutrivísti pópulum tuum; et panem de coelo praestitísti eis.

3. Pinguis est panis * Christi, et praebébit delícias régibus.

4. Sacerdótes sancti * incénsum et panes ófferunt Deo.

5. Vincénti * dabo manna abscónditum, et nomen novum.

Capitulum. 1. *Cor.* xi. *e.*

FRATRES, Ego enim accépi a Dño, quod et trádidi vobis, quóniam Dñus Jesus in qua nocte tradebátur accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit: Accípite, et manducáte: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem.

Hymnus.

VERBUM supérnum pródiens,
Nec patris linquens déxteram,
Ad opus suum éxiens,
Venit ad vitae vésperam.

In mortem a discípulo
Suis tradéndus aemulis,
Prius in vitae férculo
Se trádidit discípulis.

Quibus sub bina spécie
Carnem dedit et Sánguinẽ:
Ut dúplicis substántiae
Totum cibáret hóminem.

Se nascens dedit sócium,
Convéscens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in praemium.

O salutáris hóstia,
Quae coeli pandis óstium:
Bella premunt hostília,
Da robur, fer auxílium.

Uni trinóque Dómino
Sit sempitérna glória:
Qui vitam sine término
Nobis donet in pátria.
Amen.

℣. Pósuit fines tuos pacem. R℣. Et ádipe fruménti sátiat te.

Ad Benedictus, Aña. Ego sum * panis vivus, qui de

coelo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in aetérnum.

Oratio.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuae memóriam reliquísti : tríbue, quaesumus; ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuae fructum in nobis júgiter sentiámus : Qui vivis et regnas.

AD PRIMAM.

℟. br. Christe Fili. ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Et dicuntur Preces Dominicales ut in Psalt. 28.

AD TERTIAM.

Aña. Angelórum esca.

Capitulum. Fratres, Ego enim, ut supra. CCCXXIX.

℟. br. Panem coeli * Dedit eis. Panem. ℣. Panem Angelórum manducávit homo. Dedit. Glória Patri. Panem.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti. ℟. Et de petra, melle saturávit eos.

AD SEXTAM.

Aña. Pinguis est panis.

Capitulum. 1. *Cor.* xi. *f.*

QUOTIESCUMQUE enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis : mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

℟. br. Cibávit illos * Ex ádipe fruménti. Cibávit. ℣. Et de petra, melle saturávit eos. Ex ádipe. Glória Patri. Cibávit.

℣. Edúcas panem de terra. ℟. Et vinum laetíficet cor hóminis.

AD NONAM.

Aña. Vincénti.

Capitulum. 1. *Cor.* xi. *f.*

QUICUMQUE manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dñi indígne : reus erit Córporis et Sánguinis Dómini.

℟. br. Edúcas panem * De terra. Edúcas. ℣. Et vinum laetíficet cor hóminis. De terra. Glória Patri. Edúcas.

℣. Pósuit fines tuos pacem. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

IN II. VESPERIS.

Omnia dicuntur sicut in primis Vesperis.

Ad Magnif. Aña. O sacrum * convívium, in quo Christus súmitur : recólitur memória passiónis ejus : mens implétur grátia, et futúrae glóriae nobis pignus datur.

Oratio. Deus, qui nobis sub Sacraménto.

MENSIBUS
MAIO ET JUNIO.

Lectiones secundi et tertii Nocturni sumuntur ex

Feria ii. post Dominicam infra Octavam festi ejusdem. 213.

In initio Sermonum, et Homiliarum, ubi dicitur De Sermóne sancti N. et De Homilía sancti N. dicatur Sermo sancti N. et Homilía sancti N.

Si occurrat aliquod festum simplex, nona Lectio legitur de eo, et fit Commemoratio in Laudibus: quod etiam in sequentibus Mensibus servandum est.

MENSIBUS
JULIO ET AUGUSTO.

Lectiones secundi et tertii Nocturni sumuntur ex Feria iii. post Dominicam infra Octavam festi ejusdem. 216.

MENSE SEPTEMBRI.

Lectiones secundi et tertii Nocturni ut in Feria iv. post Dominicam infra Octavam ejusdem festi. 219.

OFFICIUM
IMM. CONCEPT. BEATAE MARIAE VIRGINIS.

Ex Indulto S. R. C. aliquibus in locis recitandum sub ritu semiduplici, quolibet Sabbato, non impedito festo novem Lectionum, etiam translato; excepto Adventu, Quadragesima, Vigilia, Octava privilegiata, ac etiam Feria illa, in qua, secundum Rubricas, Officium Dominicae aliquando erit apponendum, etc. juxta tenorem Decreti 20. Martii 1706.

Si in Feria sexta occurrerit aliquod festum novem Lectionum, Vesperae ordinandae sunt juxta Rubricam de Concurrentia Officii.

Notandum, quod ad Completorium Feriae sextae in fine Hymni dicitur:

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,

etiam si in Vesperis facta sit tantum Commemor. de Immaculata Conceptione.

IN VESPERIS.

Ant. **Tota pulchra es María,** cum reliquis de Laudibus. cccxxxvii. Psalmi ut in festis beatae Mariae Virginis per annum. clviii.

Capitulum. *Prov.* viii. *c.*

DOMINUS possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab aetérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi et ego jam concépta eram.

Hymnus. **Ave, maris stella.** clx.

℣. **Immaculáta Concéptio tua, Dei Génitrix Virgo.** ℟. **Gáudium annuntiávit univérso mundo.**

Ad Magnif. Aña. Beátam me dicent* omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum praeparásti: quaesumus; ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui praevísa, eam ab omni labe praeservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. Per eúmdem Dóminum.

Commem. communes de S. Joseph, de Apostolis, de Patrono et de Pace ut in Psalterio. 156.

AD MATUTINUM.

Invit. Immaculátam Conceptiónem Vírginis Maríae celebrémus:* Christum ejus Fílium adorémus Dñum. Ps. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

PRAECLARA custos vírginum,
Intácta mater Núminis,
Coeléstis aulae jánua,
Spes nostra, coeli gáudium.

Inter rubéta lílium,
Colúmba formosíssima,
Virga e radice gérminans
Nostro medélam vúlneri.

Turris dracóni impérvia,
Amíca Stella náufragis,
Tuére nos a fráudibus,
Tuáque luce dírige. ...

Erróris umbras díscute,
Syrtes dolósas ámove,
Fluctus tot inter, dévius
Tutam reclúde sémitam.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu
In sempitérna saecula.
Amen.

In primo Nocturno.

Aña. Admirábile est nomen tuum, * Dómine, in univérsa terra, quia in Vírgine María dignum tibi habitáculum praeparásti. Psalmi ut in festis B. M. V. per annum. clxi.

Aña. In sole * pósuit Deus tabernáculum suum.

Aña. In Conceptióne sua* accépit María benedictiónem a Dómino et misericórdiam a Deo salutári suo.

℣. Deus omnípotens praecínxit me virtúte. ℟. Et pósuit immaculátam viam meam.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

℟. i. Per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, in quo omnes peccavérunt. * Ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Deum. ℣. Erípuit Dóminus ánimam tuam de morte, et contra inimícum factus est protéctor tuus. — Ne tímeas.

℟. ii. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me: * Et narrábo vobis quanta fecit Deus ánimae

meae. ℣. Vivit Dóminus, quóniam adimplévit in me misericórdiam suam. — Et. ℟. iii. Elécta mea cándida sicut nix in Líbano; sicut favus distíllans lábia ejus: * Mel et lac sub lingua illíus. ℣. Veni de Líbano, sponsa mea, veni, coronáberis coróna gratiárum. — Mel et lac. Glória Patri. Mel et lac.

In secundo Nocturno.

Ańa. Diffúsa est grátia * in Conceptióne ejus, et speciósa appáruit inter fílias hóminum.

Ańa. Adjúvit eam * Deus mane dilúculo; sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Ańa. Gloriósa * dicta sunt de te, Cívitas Dei; fundávit te Dóminus in móntibus sanctis.

℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me. ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Ex Bulla Dogmática Pii Papae Noni.

Lectio iv.

QUONIAM quae ad cultum pértinent, íntimo plane vínculo cum ejúsdem objécto consérta sunt, neque rata et fixa manére possunt, si illud anceps sit et in ambíguo versétur, idcírco Decessóres Nostri Románi Pontífices omni cura Conceptiónis cultum amplificántes, illíus étiam objéctum ac doctrínam declaráre, et inculcáre impensíssime studuérunt. Etenim clare apertéque docuére, festum agi de Vírginis Conceptióne, atque uti falsam et ab Ecclésiae mente alieníssimam proscripsérunt illórū opiniónem qui non Conceptiónē ipsam, sed sanctificatiónem ab Ecclésia coli arbitraréntur et affirmárent. ℟. Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram: ego feci in coelis ut orirétur lumen indefíciens.* Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram. ℣. Deus enim creávit me in justítia, et apprehéndit manum meam, et servávit me. — Nondum.

Lectio v.

NEQUE mítius cum iis agéndum esse existimárunt, qui ad labefactándam de Immaculáta Vírginis Conceptióne doctrínam, excogitáto inter primum atque álterum Conceptiónis instans et momentum discrímine, asserébant, celebrári quidem Conceptiónem, sed non pro primo instánti atque moménto. Ipsi namque Praedecessóres Nostri suárum pártium esse duxérunt, et beatíssimae Vírginis Conceptiónis festum, et Conceptiónem pro primo instánti

tamquam verum cultus objéctum omni stúdio tuéri ac propugnáre : Hinc decretória plane verba, quibus Alexánder séptimus Decéssor Noster sincéram Ecclésiae mentem declarávit, ínquiens : Sane vetus est Christifidélium erga ejus beatíssimam Matrem Vírginem Maríam pietas sentiéntium; ejus ánimam in primo instánti creatiónis atque infusiónis in corpus fuísse speciáli Dei grátia et privilégio, intúitu meritórum Jesu Christi ejus Fílii humáni géneris Redemptóris, a mácula peccáti originális praeservátam immúnem, atque in hoc sensu ejus Conceptiónis festivitátem solémni ritu coléntium et celebrántium.

℟. Nihil inquinátum in eam incúrrit : * Candor est lucis aetérnae et spéculum sine mácula. ℣. Est enim haec speciósior sole, et luci comparáta invenítur púrior. — Candor.

Lectio vi.

ATQUE illud in primis solémne quoque fuit iísdem Decessóribus Nostris doctrínam de Immaculáta Dei Matris Conceptióne sartam tectámque omni cura, stúdio et contentióne tuéri. Etenim non solum nullátenus passi sunt, ipsam doctrínam quovis modo a quópiam notári atque tradúci, verum étiam longe ultérius progréssi, perspícuis declaratiónibus iteratísque vícibus edixérunt : Doctrínam qua Immaculátam Vírginis Conceptiónem profitémur, esse, suóque mérito habéri cum ecclesiástico cultu plane cónsonam, eámque véterem, ac prope universálem et ejúsmodi, quam Romána Ecclésia sibi fovéndam tuendámque susceperit, atque omníno dignam, quae in sacra ipsa Liturgía, solemnioribúsque précibus usurparétur. Neque his contenti, ut ipsa de Immaculáto Vírginis Concéptu doctrína violáta persísteret, opiniónem huic doctrínae advérsam, sive públice, sive privátim, defendi posse severíssime prohibuére, eámque multíplici véluti vúlnere confécta esse voluérunt.

℟. Signum magnum appáruit in coelo: Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus : * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. ℣. Induit eam Dñus vestiméntis salútis, indumento justítiae, et quasi sponsam ornávit eam monílibus suis. — Et in cápite. Glória Patri. Et in cápite.

In tertio Nocturno.

Ańa. Sanctimónia et magnificéntia * in Conceptióne

ejus; annuntiáte in ómnibus pópulis glóriam ejus.

Ańa. Laetámini omnes in Dño: et confitémini memóriae sanctitátis ejus.

Ańa. Notum fecit Dñus opus suum: in conspéctu géntium revelávit glóriam Genitrícis suae.

℣. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me. ℟. Nec delectásti inimícos meos super me.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* i.

IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilaeae, cui nómen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen vírginis María. Et réliqua.

Homília S. Tharásii Epísc.

De Praesent. Deiparae.

QUIBUS te láudibus cumulábimus, María? O puélla immaculáta; o virgo impollúta; o mulíerum ornaméntum, filiárum nitor! O mater Virgo sancta, tu benedícta inter mulíeres, tu celebráta propter innocéntiam; tu obsignáta virginitáte. Tu Adámi maledícti expiátio; tu débiti Evae solútio. Tu Abélis puríssima oblátio; primogenitórum deléctus; immaculátum sacrifícium. Tu Enos in Deum spes non pudóre suffúsa; tu Enoch ínita grátia, et in secúram vitam migrátio. Tu Noë arca, et secúndae regeneratiónis apud Deum conciliátio. Tu regni et sacerdótii Melchísedech perillústris splendor; tu Abrahámi firma fidúcia et promissiónis futúrae posteritátis óbsequens fides. Tu Isaac novum sacrifícium et rationále holocáustum; tu Jacob in scalam adscénsus causa, et foecunditátis in duódecim tribus permanéntis expréssio nobilíssima. Tu Judae apparuísti secúndum stirpem fília; tu Joséphi pudicítia et véteris Ægypti, nimírum synagógae Judaeórum evérsio, o Immaculáta! Tu Móysis ejusdémque legislatóris liber divínitus concinnátus, in quo scriptum est sacraméntum regeneratiónis, et divínis digitis inscúlpta in tábulis lex est tamquam in monte Sina, ubi novus Israël ab intelligibílium Ægyptiórum servitúte vindicábitur, quemádmodum antíquus pópulus in solitúdine manna et aqua de petra satiátus est, petra autem erat Christus e tuo grémio proditúrus tamquam Sponsus de thálamo. Tu Aarónis virga floréscens; tu es Dávidis fília fimbris áureis circumvestita vário ornátu nitéscens.

℟. Hortus conclúsus, soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus; * Emissiónes tuae paradísus, o Maria. ℣. Aperi mihi, soror mea, amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea.—Emissiónes tuae.

Lectio viii.

TU es Prophetárum spéculum, et rerum ab illis praenuntiatárum éxitus. Te enixe Ezéchiel vatícinans appellávit portam clausam, per quam nemo hóminum unquam transíbit nisi Dóminus Deus solus, et portam clausam conservábit. Te Isaías ille in primis grandíloquus praenúntiat virgam Jesse, ex qua flos Christus oriétur, et fruticibus vitiórum extirpátis radícitus, plantas divínae cognitiónis in agro ínseret. Te Jeremías praemonstrávit ínquiens: ecce dies vénient, dicit Dóminus, et fériam dómui Israël et dómui Judae foedus novum, quod constítui cum pátribus eórum, ita significans advéntum ortúmque fílii tui, et pópulum géntium vocans ad Deum adorándum inde usque a fínibus terrae. Te étiam Dániel, vir desideriórum proclamávit montem ingéntem, e quo Christus lapis anguláris abscindétur, et simúlacrum multifórmis serpéntis ruína atque exítio dissipábit. Te honóro agnam immaculátam, te praedico grátia plenam, te cano Dei habitatiónem puram et immaculátam. Et sane ubi abundávit delíctu, superabundávit grátia. Per mulíerem mortem lucráti sumus, per mulíerem univérsa ipse rursus instaurábit. Per serpéntem cibum accépimus amári sapóris, per ipsum vero rursum vescémur cibo immortalitátis. Prima parens Eva Caínum in lucem édidit invídiae et nequítiae príncipem; unigénitus Fílius tuus erit primogénitus vitae et resurrectiónis. O inaudítum prodígium! O admirándam novitátem! O Sapiéntiam! nullis verbis coaequándam!

℟. Magníficat ánima mea Dóminum; * Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.—Quia. Glória. Quia.

Lectio ix.

NOS autem pópulus Dei, gens sancta, congregátio acceptábilis, fílii colúmbae, sóboles grátiae in hac Vírginis celebritáte puris ánimis, impollútis lábiis, multísonis linguis hymnos suavídicos extollámus. Illústre hoc festum, príncipem solemnitátẽ Angelis laetam et hóminum

praedicatióne digníssimam, próuti par est, venerántes illud Ave Gabriélis cum reveréntia et gáudio sancto conclamémus. Ave, delícium Patris, per quam ad últimos terrae fines Dei cognítio manávit. Ave, Fílii domicílii, de qua ille carne indútus prodívit. Ave, sancti Spíritus habitáculum ineffábile. Ave, sánctior Chérubim; ave, gloriósior Séraphim, ave, coelo látior; ave, sole splendídior: ave, luna micántior: ave, múltiplex astrórũ nitor; ave, levis nubes, quae coeléstem plúviam inspérgis. Ave, aura sancta, quae spíritum malítiae a terra dissipásti. Ave, nóbile praecónium Prophetárum; ave, Apostolórum audítus per totum orbem sonus; ave, Mártyrum excéllens conféssio: ave, Patriarchárum laudatíssima praedicátio; ave, Sanctórũ summum ornaméntum. Ave, causa salútis ómnium mortálium; ave, regína pacis conciliátrix; ave, matrum splendor immaculátus. Ave, mediátrix ómnium, qui sub coelo sunt; ave, totíus orbis reparátio; ave, grátia plena, Dñus tecum: qui ante te, et ex te, et nobiscum. Ipsi laus cum Patre et sanctíssimo et vivífico Spíritu, nunc et semper, et in infiníta saecula saeculórum. Amen.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Tota pulchra es * María, et mácula originális non est in te. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis de Dominica. 18.

2. Vestiméntum tuum * cándidum quasi nix, et fácies tua sicut sol.

3. Tu glória Jerúsalem, * tu laetítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

4. Benedícta es tu, * Virgo María, a Dómino Deo excélso prae ómnibus muliéribus super terram.

5. Trahe nos, * Virgo immaculáta, post te currémus in odórem unguentórum tuórum.

Capitulum. *Prov.* viii.

DOMINUS possédit me in ínitio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab aetérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram.

Hymn. O gloriósa. clxxi.

℣. Immaculáta Concéptio tua, Dei Génitrix Virgo. ℟. Gáudium annuntiávit univérso mundo.

Ad Bened. Añа. Ait Dóminus Deus ad serpéntem: Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus: ipsa cónteret caput tuum, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum praeparásti : quaesumus; ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui praevísa, eam ab omni labe praeservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. Per eúmdem Dóminum.

Deinde fiunt Commemorationes de S. Joseph, de Apostolis, etc. 156.

AD PRIMAM.

In ℟. br. dicitur ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM.

Aña. Vestiméntum tuum.

Capitulum ut ad Laudes.

℟. br. Deus omnípotens * Praecínxit me virtúte. Deus. ℣. Et pósuit immaculátam viam meam. Praecínxit. Glória Patri. Deus. ℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me. ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

AD SEXTAM.

Aña. Tu glória Jerúsalem.

Capitulum. *Ezech.*, xliv.

PORTA haec clausa erit, non aperiétur, et vir non intrábit per eam, quóniam Dñus Deus Israël ingréssus est per eam : erítque clausa Príncipi. Princeps ipse sedébit in ea.

℟. br. In hoc cognóvi, * Quóniã voluísti me. In hoc. ℣. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me. Quóniam. Glória Patri. In. ℣. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me. ℟. Nec delectásti inimícos meos super me.

AD NONAM.

Aña. Trahe nos.

Capitulum. *Apoc.* xii.

SIGNUM magnum appáruit in coelo: Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárũ duódecim.

℟. br. Exaltábo te, Dómine, * Quóniam suscepísti me. Exaltábo. ℣. Nec delectásti inimícos meos super me. Quóniam suscepísti. Glória Patri. Exaltábo te. ℣. Immaculáta Conceptio tua, Dei Génitrix Virgo. ℟. Gáudium annuntiávit univérso mundo.

IN II. VESPERIS.

Omn. ut in prim. cccxxxi.

Ad Magnif. Aña. Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Immáculátam Conceptiónem.

Oratio, Deus, qui per Immaculátam, ut supra.

Kalendarium Festorum

PRO ALIQUIBUS LOCIS.

Maius.

VII. Benedicti II., Papae et Confessoris, duplex. ccxxvi.
XI. Alexandri I., Papae et Martyris, duplex. ccxxvii.
XI. Francisci de Hieronymo, Confessoris, duplex. ccxxix.
XIV. Paschalis I., Papae et Confessoris, duplex. ccxxxii.
XV. Isidori Agricolae, Confessoris, duplex. ccxxxiii.
XVI. Joannis Nepomuceni, Martyris, duplex. ccxxxv.
XXI. Felicis a Cantalicio, Confessoris, semid. ccxxxviii.
XXIV. B. M. V. Auxilium Christianorum, duplex. ccxl.
XXVII. Joannis I., Papae et Martyris, duplex. ccxlvii.
XXVIII. Urbani I., Papae et Martyris, duplex. ccxlviii.
XXIX. Bonifacii IV., Papae et Confessoris, duplex. ccl.
XXX. Felicis I., Papae et Martyris, duplex. ccli.
XXX. Ferdinandi III., Regis Confessoris, duplex. cclii.

Junius.

I. Eleutherii, Papae et Martyris, duplex. ccliv.
II. Eugenii I., Papae et Confessoris, duplex. cclv.
XII. Leonis III., Papae et Confessoris, duplex. cclvi.
XVI. Joannis Francisci, Regis Confessoris S. J. dupl. cclvii.
XX. Silverii, Papae et Martyris, duplex. cclix.
XXV. Gallicani, Martyris, duplex. cclx.
XXIX. Commemoratio omnium SS. Apostolorum. cclxiv.
Prima die non impedita post tertio Kal. Julii. S. Irenaei, Episcopi et Martyris, duplex. cclxiv.

Julius.

III. Pauli I., Papae et Confessoris duplex. cclxix.
Domin. i. non impedita post festum SS. Apost. Petri et Pauli. Commemoratio omnium SS. S. R. E. Summorum Pontificum, duplex. cclxx.
V. Michaelis de Sanctis, Confessoris, duplex. cclxxvi.
VII. B. Benedicti XI., Papae et Confessoris, dupl. cclxxix.
VIII. B. Eugenii III., Papae et Confessoris, dupl. cclxxxi.
IX. Prodigiorum beatae Mariae Virginis, dupl. cclxxxiii.
IX. Veronicae de Julianis, Virginis, duplex. cclxxxiii.
XI. Pii I., Papae et Martyris, duplex. cclxxxv.
XIII. Anacleti, Papae et Martyris, duplex. cclxxxvi.
Dominica iii. Julii SS. Redemptoris, duplex. cclxxxvii.
XVII. Leonis IV., Papae et Confessoris, duplex. ccxcv.

XVII. Alexii, Confessoris, duplex. ccxcvi.
XIX. Symmachi, Papae et Confessoris, duplex. ccxcix.
XXVIII. Victoris I., Papae et Martyris, Innocentii I., Papae et Confessoris, Nazarii et Celsi, Martyrum, duplex. ccc.
XXIX. Felicis II., Papae et Martyris, duplex. cccii.

Augustus.

II. Stephani I., Papae et Martyris, duplex. ccciv.
VI. Transfigurationis D. N. J. C., titularis Archibasilicae Lateranensis, duplex primae classis cum Octava. cccv.
IX. Ægmygdii, Episcopi et Martyris, duplex. cccv.
XI. Xysti II., Papae et Martyris, duplex. cccxii.
XI. Philumenae, Virginis et Martyris, duplex. cccxii.
XIII. In die Octava Transfig. D. N. J. C., duplex. cccxiii.
XIV. Hormisdae, Papae et Confessoris, duplex. cccxvi.
XVI. Rochi, Confessoris, duplex. cccxvii.
XVIII. Helenae Imperatricis, Viduae. duplex. cccxx.
Dominica post Octavam Assumptionis B. M. V., Purissimi Cordis B. M. V., duplex. cccxxi.
XXVI. Zephyrini, Papae et Martyris, duplex. cccxxvii.
Officium votivum de Sanctissimo Sacramento. cccxxviii.
Officium votivum Immaculatae Conceptionis B. M. V. cccxxxi.

Praeparatio ad Missam

PRO OPPORTUNITATE SACERDOTIS FACIENDA.

Ańa. Ne reminiscáris, * Dómine, delícta nostra, vel paréntum nostrórum ; neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

Quae Antiphona in Festis duplicibus tantum duplicatur.

Deinde dicuntur sequentes Psalmi.

Psalmus lxxxiii.

QUAM dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum : * concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum: * rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine : * in saecula saeculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super millia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei, * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam et

veritátem díligit Deus : * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Glória Patri, etc.

Psalmus lxxxiv.

BENEDIXISTI, Dómine, terram tuam : * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuae : * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam : * avertísti ab ira indignatiónis tuae.

Convérte nos, Deus salutáris noster : * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in aetérnum irascéris nobis ? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem ?

Deus, tu convérsus vivificábis nos : * et plebs tua laetábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam : * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus : * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos : * et in eos, qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus : * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia et véritas obviavérunt sibi : * justítia, et pax osculátae sunt.

Véritas de terra orta est : * et justítia de coelo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem : * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit : * et ponet in via gressus suos.

Glória Patri, etc.

Psalmus lxxxv

INCLINA, Dómine, aurem tuam, et exáudi me : * quóniam inops, et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum : * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die : * laetífica ánimã servi tui, quóniam ad te, Dñe, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis : * et multae misericórdiae ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam : * et inténde voci deprecatiónis meae.

In die tribulatiónis meae clamávi ad te : * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis

Dómine : * et non est secúndum ópera tua.

Omnes Gentes quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te, Dñe : * et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília : * tu es Deus solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua : * laetétur cor meum ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in aetérnum ;

Quia misericórdia tua magna est super me : * et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quaesiérunt ánimam meam : * et non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine Deus miserátor et miséricors, * pátiens, et multae misericórdiae, et verax,

Réspice in me, et miserére mei, * da impérium tuum púero tuo : et salvum fac fílium ancíllae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, et confundántur: * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, et consolátus es me.

Glória Patri, etc.

Psalmus cxv.

CREDIDI, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo:* Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dño, * pro ómnibus, quae retríbuit mihi ?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dñi mors sanctórum ejus :

O Dómine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllae tuae.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dñi invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Glória Patri, etc.

Psalmus cxxix

DE profúndis clamávi ad te, Dómine : * Dñe, exáudi vocem meam :

Fiant aures tuae intendéntes, * in vocem deprecatiónis meae.

Si iniquitátes observáveris, Dómine: * Dómine, quis sustinébit ?

Quia apud te propitiátio est : * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dñum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri, etc.

Postea repetitur Añia. Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra, vel paréntum nostrórũ ; neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

Deinde Sacerdos dicit : KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Ego dixi, Dñe, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

℣. Convértere, Dómine, aliquántulum. ℟. Et deprecáre super servos tuos.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodũ sperávimus in te.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et Sancti tui exúltent.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dñe. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

AURES tuae pietátis, mitíssime Deus, inclína précibus nostris : et grátia sancti Spíritus illúmina cor nostrum : ut tuis mystériis digne ministráre, teque aetérna charitáte dilígere mereámur.

DEUS, cui omne cor patet, et omnis volúntas lóquitur, et quem nullum latet secrétum : purífica per infusiónem sancti Spíritus cogitatiónes cordis nostri, ut te perfécte dilígere, et digne laudáre mereámur.

URE igne sancti Spíritus renes nostros, et cor nostrum, Dómine, ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

MENTES nostras, quaesumus, Dómine, Paráclitus, qui a te procédit, illúminet : et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.

ADSIT nobis, quaesumus, Dómine, virtus Spíritus sancti : quae et corda nostra cleménter expúrget et ab ómnibus tueátur advérsis.

DEUS, qui corda fidélium sancti Spíritus illustratióne docuísti : da

nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére.

CONSCIENTIAS nostras, quaesumus Dómine, visitándo purífica: ut véniens Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus, parátam sibi in nobis invéniat mansiónem: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia saecula saeculórum. Amen.

Orationes

PRO OPPORTUNITATE SACERDOTIS ANTE CELEBRATIONEM, ET COMMUNIONEM DICENDAE.

Oratio sancti Ambrosii Episcopi.

DIE DOMINICA.

SUMME Sacérdos, et vere Póntifex Jesu Christe, qui te obtulísti Deo Patri hóstiam puram, et immaculátam in ara crucis pro nobis míseris et peccatóribus, et qui dedísti nobis carnem tuam ad manducándum, et sánguinẽ tuum ad bibéndum, et posuísti mystérium istud in virtúte Spíritus sancti tui, dicens: Haec quotiescúmque fecéritis, in mei memóriam faciétis. Rogo per eúmdem sánguinem tuum, magnum salútis nostrae prétium: rogo per hanc miram, et ineffábilem charitátem, qua nos míseros, et indígnos sic amáre dignátus es; ut laváres nos a peccátis nostris in sánguine tuo: doce me servum tuum indígnum, quem inter caetera dona tua étiam ad offícium sacerdotále vocáre dignátus es, nullis meis méritis, sed sola dignatióne misericórdiae tuae: doce me, quaeso, per Spíritum sanctum tuum, tantum tractáre mystérium ea reveréntia, et honóre, ea devotióne, et timóre, quibus opórtet, et decet. Fac me per grátiam tuam semper illud de tanto mystério crédere, et intellígere, sentíre, et fírmiter tenére, dícere, et cogitáre quod tibi placet, et éxpedit ánimae meae. Intret spíritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strépitu verbórum loquátur omnem veritátem. Profúnda quippe sunt nimis, et sacro tecta velámine. Propter magnam eleméntiam tuam concéde mihi missárum solémnia mundo corde, et pura mente celebráre. Lí-

bera cor meum ab immúndis, et nefándis, vanis et nóxiis cogitatiónibus. Muni me beatórum Angelórum pia et fida custódia, ac tutéla fortíssima, ut hostes ómnium bonórum confúsi discédant. Per virtútem tanti mystérii, et per manum sancti Angeli tui repélle a me, et a cunctis servis tuis duríssimum spíritum supérbiae, et caenodóxiae, invídiae, et blasphémiae, fornicatiónis, et immundítiae, dubietátis et diffidéntiae. Confundántur qui nos persequúntur: péreant illi qui nos pérdere festínant.

FERIA SECUNDA.

REX vírginum, et amátor castitátis et integritátis, coelésti rore benedictiónis tuae extíngue in córpore meo fómitem ardéntis libídinis: ut máneat in me tenor castitátis córporis et ánimae. Mortífica in membris meis carnis stímulos, omnésque libidinósas commotiónes, et da mihi veram, et perpétuam castitátem, cum caeteris donis tuis, quae tibi placent in veritáte: ut sacrifícium laudis casto córpore, et mundo corde váleam tibi offérre. Quanta enim cordis contritióne, et lacrymárum fonte, quanta reveréntia et tremóre, quanta córporis castitáte, et ánimae puritáte istud divínum, et coeléste sacrifíciũ est celebrandum, ubi caro tua in veritáte súmitur, ubi sanguis tuus in veritáte bíbitur, ubi ima summis, terréna divínis jungúntur, ubi adest sanctórum Angelórum praeséntia, ubi tu es sacrifícium, et Sacérdos mirabíliter, et ineffabíliter constitútus!

FERIA TERTIA.

QUIS digne hoc celebráre póterit, nisi tu Deus omnípotens offeréntem féceris dignum? Scio, Dómine, et vere scio, et idípsum pietáti tuae confíteor, quia non sum dignus accédere ad tantum mystérium, propter nímia peccáta mea, et infinítas negligéntias meas. Sed scio, et veráciter ex toto corde meo credo, et ore confíteor, quia tu potes me fácere dignum, qui solus potes fácere mundum de immúndo concéptum sémine, et de peccatóribus justos, et sanctos. Per hanc omnipoténtiam tuam te rogo, Deus meus, ut concédas mihi peccatóri hoc Sacrifícium celebráre cum timóre et tremóre, cum cordis puritáte, et lacrymárum fonte, cum laetítia spirituáli et coelésti gáudio. Séntiat mens mea dulcédi.

neim beatíssimae praeséntiae tuae et excúbias sanctórum Angelórum tuórum in circúitu meo.

FERIA QUARTA.

EGO enim, Dómine, memor venerándae Passiónis tuae accédo ad altáre tuum, licet peccátor, ut ófferam tibi sacrifícium, quod tu instituísti, et offérri praecepísti in commemoratiónē tui, pro salúte nostra. Súscipe illud, quaeso, summe Deus, pro Ecclésia sancta tua, et pro pópulo, quem acquisísti Sánguine tuo. Et quóniam me peccatórem inter te, et eúmdem pópulum tuum médium esse voluísti, licet in me áliquod boni óperis testimónium non agnóscas, offícium saltem dispensatiónis créditae non recúses : nec per me indígnum eórum salútis péreat prétium, pro quibus víctima salutáris dignátus es esse redémptio. Prófero étiam, Dómine, (si dignéris propítius intuéri) tribulatiónes plébium, perícula populórum, captivórum gémitus, misérias orphanórum, necessitátes peregrinórum, inópiam debílium, desperatiónes languéntium, deféctus senum, suspíria júvenum, vota vírginum, laménta viduárum.

FERIA QUINTA.

TU enim miseréris ómnium, Dómine : et nihil odísti eórum quae fecísti. Memoráre, quae sit nostra substántia : quia tu Pater noster es, quia tu Deus noster es, ne irascáris satis, neque multitúdinem víscerum tuórum super nos contíneas. Non enim in justificatiónibus nostris prostérnimus preces ante fáciem tuam, sed in miseratiónibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitátes nostras: et ignem sancti Spíritus in nobis clemánter accénde. Aufer cor lapídeum de carne nostra ; et da nobis cor cárneum, quod te amet, te díligat, te delectétur, te sequátur, te perfruátur. Orámus, Dñe, clementíam tuam, ut seréno vultu famíliam tuam, sacri tui nóminis offícia praestolántem, aspícere dignéris : et ut nullíus sit írritum votum, nullíus vácua postulátio, tu nobis preces súggere, quas ipse propítius audíre, et exaudíre delectéris.

FERIA SEXTA.

ROGAMUS étiam te, Dñe sancte Pater, et pro spirítibus fidélium defunctórum : ut sit illis salus, sánitas, gáudium, et refrigérium, hoc magnum pietátis sacraméntū. Dñe

Deus meus, sit illis hódie magnum, et plenum convívium de te pane vivo, qui de coelo descendísti, et das vitam mundo, de tua carne sancta, et benedícta, Agni vidélicet immaculati, qui tollit peccáta mundi, quae de sancto, et glorióso beátae vírginis Maríae útero est assúmpta, et de Spíritu sancto concépta : ac de illo pietátis fonte, qui per lánceam mílitis ex tuo sacratíssimo látere emanávit, ut exínde refécti, et satiáti, refrigeráti, et consoláti, exúltent in laude, et glória tua. Peto cleméntiam tuam, Dómine, ut descéndat super panem tibi sacrificándum plenitúdo tuae benedictiónis, et sanctificátio tuae divinitátis. Descéndat étiam, Dómine, illa sancti Spíritus tui invisíbilis, incomprehensibilísque majéstas, sicut quondam in Patrum hóstias descendébat, qui et oblatiónes nostras Corpus, et Sánguinem tuum efficiat, et me indígnum sacerdótem dóceat tantum tractáre mystérium cum cordis puritáte, et lacrymárum devotióne, cum reveréntia, et tremóre, ita ut plácide, ac benígne suscípias sacrifícium de mánibus meis ad salútem ómnium, tam vivórum, quam defunctórum.

SABBATO.

ROGO étiam te, Dñe, per ipsum sacrosánctum mystérium Córporis, et Sánguinis tui, quo quotídie in Ecclésia tua páscimur, et potámur, ablúimur, et sanctificámur, atque uníus summae divinitátis partícipes efficimur : da mihi virtútes tuas sanctas, quibus replétus, bona consciéntia ad Altáre tuum accédam, ita ut haec coeléstia sacraménta efficiántur mihi salus, et vita. Tu enim dixísti ore tuo sancto, et benedícto : Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ego sum panis vivus qui de coelo descéndi. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in aetérnum. Panis dulcíssime, sana palátum cordis mei, ut séntiam suavitátem amóris tui. Sana illud ab omni languóre, ut nullam praeter te séntiam dulcédinem. Panis candidíssime, habens omne delectaméntum, et omnem sapórem, qui nos semper réficis, et nunquam in te déficis : cómedat te cor meum, et dulcédine sapóris tui repleántur víscera ánimae meae. Mandúcat te Angelus ore pleno ; mandúcet te peregrínus homo pro módulo suo, ne defícere possit in via, tali recreátus viático.

Panis sancte, panis vive, panis munde, qui descendísti de coelo, et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinaménto carnis, et spíritus. Intra in ánimam meam, sana, et munda me intérius, et extérius. Esto tutámen, et contínua salus ánimae, et córporis mei. Repélle a me insidiántes mihi hostes : recédant procul a praeséntia poténtiae tuae, ut foris, et intus per te munítus, recto trámite ad tuum regnum pervéniam : ubi non in mystériis, sicut in hoc témpore ágitur, sed fácie ad fáciem te vidébimus, cum tradíderis regnum Deo, et Patri, et eris Deus ómnia in ómnibus. Tunc enim me de te satiábis satietáte mirífica, ita ut nec esúriam, nec sítiam in aetérnum : Qui cum eódem Deo Patre, et Spíritu sancto vivis, et regnas per ómnia saecula saeculórũ. Amen.

ALIA ORATIO
ante Missam.

AD mensam dulcíssimi convívii tui, pie Dñe Jesu Christe, ego peccátor de própriis méritis nihil praesúmens, sed de tua confídens misericórdia, et bonitáte accédere véreor, et contremísco. Nam cor et corpus hábeo multis crimínibus maculátum, mentem, et línguam non caute custodítam. Ergo, o pia Déitas, o treménda majéstas, ego miser inter angústias deprehénsus, ad te fontem misericórdiae recúrro, ad te festíno sanándus, sub tuam protectiónem fúgio : et quem júdicem sustinére néqueo, salvatórem habére suspíro. Tibi, Dómine, plagas meas osténdo : tibi verecúndiam meam détego. Scio peccáta mea multa, et magna, pro quibus tímeo. Spero in misericórdias tuas, quarum non est número. Réspice ergo in me óculis misericórdiae tuae, Dñe Jesu Christe, Rex aetérne, Deus et homo, crucifíxus propter hóminem. Exáudi me sperántem in te: miserére mei pleni misériis et peccátis, tu qui fontem miseratiónis nunquam manáre cessábis. Salve, salutáris víctima, pro me, et omni humáno génere in patíbulo crucis oblàta. Salve nóbilis et pretióse Sanguis de vulnéribus crucifíxi Dómini mei Jesu Christi prófluens, et peccáta totíus mundi ábluens. Recordáre, Dómine, creatúrae tuae, quam tuo Sánguine redemísti. Poenitet me peccásse, cúpio emendáre quod feci. Aufer ergo a me, clementíssime Pater, omnes iniquitátes et peccáta mea:

ut purificátus mente et córpore, digne degustáre mérear Sancta Sanctórum : et concéde, ut haec sancta praelibátio Córporis et Sánguinis tui, quam ego indígnus súmere inténdo, sit peccatórum meórum remíssio, sit delictórum perfécta purgátio, sit túrpium cogitatiónum effugátio, ac bonórum sénsuum regenerátio, operúmque tibi placéntium salúbris efficácia, ánimae quoque et córporis, contra inimicórum meórum insídias, firmíssima tuítio. Amen.

Oratio S. Thomae de Aquino.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, ecce accédo ad sacraméntum unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, accédo tamquam infírmus ad médicum vitae, immúndus ad fontem misericórdiae, caecus ad lumen claritátis aetérnae, pauper et egénus ad Dóminum coeli et terrae. Rogo ergo imménsae largitátis tuae abundántiam, quátenus meam curáre dignéris infirmitátem, laváre foeditátem, illumináre caecitátem, ditáre paupertátem, vestíre nuditátem : ut panem Angelórum, Regem regum, et Dóminum dominántium, tanta suscípiam reveréntia, et humilitáte, tanta contritióne, et devotióne, tanta puritáte, et fide, tali propósito, et intentióne, sicut éxpedit salúti ánimae meae. Da mihi, quaeso, Domínici Córporis, et Sánguinis non solum suscípere sacraméntum, sed étiam rem et virtútem sacraménti. O mitíssime Deus, da mihi corpus unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, quod traxit de vírgine María, sic suscípere, ut córpori suo mystico mérear incorporári, et inter ejus membra connumerári. O amantíssime Pater, concéde mihi diléctum Fílium tuum, quem nunc velátum in via suscípere propóno, reveláta tandem fácie perpétuo contemplári : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia saecula saeculórum. Amen.

Oratio.

Gregorius XIII. Pontifex maximus concessit cuilibet dicenti quae sequuntur, 50 annorum Indulgentiam.

EGO volo celebráre Missam, et conficere Corpus et Sánguinem Dñi nostri Jesu Christi, juxta ritum sanctae Románae Ecclésiae, ad laudem omnipoténtis Dei, totiúsque Cúriae triumphántis, ad utilitátem meam, totiúsque Cúriae militántis, pro ómni-

bus, qui se commendaverunt oratiónibus meis in génere, et in spécie, et pro felíci statu sanctae Románae Eccléstae. Amen.

GAUDIUM cum pace, emendatiónem vitae, spátium verae poeniténtiae, grátiam, et consolatiónem sancti Spíritus, perseverántiam in bonis opéribus, tríbuat mihi omnípotens et miséricors Dóminus. Amen.

Quia Sacerdos, aut tacita mentis cogitatione, aut submissa vocis expressione debet recitare singillatim nomina, pro quibus in illa celebratione vult singulariter orare (ut insinuatur per illas litteras **N. N.** in Canone contentas) et ne hujusmodi determinatarum personarum nominatio, ob multitudinem, aut incertum ordinem, ingerat Sacerdoti celebranti confusionem, non inutile erit sequentem servare ordinem ex 20 quaest. Quodlibet. Doctoris Subtil. et ex aliorum gravissimorum Doctorum scriptis excerptum.

Meménto, Dómine, si tibi placet,

Vivorum.

1 QEI, parentum, cognatorũ, fratrum, sororum, et amicorum meorum omnium.
2 Coetus Cardinalium, ac omnium Superiorum ordinis, atque Sacerdotum, et sanctae Ecclesiae ministrorum.
3 Omnium meae curae subjectorum, tamquam spiritualium filiorum, et omnium fundatorum, patronorum, et benefactorum spiritualium, et temporalium.
4 Omnium principum christianorum, dominationum, et rerum publicarum temporalium.
5 Omnium peccantium, inimicorumque meorum, atque conversionis omnium haereticorum, et infidelium.
6 Et omnium, pro quibus scis, et vis me debere orare.

Mortuorum.

1 ANIMARUM parentum, fratrum, sororum, cognatorum, atque amicorum omnium.
2 Animarum omnium benefactorum, tam spiritualium, quam corporalium.
3 Animarum omnium mihi in genere, et in specie commissarum.
4 Animarum Praelatorum, Sacerdotum, et omnium ministrorum sanctae Romanae Ecclesiae Dei, et Apostolicae.
5 Animarum morte improvisa corporibus exutarum, atque earum, qua-

rum non est specialis memoria.

6 Animarum, quae mei occasione in purgatorio purgantur : earum quoque miserrime in purgatorio existentium.

7 Et earum omnium, pro quibus scis, et vis me debere orare.

Gratiarum actio post Missam.

Ańa. Trium puerórum * cantémus hymnum, quem cantábant Sancti in camino ignis, benedicéntes Dóminum.

Quae Antiphona in Festis duplicibus tantum duplicatur.

Canticum trium puerorum. *Danielis* iii. *e.*

BENEDICITE ómnia ópera Dómini Dómino : * laudáte et superexaltáte eum in saecula.

Benedícite Angeli Dñi Dómino : * benedícite coeli Dómino.

Benedícite aquae omnes, quae super coelos sunt, Dño : * benedícite omnes virtútes Dómini Dómino.

Benedícite sol et luna Dómino : * benedícite stellae coeli Dómino.

Benedícite omnis imber et ros Dómino : * benedícite omnes spíritus Dei Dómino.

Benedícite ignis et aestus Dómino : * benedícite frigus et aestus Dómino.

Benedícite rores et pruína Dómino : * benedícite gelu et frigus Dómino.

Benedícite glácies et nives Dómino : * benedícite noctes et dies Dómino.

Benedícite lux et ténebrae Dómino : * benedícite fúlgura et nubes Dómino.

Benedícat terra Dñum: * laudet et superexáltet eum in saecula.

Benedícite montes et colles Dómino : * benedícite univérsa germinántia in terra Dómino.

Benedícite fontes Dño : * benedícite mária et flúmina Dómino.

Benedícite cete et ómnia, quae movéntur in aquis, Dño : * benedícite omnes vólucres coeli Dómino.

Benedícite omnes béstiae et pécora Dómino : * benedícite fílii hóminum Dño.

Benedícat Israël Dóminum : * laudet et superexáltet eum in saecula.

Benedícite sacerdótes Dómini Dómino : * benedícite servi Dñi Dómino.

Benedícite spíritus, et ánimae justórum Dómino: * benedícite sancti, et húmiles corde Dómino.

Benedícite Ananía, Azaría, Mísaël Dómino : * laudáte et superexaltáte eum in saecula.

Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu : * laudémus et superexaltémus eum in saecula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto coeli : * et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in saecula.

Hic non dicitur Glória Patri, neque Amen.

Psalmus cl.

LAUDATE Dóminum in sanctis ejus: * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubae : * laudáte eum in psaltério, et cíthara.

Laudáte eum in tympano, et choro : * laudáte eum in chordis, et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus: laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Glória Patri, etc.

Deinde repetitur Antiph.

Aña. Trium puerórum cantémus hymnum, quem cantábant Sancti in camíno ignis, benedicéntes Dñum.

Postea Sacerdos dicit

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua. ℟. Et sancti tui benedícant tibi.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis. ℟. Sed nómini tuo da glóriam.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DEUS, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium: concéde propítius: ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum.

ACTIONES nostras quaesumus Dómine, aspirándo praeveni, et adjuvándo proséquere : ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et per te coepta finiátur.

DA nobis, quaesumus Dómine, vitiórum nostrórum flammas extínguere, qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Orationes

POST CELEBRATIONEM, ET COMMUNIONEM DICENDAE.

Oratio S. Thomae de Aquino.

GRATIAS tibi ago, Dñe sancte, Pater omnípotens, aetérne Deus, qui me peccatórem indígnum fámulum tuum, nullis meis méritis sed sola dignatióne misericórdiae tuae satiáre dignátus es pretióso córpore, et sánguine Fílii tui Dñi nostri Jesu Christi. Et precor, ut haec sancta Commúnio non sit mihi reátus ad poenam, sed intercéssio salutáris ad véniam. Sit mihi armatúra fídei, et scutum bonae voluntátis. Sit vitiórum meórum evacuátio: concupiscéntiae, et libidinis exterminátio; charitátis, et patiéntiae, humilitátis, et obediéntiae, omniúmque virtútum augmentátio: contra insídias inimicórum ómnium, tam visibílium, quam invisibílium, firma defénsio: mótuum meórum, tam carnálium, quam spirituálium, perfécta quietátio: in te uno, ac vero Deo firma adhaesio: atque finis mei felix consummátio. Et precor te, ut ad illud ineffábile convívium me peccatórem perdúcere dignéris, ubi tu cum Fílio tuo, et Spíritu Sancto, Sanctis tuis es lux vera, satíetas plena, gáudium sempitérnum, jucúnditas consummáta, et felícitas perfécta. Per eúmdem Christum.

Alia Oratio S. Bonaventurae.

TRANSFIGE, dulcíssime Dómine Jesu, medúllas, et víscera ánimae meae suavíssimo, ac salubérrimo amóris tui vúlnere, vera, serenáque et Apostólica sanctíssima charitáte, ut lángueat, et liquefíat ánima mea solo semper amóre et desidério tui, te concupíscat, et defíciat in átria tua, cúpiat dissólvi, et esse tecum. Da, ut ánima mea te esúriat, panem Angelórum, refectiónem animárum sanctárum, panem nostrum quotidiánum supersubstantiálem, habéntem omnem dulcédinem, et sapórem, et omne delecta-

méntum suavitátis : te, in quem desíderant Angeli prospícere, semper esúriat, et cómedat cor meum, et dulcédine sapóris tui repleántur víscera ánimae meae: te semper sítiat fontem vitae, fontem sapiéntiae et sciéntiae, fontem aetérni lúminis, torréntem voluptátis, ubertátem domus Dei : te semper ámbiat, te quaerat, te invéniat, ad te tendat, ad te pervéniat, te meditétur, de te loquátur, et ómnia operétur in laudem, et glóriam nóminis tui, cum humilitáte et discretióne, cum dilectióne et delectatióne, cum facilitáte et affféctu, cum perseveántia usque in finem : et tu sis solus semper spes mea, tota fidúcia mea, divítiae meae, delectátio mea, jucúnditas mea, gáudium meum, quies et tranquíllitas mea, pax mea, suávitas mea, odor meus, dulcédo mea, cibus meus, refféctio mea, refúgium meum, auxílium meum, sapiéntia mea, pórtio mea, posséssio mea, thesáurus meus, in quo fixa, et firma, et immobíliter semper sit radicáta mens mea, et cor meum. Amen.

Oratio ad Beatissimam Virginem Mariam.

O SACRATISSIMA, o serenissima, et ínclyta gloriósa virgo María, quae Creatóre ómnium creaturárum in tuo sacratíssimo útero fuísti digna portáre, sólaque virgíneo úbere lactáre : cujus veracíssimum, sacrúmque corpus, et sánguinem ego indígnus peccátor, modo súmere praesúmpsi : tuam humíliter déprecor misericórdiam, ut apud ipsum pro me peccatóre intercédere dignéris ; ut, quidquid in hoc tam ineffábili, ac digníssimo Sacrifício, per me indígnum ignoránter, vel negligénter, aut accidénter, seu irreverénter, scílicet in tractándo, et suménndo, ac ministrándo actum est, commíssum, vel omíssum : tuis sacratíssimis précibus indulgére dignétur idem Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus, qui cum Patre, et Spíritu Sancto vivit, et regnat in saecula saeculórum. Amen.

Rhythmus sancti Thomae ad sacram Eucharistiam.

ADORO te devóte, latens Déitas,
Quae sub his figúris vere látitas :
Tibi se cor meum totum súbjicit,
Quia te contémplans, totum déficit.
Visus, tactus, gustus in te fállitur
Sed audítu solo tuto créditur :

Credo quidquid dixit Dei Fílius,
Nil hoc verbo veritátis vérius.
In cruce latébat sola Déitas,
At hic latet simul et humánitas :
Ambo tamen credens, atque cónfitens,
Peto quod petívit latro poenitens.
Plagas, sicut Thomas, non intúeor,
Deum tamen meum te confíteor :
Fac me tibi semper magis crédere,
In te spem habére, te dilígere.
O memoriále mortis Dñi,
Panis vivus vitam praestans hómini
Praesta meae menti de te vívere,
Et te illi semper dulce sápere.
Pie pellicáne Jesu Dómine,
Me immúndum munda tuo sánguine :
Cujus una stilla salvum fácere
Totum mundum quit ab omni scélere.
Jesu, quem velátum nunc aspício,
Oro fiat illud, quod tam sítio :
Ut te reveláta cernens fácie,
Visu sim beátus tuae glóriae. Amen.

Oratio

A PAPA URBANO VIII. EDITA.

ANTE óculos tuos, Dómine, culpas nostras férimus, et plagas quas accépimus, conférimus.

Si pensámus malum quod fécimus, minus est quod pátimur, majus est quod merémur.

Grávius est quod commísimus, lévius est quod tolerámus.

Peccáti poenam sentímus, et peccándi pertináciam non vitámus.

In flagéllis tuis infírmitas nostra téritur, et iníquitas non mutátur.

Mens aegra torquétur, et cervix non fléctitur.

Vita in dolóre suspírat, et in ópere non se emén-dat.

Si expéctas, non corrígimur: si víndicas, non durámus.

Confitémur in correctióne quod égimus: oblivíscimur post visitatiónem quod flévimus.

Si exténderis manum, faciénda promíttimus: si suspénderis gládium, promíssa non sólvimus.

Si férias, clamámus ut parcas: si pepérceris, íterum provocámus ut férias.

Habes, Dómine, confiténtes reos: nóvimus quod nisi dimíttas, recte nos périmas.

Praesta Pater omnípotens sine mérito quod rogámus, qui fecísti ex níhilo qui te rogárent. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

℣. Gregem tuum, Pastor aetérne, non déseras. ℟. Sed per beátos Apóstolos tuos perpétua defensióne custódias.

℣. Prótege, Dñe, pópulum tuum ad te clamántem, et Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem. ℟. Perpétua defensióne custódias.

℣. Oráte pro nobis, sancti Apóstoli Dei. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

PRAESTA, quaesumus omnípotens Deus, ut nullis nos permíttas pertubatiónibus cóncuti, quos in apostólicae confessiónis petra solidásti. Per Dóminum nostrum.

IMPLORET, clementíssime Dñe, nostris opportúnam necessitátibus

opem devóte a nobis proláta meditátio, qua sanctus olim Joánnes Chrysóstomus, in hac basílica cónditus, te cum beatíssimis Apóstolis Petro et Paulo repraesentávit sic colloquéntem: Circúmdate hanc novam Sion, et circumvalláte eam: hoc est, custodíte, munite, précibus firmáte: ut quando iráscor in témpore, et orbem terrae concútio, aspíciens sepúlchrum vestrum nunquam desitúrum, et quae libénter propter me géritis stígmata, iram misericórdia vincam, et ob hanc percípiam vestram intercessiónem. Etenim quando Sacerdótium et Regnum vídeo lacrymári, statim quasi compátiens ad commiseratiónem flector, et illíus meae vocis reminíscor: Prótegam Urbem hanc propter David servum meum, et Aaron sanctum meum. Dómine, fiat, fiat: Amen, Amen.

Index

PSALMORUM, CANTICORUM ET HYMNORUM.

PSALMORUM.

cxix.	AD DOMINUM cum tribularer clamavi.	137
xxvij.	Ad te, Domine, clamabo ; Deus meus, ne sileas a me.	49
xxiv.	Ad te, Domine, levavi animam meam.	32
cxxij.	Ad te levavi oculos meos.	141
xxviij.	Afferte Domino, filii Dei.	50
lxxvij.	Attendite populo meus legem meam.	95
xlviij.	Audite haec, omnes gentes.	71
cxviij.	BEATI immaculati in via.	25
cxxvij.	Beati omnes, qui timent Dominum.	143
xxxj.	Beati, quorum remissae sunt iniquitates.	52
xl.	Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem.	66
j.	Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum.	3
cxj.	Beatus vir qui timet Dominum.	134
cij.	Benedic anima mea Domino. . . . . Benedic.	119
ciij.	Benedic anima mea Domino. . . . Confessionem.	120
xxxiij.	Benedicam Dominum in omni tempore.	54
cxliij.	Benedictus Dominus Deus meus.	153
lxxxiv.	Benedixisti, Domine, terram tuam.	106
xcj.	Bonum est confiteri Domino.	117
xcv.	CANTATE Domino. . . . . Cantate.	111
cxlix.	Cantate Domino. . . . . laus ejus.	21
xcvij.	Cantate Domino. . . . . quia mirabilia.	116
xviij.	Coeli enarrant gloriam Dei.	15
lxxiv.	Confitebimur tibi, Deus.	93
cx.	Confitebor tibi, Domine. . . . in consilio.	133
ix.	Confitebor tibi, Domine. . . . narrabo.	6
cxxxvij.	Confitebor tibi, Domine. . . . quoniam.	149
cvj.	Confitemini Domino quoniam bonus. . . . Dicant.	125
cxvij.	Confitemini Domino quoniam bonus. . . . . Dicat.	23
civ.	Confitemini Domino ; et invocate.	122
cv.	Confitemini Domino quoniam bonus. . . . . Quis.	123
cxxxv.	Confitemini Domino. . . . . quoniam in aeternum.	147
xv.	Conserva me, Domine, quoniam speravi in te.	10
cxv.	Credidi, propter quod locutus sum.	137
iv.	Cum invocarem exaudivit me Deus justitiae meae.	159
cxxix.	DE PROFUNDIS clamavi ad te, Domine.	63
xliij.	Deus, auribus nostris audivimus.	67
xlix.	Deus deorum Dominus locutus est.	72
lxij.	Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.	81

xxi.	Deus, Deus meus, respice in me.	33
lxix.	Deus, in adjutorium meum intende.	89
liij.	Deus, in nomine tuo salvum me fac	23
lxxj.	Deus, judicium tuum regi da.	90
cviij.	Deus, laudem meam ne tacueris.	128
lxvj.	Deus misereatur nostri, et benedicat nobis.	19
xlv.	Deus noster refugium, et virtus.	69
lxxxij.	Deus, quis similis erit tibi.	104
lix.	Deus, repulisti nos, et destruxisti nos.	80
lxxxj.	Deus stetit in synagoga deorum.	104
lxxviij.	Deus, venerunt Gentes in haereditatem.	98
xciij.	Deus ultionum Dominus.	110
cxiv.	Dilexi, quoniam exaudiet Dominus.	137
xvij.	Diligam te, Domine, fortitudo mea.	12
xxxviij.	Dixi: Custodiam vias meas.	64
cix.	Dixit Dominus Domino meo.	133
xxxv.	Dixit injustus ut delinquat in semetipso.	56
lij.	Dixit insipiens in corde suo. . . . Deus.	76
xiij.	Dixit insipiens in corde suo. . . . Dominus.	9
cxl.	Domine, clamavi ad te, exaudi me.	151
vij.	Domine Deus meus, in te speravi.	5
lxxxvij.	Domine Deus salutis meae.	107
viij.	Domine Dominus noster.	6
cxlij.	Domine, exaudi. . . . . auribus.	113
cj.	Domine, exaudi. . . . . et clamor.	118
xx.	Domine, in virtute tua laetabitur rex.	16
vj.	Domine, ne in furore. . . . Miserere.	4
xxxvij.	Domine, ne in furore. . . . Quoniam.	58
cxxx.	Domine, non est exaltatum cor meum.	144
cxxxviij.	Domine, probasti me, et cognovisti me.	149
iij.	Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me.	4
xiv.	Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo.	10
lxxxix.	Domine, refugium factus es nobis.	100
xxiij.	Domini est terra, et plenitudo ejus.	31
xxvj.	Dominus illuminatio mea, et salus mea.	48
xxij.	Dominus regit me, et nihil mihi deerit.	33
xcij.	Dominus regnavit, decorem indutus est.	18
xcvj.	Dominus regnavit, exultet terra.	112
xcviij.	Dominus regnavit, irascantur populi.	116
cxxxiij.	ECCE nunc benedicite Dominum.	160
cxxxij.	Ecce quam bonum et quam jucundum.	146
lviij.	Eripe me de inimicis meis, Deus meus.	79
cxxxix.	Eripe me, Domine, ab homine malo.	150
xliv.	Eructavit cor meum verbum bonum.	68
cxliv.	Exaltabo te, Deus meus Rex.	153
xxix.	Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me.	50
xix.	Exaudiat te Dominus in die tribulationis.	15
lxiij.	Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor.	81
lx.	Exaudi, Deus, deprecationem meam.	80
liv.	Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris.	76

xvj.	Exaudi, Domine, justitiam meam.	11
xxxix.	Expectans expectavi Dominum.	65
lxxx.	Exultate Deo adjutori nostro.	103
xxxij.	Exultate justi in Domino.	53
lxvij.	Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus.	83
lxxxvj.	FUNDAMENTA ejus in montibus sanctis.	107
lxxxv.	INCLINA, Domine, aurem tuam, et exaudi me.	106
cxxv.	In convertendo Dominus captivitatem Sion	142
x.	In Domino confido.	8
cxiij.	In exitu Israël de Ægypto.	135
xxx.	In te, Domine, speravi. . . . . libera me.	51
lxx.	In te, Domine, speravi. . . . . et eripe me.	89
lxv.	JUBILATE Deo. . . . . psalmum.	82
xcix.	Jubilate Deo. . . . . servite.	18
xxxiv.	Judica, Domine, nocentes me.	54
xlij.	Judica me, Deus, et discerne.	74
xxv.	Judica me, Domine, quoniam ego.	32
cxxj.	LAETATUS sum in his, quae dicta sunt mihi.	140
cxlv.	Lauda anima mea Dominum.	154
cxlvij.	Lauda Jerusalem Dominum.	155
cxlviij.	Laudate Dominum de coelis.	21
cl.	Laudate Dominum in sanctis ejus.	22
cxvj.	Laudate Dominum omnes Gentes.	137
cxlvj.	Laudate Dominum quoniam bonus.	155
cxxiv.	Laudate nomen Domini.	146
cxij.	Laudate pueri Dominum.	134
cxx.	Levavi oculos meos in montes.	138
xlvij.	MAGNUS Dominus, et laudabilis nimis.	70
cxxxj.	Memento, Domine, David.	145
lvj.	Miserere mei, Deus, miserere mei.	78
lv.	Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit.	77
l.	Miserere mei, Deus, secundum.	59
c.	Misericordiam, et judicium.	118
lxxxviij.	Misericordias Domini.	108
cxxvj.	NISI Dominus aedificaverit domum.	143
cxxiij.	Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israël.	141
xxxvj.	Noli aemulari in malignantibus.	56
lxj.	Nonne Deo subjecta erit anima mea.	81
lxxv.	Notus in Judaea Deus.	94
xlvj.	OMNES Gentes plaudite manibus.	70
cvij.	PARATUM cor meum, Deus paratum cor meum.	127
lxxij	QUAM bonus Israël Deus.	91
lxxxiij.	Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum.	105
ij.	Quare fremuerunt Gentes.	3
cxxiv.	Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion.	141
xc.	Qui habitat in adjutorio Altissimi.	160
lxxix.	Qui regis Israël, intende.	99
lj.	Quid gloriaris in malitia.	73

cxxviij.	SAEPE expugnaverunt me a juventute mea.	143
lxviij.	Salvum me fac, Deus.	87
xj.	Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus.	8
lvij.	Si vere utique justitiam loquimini.	78
cxxxvj.	Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus.	148
lxiv.	TE DECET hymnus, Deus, in Sion.	85
xij.	USQUEQUO, Domine, oblivisceris me in finem.	9
lxxiij.	Ut quid, Deus, repulisti in finem.	92
xciv.	VENITE, exultemus Domino.	2
v.	Verba mea auribus percipe, Domine.	60
cxlj.	Voce mea ad Dominum . . . . deprecatus sum.	152
lxxvj.	Voce mea ad Dominum . . . . et intendit mihi.	94

CANTICORUM.

Canticum Moysi.

Audite coeli quae loquor. 130

Canticum trium puerorum.

Benedicite omnia opera Domini Domino. 19

Canticum Zachariae.

Benedictus Dominus Deus Israël. 22

Canticum Moysi.

Cantemus Domino : gloriose. 101

Canticum Isaiae.

Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi. 61

Canticum Habacuc.

Domine, audivi auditionem tuam. 113

Canticum Ezechiae.

Ego dixi : In dimidio dierum meorum. 74

Canticum Annae.

Exultavit cor meum in Domino. 85

Canticum B. M. V.

Magnificat anima mea Dominum. 136

Canticum Simeonis.

Nunc dimittis servum tuum, Domine. 161

Symbolum S. Athanasii.

Quicumque vult salvus esse. 26

Hymnus SS. Ambrosii et Augustini.

Te Deum laudamus : te Dominum confitemur. 17

HYMNORUM.

ÆTERNA Christi munera. . . . Apostolorum. v.
Æterna Christi munera. . . . . Et gloriam. cclxxi.
Æterna coeli gloria. 115
Ales diei nuntius. 75
Alto ex Olympi vertice. cxlii.
Antra deserti teneris sub annis. 444
Athleta Christi nobilis. 379
Auctor beate saeculi. 400
Audiat miras oriens cadensque. cccv.
Aurora jam spargit polum. 132
Ave maris stella. clx.

BEATE Pastor Petre, clemens accipe. 470, 580

CHRISTE, sanctorum decus Angelorum. 365
Christo profusum sanguinem. xlv.
Coelestis Agni nuptias. 432
Coelestis Urbs Jerusalem. cxxxi.
Coeli Deus sanctissime. 144
Consors Paterni luminis. 64
Cor, Arca legem continens. 406
Creator alme siderum. cclxxxvii.

DECORA lux aeternitatis, auream. 464
Deus, tuorum militum. xxvii.
Domare cordis impetus Elisabeth. 512
Dum nocte pulsa lucifer. 381

ECCE jam noctis tenuatur umbra. 22
Egregie Doctor Paule mores instrue. 470
En, ut superba criminum. 400
Exultet orbis gaudiis. iv.

FESTIVIS resonent compita vocibus. 480
Fortem virili pectore. cxxiii.

HOMINIS superne conditor. 152
Hujus oratu, Deus alme, nobis. cxxiv.

IMMENSE coeli conditor. 138
Imperas saxo, latitans repente. cccvi.
Invicte Martyr, unicum. xxxviii.
Ira justa conditoris. 481
Iste confessor Domini, colentes. lxi.

JAM lucis orto sidere. 23
Jam sol recedit igneus. 156
Jesu, corona celsior. xciv.
Jesu, corona Martyrum. cccxi.
Jesu, corona Virginum. cv.
Jesu, Redemptor omnium. lxxii.

LUCIS creator optime. 136

Lux alma, Jesu, mentium. 610
Lux ecce surgit aurea. 102

MAGNAE Deus potentiae. 148
Maria castis osculis. 552
Martyr Dei Venantius. 379
Memento, rerum Conditor. clxxviii.
Miris modis repente liber, ferrea. 574

NOCTE surgentes vigilemus omnes. 3
Nox atra rerum contegit. 87
Nox et tenebrae et nubila. 86
Nunc sancte nobis Spiritus. 39

O GLORIOSA virginum. clxxi.
O nimis felix, meritique celsi. 450
Opes, decusque regium reliqueras. 518

PANGE lingua gloriosi. . . . Corporis. 185
Pater superni luminis. 551
Praeclara custos virginum. cccxxxii.

QUEM terra, pontus, sidera. clxi.
Quicumque Christum quaeritis. 595
Quodcumque in orbe nexibus revinxeris. 576

RECTOR potens, verax Deus. 42
Rerum Creator optime. 75, cclxxxviii.
Rerum Deus, tenax vigor. 45
Rex gloriose Martyrum. lx.
Rex gloriose Praesulum. cclxxv.

SACRIS solemniis juncta sint gaudia. 186
Saepe dum Christi populus cruentis. ccxl.
Salvete Christi vulnera. 493
Salutis humanae Sator. ccxciv.
Sanctorum meritis inclyta gaudia. xliv.
Somno refectis artubus. 48
Splendor Paternae gloriae. 62
Summae Parens clementiae. . . . Da. 166
Summae Parens clementiae. . . . Nostros. 115
Summi Parentis Unice. 556

TE LUCIS ante terminum 161
Telluris alme Conditor. 142
Te splendor et virtus Patris. 360
Te Redemptoris, Dominique nostri. ccxlvi.
Tu Trinitatis Unitas. . . . Nam. 103
Tu Trinitatis Unitas. . . . Ortus. 176

UT QUEANT laxis resonare fibris. 443

VERBUM supernum prodiens. 197, cccxxix.
Virginis Proles, Opifexque Matris. . . . Haec. cvi.
Virginis Proles, Opifexque Matris. . . . Hujus. cvi.

Index

FESTORUM ET OFFICIORUM D.N.J.C.,
BEATAE MARIAE VIRGINIS, ET SANCTORUM,
NECNON DOMINICARUM, OCTAVARUM
ET VIGILIARUM,
alphabetico ordine dispositus.

ABDON et Sennen, Martyrum.	30 Julii.	571
Ægidii, Abbatis.	1 Septemb.	698
Æmygdii, Episcopi et Martyris.	9 Aug.	cccv.
Alexandri I., Papae et Martyris.	11 Maii.	ccxxvii.
Alexii, Confessoris.	17 Julii.	535
Alexii, Confessoris.	17 Julii.	ccxcvi.
Aloisii Gonzagae, Confessoris.	21 Junii.	437
Alphonsi Mariae de Ligorio, Episc. Conf. et Doctoris.	2 Aug.	582
Anacleti, Papae et Martyris.	13 Julii.	526
Anacleti, Papae et Martyris.	13 Julii.	cclxxxvi.
Angelae Mericiae, Virginis.	31 Maii.	397
Annae, Matris B. M. V.	26 Julii.	564
Antonii de Padua, Confessoris.	13 Junii.	426
Antonini, Episcopi et Confessoris.	10 Maii.	369
Apollinaris, Episcopi et Martyris.	23 Julii.	556
Apparitio S Michaelis Archangeli.	8 Maii	360
Assumptio B. Mariae Virginis.	15 Aug.	641
Augustini, Episcopi, Confess. et Doctoris.	28 Aug.	685
BARNABAE, Apostoli.	11 Junii.	418
Bartholomaei, Apostoli. 24 vel	25 Aug	675
Basilii Magni, Episc. Confess. et Doctoris.	14 Junii.	427
Beatae Mariae Virginis Auxilium Christianorum.	24 Maii.	ccxl.
Benedicti II., Papae et Confessoris.	7 Mai.	ccxxvi.
Benedicti XI. (B.), Papae et Confessoris.	7 Julii.	cclxxix.
Bernardi, Abbatis et Doctoris.	20 Aug.	663
Bernardini Senensis, Confessoris.	20 Maii.	386
Bonaventurae, Episc. Confess. et Doctoris.	14 Julii.	528
Bonifacii, Martyris.	14 Maii.	374
Bonifacii IV., Papae et Confessoris.	29 Maii.	ccl.
Bonifacii, Episcopi et Martyris.	5 Junii.	410
CAJETANI, Confessoris.	7 Aug.	611
Camilli de Lellis, Confessoris.	18 Julii.	537
Clarae, Virginis.	12 Aug.	630
Commemoratio omnium SS. Apostolorum.	29 Junii.	clxiv.
Commemoratio S. Pauli, Apostoli.	30 Junii.	472

Commemoratio omnium SS. S. R. E. Summorum Pontificum. Domin. I. non impedita post festum SS. Apostolorum Petri et Pauli.		cclxx.
Commemorationis B. Mariae Virginis de Monte Carmelo.	16 Julii.	531
Corporis Christi, feria v. infra Hebd. i. post	Oct. Pentec.	183
Cyriaci, Largi et Smaragdi, Martyrum.	8 Aug.	615
DECOLLATIO S. Joannis Baptistae.	29 Aug.	687
Dominica SS. Trinitatis.		165
Dominica infra Octavam Corporis Christi, quae est secunda post Pentecosten.		205
Dominicae post Pentecosten. III.		227
Dominicae post Pentecosten. IV.		237
Dominicae post Pentecosten. V.		245
Dominicae post Pentecosten. VI.		253
Dominicae post Pentecosten. VII.		261
Dominicae post Pentecosten. VIII.		268
Dominicae post Pentecosten. IX.		275
Dominicae post Pentecosten. X.		282
Dominicae post Pentecosten. XI.		289
Dominicae Augusti. I.		297
Dominicae Augusti. II.		306
Dominicae Augusti. III.		312
Dominicae Augusti. IV.		319
Dominicae Augusti. V.		325
Dominici, Confessoris.	4 Aug.	592
ELEUTHERII, Papae et Martyris.	1 Junii.	ccliv.
Elisabeth, Reginae Portugalliae, Viduae.	8 Julii.	512
Eugeni I., Papae et Confessoris.	2 Junii.	cclv.
Eugenii III. (B.), Papae et Confessoris.	8 Julii.	cclxxxi.
Felicis, Papae et Martyris.	30 Maii.	396
Felicis I., Papae et Martyris.	30 Maii.	ccli.
Felicis II., Papae et Martyris.	29 Julii.	cccii.
Felicis a Cantalicio, Confessoris.	21 Maii.	ccxxxviii.
Ferdinandi III., Regis Confessoris.	30 Maii.	cclii.
Francisci Caracciolo, Confessoris.	4 Junii.	408
Francisci de Hieronymo, Confessoris.	11 Maii.	ccxxix.
GALLICANI, Martyris.	25 Junii.	cclx.
Gregorii VII., Papae et Confessoris.	25 Maii.	387
Gregorii Nazianzeni, Episc., Conf. et Doct.	9 Maii.	367
Gulielmi, Abbatis.	25 Junii.	452
HELENAE, Imperatricis Viduae.	18 Aug.	cccxx.
Henrici, Imperatoris Confessoris.	15 Julii.	530
Hieronymi Æmiliani, Confessoris.	20 Julii.	546
Homiliae et Orationes Dominicarum post Pentecosten. III.		332
Homiliae et Orationes Dominicarum post Pentecosten. IV.		333
Homiliae et Orationes Dominicarum post Pentecosten. V.		334

Homiliae et Orationes Dominicarum post Pentecosten.	VI.		336
	VII.		337
	VIII.		338
	IX.		339
	X.		341
	XI.		342
	XII.		343
	XIII.		345
	XIV.		346
	XV.		347
	XVI.		348
Hormisdae, Papae et Confessoris.		14 Aug.	cccxvi.
Hyacinthi, Confessoris.		16 Aug.	652
IGNATII, Confessoris.		31 Julii.	572
Inventio S. Stephani, Protomartyris.		3 Aug.	587
Irenaei, Episcopi et Martyris. Prima die non impedita post tertio Kalendas Julii.			cclxiv.
Isidori, Agricolae, Confessoris.		15 Maii.	ccxxxiii.
JACOBI, Apostoli.		25 Julii.	560
Joachim, Confessoris et Patris B. M. V. Domin. infra Octavam Assumptionis.			648
Joannae Francissae Fremiot de Chantal, Viduae.		21 Aug.	665
Joannis ante portam Latinam.		6 Maii.	354
Joannis I., Papae et Martyris.		27 Maii.	ccxlvii.
Joannis a S. Facundo, Confessoris.		12 Junii.	423
Joannis Francisci, Regis Confessoris S. J.		16 Junii.	cclvii.
Joannis Gualberti, Abbatis.		12 Julii.	523
Joannis Nepomuceni, Martyris.		16 Maii.	ccxxxv.
Joannis et Pauli, Martyrum.		26 Junii.	454
Josephi Calasanctii, Confessoris.		27 Aug.	681
Julianae de Falconeriis, Virginis.		19 Junii.	432
LAURENTII, Martyris.		10 Aug.	619
Leonis, Papae et Confessoris.		28 Junii	462
Leonis III., Papae et Confessoris.		12 Junii.	cclvi.
Leonis IV., Papae et Confessoris.		17 Julii.	ccxcv.
Ludovici, Confesssoris.		25 Aug.	678
MARCELLINI, Petri, atque Erasmi, Martyrum.		2 Junii.	407
Marci et Marcelliani, Martyrum.		18 Junii.	431
Margaritae, Reginae Scotiae, Viduae.		10 Junii.	416
Mariae ad Nives.		5 Aug.	594
Mariae Magdalenae.		22 Julii.	551
Mariae Magdalenae de Pazzis, Virginis.		27 Maii.	394
Marthae, Virginis.		29 Julii.	568
Michaelis de Sanctis, Confessoris.		5 Julii.	cclxxvi.
Monicae, Viduae.		4 Maii.	349
NATIVITAS S. Joannis Baptistae.		24 Junii.	442

Nazarii et Celsi Martyrum, Victoris Papae et Mart., ac Innocentii Papae et Conf.	28 Julii.	566
Nerii, Achillei et Domitillae Virginis, atque Pancratii, Martyrum.	12 Maii.	371
Norberti, Episcopi et Confessoris.	6 Junii.	414
OCTAVA Corporis Christi. Feria vi.		198
Sabbato.		201
Dominica.		205
Feria ii.		212
Feria iii.		215
Feria iv.		218
Feria v. Octava.		222
Octava S. Joannis Baptistae.	27 Junii.	460
	1 Julii.	494
Octava SS. Apost. Petri et Pauli.	3 Julii.	503
	4 Julii.	505
	5 Julii.	507
	6 Julii.	509
Octava Transfigurationis D. N. J. C.	13 Aug.	cccxiii.
Octava S. Laurentii.	11 Aug.	628
	13 Aug.	633
	14 Aug.	636
	17 Aug.	654
Octava Assumptionis B. M. V.	18 Aug.	658
	19 Aug.	661
	22 Aug.	668
Octava Dedicationis Ecclesiae. 2 die.		cxliv.
3 die.		cxlvi.
4 die.		cxlviii.
5 die.		cl.
6 die.		cli.
7 die.		cliv.
Octava.		clvi.
Officium votivum de Sanctissimo Sacramento.		cccxxviii.
Officium votivum Immaculatae Conceptionis B. M. V.		cccxxxi.
PANTALEONIS, Martyris.	27 Julii.	566
Paschalis I., Papae et Confessoris.	14 Maii.	ccxxxii.
Paschalis Baylon, Confessoris.	17 Maii.	376
Pauli I., Papae et Confessoris.	3 Julii.	cclxix.
Paulini, Episcopi et Confessoris.	22 Junii.	440
Petri et Pauli, Apostolorum.	29 Junii.	464
Petri ad Vincula.	1 Aug.	574
Petri Coelestini, Papae et Confessoris.	19 Maii.	381
Philippi Benitii, Confessoris.	23 Aug.	672
Philippi Nerii, Confessoris.	26 Maii	391
Philumenae, Virginis et Martyris.	11 Aug.	cccxii.
Pii, Papae et Martyris.	11 Julii.	522
Pii I., Papae et Martyris.	11 Julii.	cclxxxv.
Pii V., Papae et Confessoris.	5 Maii.	352

Praxedis, Virginis.	21 Julii.	551
Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. Domin.	I. Julii.	479
Primi et Feliciani, Martyrum.	9 Junii.	415
Prodigiorum beatae Mariae Virginis.	9 Julii.	cclxxxiii.
Purissimi Cordis B. M. V. Domin. post Octavam Assumptionis B. M. V.		cccxxi.
RAYMUNDI Nonnati, Confessoris.	31 Aug.	696
Rochi, Confessoris.	16 Aug.	cccxvii.
Rosae a sancta Maria, Virginis Limanae.	30 Aug.	693
SACRATISSIMI Cordis D. N. J. C. feria vi. post Oct. Corporis Christi.		399
Sanctissimi Redemptoris. Domin. III. Julii.		cclxxxvii.
Sanctissimae Trinitatis.		165
Septem Fratrum, ac Rufinae et Secundae Virginum et Martyrum.	10 Julii.	519
Silverii, Papae et Martyris.	20 Junii.	436
Silverii, Papae et Martyris.	20 Junii.	cclix.
Stanislai, Episcopi et Martyris.	7 Maii.	358
Stephani I., Papae et Martyris.	2 Aug.	ccciv.
Stephani, Hungariae Regis, Confessoris.	2 Septemb.	699
Symmachi, Papae et Confessoris.	19 Julii.	ccxcix.
TRANSFIGURATIONIS D. N. J. C.	6 Aug.	595
Transfigurationis D. N. J. C. titularis Archibasilicae Lateranensis.	6 Aug.	cccv.
UBALDI, Episcopi et Confessoris.	16 Maii.	375
Urbani I., Papae et Martyris.	28 Maii.	ccxlviii.
VENANTII, Martyris.	18 Maii.	378
Veronicae de Julianis, Virginis.	9 Julii.	cclxxxiii.
Victoris I., Papae et Mart., Innocentii I., Papae et Confessoris, Nazarii et Celsi, Martyrum.	28 Julii.	ccc.
Vigilia S. Joannis Baptistae.	23 Junii.	441
Vigilia S. Jacobi, Apostoli.	24 Julii.	560
Vigilia S. Laurentii, Martyris.	9 Aug.	618
Vigilia S. Bartholomaei, Apostoli.	24 Aug.	675
Vincentii a Paulo, Confessoris.	19 Julii.	543
Visitationis B. M. V.	2 Julii.	496
Viti, Modesti, atque Crescentiae, Martyr.	15 Junii.	430
XYSTI II. Papae et Martyris.	11 Aug.	cccxii.
ZEPHYRINI, Papae et Martyris.	26 Aug.	680
Zephyrini, Papae et Martyris.	26 Aug.	cccxxvii.

Oratio
AD D. N. JESUM CHRISTUM
CRUCIFIXUM.

Quam qui ante quamcumque ipsius imaginem recitaverint, plenariam peccatorum remissionem lucrari poterunt: cum facultate eamdem indulgentiam in suffragium defunctorum fidelium applicandi[1].

EN ego, o bone et dulcíssime Jesu, ante conspéctum tuum génibus me provólvo, ac máximo ánimi ardóre te oro, atque obtéstor, ut meum in cor vívidos Fídei, Spei et Charitátis sensus, atque veram erratórum meórum poeniténtiam eáque emendándi firmíssimam voluntátem velis imprímere; dum magno ánimi affécTu et dolóre tua quinque vúlnera mecum ipse considero, ac mente contémplor, illud prae óculis habens, quod jam in ore ponébat suo David prophéta de te, o bone Jesu: Fodérunt manus meas et pedes meos, dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Pius Papa IX. ex decr. S. Congr. Indulg. 31 Julii 1858 inhaerendo Decretis Praedecessorum suorum, eorumdemque concessiones confirmando, etiam quoad applicationem pro animabus in Purgatorio detentis, benigne declaravit praememoratam Indulg. plenariam lucrari ab iis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi sacraque Communione refecti, dictam orationem En ego, *etc. quocumque idiomate dummodo versio sit fidelis, ante quamcumque SSmi. Crucifixi imaginem devote recitaverint, ac insuper per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint.*

[1] Decr. Congr. Indulg. 10 Apr. 1821, 17 Sept. 1825, 28 Sept. 1838, ad 2.

Oratio.

A SACERDOTIBUS POST MISSAM RECITANDA.

Pius Papa IX. ex Decreto S. Cong. indulg. 11 Dec. 1846, revocata quacumque alia concessione, sacerdotibus qui sequentem orationem inter alias preces pro gratiarum actione post Missam recitaverint, indulgentiam trium annorum, fidelibus defunctis etiam applicabilem, benigne concessit.

OBSECRO te, dulcíssime Dómine Jesu Christe, ut Pássio tua sit mihi virtus, qua múniar, prótegar, atque defendar. Vúlnera tua sint mihi cibus potúsque, quibus pascar, inébrier, atque delécter. Aspérsio Sánguinis tui sit mihi ablútio ómnium delictórum meórum. Mors tua sit mihi glória sempitérna. In his sit mihi refóctio, exultátio, sánitas, et dulcédo cordis mei. Qui vivis et regnas in saecula saeculórum. Amen.

Alia Oratio.

Pius PP. IX. ex Decr. S. C. Indulg. die 9. Januarii 1854, revocata quacumque praecedenti concessione, indulsit in perpetuum ut omnes utriusque sexus Christi fideles, qui corde saltem contrito, ac devote sequentes invocationes recitaverint, tercentum dierum Indulgentiam pro qualibet recitatione lucrari valeant; ac Indulgentiam septem tantum annorum una dumtaxat vice in die acquirendam, si eas emiserint Sacerdotes post peractum Missae sacrificium, caeterique Fideles postquam fuerint sacra communione refecti; si vero per integrum mensem semel saltem in die enuntiatas invocationes corde ut supra contrito, ac devote effuderint, Indulgentiam Plenariam una die cujuslibet mensis uniuscujusque arbitrio eligenda, dummodo vere poenitentes, confessi sacraque Synaxi refecti, aliquam Ecclesiam, seu publicum Oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem ejusdem Sanctitatis Suae pie oraverint, consequantur, facta insuper potestate eas omnes, Plenariam nempe et partiales Indulgentias, animabus in Purgatorio detentis applicandi.

ANIMA Christi, sanctífica me. Corpus Christi, salva me. Sanguis Christi, inébria me. Aqua láteris Christi, lava me. Pássio Christi, confórta me. O bone Jesu, exáudi me. Intra tua vúlnera abscónde me. Ne permíttas me separári a te. Ab hoste malígno defénde me. In hora mortis meae voca me. Et jube me veníre ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te in saecula saeculórum. Amen.

RITUS

BENEDICTIONIS APOSTOLICAE

In articulo mortis a Sacerdotibus ad id delegatis impertiendae.

Benedictio in articulo mortis, cum soleat impertiri post Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae Unctionis illis infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis; impertienda iisdem est, etiamsi postea linguae, caeterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium, vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impoenitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Habens praedictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus, dicat: ℣. **Pax huic dómui.** ℟ **Et ómnibus habitántibus in ea.**

Ac deinde aegrotum, cubiculum, et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam: **Aspérges me, Dómine, hyssópo, et mundábor: lavábis me et super nivem dealbábor.**

Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus Benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat, atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens fore, ut ex divinae munificentiae largitate eam poenarum remissionem, et vitam sit consecuturus aeternam.

Sacerdos dicat:

℣. **Adjutórium nostrum in nómine Dómini.** ℟. **Qui fecit coelum et terram.**

Ana. Ne reminiscáris, Dómine, delícta fámuli tui (vel ancíllae tuae : neque vindíctam sumas de peccátis ejus.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, etc.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum, (vel ancíllam tuam, et sic deinceps). ℟. Deus meus, sperántem in te.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

CLEMENTISSIME Deus, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui néminem vis períre in te credéntem, atque sperántem : secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice propítius fámulum tuum N. quem tibi vera fides, et spes christiána comméndat. Vísita eum in salutári tuo, et per Unigéniti tui passiónem et mortem, ómnium ei delictórum suórum remissiónem, et véniam cleménter indúlge : ut ejus ánima in hora éxitus sui te júdicem propitiátum invéniat, et in sánguine ejúsdem Fílii tui ab omni mácula ablúta, transíre ad vitam mereátur perpétuam. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Tum dicto ab uno ex clericis astantibus Confíteor, etc. Sacerdos dicat : Misereátur, etc. deinde :

DOMINUS noster Jesus Christus, Fílius Dei vivi, qui beáto Petro Apóstolo suo dedit potestátem ligándi, atque solvéndi : per suam pissimam misericórdiam recípiat confessiónem tuam, et restítuat tibi stolam primam, quam in baptísmate recepísti : et ego, facultáte mihi ab Apostólica Sede tribúta, indulgéntiam plenáriam, et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo, in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti.

PER sacrosánctae humánae reparatiónis mystéria, remittat tibi omnípotens Deus omnes praeséntis, et futúrae vitae poenas, Paradísi portas apériat, et ad gáudia sempitérna perdúcat. Amen.

Benedícat te omnípotens Deus, Pater, Fílius, et Spíritus sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur.

Benedictio Habitus

AC RECEPTIO CONFRATRUM B. M. V. DE MONTE CARMELO.

Propria Ordinis Carmelitarum.

Sodalitati huic nomen daturus, ipso die ad poenitentiae atque Eucharistiae Sacramenta accedat, ut plenariam Indulg. a Paulo V. concessam lucrari valeat.

Si fieri potest, Scapulare benedicendum est ad Altare Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo, duobus cereis accensis.

Sacerdos superpelliceum induat, una cum stola albi coloris.

Genuflexo qui habitum recipit, Sacerdos stans dicat:

SUSCEPIMUS, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui: secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae: justítia plena est déxtera tua. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Salvum fac servum tuum. ℟. Deus meus, sperántem in te. ℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eum. ℣. Nihil proficiat inimícus in eo. ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei. ℣. Dñe, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dñus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

SUSCIPIAT te Christus in número fidélium suórum, et nos, licet indígni, te suscípimus in oratiónibus nostris. Concédat tibi Deus per Unigénitum suum, mediatórem Dei et hóminum, tempus bene vivéndi, locum bene agéndi, constántiam bene perseverándi, et ad aetérnae vitae haereditátem felíciter perveniéndi: et sicut nos hódie fratérna cháritas spirituáliter jungit in terris, ita divína pietas, quae dilectiónis est auctrix et amátrix, nos cum fidélibus suis conjúngere dignétur in coelis. Per eúmdē Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dñi. ℟. Qui fecit coelum et terram. ℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum. ℣. Dñe, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dñus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

ÆTERNE Pater et omnípotens Deus, qui Unigénitum tuum vestem nostrae mortalitátis indúere voluísti, obsecrámus imménsam tuae largitátis bene ✠ dictiónem in hoc genus efflúere vestiménti, quod sancti Patres ad innocéntiae et humilitátis indícium, a renuntiántibus saeculo gestári sanxérunt; et sic ipsum bene ✠ dícere dignéris, ut quicúmque eo usus fúerit, indúere mereátur ipsum Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia saecula saeculórum. ℟. Amen.

Orémus.

SUPPLICITER te, Dómine, rogámus, ut super hunc hábitum servo tuo (vel ancíllae tuae) imponéndum bene ✠ dícito tua benígna descéndat: ut sit bene ✠ díctus, atque divína virtúte procul pellántur hóstium nostrórum visibílium et invisibílium tela nequíssima. ℟. Amen.

Aspergat habitum aqua benedicta, et imponendo dicat: Accipe vir devóte (vel devóta múlier) hunc hábitum benedíctum: precántes sanctíssimam Vírginem, ut ejus méritis illum pérferas sine mácula, et te ab omni adversitáte deféndat, atque ad vitam perdúcat aetérnam. ℟. Amen.

Adésto, Dñe, supplicatiónibus nostris: et hunc fámulum tuum (vel hanc ancillam tuam), quem (vel quam) Sodalitáti sanctae Religiónis Carmelitárũ sociámus, perpétua tríbue firmitáte corroborári, ut, perseveránti propósito, in omni sanctitáte tibi váleat famulári.

Prótege, Dómine, fámulum tuum (vel ancíllam tuam), subsídiis pacis et Beátae Maríae semper Vírginis patrocíniis confidéntem a cunctis hóstibus redde secúrum (vel secúram).

Bene ✠ dícat te Cónditor coeli et terrae, Deus omnípotens, qui te elígere dignátus est ad Beatíssimae Vírginis Maríae de Monte Carmélo Societátem et Confraternitátem: quam precámur, ut in hora óbitus tui cónterat caput serpéntis, qui tibi est adversárius, et tandem, tamquam victor palmam, et corónam sempitérnae haereditátis consequáris. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Si autem habitus solum sit benedicendus, incipitur a ℣. Adjutórium nostrum, usque ad orationem Supplíciter, inclusive. Deinde aspergat confratrem aqua benedicta et subjungat:

Ego auctoritáte, qua fungor, et mihi concéssa, recí-

pio te ad Confraternitátem sacrae Religiónis Carmelitárum, et invéstio, ac partícipem te fácio ómnium bonórum spirituálium ejúsdem Ordinis. In nómine Patris, et Fí ✠lii et Spíritus sancti. Amen.

His expletis, describatur Confratris nomen in codice Confraternitatis, et paucis, sed efficacioribus verbis Sacerdos eum adhortetur ad caute, pie, sancteque vivendum, ne Deiparam offendat, quam in posterum peculiari devotionis obsequio et affectu colere, ac velut singularem ac dulcissimam matrem prosequi fas erit.

Benedictio Rosariorum B.M.V.

Propria Ordinis Praedicatorum.

℣. Adjutórium nostrum, in nómine Dómini. ℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, qui propter exímiam charitátem tuam qua dilexísti nos, Fílium tuum unigénitum, Dñum nostrum Jesum Christum, de coelis in terram descéndere, et de Beatíssimae Vírginis Maríae Dñae nostrae útero sacratíssimo, Angelo nuntiánte, carnem suscípere, crucémque ac mortem subíre, et tértia die glorióse a mórtuis resúrgere voluísti, ut nos eríperes de potestáte diáboli: obsecrámus imménsam cleméntiam tuam; ut haec signa Rosárii, in honórem, et laudem ejúsdem Genitrícis Fílii tui ab Ecclésia tua fidéli dicáta bene ✠dícas, et sancti ✠fices, eísque tantam infúndas virtútem Spíritus sancti, ut quicúmque horum quódlibet secum portáverit, atque in domo sua reveránter tenúerit, et in eis ad te, secúndum hujus sanctae Societátis institúta, divína contemplándo mystéria devóte oráverit, salúbri et perseveránti devotióne abúndet, sitque consors et párticeps ómnium gratiárum, privilegiórum, et indulgentiárum, quae eidem Societáti per sanctam Sedem Apostólicam concéssa fuérunt, ab omni hoste visíbili et invisíbili semper et ubíque in hoc saeculo liberétur, et in éxitu suo ab ipsa Beatíssima Vírgine María Dei Genitríce tibi plenus bonis opéribus praesentári mereátur. Per eúmdem

Dóminum nostrum Jesum Christum, etc. ℟. Amen.

Deinde aspergánturaqua benedícta.

Benedíctio Domorum

EXTRA SABBATUM SANCTUM.

Parochus, seu alii Sacerdotes volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium alio tempore infra annum aspergere aqua benedícta, ingredientes domum dicant: **Pax huic dómui et ómnibus habitántibus in ea.**

Deinde loca aspergendo, dicant Añam **Aspérges me, Dómine, hyssópo, et mundábor: lavábis me, et super nivem dealbábor.**

Psalmus **Miserére mei, Deus, secúndum magnam misericórdiam tuam.** ℣. **Glória Patri,** etc.

Et repetitur Aña **Aspérges me,** etc.

℣. **Dómine, exáudi oratiónem meam.** ℟. **Et clamor meus ad te véniat.**

℣. **Dóminus vobíscum.** ℟. **Et cum spíritu tuo.**

Orémus.

EXAUDI nos, Dñe sancte, Pater omnípotens, aetérne Deus: et míttere dignéris sanctum Angelũ tuum de coelis, qui custódiat fóveat, prótegat, visitet, atque defréndat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dñum nostrum. ℟. **Amen.**

Deinde aspergat aqua benedícta.

BENEDICTIO AD OMNIA.

Haec benedictionis formula adhiberi potest, a quovis sacerdote, pro omnibus rebus, de quibus specialis benedíctio non habetur in Rituali Romano.

℣. **Adjutórium nostrum in nómine Dómini.** ℟. **Qui fecit coelum et terram.**

℣. **Dóminus vobíscum.** ℟. **Et cum spíritu tuo.**

Orémus.

DEUS, cujus verbo sanctificántur ómnia, benedictiónem tuam effúnde super creatúram istam (vel creatúras istas): et praesta, ut quisquis ea (vel eis) secúndum legem et voluntátem tuam cum gratiárum actióne usus fúerit, per invocatiónem sanctíssimi Nóminis tui, córporis sanitátẽ, et ánimae tutélam, te auctóre, percípiat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. **Amen.**

Deinde illam (vel illas) Sacerdos aspergit aqua benedícta.

Explicit Pars Æstiva Breviarii Romani impressa in aedibus Soc. S. Joannis Evang., Tornaci Nerviorum iii. id. Mart. m.dccc.lxxvii.

Officia nonnulla

QUAE NON REPERIUNTUR SUIS LOCIS IN FINE BREVIARII.

DIE XV. JUNII.

In festo S. Germanae Cousin, Virginis. Duplex.

Omnia de Communi Virginum. **ciii.** praeter sequentia.

Oratio.

DEUS humílium celsitúdo, qui beátam Germánam Vírginem tuam charitátis et patiéntiae decóre excéllere dispousísti : ejus méritis et intercessióne concéde, ut crucem júgiter feréntes, te semper dilígere valeámus. Per Dóminum nostrum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

GERMANA Cousin Píbraci, quod óppidum est Tolosánae diocésis, húmili loco nata, ab ipsa pene infántia grávibus aerúmnis fuit obnóxia. Cum enim manca esset, et strumis infécta, statim post óbitum matris in novércae ódium incidit, ejúsque ópera de patérna domo ejécta et custodiéndis grégibus addícta, solo pane et aqua víctitans, et super stramen aut áridos pálmites in ipsa pécudum caula somnum carpens, vitam in summa egestáte rerúmque ómnium inópia tolerávit. Haec et ália, quibus quotídie premebátur, frígoris, aestus, et ímbrium incómmoda, quin étiam domesticórum convícia et insectatiónes, forti semper ánimo, et ore ad hilaritátem compósito, non solum patientíssime tulit ; sed majóra pati excogitávit, ut confórmis fíeret imágini Filii Dei, quem únice toto cordis affécu diléxit.

℟. Propter veritátē. cxiii.

Lectio v.

SIVE enim gregem ad páscua, sive in arvis stámina e colo dúceret, mente et cogitatióne in Deum defíxa, assíduas fundébat preces, et pósitis humi génibus ante crucis signum, ardentíssimi amóris aestus

***

rerum coeléstium contemplatióne temperábat. Quotídie templum adíre, sacrifício Missae interésse, et síngulis diébus festis se divínae mensae pábulo refícere in more hábuit. Deíparam Vírginem singulári religióne cóluit, eíque frequéntia exhíbuit obséquii et pietátis offícia. Charitáte erga omnes affécta, púeros et puéllas christiánae fídei mystériis erudíre, eorúmque ánimos ad virtútem et rectam viviéndi ratiónem informáre, egéntium inópiae subvenire consuévit, detrácto étiam sibi panis frústulo, quo únice vescebátur. Castitátis vero et innocéntiae laudem tantam proméruit, ut ad mortem usque illibátam serváverit.

℟. Dilexísti justítiã. cxiii.

Lectio vi.

HANC fámulae suae occúltam sanctitátem Deus éditis e coelo signis mirabíliter declarávit. Nam et flúvium aquis exundántem, dum Pibracénse templum péteret, Germána fixo gradu saepius transívit, et panem paupéribus erogándum, ut novércam latéret, hibérno témpore in flores convértit. Virtútibus et prodígiis illustráta, ad coeléstis Agni núptias tandem inopináto éxitu emigrávit, annum agens secúndum supra vigésimum. Mortáles Vírginis exúviae, anno quadragésimo et ultra postquam e vita discésserat, incorrúptae et íntegrae, recentibúsque conspérsae flóribus repértae sunt. Huic prodígioália multa, per annos ferme ducéntos, divína virtúte ad túmulum júgiter patráta, mirácula accessérunt, quae innocéntis puéllae famam et nomen longe latéque propagárunt. Quibus permótus Pius nonus Póntifex máximus, virtútibus et miráculis rite probátis, eámdem beatárum Vírginum fastis primum adscrípsit. Subínde vero novis fulgéntem prodígiis idem Póntifex anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo ea ipsa die, qua saeculária Apostolórum príncipum solémnia agebántur, Sanctórum albo accénsuit.

℟. Afferéntur regi. cxiii.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium: Símile est regnum coelórum thesáuro, de Communi non Virginum. cxxvi.

DIE IX. JULII.

In festo
SS. Nicolai et sociorum,
MM. Gorcomiensium.
Duplex.
Omnia de Communi plurimorum Martyrum. xiv. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui sanctórum Mártyrum tuórum Nicolái et sociórum ejus gloriósum pro fide tua certámen aeternitátis láurea decorásti : concéde propítius ; ut eórum méritis et imitatióne certántes in terris, cum ipsis coronári mereámur in coelis. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SAECULUM sextumdécimum, Calviniánae pravitátis tumúltibus memorábile, insígne christiánae fortitúdinis in Bélgio tulit exémplum. Anno síquidem millésimo quingentésimo septuagésimo secúndo, novémdecim Mártyres, vulgo Gorcomiénses, in cruciátibus sustinéndis, pro asserénda reáli Córporis Christi in Eucharístia praeséntia, ac Románi Pontificis visíbilis Ecclésiae cápitis principátu, singuláriter enituérunt. Erant ii Nicoláus Pickius Guardiánus, cum áliis octo Sacerdótibus, et duóbus láicis órdinis Fratrum Minórum de observántia ; tres Párochi, unus Sacérdos saeculáris, alter Canónicus reguláris sancti Augustíni, Dominicánus unus, et bini Praemonstratenses : quos omnes, post arcis Gorcomiénsis deditiónem, foedífragi haerétici carcéribus, contuméliis, durissimísque torméntis pro suo in orthodóxam fidem exasperáto génio affecérunt; ac prima nocte in Guardiánum atrócius debacchántes, fune cinctório de superlimináris suspénsum, crebrísque attráctibus convúlsum; rupto tandem fune paviménto illísum, mortis explorándae causa, candélis ardéntibus admótis, crematáque tota fácie, et ore vi dedúcto, linguam et palátum combúrunt; quin étiam insértam náribus flammam in cérebrum submíttunt. Atque his alíisque modis indígnis Mártyres diébus nocti búsque subsequéntibus contínuo divexabántur.

℟. Sancti tui. l.

Lectio v.

DAVIGIO deínde, extráctis véstibus, bini colligáti, Dordrácum primo, Briélam póstea vehúntur ; innúmeris utrímque petulántis plebis illusiónibus, et insaniéntis militiae furóribus contúsi : dumque subsannatiónes, flagra et fustes deplúerent, stabant senes (quorum áliqui sexagésimum, áliqui septuagésimum annum excésserant, unus

nonagésimum prope attígerat) ad pectus usque nudáti collo strigóso prae mácie, tum e plagis lívido atque cruénto, et ad síngula vérbera vel pro inimícis preces, vel Deo grates, vel agónis sui commendatiónes, spectánte et insultánte multitúdine, rependébant. Inde in foedíssimum cárcerem conjécti, fame et siti, aliísque torméntis tentáti, ut a cathólica fide recéderent, póstmodum blandítiis allécti, nec minis, nec lenocíniis invíctam Mártyrum fortitúdinem flexérunt. Quare cápitis sententia, multa jam nocte a Tyránno lata, damnáti, diríssimis cruciátibus affécti, bini colligáti, extra óppidi portas adducúntur.

℟. Vérbera carnificum. l. Lectio vi.

REPERTUM tugúrium fuit illis últimi certáminis stádium. Alius ítaque álium ad constántem martyrii tolerántiam exstimulábat; quorum antesignánus Guardiánus ad supplícium raptus, fratres suos ampléxus et osculátus, ab exhortándis sóciis, verbis apostólico fervóre plenis, non déstitit; donec ei adstrictis fáucibus, vocis usum láqueus intercepísset. Post eum réliqui subsequénter in trabem agúntur. Non quiévit hic haeréticae feritátis barbáries; nam scrutátis intimis viscéribus, perquisitóque abdómine, prétio venáli exponéndo, Mártyrum córpora, náribus, áuribus, aliísque pártibus mutilárunt, quas in consummátae crudelitátis exúvias pfleis affixas, infámi ludíbrio circumtulérunt: tótaque dies expléndae adventántium curiositáti fuit data, donec quidam Cathólici impetrárunt córpora suffósae ibídem humi mandári. Ubi inter médios Ecclésiae hostes multis annis requievérunt, usque dum indústria pióram, éruta sacra eórum ossa, ad partes Catholicórum vicínas delata sunt, ubi mox miráculis claréscere coepérunt. Quibus permótus Clemens Papa décimus eos in beátis Martyribus adnumerávit. Pius vero Papa nonus tértii Kaléndas Júnii anni millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo cum saeculária Apostolórũ príncipum solémnia haberéntur, Sanctórum fastis adscrípsit.

℟. Tamquam aurum. li. In tertio Nocturno, Homilia sancti Gregorii Papae in Evangel. Cum audiéritis praelia, de Comm. plurim. Martyrum primo loco. liii.

Imprimatur
Tornaci, 21 Januarii, 1877.
✠ Edmundus Jos Epũs. Tornacen.

DIE V. JULII.

SS. CYRILLI ET METHODII

PONTIFICUM ET CONFESSORUM. DUPLEX.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, praeter sequentia.

Capitulum. *Eccli.* xliv. c

ECCE sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et inventus est justus : et in témpore iracúndiae factus est reconciliátio.

AD VESPERAS.

Hymnus.

SEDIBUS coeli nítidis recéptos
Dícite athlétas géminos, fidéles;
Slávicae duplex cólumen, decúsque
Dícite gentis.
Hos amor fratres sociávit unus,
Unaque abdúxit piétas erémo,
Ferre quo multis célerent beátae
Pignora vitae.
Luce, quae templis súperis renidet,
Búlgaros complent, Móravos, Bohémos;
Mox feras turmas numerósa Petro
Agmina ducunt.
Débitam cincti méritis corónam
Pérgite o flecti lácrymis precántum;
Prisca vos Slavis opus est datóres
Dona tuéri.
Quaeque vos clamat generósa tellus
Servet aetérnae fídei nitórem;
Quae dedit princeps, dabit ipsa semper
Roma salútem.
Gentis humánae Sator et Redémptor,
Qui bonus nobis bona cuncta praebes,
Sint tibi grates, tibi sit per omne
Glória saeclum. Amen.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent.

Ad Magnificat, Ánt. O quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona, dicéntium Sion : Regnábit Deus tuus.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui Slavóniae gentes per beátos Confessóres tuos atque Pontífices Cyrillum et Methódium ad agnitiónem tui nóminis venire tribuísti : praesta, ut quorum festivitáte gloriámur, eórum consórtio copulémur. Per Dóminum.

Commemoratio Octavae SS. Apostolorum.

AD MATUTINUM.

Hymnus. Sedibus coeli. *uti supra.*

Lectiones i. Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio iv.

(Ex Litteris Encyclicis Leonis PP. XIII.)

CYRILLUS et Methódius fratres germáni, Thessalonícae amplíssimo loco nati, Constantinópolim matúre concessérunt ut in ipsa urbe Oriéntis príncipe humanitátis artes addíscerent. Utérque plúrimum brevi profecérunt; sed máxime Cyríllus, qui tantam scientiárum laudem adéptus est, ut singuláris honóris causa philósophus appellarétur. Deínde monáchum ágere Methódius coepit; Cyríllus autem dignus est hábitus, cui Theodóra imperátrix, auctóre Ignátio Patriárcha, negótium daret erudiéndi ad fidem christiánam Cházaros trans Chersonésum incoléntes; quos praecéptis suis edóctos et Dei númine instínctos, multíplici superstitióne deléta, ad Jesum Christum adjúnxit. Recénti Christianórum communitáte óptime constitúta, Constantinópolim rédiit álacer, atque in monastérium Polychrónis, quo se jam Methódius recéperat, Cyríllus ipse secéssit. Interim cum res trans Chersonésum próspere gestas ad Rastiláum Moráviae príncipem fama detulísset, is de áliquot operáriis evangélicis Constantinópoli arcesséndis cum imperatóre Michaéle tértio egit. Igitur Cyríllus et Methódius illi expeditióni destináti, et in Moráviam célebri laetítia excépti, ánimos christiánis institutiónibus tanta vi, tamque operósa indústria excoléndos aggrediúntur, ut non longo intervállo ea gens nomen Jesu Christo libentíssime déderit. Ad eam rem non parum sciéntia váluit dictiónis Slavónicae, quam Cyríllus ante percéperat, multúmque potuérunt sacrae utriúsque Testaménti Lítterae, quas próprio pópuli sermóne reddíderat : nam Cyríllus et Methódius príncipes inveniéndi fuérunt ipsas lítteras, quibus est sermo ipsórum Slavórum signátus et expréssus, eáque de causa ejúsdem sermónis auctóres non immérito habéntur.

℟. Invéni David.

Lectio v.

UM rerum gestárum glóriam secúndus rumor Romam nuntiásset, sanctus Nicoláus drimus Póntifex máximus

fratres óptimos Romam conténdere jussit. Illi Románum iter ingréssi, relíquias sancti Cleméntis primi Pontíficis máximi, quas Cyríllus Chersónae repérerat, secum ádvehunt. Quo núntio, Adriánus secúndus, qui Nicoláo demórtuo fúerat suffféctus, clero populóque comitánte, óbviam eis magna cum honóris significatióne progréditur. Deínde Cyríllus et Methódius de múnere apostólico in quo essent sancte laborioséque versáti ad Pontíficem máximum, assidénte clero, réferunt; cum autem eo nómine ab ínvidis accusaréntur, quod sermónem Slavónicum in perfunctióne múnerum sacrórum usurpavíssent, causam dixére ratiónibus tam certis tamque illústribus, ut Póntifex et clerus et laudárint hómines et probárint. Tum ambo juráti se in fide beáti Petri et Pontíficum Romanórum permansúros, Epíscopi ab Adriáno consecráti sunt. Sed erat provísum divínitus, ut Cyríllus vitae cursum Romae cónderet, virtúte magis quam aetáte matúrus. Itaque defúncti corpus elátum fúnere públicо, in ipso sepúlchro quod sibi Adriánus extrúxerat, compósitum fuit; tum ad sancti Cleméntis dedúctum, et hujus prope cíneres cónditum. Cumque veherétur per urbem inter festos psalmórum cantus, non tam fúneris quam triúmphi pompa, visus est pópulus Románus libaménta honórum coelestium viro sanctíssimo detulísse. Methódius vero in Moráviam regréssus, ibíque factus forma gregis ex ánimo, rei cathólicae inservíre majóre in dies stúdio ínstitit. Quin étiam Pannónios, Búlgaros, Dálmatas in fide christiáni nóminis confirmávit; in Carínthiis autem ad unius veri Dei cultum traducéndis plúrimum elaborávit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

EPUD Joánnem octávum, qui Adriáno succésserat, íterum de suspécta fide violatóque more majórum accusátus, ac Romam veníre jussus, coram Joánne, et Epíscopis áliquot cleróque urbáno, fácile vicit cathólicam prorsus fidem et se retinuísse constánter, et caeteros diligénter edocuísse; quod vero ad linguam Slavónicam in sacris peragéndis usurpátam, se certis de causis ex vénia Adriáni Pontíficis, nec sacris Litteris repugnántibus, jure fecísse. Quapróptter in re praesénti compléxus Methódium Póntifex, potestátem ejus archiepiscopálem, expeditionémque Slavónicam, da-

tis étiam lítteris, ratam esse jussit. Quare Methódius in Moráviam revérsus assignátum sibi munus explére vigilántius perseverávit, pro quo et exílium libénter passus est. Bohemórum príncipem ejúsque uxórem ad fidem perdúxit, et in ea gente christiánum nomen longe latéque vulgávit. Evangélii lumen in Polóniam invéxit, et, ut nonnúlli scriptóres tradunt, sede episcopáli Leópoli fundáta, in Moscóviam próprii nóminis digréssus, thronum pontificálem Kiowénsem constítuit. Demum in Moráviam revérsus est ad suos; jamque sese ábripi ad humánum éxitum séntiens, ípsemet sibi successórem designávit, clerúmque et pópulum suprémis praecéptis ad virtútem cohortátus, ea vita, quae sibi via in coelum fuit, placidíssime defúnctus est. Uti Cyríllum Roma, sic Methódium Morávia decedéntem summo honóre prosequúta est. Illórum vero festum, quod apud Slavóniae pópulos jámdiu celebrári consuéverat, Leo decimustértius Póntifex máximus cum Offício ac Missa própria in univérsa Ecclésia quotánnis agi praecépit.

℟. Iste est qui.

In iii. Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Designávit Dóminus. *de Communi Evangelistarum cum* ℟℟. *de Communi Confessoris Pontificis.*

AD LAUDES.

Hymnus.

UX o decóra pátriae,
Slavísque amíca géntibus,
Salvéte, fratres; ánnuo
Vos efferémus cántico.

Quos Roma plaudens éxcipit,
Compléxa mater fílios,
Auget coróna Praesulum,
Novóque firmat róbore.

Terras ad usque bárbaras
Inférre Christum pérgitis;
Quot vanus error lúserat,
Almo replétis lúmine.

Noxis solúta péctora
Ardor supérnus ábripit;
Mutátur horror véprium
In sanctitátis flósculos.

Et nunc seréna Coelitum
Locáti in aula, súpplici
Adéste voto; Slávicas
Serváte gentes Númini.

Erróre mersos únicum
Ovíle Christi cóngreget;
Factis avítis aemula
Fides virésca púlchrior.

Tu nos, beáta Trínitas,
Coelésti amóre cóncita,
Patrúmque natos ínclyta
Da pérsequi vestígia.

Amen.

℣. Sapiéntiam sanctórum narrent pópuli. ℟. Et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Ad Benedictus, Ant. In sanctitáte et justítia serviérunt Dómino ómnibus diébus suis : ídeo stolam glóriae índuit illos Dóminus Deus Israel.

IN II. VESPERIS.

Fit a Capitulo de die Octava SS. Apostolorum cum Commemoratione praecedentis.

¶ *Si dicendae sint integrae, Hymnus et V. ut in primis Vesperis.*

Ad Magnificat, Ant. Isti sunt viri sancti, facti amici Dei, divinae veritátis praecónio gloriósi : linguae eórum claves coeli factae sunt.

¶ *Officia S. Annae Matris, nec non S. Joachim Patris B. M. V. duplicia sunt secundae classis.*

ELOGIUM

IN MARTYROLOGIO ROMANO INSCRIBENDUM.

Septimo Idus Martii.

Romae et in Moravia sanctórum Episcopórum Cyrilli et Methódii, qui Slavóniae gentes, earúmque reges ad Christi fidem perduxérunt : ipsórum vero festivitátem tértio Nonas Júlii Leo Papa decimustértius recoléndam mandávit.

Tertio Nonas Julii.

Sanctórum Episcopórum Cyrilli et Methódii, de quibus séptimo Idus Mártii.

URBIS ET ORBIS.

SACRORUM Antistites complures, oecumenici Concilii causa anno MDCCCLXX Romam convenientes, magnopere sibi in votis esse pandiderunt, ut ab Apostolica Sede honor et cultus, per Officii et Missae annuam celebrationem, in toto Catholico Orbe Sanctis quibusdam Coelitibus decerneretur, qui eo praecipue veluti splendidiora sidera in perpetuas fulgent aeternitates, quod Apostolorum gesta prosequuti, Ecclesiae divino aedificio inter diversas gentes ac nationes extruendo fimandoque impensius adlaborarunt. Postulatum Summo Pontifici, gloriosae memoriae, Pio IX arrisit, qui ideirco in peculiari Sacrorum Rituum Congregatione de eo agi voluit, die XXVIII mensis Maii anno MDCCCLXXIV habita. De uno tamen sancto Episcopo et Martyre Bonifacio, Germanorum inclyto Apostolo, tunc decretum prodiit prorsus favorabile, pro quo, ob irrumpentes per illas Ecclesias post hominum memoriam saevissimas calamitates, urgentiora aderant momenta. De aliis, inter quos praeclari Slavorum gentis Apostoli Cyrillus et Methodius, rem differre placuit.

Decretum.

His autem resumptis, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII die nuper praeterlapsa XXX Septembris memorandas desuper edidit Encyclicas Litteras *Grande munus*, quibus ex mutato hodie per illas regiones reipublicae statu, peropportuna arrepta occasione latius juvandi dilectos Slavoniae populos Sanctissimorum Magistrorum patrocinio, ut sint eos in praesentiarum potenter defensuri, sicut olim disseminata fide catholica ab interitu ad salutem revocarunt; praecepit, *ut vato die quinto mensis Julii*, quem f. r. Pius IX pro quibusdam locis constituit, *in Kalendarium Romanae atque universalis Ecclesiae inseratur, agaturque quotannis festum sanctorum Cyrilli et Methodii cum ritus duplicis minoris Officio et Missa propria, quae Sacrum Concilium legitimis ritibus cognoscendis approbavit.*

Porro, cum in peculiari Officio jamdiu aliquibus dioecesibus concesso, pro extensione ad Ecclesiam universam quaedam immutare opus esset, satius visum fuit novum Officii et Missae schema conficere, cum nonnullis additamentis Romano Martyrologio apponendis. Quod reapse, de speciali Apostolica facultate, concinnatum, et, prouti in superiori exemplari prostat, per Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Cardinalem S. R. Congregationi Praefectum, una cum R. P. D. Sanctae Fidei Promotore, et Rmo Sacrae Congregationis Assessore, diligenter revisum, ab eodem Cardinali, subsignata die, Sanctissimo Domino fuit exhibitum. Sanctitas vero Sua illud in omnibus adprobare dignata est, mandavitque ab utroque Clero, ad tramites praelaudatae Encyclicae Epistolae, in persolvendis divinis officiis ubique recitari. Benigne insuper concessit, ut eae Slavoniae Dioeceses quae jam inde ab anno MDCCCLXIII ex indulto Pii Papae IX sa. me. peculiare SS. Cyrilli et Methodii Officium cum Missa persolvere consueverunt, illud retinere pergant, exceptis tribus Lectionibus secundi nocturni, quibus hae per praesens Decretum praescriptae substituendae erunt, et excepta additione ad Martyrologium; factaque iisdem Dioecesibus potestate assumendi, si libuerit, hymnos, ut supra, noviter approbatos. Servatis ceterum rubricis, et contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 25 Octobris 1880.

D. Card. BARTOLINIUS S. R. C. Praefectus.

Pro R. P. D. Placido Ralli Secretario
Joannes Can. Ponzi Substitutus.

Imprimatur. Tornaci, die 17 *Decembris* 1880.

E. T. Bélin *Vic. Gen.*

Typis Soc. S. Joannis Ev. Desclée, Lefebvre et Soc. — 1880

OFFICIA PROPRIA

SANCTORUM

ECCLESIÆ CATHEDRALIS, CIVITATIS ET DIŒCESIS

RURÆMUNDENSIS,

A SACRA RITUUM CONGREGATIONE APPROBATA, ET EDITA JUSSU

ILLmi ET Rmi DOMINI JOANNIS AUGUSTINI,
EPISCOPI RURÆMUNDENSIS, ETC.

PARS ÆSTIVA.

RURÆMUNDÆ,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA DIŒCESIS RURÆMUNDENSIS
APUD VIDUAM A. WELSCH.

MDCCCLXXVI.

APPROBATIO.

Per præsentes Archidiœcesis Mechliniensis typographo H. Dessain Officiorum Proprium, Nobis a SS. Domino nostro Pio IX, Decreto S. R. C. 5 Septembris 1867 benigne concessum, reimprimendi ad normas beneplacitas atque evulgandi licentiam, in quantum opus est, libenter concedimus, modo debita Ordinarii loci adprobatio accesserit.

Ruræmundæ, hac 12 mensis Octobris 1875.

(L. ✠ S.) ✠ I. A. PAREDIS, Episc. Ruræmund.

Hæc Officia propria Diœcesis Ruræmundensis, quum omnino cum Originalibus a S. R. C. revisis et approbatis concordent, imprimi possunt.

Mechliniæ, 15 Novembris 1875.

VICTOR AUGUSTUS CARD. DECHAMPS,
Arch. Mechlin.

KALENDARIUM.

MAIUS.

7. S. Domitiani episc. et conf. duplex.
11. S. Stanislai episc. et mart. duplex. (Dies assignata ex 9 hujus.)
13. S. Servatii episc. et conf. duplex.
14. S. Wironis episc. et conf. dupl. (Dies fixa ex 8 hujus.)
15. S. Aufridi episc. et conf. semid. (Dies fixa ex 8 hujus.)
16. S. Joannis Nepomuceni mart. duplex.
21. S. Ubaldi episc. et conf. semid. (Dies fixa ex 16 hujus.)
24. B. M. V. titulo Auxilium Christianorum, dupl. majus.
30. S. Ferdinandi conf. duplex. **Com. S. Felicis papæ et mart.**

FESTA MOBILIA.

Feria iij. post Festum SS. Trinitatis. **Inventionis et Elevationis Ossium SS. Wironis, Plechelmi et Otgeri,** duplex ij. classis.

Dom. j. post Oct. Corp. Christi non impedita Festo paris ritus. **Omnium SS. Pontificum Mosæ-Trajectensium.** duplex ij. classis.

JUNIUS.

2. SS. Marcellini et Petri mart. duplex. **Com. S. Erasmi episc. et mart.**
7. Translatio S. Servatii ep. et conf. duplex.
8. SS. Valentini et Candidi episc. et conf. duplex. (Dies fixa ex 7 hujus.)
21. S. Martini episc. et conf. duplex.
22. S. Aloysii Gonzagæ conf. dupl. (Dies fixa ex heri.) **Com. S. Paulini episc. et conf. et SS. Galeni et Valeni mart.**
20. SS. Petri et Pauli Apost. duplex i. cl. cum Oct. **Com. omnium SS. Apostolorum.**

JULIUS.

3. S. Rumoldi episc. et mart. semid. (Dies fixa ex 1. hujus.) **Com. Oct.**
4. Divisio SS. Apostolorum, duplex.
9. SS. Martyrum Gorcomiensium, duplex.
15. S. Plechelmi episc. et conf. duplex.
SS. Monulphi et Gondulphi, episc. et conf. duplex.

(Dies fixa ex 16 hujus.) **Com. S. Praxedis, virg.** Trajecti vero in ecclesia **S. Servatii, die 16** duplex 2. cl. cum Oct.

24. **S. Henrici Imper. conf.** duplex. (Dies fixa ex 13 hujus.) **Com. Vig. et S. Christinæ virg. et mart.**

25. In Civitate Ruræmundensi, **S. Christophori mart. Patroni præcipui Civitatis,** duplex 1 cl. cum Octava. (In Diœcesi die 27 sub ritu semid.)

27. In Civitate Ruræmundensi, **S. Jacobi Apost.** duplex 2 cl. (Dies fixa ex 25 hujus.) **Com. S. Pantaleonis mart.**

AUGUSTUS.

4. In Civitate Ruræmundensi. **Dies octava S. Christophori mart.** duplex. **Com. SS. Machabæorum mart.**

9. In Civitate Ruræm. **S. Petri ad Vincula,** duplex majus. (Dies fixa ex 1 hujus.) **Com. Vig. et S. Romani mart.**

11. **Translatio SS. Monulphi et Gondulphi** episc. et conf. semid. (Dies fixa ex 10 hujus.) **Com. Oct. S. Laurentii mart. et SS. Tiburtii et Susannæ mart.**

16. **S. Rochi conf.** duplex. **Com. Oct. Assumpt. B. M. V. et S. Laurentii mart.**

18. **S. Hyacinthi conf.** duplex. (Dies fixa ex 16 hujus.) **com. Oct. Assumpt. et S. Agapiti mart.**

25. **S. Gregorii episc. et conf.** duplex

26. **S. Ludovici conf.** semid. (Dies fixa ex heri.) **Com. S. Zephyrini papæ et mart.**

SEPTEMBER.

3. **S. Remacli episc. et conf.** semid.

OFFICIA VOTIVA.

Qualibet Feria V intra annum, non impedita Officio IX Lectionum etiam translato, extra tamen Adv., Quadrag., Ferias, Vigilias, Octavasque privilegiatas, Officium votivum SS. Sacramenti, sub ritu duplici.

Quolibet Sabbato, ut supra non impedito, et sub ritu duplici minori, Officium votivum Immaculatæ Conceptionis Deiparæ, die 23 Septembris anno 1863 approbatum.

OFFICIA PROPRIA SANCTORUM

ECCLESIÆ CATHEDRALIS, CIVITATIS ET DIŒCESIS

RURÆMUNDENSIS.

PARS ÆSTIVA.

FESTA MAJI.

DIE VII. MAJI.

In Festo S. Domitiani, Episc. et Conf. Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui hodiérna die beátum Domitiánum, Confessórem tuum atque Pontificem, virtútum splendóribus decorátum, Sanctórum tuórum méritis coæquásti : præsta, quæsumus ; ut apud te sit pro nobis perpétuus suffragátor, qui tui nóminis éxtitit egrégius prædicátor. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno Lectio iv.

Ex vita apud Bolland. et Actis Concil.

DOMITIANUS, præcláris paréntibus in Gállia ortus, venerábili Euchário, ecclésiæ Trajecténsis episcopo, jam sciéntia, virtúte et sanctitáte celebérrimus, in eádem sede Cléri, populi ac príncipum electióne, subrogátus est episcopus. Præsul factus, pópulum sibi créditum máxima sollicitúdine gubernábat, prædicatiónibus, eleemósynis étiam et ecclesiárum ædificatióni insisténdo, ac paganos, quorum cópia adhuc in ejus diœcési áderat, converténdo. Tanta autem virtúte ac miraculórum glória simul

et admirábili doctrína resplénduit, ut non invenirétur ei símilis in ómnibus Gálliæ provínciis. Quodam vero témpore, cum válida fame univérsa provincia fuísset oppréssa, et páuperum pópulus nímia attenuarétur indigéntia, vidéns sanctus Episcopus, ex nímia áeris siccitáte quasi nullam esse spem incolis de messe futúra, dívites, qui timóre sterilitátis ab eleemosynárum largitióne cessáverant, mónuit, ut respéctu divíni amóris, páuperes Christi reficerent ex sua annóna, promíttens ómnibus in messe sequénti frugum abundántiam. Dóminus autem ad preces servi sui de cœlo dans benignitátem, áridam provínciam pluviárum aquis lárgius irrigávit, et incolis abundántem messem largítus est.

℟. Invéni David.

Lectio v.

INTERFUIT Domitiánus Concílio Arvérnis in Gállia, sub Theodebérto Austrásiæ rege, anno quingentésimo trigésimo quinto celebráto, cui subscripsit his verbis : Domitiánus in Christi nómine episcopus ecclésiæ Tungrórum, quod est Trajéctum, subscripsi. Intérfuit étiam, ad annum quingentésimum quadragésimum nonum, Concílio Aurelianénsi quinto, in quo a coepíscopis univérsis ad certándum cum hæréticis eléctus, hos sacræ Scriptúræ testimóniis convícit et confúdit. Multa ecclésiæ suæ bona, ex Tungrórum devastatióne depérdita aut dirépta, recuperávit. Plures ecclésias consecrávit et vária xenodóchia éxstrui curávit. In óppidum étiam Huénse, cui nunc Patrónus est, máxima sunt illíus mérita : ubi, ab incolis invitátus, fontem venéno infectum, divína virtúte ita purgávit, ut idem divérsis languóribus exinde remédio sit, et sancti Domitiáni fons appellétur.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

TANDEM revelàta est sancto Præsuli próxima córporis sui resolútiô, qui Sanctórum per circúitum visitans límina, ad tumbam beáti Servátii pervénit, ubi convocátis ecclésiæ suæ cléricis cæterísque fidélibus sermónem fáciens, pacémque et communiónem tribuens, omnes ut pro eo Deum deprecaréntur admónuit, et rémanens in ecclésia rogávit Dóminum, ut ante suum éxitum dignarétur eum sua dulcédine consolári. Facta oratióne lux imménsa super eum resplénduit, qua tota basílica refúlsit; in qua luce vir sanctus vidit Dóminum Jesum Christum, in médio Angelórum consisténtem, vocántem eum ad se atque dicéntem: Euge serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: intra in gáudium Dómini tui. Hac visióne conso'átus Præsul, Nonis Maji, intra religiosórum sacerdótum manus, ad cœlos migrávit. Trajécto Hóium delátus, in æde Maríæ Vírgini sacra, in qua vivens frequens fúerat, tumulátus est. Tantis vero cláruit miráculis, ut sacrum ejus corpus, suavíssimo odóre fragrans, tértio ab óbitu sæculo, Imperatóre Cárolo Magno instánte, solémniter e terra evéctum fúerit, quod et in hoc usque tempus in eádem ecclésia magna pópuli veneratióne cólitur.

℟. Iste est qui ante.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Homo péregre, de Comm. Conf. Pont.

DIE XIII. MAJI.

In Festo S. Servatii, Epísc. et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter seq.

Ad Vesperas Ant. et Capit. de Laudibus. Psalmi de Dominica, et loco ultimi, Ps. L. audáte Dóminum, omnes gentes.

Hymnus.

AUDI precántis ágminis Voces ob actus crimínis,

Serváti, sancte Póntifex,
Nam dulcis atque mitis es.
Tu scis quid ante géssimus,
Tu nunc audi quæ póscimus :
Arce sagíttas dæmonum,
Confer medélam vúlnerum.
Vim, quam tenes in nómine,
Imple poténti númine :
Serva gregálem cópiam,
Præstans salútis grátiam.
Servándo jam qui múniceps
Cœléstis aulæ factus es,
Et nos, fidéles vérnulas,
Servándo nunquam déseras.
Sic Te, per illum, quæsumus,
A quo redémpti vívimus,
Quem laus et omnis glória
Per cuncta decet sæcula.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Pater Serváti ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat, Ana.

O Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex! o lampas charitátis, et defénsor veritátis, Serváti! gregem tuum dirige, et intercéde pro nobis ad Dóminum.

Oratio.

DEUS, qui pópulo tuo sanctum dedísti Servátium Evangélicæ veritátis prædicatórem : concéde quæsumus; ut tanti Pontíficis intercessióne, et tuæ pietátis defensióne, ab ómnibus liberémur advérsis, et tranquílla mente in tua semper laude lætémur. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Hymnus ut in j. Vesperis.

In j. Nocturno Lectiones. Fidélis sermo, de Comm. j. loco.

℟. j. Servátius, exímiæ sanctitátis, vigíliis ac jejúniis vacans, crebro lacrymárum imbre perfúsus, * Dómini misericórdiam deprecabátur pro pópuli et urbis liberatióne. ℣. Dómine Jesu Christe, Deus de Deo, ne unquam gentem hanc incrédulam fidéles tuos invádere permíttas. Dómini. ℟. ij. O beáte Serváti, qui Christum imitans, et

pro óvibus ejus teípsum quotídie * Jejúniis et oratiónibus mactábas. ℣. Namque Romam pergens, límina Apostolórum petísti, ibíque teípsum quotídie. Jejúniis.

℟. iij. Vir pretiósus et Deo dignus Servátius, Trajecténsis ecclésiæ Póntifex, * Mérito præclpuis cunctórum láudibus fidélium honorátur. ℣. Nam, quia ipse a Dómino et a sanctis Angelis ejus in ómnibus honorátus esse cognóscitur. Mérito. Glória Patri. Mérito.

In secundo Nocturno.
Lectio iv.

Ex S. Athanasio, Sulpitio Severo, S. Greg. Turon., Actis Concil. et Actis apud Bolland.

SANCTUS Servátius, ex generósa magnórum virórum stirpe éditus, ecclésiæ Tungrénsis, divína dispositióne, constitútus est epíscopus; qui non solum suæ isti provínciæ, sed toti étiam Christiáno orbi, Ariána hæresi exagitáto, sanctitáte, doctrína, et fidei sinceritáte mire illúxit. Interfuit universáli Concílio Sardicénsi, ubi fides Nicænæ Synodi confirmáta est; et in Concílio Agrippíno, ubi plúrimi Galliárum epíscopi convénerant, advérsus Euphrátem, pseudoepíscopum, senténtiam prótulit, multum eo témpore inter Gálliæ epíscopos laudátus.

℟. Has oves, Dómine Deus, quas redemísti et mihi in manus credidísti, et me et oves meas * Hódie in manus tuas reddo eas, et déprecor te, alte Judex Deus, custódi eas ab incúrsu inimicórum in perpétuum. ℣. Ne eas, Dómine, lupus rápiat et dispérgat, sed tu, Pastor bone, cóngrega eas. Hódie.

Lectio v.

SERVATIUS a Magnéntio qui, enecáto Constánte Augusto, Impérium occidentále arrípuerat, mittitur cum sancto Maximíno, Trevirénsi epíscopo, ad Constántium Oriénti imperántem, legátus. Alexandríam, Ægypti urbem, appúlsi, ambo a sancto

putas, est fidélis dispensátor et prudens, quem constítuit Dóminus supra famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram? Beátus ille servus, quem, cum vénerit Dóminus, invénerit ita faciéntem. Quis est iste Dóminus, fratres? Christus sine dúbio qui suis discípulis ait: Vos vocátis me Magíster et Dómine, et bene dícitis, sum étenim.

℟. Habémus in isto Christi sacerdóte máxima bona, quæ imitémur. * Iste enim, quod ad régulam nostræ religiónis pértinet, primum fecit, póstea dócuit. ℣. Ideóque accéptum ab ipso tam necessárium exémplum flagránti stúdio nos sequi opórtet. Iste. Glória Patri. Iste.

Lectio ix.

QUÆ est étiam hujus Dómini família? Nimírum illa est, quam ipse Dóminus de manu inimíci redémit, et suo domínio mancipávit. Hæc autem família sancta est Ecclésia Cathólica, quæ per orbem terræ copiósa fertilitáte diffúnditur, et redémptam se pretióso sui Dómini sánguine gloriátur. Fílius enim hóminis, sicut ipse ait, venit non ministrári, sed minístrare, et dare ánimam suam redemptiónem pro multis. Ipse est étiam Pastor bonus, qui ánimam suam pósuit pro óvibus suis. Grex ergo boni Pastóris ipsa est família Redemptóris.

℟. Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

et per Horas, Ant.

1. Ne derelínquas nos, * Pater sancte, ne oblivíscaris nostri, Pastor bone.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis de Dnica.

2. Servátius servávit fidem, * servávit plebem Dómini: servándo et orándo méruit quod crédidit.

3. Tu Dómine Jesu Christe, * Pastor bone, qui ánimam tuam posuísti pro óvibus tuis, éripe me et oves meas ab ore leónis, propter nomen tuum.

℣. Quid ergo * erit de nobis, Pater sancte, qui

sine te vívere non póssumus, sed in péssima morte tradéndi sumus? Te obsecrámus, ut memor sis nostri in conspéctu Dómini in perpétuum. ℣. Páuperes ac débiles, * senes vel cunctus pópulus, super muros stantes ac lugéntes, post beatum Servátium clamábant: cur nos, Pater, destitútos vel órphanos relínquis?

Capitulum. 1. *Mach.* 2.

VIR iste in tentatióne invéntus est fidélis. In témpore angústiæ suæ custodívit mandátum. Accépit testaméntum sacerdótii ætérni. Consecútus est sedem regni in sæcula.

Hymnus de Communi Conf. Pont.

℣. Ora pro nobis, beáte Pater Servàti. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Benedictus, Ánt.

Itaque inter illa felicíssima supernórum cívium ágmina, jure nunc ómnium Sanctórum contubérniis frúitur, quorum vestígia secútus fuísse probátur.

Oratio.

DEUS, qui pópulo tuo sanctum dedísti Servátium Evangélicæ veritátis prædicatórem: concéde quæsumus; ut tanti Pontíficis intercessióne, et tuæ pietátis defensióne, ab ómnibus liberémur advérsis, et tranquílla mente in tua semper laude lætémur. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Ánt.

Servátius servávit fidem.

Capit. Vir iste, ut ad Laudes.

Ad Sextam, Ánt.

Tu Dómine Jesu Christe.

Capitulum. *Eccli.* 24.

IN ecclésiis Altíssimi apériet os suum, et in conspéctu virtútis illíus gloriábitur, et in médio pópuli sui exaltábitur, et in plenitúdine sancta admirábitur, et in multitúdine electórum habébit laudem, et inter benedictos benedicétur.

Ad Nonam, Ánt.

Páuperes ac débiles.

Capitulum. *Sap.* 10.

JUSTUM Dóminus a perecúntibus ímpiis libe-

ràvit, et edúxit illum a delicto suo. Et dedit illi virtútem continéndi ómnia, et conservávit sine queréla, et in fílii misericórdia fortem custodívit.

Ad Vesperas Añæ de Laudibus, Psalmi de Dñica, et loco ultimi, Ps. Meménto, Dómine, David.

Capitulum, Hymnus et ℣. ut in j. Vesperis.

Ad Magníficat, Añа. Inclyte Serváti, sicut modo cérnere Christum es méritus, sic, rogámus ut post vitam tuos servos eum cérnere perficias.

DIE XIV. MAJI.

In Festo S. Wironis, Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Ad Vesperas, si dicantur integræ, Añæ de Laudibus, Psalmi de Dñica, et loco ultimi, Ps. Laudáte Dóminum, omnes gentes.

Hymnus.

WIRONIS plebs Præsulis Inclyti,
Plechélmi, páriliS quem decorat gradus,
Otgerique fides nos sacra cómmonent
Laudum prómere cántica.
Qui tres, propítii præsídio Dei,
Divérsis Britonum progéniti locis,
Quæ mundus célebrat despíciunt bona
Ut cœlum sibi cómparent.
Invítos Scótia hos déstinat ínfulis :
Sacram confúgiunt ad Cáthedram Petri,
Sed, Papæ império, tandem hierárchicis
Sublimántur honóribus.
Otgéro cómite hinc nóbile Gálliæ
Regnum, vivífica cum Cruce, pérmeant;
Gentilem fídei lúmine Géldriam
Pipíno irrádiant Duce.
Tanquam tres óleæ fructíferæ nimis,
Tanquam mixta rosis cándida lília,
Virtútum váriis semper odóribus
Mentes Geldrígenum replent.

Ætérnæ Tríadi sit decus ac honor,
Gignénti, Génito, Spirítui Sacro :
Sint grati tribus his semper Apóstolis
Ruræ flúminis áccolæ. Amen.

Ad Magníficat, Ánt.

O Rex altíssime, in Sanctis tuis vere mirábilis, qui sanctos Wirónem, Plechélmum et Otgérum, post sanctæ peregrinatiónis cursum, ad montem cœléstibus stúdiis aptum, fidei duces nobis destinásti, veram afferéntes pacem et illuminántes pátriam : eórum, quæsumus, précibus adjuvémur in cœlis, quorum reliquias pio amóre venerámur in terris.

Oratio.

DEUS, qui ætérnum glóriæ pondus, pro lévibus ac momentáneis labóribus, fidélibus tuis repéndis : concéde nobis; ut qui beáti Wirónis, Confessóris tui atque Pontificis, natalítia celebrámus, ejus interveniéntibus méritis, per temporális vitæ hujus certámina, ad sempitérnæ vitæ præmia pervenire mereámur. Per Dóminum.

Ad Matutínum Hymnus ut in j. Vesperis.

In j. Nocturno Lectiones laudémus viros gloriósos, de Communi ij. loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex vita per anonymum, apud Bolland.

WIRO non ínfimæ conditiónis parentibus in Scótia natus, discéndis litteris ac pietátis stúdiis inténtus, virtútum incrementis déditus, terréna pro nihilo ducens, Christíque amóre accénsus, ad cœléstia totis víribus anhelábat. In virtútis itínere invíctus progrédiens, nec frangebátur advérsis, nec secúndis efferebátur. Vigíliis non fatigabátur, jejúniis lætabátur; et propósitis sibi sanctórum Patrítii, Cuthbérti et Colúmbæ piis vestígiis, quasi cœléstem vitam in terris agébat.

℟. Invéni David.

Lectio v.

UNDE et peregrinándi amóre incénsus, sacra Apostolórum límina précibus, vigíliis et lácrymis desiderábat salutáre: sed morte sui epíscopi impedítus súbstitit, atque a pópulo in successórem fuit eléctus; cujus votis cum resístere non posset, Romam ádiit, presbytero Plechélmo una cum Otgéro diácono comitátus, ibíque a Románo Pontífice consecrátur: et ad suos revérsus, pastorále officium admiránda vitæ sanctimónia et religiónis pietáte, per áliquod tempus, illic exércuit. Sed ad prædicándum Gallis Bélgicis Evangélium Christi amóre incitátus, ad Pipínum Francórum ducem cum suis illis sóciis pervénit. Qui cógnita beáti Wirónis sanctimónia, eum inter suos primum recépit, ac locum a mundi strépitu in sylvis remótum ad Ruram flúvium tríbuit, ut cœléstium contemplatióni libérius vacáret; qui mons sancti Petri vocabátur, nunc sanctæ Odíliæ dícitur, in quo et oratórium Dei Genitrici et Vírgini Maríæ erat ædificátum.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

QUO in loco admirándum se ómnibus veræ pietátis spéculum exhíbuit. Christus illi in corde, Christus illi in ore; nec áliud præter Christum díligens, quotídie se illi in ara cordis ante altáris sacrifícium maclábat. Animum ab oratióne haud relaxans, et vigíliis, précibus, jejúniis se máceraus, fortis advérsus vítia fuit ne illis succúmberet, fácilis ad véniam si quis in ea prolápsus pœniténtiam gestu aut verbis testarétur; sibi parcus, áliis largus et benígnus, ubique humilitátis et charitátis de se præbens exémpla, pópulo tum doctrína tum vita prælúxit. Unde et dux Pipínus, detráctis sibi cálceis, ut sua peccáta confiterétur, quotánnis ipsum solébat adíre,

suisque adhibére consíliis secretióribus. Tandem vero multis fractus labóribus, a Dómino miles emérítus in regnum cœléste, módica febre corréptus, evocátur octávo Idus Maji. Cujus venerándum corpus in prædicto oratório honorifice sepúltum, plúrimis miráculis illústre fuit.

℟. Iste est qui ante.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 11.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nemo lucérnam accéndit, et in abscóndito ponit, neque sub módio : sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen videant. Et réliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

De serm. Dom. in monte, lib. 2. *cap.* 21.

LUCERNA córporis tui óculus tuus est. Si ergo óculus tuus simplex fúerit, totum corpus tuum lúcidum erit. Qui locus sic intelligéndus est, ut novérimus ómnia ópera nostra tunc esse munda et placére in conspéctu Dei, si fiant simplici corde, id est, intentióne supérna, fine illo charitátis, quia et plenitúdo legis charitas. Oculum ergo hic accípere debémus ipsam intentiónem, qua fácimus quidquid fácimus : quæ si munda fúerit et recta, et illud aspíciens quod aspiciéndum est, ómnia ópera nostra, quæ secúndum eam operámur, necésse est ut bona sint. Quæ ómnia ópera totum corpus appellávit, quia et Apóstolus membra nostra dicit quædam ópera, quæ improbat et mortificánda præcípit, dicens : Mortificáte ergo membra vestra quæ sunt super terram, fornicatiónem, immundítiam, avarítiam, et cætera tália.

℟. Amávit eum.

Lectio viij.

NON ergo quid quisque fáciat, sed quo ánimo fáciat, considerándum est. Hoc est enim lumen

in nobis; quia hoc nobis maniféstum est bono ánimo nos fácere, quod facimus: omne enim quod manifestátur, lumen est. Nam ipsa facta, quæ ad hóminum societatem a nobis procédunt, incértum habent éxitum et ídeo ténebras ea vocávit. Non enim novi, cum pecúniam pórrigo indigénti et peténti, quid inde aut factúrus sit aut passúrus. Et fieri potest, ut vel fáciat ex ea vel propter eam patiátur áliquid mali, quod ego, cum darem, non evenire volúerim, neque hoc ánimo dederim. Itaque si bono ánimo feci, quod mihi, cum fácerem, notum erat, et ídeo lumen vocátur, illumináturque étiam factum meum, qualemcúmque éxitum habúerit: qui éxitus, quóniam incértus et ignótus est, ténebræ appellátæ sunt.

℣. Cives Apostolórum et domestici Dei, Wiro, Plechélme et Otgére, Qui attulístis facem et illuminástis patriam, dantes pacem géntibus et liberántes pópulum Dómini. ℣. Audite preces súpplicum; vitæ ætérnæ nobis póscite præmia, qui fertis in dextris manípulos justítiæ, in gáudio meténtes quæ semi nástis in lácrymis. Qui. Glória Patri. Qui.

Lectio ix.

Si autem malo ánimo feci, étiam ipsum lumen ténebræ sunt. Lumen enim dicitur, quia novit quisque quo ánimo fáciat, étiam cum malo ánimo facit; sed ipsum lumen ténebræ sunt, quia non in supérna dirigitur ipsa simplex inténtio; sed ad inferióra declinátur, et dúplici corde quasi umbram facit. Si ergo lumen quod in te est, ténebræ sunt, ipsæ ténebræ quantæ sunt? Hoc est, si ipsa cordis inténtio, qua facis quod facis, quæ tibi nota est, sordidátur appetítu rerum terrenárum et temporálium atque cæcátur, quanto magis ipsum factum, cujus incértus est éxitus, sórdi-

dum et tenebrósum est? Quia etsi alicui bene provéniat, quod tu non recta et munda intentióne facis, quo modo tu féceris tibi imputátur, non quómodo illi provénerit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

et per Horas, Ant.

1. Isti sunt viri * misericórdiæ, quorum justítiæ oblivióne non accépérunt. Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis de Dominica.

2. Isti sunt olívæ * et candelábra lucéntia ante Dóminum Dominatórem univérsæ terræ.

3. Vidi conjúnctos * viros, pacis et lucis Evangélicæ prædicatóres, viros sanctos et amícos Dei.

4. Benedícimus Deum * cœli, et coram ómnibus vivéntibus confitémur ei, quia per Sanctos suos fecit nobíscum misericórdiam suam.

5. O Confessórum fortitúdo * mirábilis, qui præcépta Domínica servántes, et ad veritátis lucem áliis adducéntes, duplicátum de negótio lucrum reportástis.

Hymnus.

GESTA Wirónis chorus
Et Plechélmi
Præsulum cantet memoránda: fidum
Ilis et Otgéri célebris Levitæ
Jungat amórem.

Ut sacræ primi fugerent honóres
Infulæ, Romam e Scótia profécti,
Vértices Papæ, sed inauguránti,
Bénique subdunt.

Urbe dimissi, sócio Levita,
Gálliam lustrant, subigúntque Christo
Géldriam, idólis, fixa Cruce, ab omni
Sede repúlsis.

Incolunt celsum, vacuúmque curis
Sæculi montem Odíliæ, beátis
Angelis vita símiles, Deique
Pérpete laude.

Gálliæ Princeps avet hic Pipínus,
Sínguiis annis, húmilis Wiróni

Cónsciæ mentis reseráre morsus
Atque reátus.
His fidem Geldri réferant Magistris,
Hos apud Numen célebrent Patrónos :
Ut det ætérna Deus his quiéte
Consociári.
Hinc Deo Patri decus, ac perénnis
Fílio laus, Spirituíque sancto ;
Et pius Divos colat hos quotánnis
Accola Ruræ. Amen.

Ad Benedictus, Ánа.

Vigiláte omnes et oráte, nescitis enim quando tempus sit ; vigiláte ergo, nescitis enim quando Dóminus domus véniat : sero, an média nocte, an galli cantu, an mane ; ne dum vénerit repénte, invéniat vos dormiéntes.

Oratio. Deus, qui ætérnum, ut supra.

Ad Horas, Ánæ de Laudibus.

Ad Vesperas Ánæ de Laudibus, Psalmi de Dnica, et loco ultimi, Ps. Meménto, Dómine David.

Hymnus ut in j. Vesperis.

Ad Magníficat, Ána.

O Confessóres sancti, Wiro, Plechélmo, et Otgére, qui certáminis et labóris cursum, fídei et pietátis juncti zelo, hic consummástis, et in regno cœlórum, glóriæ consórtio copulâti, assídue assístitis ante Dóminum, intercédite pro nobis.

DIE XV. MAJI.

In Festo S. Aufridi, Epísc. et Conf.
Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, qui sancto Aufrído, Confessóri tuo atque Pontífici, affluéntibus hujus sæculi divítiis cor non appónere dedísti : ejus méritis et précibus concéde ; ut mundo crucifíxi, tibi soli vivámus. Per Dóminum.

In Hymno, Iste Confessor, mutatur tertius versus.

In j. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.
Lectio iv.

Ex vita per anonymum Ultraj. coævum, apud Bolland.

AUFRIDUS sive Ansfridus, comes Brabántus, in pietáte morúmque gravitáte constans, in regímine judicióque incorrúptus, prædónibus infestíssimus, páuperum viduarúmque tutor, pacis studiósus, sanctíssimus quoque linguæ moderátor, quidquid a sæculáribus negótiis supérerat témporis, id legum stúdio aut piæ vel certo útili lectióni dabat; quare tanta sapiéntiæ auctoritáte apud coævos valébat, ut tum viri illústres, tum convéntus magnátum frequénter ab eo exquirerent, quid senténtia esset decidéndum, quid légibus statuéndum; quin et imperiálibus secrétis causísque majóribus absolvéndis sæpíssime interésset.

℟. Invéni David.

Lectio v.

AD altióra vocátus, comitátu Hoiénsi Epíscopo Leodiénsi trádito, et cœnóbio sanctimoniálium Beátæ Maríæ fundáto in villa Thorn, ad Mosam, ubi sub fília, Benedícta nómine, Abbatíssa, conjux sua Hilsúntis régulam sancti Benedícti proféssa est, tandem ipse gládio, quo cinctus erat, in altári sanctæ Maríæ depósito, cléricus tondétur. Rogánte rege Ottóne tértio consecrátus epíscopus Ultrajectínus, majóribus officiis majórem piétatem obgéssit. Ut autem plenióre corde oratióni instáret, prope Amersfórdiam in colle Hohorst, póstea sicut étiam nunc Heiligenberg vocáto, monastérium cóndidit, ubi post collóquia regis, post synodos, post convéntus, sancta solitúdine, jejúniis et vigíliis grátiam Dei in se renováret.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

HAC in solitúdine, quia invisitátus, ídeo multus erat in opéribus charitátis. Memóriæ próditum

est eum, aqua própriis mánibus a flúmine allàta et calefácta, leprósum toto córpore saniósum lavásse, quem deinde in suo strato pernoctáre et, novis véstibus indútum, sed, ne quis sciret, dilúculo et tácitum, revérti jussit. Ipse e suo património in ecclésias Ultrajectínas munificentíssimus, vária quoque ab áliis præcípue a Rege, ecclésiæ sedique suæ pótuit impetráre. Pium sedulúmque Pontíficem novis cumulárunt méritis infrácta senilis ætátis patiéntia ac plénior mundi contémptus, quo demum mónachum índuit, qualis mox tértio die Maji, sæculi undécimi anno, ut putátur, octávo, ipse in Heiligenberg mórtuus est, unde corpus Ultrajéctum translátum sepúlchro cónditur miráculis glorióso.

℟. Iste est qui ante.

In iij. Nocturno Homília in Evang. Homo péregre, de Communi Conf. Pont.

DIE XVI. MAJI.

In Festo S. Joannis Nepomuceni, Mart.

Duplex.

Omnia ut in fine Breviarii j. loco.

DIE XX. MAJI.

Octava S. Servatii.

(Pro locis, ubi colitur ut Patronus.)

Duplex.

Omnia ut in die, præter Lectiones, quæ in j. Nocturno dicuntur de Scriptura occurrente, in ij. ut infra, in iij. ut in Communi Conf. Pont.

In secundo Nocturno.

Ex S. Gregório Turonénsi.

Lectio iv.

De Gloria Conf. cap. 72.

SERVATIUS Trajecténsis episcopus témpore Hunnórum, cum ad irrumpéndas prorúmperent Gállias, fuísse memorátur: qui et sepúltus refértur juxta ipsum pontem ággeris públici. Circa cujus sepúlchrum, quamvis nix defluxísset nunquam tamen marmor, quod super erat pósitum, humectábat: et cum loca illa nimii frígoris gelu

ligéntur, et nix usque in trium et quátuor pedum crassitúdinem terram opériat, túmulum uliátenus non attingit. Datur enim intélligi verum Israelítam hunc esse; nam illis, inter muros aquárum, aquæ non sunt pernicióci, sed salúti; et circa hujus justi túmulum nix décidens non humóris causa est, sed honóris; videásque in circúitu montes níveos elevári, nec tamen attíngere términum monuménti. Et non mirámur si terra operiátur nive, sed admirámur quod attingere ausa non est locum beáti sepúlchri.

℟. Has oves.

Lectio v.

NAM plerúmque devótio studiúmque fidélium oratórium construébant e tábulis ligneis lævigatísque; sed prótinus aut rapiebántur a vento, aut sponte ruébant. Et credo idcírco ista fieri, donec veníret qui dignam ædificáret fábricam in honórem Antistitis gloriósi. Procedénte vero témpore advéniens in hanc urbem Monúlphus episcopus templum magnum in ejus honórem construxit, compósuit, ornavítque; in quod multo stúdio et veneratióne translátum corpus magnis nunc virtútibus pollet.

℟. Tu Dómine.

Lectio vj.

Ex Actis Sanctorum apud Bolland.

COMPLURES Sancti ab antíquis sæculis in colendo beáto Servátio eminuérunt. Ad ejus enim túmulum péregre veneérunt beátus Cándidus episcopus, tum sanctus Amor et sanctus Gerlácus, qui multo témpore ibidem Dómino serviérunt; sanctus quoque Evermárus, nóbilis Friso, dum ad ejus sepúlchrum peregrinarétur, ab impiis in via trucidátus est. Inter sanctos ejus in Trajecténsi cáthedra successóres, qui speciáli ipsum veneratióne prosecúti sunt, clúcet præcipue sanctus Monúlphus, qui non tantum

corpus ejus eminentióri loco recóndidit in basílica quam in sancti Præsulis honórem constrúxerat, sed et ómnium bonórum suórum ipsum scripsit hærédem; nec eum negléxit sanctus Hubértus, qui pretiósa capsa sacrum corpus inclúsit. Beáta Mathílda regína, Quedlimbúrgi monastérium dicávit sancto Servátio, ante cujus altáre ibidem sepeliri vóluit. Sanctus étiam Henrícus imperátor, cum Aquisgráni exístens plúrima de ejus sanctitáte audivísset, Trajéctum venit, ut Sanctórum ibi quiescéntium intercessiónem imploráret. Sanctum Norbértum ad ejus Relíquias devóte accessísse Missámque celebrásse, necnon sanctum Bernárdum ejus ecclésiam visitásse, ibíque claudum erexísse, jam pridem líteris consignátum est. Beáta tandem Juliána, cum ad promovéndam solemnitátem Córporis Christi vidéret sibi deésse humána suffrágia, divérsas Sanctórum memórias frequéntans, étiam Ilmina beáti Servátii visitávit, ut, quod desiderábat, cítius impetráret.

℟. Hic est sacérdos.

DIE XXIV. MAJI.

In Festo B. M. V. titulo Auxilium Christianórum.

Duplex majus.

Ut in fine Breviarii.

DIE XXX. MAJI.

In Festo S. Ferdinándi, Confessóris.

Duplex.

Ut in fine Brevíarii.

FERIA TERTIA POST FESTUM SS. TRINITAT.

In Festo Inventionis et Elevationis Ossium SS. Wironis, Plechelmi et Otgeri.

Duplex 2 classis.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Ad Vesperas, Antæ ut in Festo S. Wironis. 19. Psalmi de Dnica et loco ultimi. Ps. laudáte Dóminum omnes gentes.

Capitulum. *Eccli.* 44.

HI viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt; cum sémine córum pérmanent

bona; hæréditas sancta nepótes córum.

Hymnus ut in Festo S. Wironis. 14.

℣. Lætámini in Dómino et exultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Ad Magníficat, Ánt.

Rex altíssime. 15.

Oratio.

DEUS, qui nos per beátos Wirónem et Plechélmum, Pontífices tuos, et Olgérum, Levítam, ad Evangélicæ veritátis lucem vocáre dignátus es: illórum, quæsumus, intercessióne in eádem nos fide corróbora, et hostes illíus déxteræ tuæ virtúte prostérne. Per Dóminum.

Ad Matutínum, Hymnus ut in j. Vesperis. 14.

In primo Nocturno.

Ánt. Novit Dóminus viam justórum, qui in lege ejus meditántur die ac nocte.

Ps. Beátus vir, cum reliquis de Comm. Conf. Pont.

Ánt. Timéte Dóminum omnes sancti ejus, quóniam nihil deest timéntibus eum; ecce óculi Dómini super justos, et aures ejus ad preces eórum.

Ánt. Qui diligítis Dóminum, lætámini in Dómino, et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

℣. Lætámini in Dómino et exultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Lectiones, Laudémus viros, de Comm. ij. loco.

℟. Isti sunt viri misericórdiæ, qui assistunt ante Dóminum * Dominatórem univérsæ terræ. ℣. Isti sunt tres olivæ, et tria candelábra lucéntia ante Dóminum. Dominatórem.

℟. ij. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me dicens: * Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cœlum, voce magna clamántem et dicéntem. Isti. ℟. ij. Tua sunt hæc, Christe, ópera, tua miránda; qui vere mirábilis es in Sanctis tuis, * Quos

ita dignáris glorificáre, ut eos de hoste humáni géneris mirabíliter fácias triumphâre. ℣. Glória, virtus et grátia hæc est cómnibus Sanctis tuis. Quos. Glória Patri. Quos.

In secundo Nocturno.

Ańa. Mirificávit Dóminus Sanctos suos, et exaudívit eos clamántes ad se. Ańa. Dómine, spes Sanctórum et turris fortitúdinis eórum: dedísti hæreditátem timéntibus nomen tuum, et habitábunt in tabernáculo tuo in sæcula. Ańa. Admirábile est nomen tuum, Dómine, quia glória et honóre coronásti Sanctos tuos, et constituísti eos super ópera mánuum tuárum. ℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Lectio iv.

Ex Havensii Commentario de erectione nov. episc. in Belgio, et Knippenb. Hist. eccles. ducatus Geldriæ.

SANCTORUM Wiróuis et Plechélmi, episcopórum, et Otgéri, diáconi, ossa, quæ, anno millésimo trecentésimo sexagésimo primo, e monte sanctæ Odíliæ, una cum collégio canonicórum, quod ibídem habebátur, Ruræmúndum transláta fuérant, hic, ante Iconoclastárum rábiem, in cathedráli ecclésia Sancti Spíritus, in excaváta basi summi altáris, ligneæ thecæ inclúsa, conservabántur. Cum autem hæreticórum sacrilegi milites, anno septuagésimo secúndo sæculi décimi sexti, postrídie festi sanctæ Maríæ Magdalénæ, civitátem Ruræmundénsem cepíssent, multósque Christi sacerdótes et religiósos crudelíssime trucidássent, étiam tábulam summi altáris, in cujus basi Relíquiæ erant recónditæ, evertérunt; ast, singulári Dei Providéntia, hæréticis ipsam altáris basim intáctam relinquéntibus, sacræ Relíquiæ ab illórum furóre defénsæ fuére.

℟. Isti sunt qui ante

Deum magnas virtútes operáti sunt, et omnis terra doctrína eórum repléta est :* Ipsi intercédant pro peccátis ómnium populórum. ℣. Isti sunt qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad cœléstia regna. Ipsi.

Lectio v.

POST annos vero viginti duos, quo témpore ejúsdem altáris basis renovabátur, ibídem Sanctórum ossa, cum vetústa hac inscriptióne : Partes Reliquiárum sanctórum Wirónis, Plechélmi et Otgéri, repérta fuérunt ac póstea honorífice eleváta. Ad cujus rei et illórum Sanctórum religiósam memóriam, duplex hoc secúndæ classis Festum est institútum. Cum tandem, anno sexcentésimo sexagésimo primo supra millésimum, Eugénius Albértus d'Allamont, quintus Ruræmundénsium Antístes, in Cœna Dómini, cáthedram suam e templo Sancti Spíritus ad parochiále sancti Christóphori, civitátis Patróni tituláris, transférret, præfátæ quoque Relíquiæ ad novam ecclésiam cathedrálem translátæ sunt, in cujus summo altári, pretiósis capsis inclúsæ, hodiédum conservántur, atque digno honóre colúntur.

℟. Amávit eos Dóminus et ornávit eos; stolam glóriæ índuit eos. * Et ad portas paradísi coronávit eos. ℣. Induit eos Dóminus lorícam fídei, et ornávit eos. Et.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Lectio vj.

Ex Serm. 2. de S. Victore.

GAUDETE in Dómino dilectíssimi, qui inter contínua suæ pietátis benefícia indúlsit hóminesmundo, quorum multi salvaréntur exémplis. Itcrum dico gaudéte, quod facti de médio appropiavérunt Deo, ut multo plures eórum intercessióne salvaréntur. In terris visi sunt, ut essent exémplo; in cœlum leváti sunt, ut sint patrocínio. Hic insfórmant ad vitam, illic

invítant ad glóriam. Facti sunt mediatóres ad regnum, qui fuérunt incitatóres ad opus. Boni mediatóres, qui sibi jam postulántes nihil, totum in nos transférre desíderant, et supplicántis affectum, et supplicatiónis fructum. Quid enim quærant sibi, qui nullius egent?

℟. Isti Sancti digne ad memóriam vertúntur hóminum, qui ad gáudium transiérunt Angelórum, * Quóniam in hac peregrinatióne solo córpore constitúti, cogitatióne et aviditáte in ætérna pátria conversabántur. ℣. Vínculis carnis absolúti, taléntum sibi tráditum, Dómino Deo duplicátum reddidérunt. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Nocturno.

Ant. Dómine, qui operáti sunt justítiam habitábunt in tabernáculo tuo, et requiéscent in monte sancto tuo.

Ant. Lætámini in Dómino et exultáte, justi; et gloriámini, omnes recti corde.

Ant. Hæc est generátio quæréntium Dóminum, quæréntium fáciem Dei Jacob.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Homilia in Evang. Nemo lucérnam, ut in Festo S. Wironis. 17.

℟. vij. Sint lumbi vestri præcincti et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus expectántibus Dóminum suum quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. ℟. viij. Cives Apostolórum et doméstici Dei, ut in Festo S. Wironis. 18.

Ad Laudes, Antiphonæ et Ps. ut in Festo S. Wironis. 19.

Capitulum. *Eccli.* 44.

Hi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt; cum sémine eórum pérmanent bona; hæréditas sancta nepótes eórum.

Hymnus. Gesta Wirónis, ut supra. 19.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Benedictus, Ánt.

Vigiláte, ut supra. 20.

Oratio.

DEUS, qui nos per beátos Wirónem et Plechélmum, Pontífices tuos, et Otgérum, Levítam, ad Evangélicæ veritátis lucem vocáre dignátus es: illórum, quæsumus, intercessióne in eádem nos fide corróbora, et hostes illíus déxteræ tuæ virtúte prostérne. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Ánt.

Isti sunt olívæ.

Capit. Hi viri, ut supra in Laudibus.

℟. br. Lætámini in Dómino * Et exultáte, justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini, omnes recti corde. Et exultáte. Glória Patri. Lætámini. ℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Ad Sextam, Ánt.

Vidi conjúnctos.

Capitulum. *Eccli.* 44.

IN testaméntis stetit semen córum, et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum et glória eórum non derelinquétur.

℟. br. Exúltent justi * In conspéctu Dei. Exúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. In conspéctu. Glória Patri. Exúltent. ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Ad Nonam, Ánt.

O Confessórum fortitúdo.

Capitulum. *Eccli.* 44.

CORPORA ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivet in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli et laudem eórum núntiet ecclésia.

℟. br. Justi autem * In perpétuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In. Glória Patri. Justi. ℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

In ij. Vesperis Ánt. Capitulum et Hymnus ut in j. Vesperis, Psalmi ut in Comm. Conf. Pont.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Magníficat, Ánt. ut in ij. Vesp. S. Wironis. 20.

DOMINICA PRIMA NON IMPEDITA FESTO PARIS RITUS POST OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

In Festo OO. SS. Pontif. Mosæ-Trajectensium.

Duplex 2. classis.

Ad Vesp. Ánæ et Capit. de Laud. Ps. de Dñica et loco ultimi, Ps. Laudáte Dóminum omnes gentes.

Hymnus.

VOS, Christi púgiles, Pontífices pii,
Quorum vita fuit plena moléstiis,
Hymnos nunc date nostros
Vestris júngere cantibus.
Christi frugífero vínea pálmite
Vestris crescit adhuc culta labóribus,
Cœlo sémina surgunt
Vobis nata satóribus.
Qua duxére tuum Pontífices gregem,
Qua nos, Christe, vocas, cúrrere fac viam,
Duc, ne lóngius errent,
Serva, ne péreant oves.
Laus, qui Pontífices constítuit, Patri,
Pastórum cápiti laus quoque Fílio,
Et qui lúmine mentes
Donas, laus tibi, Spíritus. Amen.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent.

Ad Magníficat, Ánt. Sit memória illórum in benedictióne, et ossa eórum púllulent de loco suo: et nomen eórum permáneat in ætérnum.

Oratio.

PROPITIARE, quæsumus Dómine, nobis fámulis tuis, per Sanctórum tuórum Pontíficum nostrórum mérita gloriósa; ut eórum pia intercessióne, ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit com. Dñicæ occurr.

Ad Matutínum, Invitatórium. Christum Pastórum Príncipem * Venite, adorémus. Ps. Venite.

Hymnus.

ÆTERNA Christi múnera,
Antistitum præcónia,

Palmas et hymnos débitos
Lætis canámus méntibus.
Ecclesiárum príncipes,
Belli triumphales duces,
Cœléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.
Devóta Sanctórum fides,
Invicta spes credéntium,
Perfécta Christi cháritas
Mundi triúmphat príncipem.
In his Patérna glória,
In his refulget Fílius,
In his volúntas Spíritus,
Cœlum replétur gáudio.
Te nunc, Redémptor, quæsumus,
Ut Præsulum consórtio
Jungas precántes sérvulos
In sempitérna sæcula. Amen.

In primo Nocturno.

Ant. Dabo vobis pastóres juxta cor meum, et pascent vos sciéntia et doctrína. Ps. Beátus vir, cum reliquis de Communi Conf. Pont.

Ant. Quam pulchri sunt super montes pedes annuntiántis et prædicántis pacem.

Ant. Hi príncipes faciébant ópera ministérii domus Dómini.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent.

Lectiones. Laudémus viros, de Comm. ij. loco. ℟. j. Jerúsalem, ponam præpósitos tuos justítiam, et occupábit salus muros tuos : pópulus autem tuus, omnes justi, in perpétuum hæreditábunt terram. * Germen plantatiónis meæ, opus manus meæ ad glorificándum. ℣. Vos genus eléctum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus acquisitiónis. Germen.

℟. ij. Congregábo relíquias gregis mei, et suscitábo super eos pastóres, et pascent eos. Non pavébunt, et nullus quærátur ex número. ℣. Oves meæ non períbunt in ætérnum, et non rápiet eas quisquam de manu mea. Non pavébunt.

℟. iij. Habéntes librum legis Dómini circuíbant

cunctas urbes, * Atque erudiébant pópulum. ℣. Corripiéntes et docéntes in omni patiéntia. Atque. Glória Patri. Atque.

In secundo Nocturno.

Ant. Ipsi pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri. Ant. Providéntes non coácte, sed spontánee secúndum Deum.

Ant. Neque turpis lucri grátia, sed voluntárie; neque ut dominántes in cleris.

℣. Fílii eórum usque in sæculum. ℟. Sedébunt super sedem tuam.

Lectio iv.

Ex Actis Sanctorum apud Bolland, et monum. loci.

ILLUD singuláre nec extguum Trajecténsis Eccléstæ decus, quod omnes Pontífices, qui per trecéntos et ámplius annos ejus cáthedram tenuérunt, Sanctórum cœtui adnumeréntur. Licet quidem ex eis multi própriis festis recolántur, omnes tamen hac die simul honorántur, ut qui, amábiles et decóri in vita sua, in morte non sunt divisi, unítis quoque plebis sibi commíssæ præcóniis attollántur, et qui in generatiónibus gentis suæ glóriam sunt adépti, in diébus étiam nostris habeántur in láudibus. Multórum enim præclare gesta, cum témporum injúria perierint solus Deus novit qui remúnerat; lubet ídeo síngulos, ætérna memória dignos, recensére, ne quorum nómina scripta sunt in Libro vitæ, in terris oblivióne deleántur.

℟. Spíritus sanctus pósuit episcopos régere Eccléstam Dei, * Quam acquisívit sánguine suo. ℣. Vos estis presbyteri in pópulo Dei, et ex vobis pendet ánima illórum. Quam.

Lectio v.

BEATO ígitur Servátio ex órdine successérunt Agricoláus, Ursícinus, Desígnatus, Renátus, Supplícius, Quirillus, Euchérius, Falco, Euchárius, qui omnes, ut pia et antíqua fert tráditio, in

ecclésia sancti Servátii, Trajécti, requiéscunt (una cum sacris exúviis córum, qui post beátum Matérnum vocántur episcopi Tungrénses); dein Domitiánus, Monúlphus, Gondúlphus, Perpétuus, Ebregisus, Joánnes cognómine Agnus, Amándus, Remáclus, Theodárdus, Lambértus, et Hubértus, qui Leódii sedére cœpit, ubi ad nostra usque témpora persevérat episcopátus. Præséntem autem festivitátem, a multis retro sæculis in Trajecténsi ecclésia sancti Servátii, octávo Idus Februárii, celebrári sólitam et in plúribus Martyrológiis memorátam, Summus Póntifex Pius Nonus, instánte Episcopo Ruræmundénsi, ad universam hanc diœcésim, quæ tot sanctórum Antístitum sede própria gloriátur, benígne exténdit. ℟. Qui ad justítiam erúdiunt multos, fulgébunt quasi stellæ, * In perpétuas ætérnitates. ℣. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem córum núntiet ecclésia. In.

Sermo sancti Bernárdi, Abbátis.

Lectio vj.

In festo S. Malachiæ.

BENEDICTUS Dóminus Deus, qui tantórum Pontíficum ministério visitávit plebem suam; et nunc, assúmptis iis in sanctam civitátem, tantæ recordatióne suavitátis nostram non désinit consolári captivitátem. Exúltent in Dómino córum spíritus, quod leváti púndere corpóreæ molis, nulla jam fœculénta vel terréna matéria prægravántur, quóminus tota alacritáte ac vivacitáte, corpóream omnem et incorpóream transeúntes creatúram, pergant toti in Deum, et adhæréntes illi, unus sint cum eo spíritus in ætérnum. Domum istam decet sanctitúdo, in qua tantæ frequentátur memória sanctitátis. ℟. Cum apparúerit Princeps Pastórum, * Percípiétis immarcescíbilem glóriæ corónam. ℣. Mi-

nístri Dómini qui fácitis voluntátem ejus. Percipiétis. Glória Patri. Percipiétis.

In tertio Nocturno.

Ant. Non nosmetipsos prædicámus, sed Jesum Christum Dñum nostrum. Ant. Non gratis panem manducávimus ab áliquo, sed in labóre et fatigatióne, nocte et die operántes. Ant. Benedícite sacerdótes Dómini Dómino, laudáte et superexaltáte eum in sæcula. ℣. Dabo opus eórum in veritáte. ℟. Et fœdus perpétuum fériam cum eis.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 10.

IN illo témpore : Dixit Jesus Pharisæis : Ego sum Pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua

Homilia sancti Joánnis Chry óstomi.

Hom. 29. *c.* 15. *ad Rom.*

PETRO dicébat Christus : Si díligis me, pasce oves meas. Qui enim Christum diligit, gregem quoque illíus díligit. Et Móysen tunc Judæórum pópulo præfécit, quando ille suam erga pópulum benevoléntiam exhíbuit. Et David quoque tunc ad regnum pervénit, cum prius pópuli amans compértus fuísset. Et Sámuel valde pópulum amábat, ideóque dicébat : Absit a me ut in hoc peccem, ut cessem precári Dómino pro vobis. Ita et Paulus : imo vero non ita, sed multo plus quam omnes álii ardébat erga súbditos sibi. Et Christus óptimi Pastóris normam áfferens dicébat : Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. ℟. Hi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt, * Inveniéntes grátiam in óculis omnis carnis. ℣. Providéntes bona non tantum coram Deo, sed étiam coram homínibus. Inveniéntes.

Lectio viij.

AN ignorátis gregis istíus dignitátem ? An non pro illo Dóminus

tuus innúmera operátus est, ac demum sánguinem suum effúdit ? Tu vero quiétem quæris ! Ecquid detérius fúerit tálibus pastóribus ? Et hómines quidem qui pópulis præsunt, de vulgáribus rebus consuléntes, noctes diébus vigilántes adjúngunt; nos vero, qui de ipso cœlo certámen habémus, in ipso quoque die dormímus ! Ecquis nos demum liberábit a supplício hisce delictis débito ? Et Paulus jussit : Obedíte præpósitis vestris, quia ipsi vígilant pro animábus vestris, tanquam ratiónem redditúri. Cum autem dicit : Vígilant, mille dicit labóres, curas, perícula. Nam bonus pastor, et qualem Christus optat, cum innúmeris conférri potest Martyribus : ℣. Scitis quáliter unumquémque vestrum testificáti sumus, ut ambularé- ℟. tis digne Deo, Qui vocávit vos in suum regnum et glóriam. ℣. Audite ergo, fílii, servíte Dómino in veritáte, et inquírite, ut faciátis, quæ plácita sunt illi. Qui vocávit. ℟. lória Patri. Qui vocávit.

Lectio IX. de Homilia Dominicæ.

AD LAUDES,

et per Horas, Ánæ.

1. Æmulatóres estóte patrum vestrórum, et mementóte óperum, quæ fecérunt. Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis de Dominica.

2. Germen córum in médio populórum, quia isti sunt semen cui benedíxit Deus.

3. Cum sémine córum pérmanent bona: hæréditas sancta nepótes córum.

4. Per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes.

5. Lætámini cum Jerúsalem, et exultáte in ea omnes qui dilígitis illam.

Capit. 1. *Thess.* 4.

FRATRES, Rogámus vos et obsecrámus in Dó-

mino Jesu, ut quemádmodum accepístis a nobis, quómodo opórteat vos ambuláre, et placére Deo, sic et ambulétis, ut abundétis magis.

Hymnus.

REX glorióse Præsulum,
Coróna confiténtium,
Qui respuéntes térrea
Perdúcis ad cœléstia ;
Aurem benígnam prótinus
Inténde nostris vócibus :
Trophæa sacra pángimus,
Ignósce quod deliquímus.
Tu vincis inter Mártyres,
Parcísque Confessóribus:
Tu vince nostra crímina,
Largítor indulgéntiæ.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne sæculum. Amen.

℣. Glóriam regni tui dicent. ℟. Et poténtiam tuam loquéntur.

Ad Benedictus. Ána.

Glória nostra hæc est : testimónium conscientiæ nostræ, quod in simplicitáte cordis et sinceritáte Dei conversáti sumus in hoc mundo, abundántius autem ad vos.

Oratio.

PROPITIARE, quæsumus Dómine, nobis fámulis tuis, per Sanctórum tuórum Pontificum nostrórum mérita gloriósa ; ut eórum pia intercessióne, ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Deinde fit com. Dnicæ. Ad Tertiam, Ána.

Germen eórum.

Capit. Fratres, Rogámus, ut ad Laudes.

℟. br. Sacerdótes tui + Induántur justítiam. Sacerdótes. ℣. Et sancti tui exúltent. Induántur. Glória Patri. Sacerdótes, ℣. Fílii eórum usque in sæculum. ℟. Sedébunt super sedem tuam.

Ad Sextam, Ána.

Cum sémine.

Capit. 1. *Thess.* 2. 10.

Vos testes estis, fratres, et Deus, quam sancte et juste et sine queréla vobis, qui credidístis, fúimus.

℟. br. Filii eórum + Usque in sæculum. Filii.

℣. Sedébunt super sedem tuam. Usque. Glória Patri. Filii. ℣. Dabo opus eórum in veritáte. ℟. Et fœdus perpétuum fériam cum eis.

Ad Nonam. Ant.
Lætámini.

Capit. 1. *Thess.* 2. 19.
QUÆ est nostra spes, aut gáudium, aut coróna glóriæ? nonne vos ante Dóminum nostrum Jesum Christum estis in advéntu ejus?

℟. br. Dabo opus eórum * In veritáte. Dabo. ℣. Et fœdus perpétuum fériam cum eis. In veritáte. Glória Patri. Dabo. ℣. Glóriam regni tui dicent. ℟. Et poténtiam tuam loquéntur.

In ij. Vesperis Antæ. Capitulum et Hymnus ut in j. Vesperis Psalmi de Dominica, et loco ultimi, Ps. Meménto Dómine. ℣. Glóriam regni tui dicent. ℟. Et poténtiam tuam loquéntur.

Ad Magnificat. Ant.
Patres nostri annuntiavérunt nobis opus, quod operátus es in diébus eórum, et in diébus antíquis.

Et fit com. Dominicæ

FESTA JUNII.

DIE II. JUNII.

In Festo SS. Marcellini et Petri, Martyrum.
Duplex.
Omnia de Comm. plur. Mart. præter sequentia Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beatórum Mártyrum tuórum Marcellíni et Petri solemnitáte lætíficas: præsta quæsumus; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Et fit com. S. Erasmi Ep. et Mart. Ant. Iste Sanctus. ℣. Glória et honóre.

Oratio.
INFIRMITATEM nostram réspice, omnípotens Deus: et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Erásmi, Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

In j. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente. In secundo Nocturno.
Pro Lectione iv. sumi-

tur secunda ex Breviario, cui ad finem addantur sequentia: Sacras horum Mártyrum Reliquias Einhárdus, qui Cárolo Magno a secrétis fuit, ex Urbe Roma accépit, earúmque partem donávit ecclésiæ sancti Servátii Trajecténsi, in qua háctenus post tot sæcula pretiósus ille thesáurus religióse asservátur.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Libellum sso ad Einhardum per Fratres de monast. S. Servatii, apud Baronium ad annum 828, et Bolland.

ADVENTUS autem sanctórum Christi mártyrum Marcellíni et Petri ad vicum Trajéctum cóntigit prídie Nonas Júnii anno octingentésimo vigésimo octávo. Quo die venit eis óbviam de eódem vico immánis multitúdo pópuli ad susceptiónem illórum congregáta, laudans et benedícens Deum super imménsa atque inenarrábili misericórdia sua, qua per tantos Patrónos pópulum in se credéntem et confidéntem visitáre dignátus est. Cumque in his láudibus et lætítia spirituáli usque ad basílicam beáti Servátii perventum est, celebrátis cum magna ómnium gratulatióne Missárum solémniis, et univérsis ad sua revérsis, féretrum quo sacri cineres addúcti sunt a dextris altáris juxta cancéllos collocátum est, totúsque ille dies cum ingénti eódem in vico consisténtis pópuli exultatióne atque jucunditáte consummátus est.

℟. Vérbera carnifícum.

Lectio vj.

EODEM et sequéntibus diébus ad has sacras Reliquias in ecclésia sancti Servátii sanáti sunt cæcus a nativitáte, surdus et mutus, alíque nervis contrácti: quibus visis, pópulus in basílica congregátus, cœpit præ nímia exultatióne ac lætítia in hymnis et litaníis, sublátis in altum vócibus, laudes Dómino decantáre, qui est mirábilis in San-

ctis suis. At repéndit Trajecténsis ecclésia Románæ Ecclésiæ, pro sacris pignóribus sanctórum duórum Mártyrum, accéptis ab Einhárdo, ad eámdem mitténdo sancti Servátii mentum, et álias sancti Lambérti. ejúsdem ecclésíæ episcopi et mártyris, sacras Reliquias, quæ hucúsque in basílica sancti Petri, Romæ, servántur atque digno honóre colúntur.

℟. Tanquam aurum.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Cum audiéritis, de Comm. j. loco.

Nona Lectio de S. Erasmo Episc. et Mart., quæ est tertia in Breviario.

In Laudibus fit com. S. Erasmi, Ant. Qui odit. ℣. Justus. Oratio. Infirmitátem, ut supra.

DIE V. JUNII.

In Festo S. Bonifacii, Episc. et Mart.

Duplex.

Officium ex Decreto S. R. C. die 11 Junii 1874 ad universam Eccl. concessum.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui multitúdinem populórum beáti Bonifácii, Mártyris tui atque Pontíficis, zelo ad agnitiónem tui nóminis vocáre dignátus es: concéde propítius; ut cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BONIFACIUS, ántea Winfridus appellátus, apud Anglos natus est exeúnte sæculo séptimo, et ab ipsa infántia mundum aversátus, vitam monásticam in votis hábuit. Cum ejus pater ánimum sæculi illécebris permutáre frustra tentásset, Monastérium ingréditur, et sub beáti Wolphárdi disciplina ómnium virtútum, ac scientiárum génere imbúitur. Annum agens trigésimum Sacerdótio insignítur, ac verbi divíni prædicátor assíduus, magno animárum

lucro hoc in múnere versátur. Attamen regnum Christi adaugére desiderans, continuo flebat ingéntem multitúdinem barbarórum, qui ignorántiæ ténebris immérsi, dæmoni famulabántur. Qui quidem animárum zelus cum in dies inextinguibili ardóre accrésceret, divino Númine per lácrymas et oratiónes exploráto, facultátem a Monastérii præpósito obtínuit ad Germánicas oras proficiscéndi.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

EX Anglia duóbus cum sóciis navim solvens, Dorestádium in Frísiæ óppidum venit. Cum autem bellum gravíssimum inter Frisónum regem Radbódum, et Cárolum Martéllum exarsísset, sine fructu Evangélium prædicávit; quapropter in Angliam revérsus, ad suum redivit Monastérium, cui invítus præficitur: post elápsum biénnium ex consénsu Episcopi Vintoniénsis munus abdicávit, et Romam profectus est, ut Apostólica auctoritáte ad gentílium conversiónem deleingarétur. Cum ad Urbem pervenísset, a Gregório Secúndo benígne excípitur, pro Winfrido Bonifácius a Pontífice nominátur. In Germániam diréctus, Thuringiæ, Saxóniæque pópulis Christum annuntiávit. Cum intérea Radbódus Frísiæ rex ac infestíssimus Christiáni nóminis hostis occubuísset, Bonifácius ad Frisónes rédiit, ubi sancti Willebrórdi sócius per triénnium tanto cum fructu Evangélium prædicávit, ut, destrúctis idolórum simulácris, innúmeræ vero Deo Ecclésiæ excitaréntur.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vj.

A SANCTO Willebrórdo ad Episcopále munus expetítus, illud detrectávit, ut prómptius infidélium salúti instáret. In Germániam profectus, plura Hassórum millia a dæmonis super-

stitióne avocávit. A Gregório Pontifice Romam evocátus, post insignem fidei professiónem Episcopus consecrátur. Exínde ad Germános redux, Hássiam et Thuríngiam ab idololatríæ reliquiis pénitus expurgávit. Tanta propter mérita Bonifácius a Gregório Tértio ad dignitátem Archiepiscopálem evéhitur, et tértio Romam proféctus a Summo Pontifice Sedis Apostólicæ Legátus constitúitur: qua insignítus auctoritáte, quátuor Episcopátus instítuit, et várias Synodos celebrávit, inter quas Concílium Leptinénse memorábile est apud Belgas in Camerácénsi Diœcési celebrátum, quo quidem témpore ad Fidem in Bélgio adaugéndam egrégie cóntulit. A Zacharía Papa creátus Moguntínus Archiepiscopus, ipso Pontifice jubénte, Pipínum in Regem Francórum unxit. Post mortem sancti Willebrórdi Ultrajecténsem Eclésiam gubernándam sus-cépit, primo per Eobágonum, deinde per seipsum, dum ab Ecclésia Moguntina absolútus, Ultrajécti resédit. Frisónibus ad idololatríam relápsis Evangélium prædicáre rursus aggrédítur; cumque officio pastorali occuparétur, a bárbaris et ímpiis homínibus juxta Bornam flúvium cum Eobáno Coepíscopo, multísque áliis cruénta cæde peremptus, martyrii palma condecorátur. Corpus sancti Bonifácii Mogúntiam transláta, et, ut ipse vivens petíerat, in Fuldénsi monastério, quod exstrúxerat, recónditum fuit, ubi multis miráculis inclárnit. Pius autem Nonus Póntifex Máximus ejus Officium et Missam ad univérsam Ecclésiam extendit.

℟. Stola jucunditátis.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 5.

IN illo témpore: Videns Jesus turbas,

ascéndit in montem; et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

De Homília S. Augustíni Epíscopi.

Lib. 1. de Serm. Domini in monte c. 2. et 3.

BEATI mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt. Quam ergo stulti sunt, qui Deum istis exterióribus óculis quæ-runt, cum corde videátur, sicut álibi scriptum est : Et in simplicitáte cordis quærite illum. Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor. Et quemádmodum lumen hoc vidéri non potest, nisi óculis mundis; ita nec Deus vidétur, nisi mundum sit illud, quo vidéri potest. Beáti pacífici : quóniam ipsi fílii Dei vocabúntur. In pace perféctio est, ubi nihil repúgnat, et ídeo fílii Dei pacífici, quóniam nihil in his resístit Deo, et útique fílii similitúdinem patris habére debent.

℟. Coróna áurea.

Lectio viij.

PACIFICI autem in semetípsis sunt, qui omnes ánimi sui motus componéntes, et subjiciéntes ratióni, idest, menti, et spíritui, carnalésque concupiscéntias habéntes edómitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordinàta ómnia, ut id quod est in hómine præcípuum, et excéllens, hoc ímperet, céteris non reluctántibus, quæ sunt nobis, bestiísque commúnia : atque idipsum, quod excéllit in hómine, idest, mens, et rátio, subjiciátur potióri, quod est ipsa véritas, Unigénitus Fílius Dei. Neque enim imperáre inferióribus potest, nisi superióri se ipse subjíciat. Et hæc est pax, quæ datur in terra homínibus bonæ voluntátis : hæc vita connúmati perfectíque sapiéntis.

℟. Hic est vere.

Lectio ix.

DE hujúsmodi regno pacatíssimo et ordinatíssimo missus est foras

princeps hujus sæculi, qui pervérsis, inordinatísque dominátur. Hac pace intrínsecus constíta atque firmáta, quascúmque persecutiónes ille, qui foras missus est, forínsecus concitáverit, auget glóriam, quæ secúndum Deum est: non áliquid in illo ædificio labefactans, sed deficiéntibus máchinis suis innotéscere fáciens, quanta firmitas intus extructa sit. Ideo séquitur: Beáti, qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cœlórum.

Te Deum laudámus.

DIE VII. JUNII.

In Festo Translationis S. Servatii, Episc. et Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

In Vesperis et ad Matutinum, Hymnus. Audi precántis, ut in ejus Natáli. 7.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnificat, Ant.

Sit memória ejus in benedictióne, et ossa ejus púllulent de loco suo, et nomen ejus permáneat in ætérnum.

Oratio.

DEUS, cujus nutu, per divérsa terrárum loca, ipsa quoque Sanctórum córpora disponúntur: concéde propítius; ut qui sancti Servátii, Confessóris tui atque Pontificis, Translatiónem cólimus, ipsi quoque a pravitáte nostra ad pie vivéndi rectitúdinem transferámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones, fidélis sermo, de Communi.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex S. Greg. Turon, Harig. abb. et monum. loci apud Bolland.

DIVERSÆ sancti Servátii, Episcopi et Patróni civitátis Mosæ-Trajecténsis, memorántur Translatiónes, quarum prima illa est, qua ejus succéssor, sanctus Monúlphus, ánnuo sepúlchri ejus a

nivibus intácti miráculo motus, strúcto in beáti Viri honórem magno templo, illius corpus multa cum veneratióne in honorationórem ejúsdem templi locum tránstulit, ubi magnis illud suo témpore claruísse virtútibus, testátur Gregórius Turonénsis epíscopus. Quæ autem hodiérna die præcípue celebrátur Translátio, post insignem a Cárolo Martéllo de Saracénis relàtam cóntigit victóriam, qua, Deo Christiános protegénte, fortitúdo géntium instar nébulæ fuit dispérsa.

℟. Iuvéni David.

Lectio v.

OBTENTA fuit hæc victória die festo beáti Servátii, nec dúbium fuit, tam victóri Cárolo, quam cunctis, qui Sancti opem mane speciáliter invocáverant, ipsíus méritis ea die hanc indúltam fuísse victóriam. Mittitur ígitur Trajéctum præsul Willigisus, ut, si qua in beáti Servátii templo essent dilápsa, ea ad memóriam ac veneratiónem illíus restauráret, si qua minus perfécta, consummáret. Quod ea diligéntia ab eódem præsule fuit adimplétum, ut étiam sulocum per Viri sancti sepúlchrum eréxerit cibórium, auro gemmísque lucidíssimum.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

INTERIM Willigisus visióne monétur corpus sancti Servátii esse elevándum. Visiónem ille Hubérto, sedis Trajecténsis tunc epíscopo, patéfacit. Indícto ígitur cunctis jejúnio cum précibus, superióris oratórii monuméntum, quo sanctus Monúlphus beátum corpus condíderat, visitátur. Apérto autem máxima cum reveréntia monuménto, sacrum appáret Servátii corpus, lineis et séricis involútum, a dextris habens virgam pastorálem, a sinístris vero argénteam mirífici óperis clavem. Romæ quondam ipsi tráditam. Illico vero pretiósæ hæ Reliquiæ

sanctuárium clarissima collústrant luce, adstántes suavissimo refíciunt odóre, pióque replent gáudio. Levátum deinde corpus in lóculo depósitum fuit, intérius argénteo, foris vero deaurâto. Venerábile sancti Servátii caput in capsa deaurâta, ália autem ossa partim in summa ecclésiæ ejus ara, partim una cum sacris ejus vestiméntis in pretióso servántur féretro, in quo, anno supra millésimumoctingentésimum sexagésimo tértio, die nona Novémbris, ab Ordinário, spectánte Clero, visitáta, novísque séricis involúta repósita fuére. ℟. Iste est qui ante.

In iij. Nocturno Homília in Evang. Vigiláte, de Communi ij. loco.

In Laud. post Hymnum ℣. Posuísti Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Ad Benedictus. Ánt. Quasi oliva púllulans, et cypréssus in altitúdinem se extóllens, in accipiéndo ipsum stolam glóriæ, et vestíri eum in consummatiónem virtútis.

In ij. Vesperis a Capítulo de sequenti cum com. Translationis S. Servatii, ut infra.

DIE VIII. JUNII.

In Festo SS. Valentini et Candidi, Episc. et Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia. Oratio.

EXAUDI, Dómine, pópulum tuum; et sanctórum Confessórum tuórum atque Pontíficum Valentíni et Cándidi solémnia celebrántem, temporális vitæ tríbue pace gaudére, et ætérnæ reperire subsídium. Per Dóminum.

Deinde fit com. Translationis S. Servatii. Ánt. Amávit eum Dóminus et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Oratio ut supra. 43.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.
Lectio iv.

Ex Bolland. t. 2 Junii et t. 8. Oct. et monum. Traject.

MAXIMINO in Metrópolis Trevirénsis et diœcésis Tungrénsis regimine suffféctus tráditur Valentínus. Crescénte vero Christianórum número, vix unius epíscopi erat tam dissitárum ecclesiárum curam sustinére : quámobrem a morte sancti Valentíni próprium sibi episcopum útraque ecclésia, Tungrénsis Servátium, Trevirénsis Agrítium elegérunt. Sanctus Valentínus, quam sédulo et quámdiu super gregem sibi commíssum excubáverit, quam fórtiter contra crucis Christi inimícos laboráverit, ad nos mínime pervénit, quippe cujus acta témporum aboléverit iníquitas. Id unum nos non latére Deus vóluit, quod Valentínum Sanctórum honóribus venerétur Ecclésia, quodque sacrum ejus corpus Trajécti, in æde sancti Servátii religióse repósitum, in hanc usque ætátem pie colátur.

℣. Invéni David.

Lectio v.

CANDIDUS epíscopus, post óbitum beáti Servátii, supérne mónitus, pátria relícta, Trajéctum ad túmulum gloriosíssimi illíus Præsulis péregre venísse, illíque ecclésiæ per multos annos, sede vacánte, devóte inserviísse, ac tandem témpore beáti Agricolái episcopi obiísse fertur. A plúribus sæculis ejus et sancti Valentíni festívitas séptimo Idus Júnii, quo die simul recolebátur sancti Servátii Translátio, póstea vero sequénti die fuit celebráta. Utriúsque autem sacra ossa, in antiquíssimo lapídeo monuménto, post altáre sancti Petri in crypta ecclésiæ sancti Servátii recóndita, anno sæculi décimi séptimi vigésimo tértio, solémniter visitáta et recógnita fuére; circa finem vero sæculi décimi octávi, quum ecclésia a Gállico mílite profanarétur, e monu-

mento studióse edúcta et abscóndita, modo in nova cápsula públicæ fidélium veneratióni exhibéntur.

℟. Pósui adjutórium.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Lectio vj.

In Festo S. Malachiæ.

LÆTEMUR quod Pontífices nostri ascendérunt ad cives suos, pro filiis captivitátis legatióne fungéntes, corda nobis conciliántes Beatórum, vota illis intimántes miserórum. Lætémur, inquam, et exultémus, quia cœléstis illa cúria ex nobis habet quibus sit cura nostri, qui suis nos prótegant méritis, quos informavérunt exémplis, miráculis confirmavérunt. Sancti Pontífices, qui in spíritu humilitátis hóstias pacíficas cœlis frequénter invéxerant, per semetípsos introiérunt ad altáre Dei, ipsi hóstiæ et sacerdótes.

℟. Iste est qui ante.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte, de Communi ij. loco.

DIE XXI. JUNII.

In Festo S. Martini, Episc. et Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, fidélium tuórum indeficiens conservátor, qui hunc diem in gloriósi Confessóris tui atque Pontificis Martíni glorificáre dignátus es festivitáte: exáudi preces supplicántis Ecclésiæ et præsta; ut quod devóte éxpetit, eo suffragánte cónsequi mereátur. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex vita apud Bolland., et monum. Traject.

POST beátum Florentínum, qui sextus a beáto Matérno Tungrénsem una cum Trevirénsi ecclésiam rexisse fertur, Martínus, doctrina et méritis insignis, rápitur pótius quam elígitur ad Præsulátus insígnia, sæ-

culo tértio. Qui pastorális regíminis curam adéptus, tanquam fidélis dispensátor, subditórum curam gerens, verbi tríticum consérvis suis toto nisu subministrábat; nec tamen Dominici immemor exémpli, ea quæ óvibus observánda voce prædicábat, qua diligéntia operánda forent, suis áctibus ostendébat. Plúrimos, adhuc idololatríæ déditos, máxime in Hasbániæ pártibus, ad fidem Christi convértit, haud immérito póstea Hasbanórum Apóstolus nuncupátus.

℟. Invéni David.

Lectio v.

CUM aliquándo, diœcésim suam lustrans, divérteret ad villam, quæ dícitur Hórion, loci íncolæ, ipsíus prædicatiónem respuéntes, contuméliis affléctum expulérunt. Itaque sanctus Præsul, oppróbria patiénter sústinens, in vasti némoris solitúdinem cum discípulis conténdit, ubi plúribus miráculis sanctitátis suæ vestígia reliquísse memorátur. Interim Aquíriam declínans, pópulum munpánis vanitátibus implicátum, ac de Deo suáque salúte minus sollícitum, Christo árctius mancipávit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

TANDEM cursu fidéliter perácto, repletúsque bonórum ómnium óperum fructu, cum sciret immínére tempus, quo ánima ejus ex ergástulo córporis evocánda foret, ecclesiástica negótia mire dispónens, discípulos in unum convocátos de óperum plenitúdine diligénter admónuit, et plebem sibi commíssam Dómino commréndans, undécimo Kaléndas Júlii, Sanctórum jungéndus agmínibus, longævus transívit ad Christum, multis miráculis in vita et post mortem corúscans. Ejus corpus, a beáto Servátio, ut tradunt, Mosæ-Trajéctum delátum, ibíque honorífice sublimátum, póstea in eódem cum sancto Servátio féretro recónditum fuit,

et post tot sæcula hactenus in ecclésia sancti Servátii públicæ fidélium veneratióni expósitum honorátur. Cum dénique hoc féretrum anno millésimo octingentésimo sexagésimo tértio, die nona Novémbris, ab Ordinário solémniter visitarétur, sancti Martíni Relíquiæ, antíquis et pretiosíssimis séricis involútæ repértæ fuérunt, et cum magna veneratióne repósitæ.

℟. Iste est qui ante.

In ij. Nocturno Homilia in Evang. Homo péregre, de Commun. Conf. Font.

DIE XXII. JUNII.

Post com. S. Paulini, Epísc. et Conf. fit com. SS. Galeni et Valeni Martyrum.

Ad Vesperas, Ána Istórum. ℣. Lætámini.

Oratio.

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Galéni et Valéni natalítia cólere: da nobis, in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Ad Laudes, Ána. Vestri capílli. ℣. Exultábunt.

DIE XXIX. JUNII.

Pro com. OO. SS. Apost. In j. Vesperis, Ána. Tradent enim vos. ℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Oratio.

DEUS, qui nos per beátos Apóstolos tuos ad agnitiónem tui nóminis venire tribuísti: da nobis eórum glóriam sempitérnam et proficiéndo celebráre, et celebrándo proficere. Per Dóminum.

In Laudibus, Ána. Vos qui reliquístis. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

In ij. Vesperis, Ána. Estóte fortes. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

FESTA JULII.

DIE III. JULII.

In Festo S. Rumoldi, Epísc. et Mart. Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

Oratio.

MAJESTATI tuæ nos, quæsumus Dómine, beáti Rumóldi, Mártyris tui atque Pontíficis, supplicátio veneránda conciliet; ut qui incessánter pro nostra fragilitáte delínquimus, assíduis ejus précibus expiémur. Per Dóminum.

Deinde fit com. Oct. Apost. ut in Breviario. In j. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente. In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Actis apud Bolland.

RUMOLDUS episcopus in Scótiæ parte, quæ nunc Hibérnia dícitur, natus, pátria, paréntibus ac stémmatis successióne relictis, ministérium Christi cadúcis et perítúris ómnibus rebus antepósuit. Perfectióuis síquidem stúdio alléctus Romam proféctus est, ut Apostolórum límina invíseret, et religiósa loca præsens venerarétur, nullam interim in itínere verbi Dei prædicándi prætermíttens occasiónem. Romæ commorátus, Apostolórum et Mártyrum sepúlchra indesinénter frequéntans, eórum certámina ita ánimo suo repræsentábat, ut martyrii incénsus ardóre, totus in illíus desidérium raptus fúerit.

℣. Honéstum fecit.

Lectio v.

VERUM divínitus admónitus, ut in Gálliæ partes descénderet, obténta Pontíficis benedictióne, Mechlíniam venit, ubi ab Adóne cómite benígne excéptus, non multo post ipsíus cónjugi fœcunditátem prædíxit. Suscéptam inde prolem baptísmate initiávit, Linbérti ei nómine impósito; quem póstea submérsum ad vitam revocávit. Ob tantum benefícium paréntes partem terræ grato ánimo obtulérunt Rumóldo, qui in ea monastérium inchoávit, quod subsequéntibus sæculis in canonicórum collégium fuit immutátum.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vj.

RUMOLDUS Christi fidem Mechlíniæ et vicínis

in locis tanto stúdio ac labóre indefésso plantávit, ut Mechliniénsium Apóstolus mérito habeátur. Qui cum religióni magis semper illic propagándæ insísteret, tandem a duóbus sicáriis, quorum alter a Præsule de adultério reprehendebátur, in cápite gráviter vulnerátus, vitam martyrio consummávit. Corpus ejus, ut crimen celárent, iídem homicídæ in aquam demersérunt, sed divíno désuper radiánte lúmine, ab Adóne cómite aquis extráctum, in æde sancti Stéphani cónditum, deínde ad ecclésiam, quæ nunc Metropolitána est, translátum fuit. In prima autem Synodo provinciáli Mechliniénsi, anno millésimo quingentésimo septuagésimo celebráta, decrétum fuit, ut Sancti hujus, tanquam ecclésiæ metropolitánæ patróni, festum in ómnibus diœcésibus suffragáneis colerétur : cum vero tunc témporis Ecclésia Ruræmundénsis suffragáneo nexu Mechliniénsi esset unita, festum illud hucúsque semper in hisce pártibus fuit celebrátum.

℟. Stola jucunditátis.

In iij. Nocturno Homília in Evang. Si quis vult, ut in Comm. ij. loco.

In Laudibus fit com. Oct. Apost.

Vesperæ de sequenti cum com. præc.

DIE IV. JULII.

In Festo Divisionis SS. Apostolorum.

Duplex.

Omnia de Communi Apost. præter sequentia.

Capit. Fíttam ex eis, ut in Laudibus.

Ad Magníficat, Ánt.

Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in charitáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : quorum doctrina fulget Ecclésia, ut sole luna, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui Apóstolos tuos in omnem terram exíre voluísti, ut in una fide, fideíque baptísmate, distérsam ubique géntium Ecclésiam congregárent :

da nobis, quæsumus; in unius Dei uniúsque Mediatóris fide, in una orthodóxa, Cathólica et Apostólica semper Eccléśia, eísdem intercedéntibus Apóstolis, persevecrâre. Per Dóminum.

Et ht com. S. Rumoldi Epísc. et Mart.

In primo Nocturno.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. *Cap.* 10.

FINIS legis, Christus, ad justítiam omni credénti. Móyses enim scripsit, quóniam justítiam quæ ex lege est, qui fécerit homo, vivet in ea. Quæ autem ex fide est justítia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascéndit in cœlum? id est, Christum deducere: Aut quis descéndet in abyssum? hoc est, Christum a mórtuis revocâre. Sed quid dicit Scriptúra? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo: hoc est verbum fídei: quod prædicámus. Quia si confiteáris in ore tuo Dóminum Jesum, et in corde tuo credíderis, quod Deus illum suscitávit a mórtuis, salvus eris.

℟. Ecce ego mitto vos.

Lectio ij.

CORDE enim créditur ad justítiam, ore autem confessio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra: Omnis qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distinctio Judæi et Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt, nisi mittántur? sicut scriptum est: Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona!

℟. Tóllite jugum.

Lectio iij.

SED non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit: Dómine, quis cré-

didit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico : Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. Sed dico : Numquid Israel non cognóvit? Primus Móyses dicit : Ego ad æmulatiónem vos addúcam in non gentem : in gentem insipiéntem, in iram vos mittam. Isaías autem audet, et dicit : Invéntus sum a non quæréntibus me : palam appárui iis, qui me non interrogábant. Ad Israel autem dicit : Tota die expándi manus meas ad pópulum non credéntem, et contradicéntem.

℟. Dum stetéritis.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Gregórii Nazianzéni.

Lectio iv.

Orat. 25. *quæ est ad Arianos.*

NONNE Apóstoli peregrini fuérunt? nonne multárum natiónum atque úrbium hóspites? in quas divisi sunt, ut Evangélium quaquavérsum cúrreret, nec quidquam tríplicis lúminis expers esset, ac veritátis luce míninme perfúsum : ádeo ut iis étiam, qui in ténebris ac mortis umbra sedébant, ignorántiæ caligo discutertur. Audi quid Paulus dicat : Ut nos, inquit, ad gentes, illi autem ad circumcisiónem. Sit sane Petri Judæa : quid Paulo cum Géntibus commúne, Lucæ cum Achàia, Andréæ cum Epiro, Joánni cum Epheso, Thomæ cum India, Marco cum Itália? quid cæteris ómnibus, ne sigillátim loquar, cum iis ad quos profécti sunt? Quare, aut illos étiam objurga, aut mihi quoque ignósce.

℟. Vidi conjúnctos.

Ex Tractátu S. Augustíni Episcopi super Psalmos.

Lectio v. *In Ps.* 47.

DISTRIBUITE domos ejus. Domos illas duas, unam ex circumcisióne, álteram ex præpútio veniéntem, Apóstolis dictum est, ut distribúerent,

Cum enim vocátus esset Saulus, et factus Apóstolus Paulus, convéniens in unitátem Coapostolórum suórum, sic cum eis hábuit plácitum, ut illi irent in circumcisiónem, iste in præpútium. Ista dispensatióne Apostolátus sui distribuérunt domos civitátis magni Regis, et concordántes in ángulo, Evangélium dispensatióne divisérunt, charitáte junxérunt.

℟. Beáti estis.

Lectio vj.

SEQUITUR, et osténdit quod hoc prædicatóribus dictum sit : Et distribúite domos ejus : ut enarrétis in progénie áltera, id est, ut étiam ad nos post futúros, illórum Evangélii dispensátio perveníret. Non enim illis tantum laboravérunt, cum quibus in hac terra vixérunt; nec Dóminus illis tantum Apóstolis, quibus se vivum, étiam post resurrectiónem, dignátus est osténdere, sed et nobis. Nam illis loquebátur, et nos significábat, cum díceret : Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem sæculi. Numquid illi hic futúri erant usque ad consummatiónem sæculi? Item dicit : Non pro his rogo tantum, sed pro his qui credítúri sunt per verbum illórum in me.

℟. Isti sunt.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Euntes in mundum, ut in Breviario in Festo SS. Cyriaci, etc. Mart. die viij. Augusti cum ℟. de Comm. Apost.

AD LAUDES.

Capitulum. *Isaiæ* 66.

MITTAM ex eis qui salváti fúerint, ad Gentes in mare, in Africam, et Lydiam tendéntes sagíttam : in Itáliam et Græciam, ad ínsulas longe, ad eos qui non audiérunt de me.

Ad Benedictus. Ant.

Ego elégi vos et pósui vos ut eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat, allelúia.

Oratio ut supra.

Ad Tertiam. Capit.

Mittam, ex eis, ut supra.

Ad Sextam

Capitulum. *Rom.* 10.

NON enim est distinctio Judæi et Græci, nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

Ad Nonam.

Capitulum. *Rom.* 10.

ISAIAS enim dicit: Dómine, quis crédidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico: numquid non audíerunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

In ij. Vesp. Capit. M ittam ex eis, de Laudibus.

Ad Magníficat, Ánt.

Illi autem profécti, prædicavérunt ubique, Dómino cooperánte, et sermónem confirmánte sequéntibus signis. allelúia.

DIE IX. JULII.

In Festo SS. Martyrum Gorcomiensium, Duplex.

Omnia de Comm. plur. Mart. præter sequentia.

Oratio.

DEUS qui beatórum Mártyrum tuórum Hierónymi, Antónii et Sociórum gloriósum pro fide tua certámen ætérnitátis láurea decorásti: concéde propítius; ut eórum méritis et imitatióne certántes in terris, cum ipsis coronári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex historia per Guil. Estium, coævum, monum. apud Bolland. et Martyrologio edito a Benedicto XIV.

SÆCULUM décimum Sextum, Calviniánæ pravitátis tumúltibus memorábile, insigne Christiánæ fortitúdinis in Bélgio tulit exémplum. Anno siquidem millésimo quingentésimo septuagésimo secúndo, novémdecem mártyres, vulgo Gorcomiénses, in cruciátibus sustinéndis, pro asserenda reáli Córporis Christi in Eucharistia præséntiæ,

ac Románi Pontíficis visíbilis Ecclésiæ cápitis principátu, singulariter enituérunt. Erant ii Nicolàus Pickius Guardiánus, cum áliis octo sacerdótibus (inter quos Hierónymus vicárius, et Antónius, utérque Weertæ in hac diœcési natus) et duóbus láicis órdinis Minórum de Observántia, tres párochi, unus sacérdos sæculáris, alter canónicus regulàris sancti Augustíni, Dominicánus unus, et bini Præmonstraténses; quos omnes post arcis Gorcomiénsis deditiónem fædífragi hærétici carcéribus, contuméliis, dirissimísque torméntis, pro suo in orthodóxam fidem exasperáto génio affecérunt. Ac prima nocte in Guardiánum atrócius debacchántes, fune cinctório de superliminári suspénsum, crebrísque attráctibus convúlsum, rupto tandem fune paviménto illísum, mortis explorándæ causa, candélis ardéntibus admótis, crematàque tota fácie, et ore vi didúcto, linguam et palátum combúrunt, quin étiam insértam náribus flammam in cérebrum submíttunt. Atque his aliísque modis indígnis mártyres diébus noctibúsque subsequéntibus continue divexabántur.

℟. Sancti tui, Dómine.

Lectio v.

AVIGIO dein, extráctis véstibus, bini colligáti, Dordrácum primo, Brielam póstea vehúntur, innúmeris utrínque petulántis plebis illusiónibus, et insaniéntis militiæ furóribus contúsi; dumque subsannatiónes, flagra et fustes deplüerent, stabant senes (quorum áliqui sexagésimum, áliqui septuagésimum annum excésserant, unus nonagésimum prope attígerat) ad pectus usque nudáti, collo strigóso præ mácie, tum e plagis lívido atque cruénto, et ad síngula vérbera vel pro inimícis preces, vel Deo grates, vel agónis sui commendatiónes, spectánte et

insultánte multitúdine, rependébant. Inde in fœtidíssimum cárcerem conjécti, fame et siti aliísque torméntis tentáti, ut a Cathólica fide recéderent, póstmodum blandítiis allécti fuérunt: sed nec minæ, nec lenocínia mártyrum fortitúdinem flexérunt; quare cápitis sententia, multa jam nocte, a tyránno Lumæjo lata, damnáti, diríssimis cruciátibus affécti, bini colligáti, extra óppidi portas abducúntur.

℣. Vérbera carnífícum.

Lectio vi.

REPERTUM tugúrium fuit illis últimi certáminis stádium. Alius ítaque álium ad constántem martyrii tolerántiam extimulábat; quorum antesignánus Guardiánus ad supplícium raptus, fratres suos amplexus et osculátus, ab exhortándis sóciis, verbis Apostólico fervóre plenis, non déstitit, donec ei, adstrictis fáucibus, vocis usum láqueus intercepísset. Post eum réliqui in trabem agúntur. Nec quiévit hic hæréticæ feritátis barbáries: nam scrutátis intimis viscéribus, perquisitóque abdómine, prétio venáli exponéndo, mártyrum córpora náribus, áuribus, aliísque pártibus mutilárunt, quas consummátæ crudelitátis exúvias péleis affíxas, infámi ludíbrio circumtulérunt, tótaque dies expléndæ adventántium curiositáti fuit data, donec quidam Cathólici impetrárunt córpora suffóssæ ibídem humo mandári. Ibi inter médios Ecclésiæ hostes multis annis requievérunt, usque dum indústria piórum éruta sacra eórum ossa ad partes Catholicórum vicínas delàta sunt, ubi mox miráculis claréscere cœpérunt, quibus permótus Clemens Papa Décimus eos in beátis Martyribus adnumerávit; Pius vero Papa Nonus, tértio Kaléndas Júlii, anni milléssimi octingentésimi septímo, cum

sæculária Apostolórum Príncipum solémnia haberéntur, Sanctórum fastis adscrípsit.

℟. Tanquam aurum.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Cum audiéritis, de Communi.

DIE XV. JULII.

In Festo S. Plechelmi, Epísc. et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter seq.

Ad Vesperas, etiam si contingat eas dici integras, omnia ut in j. Vesperis S. Wironis. 14.

præter Orationem sequentem.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, in cujus conspéctu semper éxtitit præclára vita Sanctórum: præsta quæsumus; ut qui beáti Plechélmi, Confessóris tui atque Pontifícis, natalítia cólimus, ejus in cœlo consórtium, te miseránte obtinére mereámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones, Audémus, de Communi ij. loco.

In secundo Nocturno, Lectio iv.

Ex vita per anonymum apud Bolland.

PLECHELMUS ex regno Scótiæ cláris ortus paréntibus, a prima mox juventúte humilitátis et modéstiæ laude excélluit; et jam tum divíni amóris flamma succénsus, corpus suum vigíliis ac jejúniis castígans, oratióni sédulo vacábat. Factus adúltior, in divinárum lectióne Scripturárum erat assíduus Presbytérii vero auctus honóre, idem nihilóminus qui fúerat ántea perseverábat: elóquio blandus, hábitu húmilis, verecúndus aspéctu, in páuperes largus, et omni virtútum génere ita adornátus, ut quod in interióri hómine veritátis lumen divínitus accéperat, in operatióne quoque tota ipsíus vita perpétuo relucéret. Nec multo post, mórtuo diœcésis illíus in qua morabátur Epíscopo, cum univérsi cleri vox erupísset Plechélmum epíscopum deposcéntis,

ægre omníno et nonnísi multa cum trepidatióne onus illud admísit, et sancto Wiróni associátus, Rómam ad Apostolórum Petri et Pauli límina visénda cum eo proféctus est.

℟. Invéni David.

Lectio v.

ROMÆ constitúti visédis locis sacris óperam dabant, seípsos summa cum devotióne fideíque ardóre, jejúniis, vigíliis et oratiónibus assíduis in holocáustum suavíssimi odóris Dómino immolántes. Quos Póntifex Máximus, cum sapiéntiæ ac religiónis amóre inflammátos vidísset, in ecclésia Príncipis Apostolórum coram clero et pópulo episcopos consecrávit; et Sanctórum Reliquiis ditátos in pátriam ad munus evangélicæ prædicatiónis remísit. Porro Plechélmus aliquándiu in pátria episcopáli officio strénue perfúnctus, ut álibi quoque multos lucrifáceret Christo, pátrio relícto solo, una cum sanctis Wiróne et Otgéro ad Fránciæ ducem Pipínum se cóntulit. Qui ejus advéntu maxi mópere exhilarátus, cum zelum in eo promovéndi divini honóris perspexísset, ad ea Gálliæ loca eum diréxit, ubi necdum radícitus evúlsæ erant gentis illíus idololátricæ superstitiónes.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

IN illis Gálliæ fínibus sanctus Plechélmus multos ad evangélicæ veritátis lucem perdúxit, et extínctis inánium deórum delúbris, ad cultum unius Dei complúres constrúxit ecclésias, in quibus in anniversáriis dedicatiónum diébus ad sancti Plechélmi invocatiónem crebérrima quotánnis fiébant miracula. Post plures vero annos ipse, ingravescénte ætáte, se cóntulit ad beáti Petri, nunc sanctæ Odíliæ nuncupátum, Ruræmundénsi urbi vicínum montem, ut in majóre quiéte réliquum ibi vitæ transígeret. Sed nec ibi vir sanctus a præ-

dicatiónis offício déstitit. Tandem vero divíno illi óperi incessánter vacans, plenus diérum, in senectúte bona, Idibus Júlii, obdormívit in Dómino, et in cacúmine montis illius in ecclésia ad Deíparæ Virginis memóriam constrúcta, sepúltus est, et sepúlchrum ejus crebris póstea miráculis illustrátum. Caput in hoc usque tempus Oldensáliæ in archidiœcési Ultrajecténsi asservátum, magna pópuli religióne cólitur.

℣. Iste est qui ante.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte, ut supra. **11.**

℟. vij. **Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum.** ✠ **Et ad portas paradísi coronávit eum.** ℣. **Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. Et.**

℟. viij. **Cives Apostolórum et doméstici Dei, Wiro, Plechélme et Otgére,** ✠ **Qui attulístis facem et illuminástis pátriam, dantes pacem géntibus et liberántes pópulum Dómini.** ℣. **Audíte preces súpplicum; vitæ ætérnæ nobis póscite præmia, qui fertis in dextris manípulos justítiæ, in gáudio meténtes quæ seminástis in lácrymis. Qui.** Glória Patri. **Qui.**

Ad Laudes et per Horas, omnia ut in Festo S. Wironis. **19.** præter Orationem.

Si ij. Vesperas contigerit dici integras, similiter omnia sumuntur ex ij. Vesperis S. Wironis.

DIE XXI. JULII.

In Festo SS. Monulphi et Gondulphi, Episc. et Conf.

(Trajecti in Ecclesia S. Servatii die xvj. sub ritu duplici 2. classis cum Octava.)

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Ubi j. Vesperæ dicuntur integræ, Antiphonæ de Laudibus, Psalmi de Dñica et loco ultimi, Ps. **Laudáte Dóminum, omnes gentes.** Capitulum **1. *Thess.* 4.** FRATRES, Rogámus vos, et obsecrámus in Dó-

mino Jesu, ut quemádmodum accepístis a nobis, quómodo opórteat vos ambuláre, et placére Deo, sic et ambulétis, ut abundétis magis.

Hymnus.

ADEST sacráta Præsulum
Festivitas, illústrium
Confessiónc córdium,
Qui respuérunt sæculum.
Quorum coléntes ánnuam
Festivitátem, críminum
Remissiónem cérnui
Nobis, precámur, impetrent.
Oratióne sédula,
Votísque nostris éditis,
Pacísque et indulgéptiæ
Nos hi sequéstres ádjuvent.
Hoc Patris almi et Fílii
Cum Spíritu det grátia,
Quorum potéstas única
Per cuncta regnat sæcula. Amen.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent.

Ad Magníficat, Ant.

Gaudeámus et cœléstis júbili præcónia imitémur in his festis concórdi lætítia, quibus nobis sunt laudánda Dómini magnália, et sanctórum imploránda Præsulum suffrágia.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui hunc diem sanctórum Confessórum tuórum atque Pontificum Monúlphi et Gondúlphi méritis consecrásti: præsta quæsumus; ut quos in pópulo tuo voluísti esse pastóres, eósdem pro nobis precántes audíre dignéris. Per Dóminum.

Deinde fit com. S. Praxedis, Virg. ut in Breviario.

Ad Matutinum, Hymnus ut in j. Vesperis.

In j. Nocturno Ant., Psalm. et ℣. ut in Festo SS. Pont. Traject. 31.

Lectiones, laudémus viros, de Comm. ij. loco. ℟. j. Recolátur hæc decénter Præsulum festivitas, † Quos fides, spes, et charitas inter cœlites cooptárunt. ℣. Beáti omnes qui timent Dóminum, qui ámbulant in viis ejus. Quos fides.

℟. ij. Normam sequens sanctitátis Monúlphus attóllitur, Et ad culmen dignitátis Præsulátus rápitur. ℣. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. Et.

℟. iij. Ortus mundo generósis Gondúlphus natálibus, Apud Christum numerósis effúlsit virtútibus. ℣. Quóniam prævenisti eum, Dómine, in benedictiónibus dulcédinis. Apud. Glória Patri. Apud.

In ij. Nocturno Antiphonæ, Psalmi et ℣. ut in ij. Nocturno. 32.

Lectio iv.

Ex S. Greg. Turon., monum. loci et Actis apud Bolland.

MONULPHUS, tam géneris quam morum nobilitáte clarus, beáto Domitiáno in regímine sanctæ Trajecténsis ecclésiæ succéssit, vir justus, doctor bonus, orphanórum et peregrinórum pater. Hic supra túmulum beáti Servátii templum áliud atque ámplius construxit, membra ipsíus ibídem altióri loco recóndidit, illúdque miro modo decorátum, séptimo Idus Júlii dedicávit. Collátis vero sui patrimónii prædiis, inter quæ Dionantéense castrum, cléricos in eódem templo divino servítio instítuit, quos, ut semper secúndum canónica institúta viverent, mónuit. Divérsa quoque in plúribus locis sacra erexit ædifícia.

℟. Hi in domo Dei clarum, velut duo sídera, ℣. Jubar dantes, tenebrárum effugárunt ópera. ℣. Custodiébant testimónia ejus, et præcéptum quod dedit illis. Jubar.

Lectio v.

CUM aliquándo, diœcésim suam lustratúrus, Trajécto Dionántum proficiscerétur, et devenísset ad amplam vallem, ubi nunc Leódium est, loci amœnitáte captus, subitáque cœli luce perfúsus, fertur pronuntiásse, futúrum aliquándo locum multis salutárem, summisque civitátibus adæquándum. Quo loco Mo-

núlphus in honórem sanctórum mártyrum Cosmæ et Damiáni construxit ædem sacram, in quam illátum póstea sancti Lambérti mártyris corpus fuit : hujus patrocínio in tantam civitátem et provínciam paulátim evéctus est idem locus, ut non vanum fuísse Monúlphi oráculum páteat. Videns autem sibi imminére finem vitæ, cunctum pópulum per triduum sine intermissióne dócuit et mónuit, ut semper paráti éssent occúrrere Christo quasi veniénti ad judícium, omnibúsque digne peráctis, in médio eccléSiæ, in qua per trigínta novem annos fúerat episcopus, designávit locum sepultúræ, ubi, sub finem sæculi sexti in pace defúnctus, cum magno honóre sepultus est.

℟. Locum forte pertransfvit Monulphus quo Légia nunc est, pandens quæ præscivit prophetáli grátia : Locus, inquit, hic reddétur summis civitátibus æquális, per Sanctum * Qui nascétur pósteris temporibus.

℟. Hic accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo. Qui nascétur.

Lectio vj.

MONULPHO succéssit Gondúlphus, natálibus clarus, Trajécti ad Mosam enutrítus, móribus, continéntia, et eruditióne conspícuus; qui, cum gregem sibi commíssum assíduo labóre et vigilántia, septem circiter annis, curásset, magnóque stúdio ac fructu, vicínis pópulis adhuc inficdélibus Evangélium prædicásset, eódem quo Desséssor die, quiévit in Dómino, ac juxta eúmdem in médio ecclésiæ sancti Servátii sepúltus est. Túmulus eórum, unde eleváti sunt, hactenus vísitur, et ambo tanquam pátriæ defensóres atque Ecclésiæ custódes celébri gaudent memória.

℟. Sublimátus in pastórem Gondúlphus, sollícite * Curam gessit et amórem plebis sibi súbditæ.

℣. Et pavit eos in innocéntia cordis sui. Curam gessit. Glória Patri. Curam gessit.

In iij. Nocturno Ant. Psalmi et ℣. ut in ij. Nocturno. Homilia in Evang. V. de Communi ij. loco.

℟. vij. Hi sagáces erogáre tríticum in témpore, meruérunt reportáre Talénta cum fœnore. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne portántes. Taléntum.

℟. viij. Istos Deus elegísti tua tibi grátia, habitáre quos fecísti Intra Sion átria. ℣. Magnus Dóminus et laudábilis nimis in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus. Intra. Glória Patri. Intra.

Lectio ix. de S. Praxede Virgine, ut in Breviario.

Ad Laudes Ant. Cap. Hymnus et ℣. ut 35.

Ad Benedictus, Ant.

Hi sunt colúmnæ stábiles, præcónes justítiæ, vita digne laudábiles, lúmpades Ecclésiæ, quos mérito non ímpares dies hæc, terréstribus exútos, fecit cómpares Supernórum cœtibus.

Oratio. Omnípotens, ut supra.

Com. S. Praxedis, Virginis.

Ad Horas minores Capítula et Responsória brevia ut supra. 36.

In ij. Vesperis ómnia ut in primis. Ps. de Dominica et loco ultimi, Ps. Meménto Dómine David. ℣. Glóriam regni tui dicent. ℟. Et poténtiam tuam loquéntur.

Ad Magnificat, Ant.

O sacerdótes ínclyti, virtútum dono prædíti, o clara cœli lúmina, ut Paradísi flúmina irrigástis Ecclésiæ hortum: Regem justítiæ Christum placáte précibus, ut nos a malis ómnibus servans, nobis cœléstia det, post hæc mundi tædia.

DIE XXIV. JULII.

In Festo S. Henrici, Imperatoris, Conf. Duplex.

Omnia ut in Breviario, die xv. Julii.

DIE XXV. JULII.

In Civitate Ruræmund.
In Festo S. Christophori, Martyris et Patroni præcipui Civitatis Ruræmundensis.

Duplex I cl. cum Oct. (In Diœcesi celebratur die xxvij ritu semiduplici.)

Omnia de Comm. unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus, ut qui beáti Christóphori Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones, Fratres, Debitóres, de Comm. plur. Mart. (In Diœcesi de Scriptura occurrente.)

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Martyr. Romano et Actis apud Bolland.

IN immáni Décii imperatóris Christianórum persecutióne, sanctus Christóphorus in Lycia fertur martyrium complevísse. Hic Martyr tam Græcis quam Latínis est notíssimus, et a fidélibus præcípue contra pestis luem invocátur. Sacræ ejus Relíquiæ, per várias ecclésias sparsæ, et monastéria témplaque sub invocatióne sancti Christóphori in Hispánia, Germánia, Itália, Gállia, alíisque regnis jam a plúribus sæculis extrúcta, cultum hujus Sancti vetustíssimum esse ac celebérrimum cómprobant. Cum vero Summus Póntifex Pius Nonus, die quarta Mártii, anni millésimi octingentésimi quinquagésimi tértii, Hierarchiam episcopálem in Neerlándia feliciter restituísset, templum sancto Christóphoro Ruræmúndæ sacrum, quod jam ante perturbatiónem Gállicam cathedrále fúerat, eádem dénuo dignitáte insignítum est.

℟. Honéstum fecit.

Sermo sancti Ambrósii Episcopi.

Lectio v.

Serm. 6. de Sanctis.

EXEMPLO Mártyrum didícimus Christo cré-

dere, didícimus contuméliis vitam ætérnam quærere, mortem didícimus non timére. Vidéte ergo quid Martyribus debeámus, in quo alter tortus est, ut álius salvarétur; alter carnificem pértulit, ut Christum alter agnósceret: alter morti addíctus est, ut álius vita potirétur ætérna; et ad postrémum Sanctus occísus est, ut peccátor eváderet. Beáti ígitur Mártyres nec sibi vixérunt, nec sibi sunt mórtui. Exémplum enim nobis reliquérunt, bene vivéndo, conversatiónis; tolerándo fórtiter, passiónis.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vj.

Nam ídeo Dóminus per totum mundum, divérsis in locis, pati Mártyres vóluit, ut tanquam idónei testes nos præsénti quodam fídei exémplo suæ confessiónis urgérent: ut humána fragilitas, quæ prædicatióni Dominicæ auditu longióre vix credit, vel præsénti oculórum testimónio martyrio créderet Beatórum. Cuncti ígitur Mártyres devotíssime percoléndi sunt; sed speciáliter ii venerándi sunt a nobis, quorum Reliquias possidémus; illi enim nos oratiónibus ádjuvant, isti étiam ádjuvant passióne; cum his autem nobis familiáritas est: semper enim nobíscum sunt, nobíscum moránter, hoc est, et in córpore nos vivéntes custódiunt, et de córpore recedéntes excípiunt.

℟. Stola jucunditátis.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Si quis venit, de Communi.

FESTA AUGUSTI.

DIE I. AUGUSTI.

In Civitate Ruræmund. Octava S. Christophori Martyris.

Duplex.

Omnia ut in die Festo, præter sequentia.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ij. Nocturno Lectiones de Communi unius Martyris j. loco, nisi istæ

jam lectæ sint die xxx Julii, tunc enim sumuntur de Communi ij. loco.

In iij. Nocturno Homília ut in Festo, cum ix. Lectione de SS. Machabæis, ut in Breviário.

Vesperæ a Capítulo de S. Alphonso Episc. Conf. et Eccl. Doct. nec mutatur tértius Versus in Hymno.

DIE XI. AUGUSTI.

In Festo Translationis SS. Monulphi et Gondulphi, Episc. et Conf. Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

In Vesperis, si dicantur integræ, Hymnus ut in eórum Festo. 61.

Oratio.

EXAUDI, Dómine, pópulum tuum; et sanctórum Confessórum tuórum atque Pontificum Monúlphi et Gondúlphi Translatiónem celebrántem, temporális vitæ tríbue pace gaudére, et ætérnæ reperíre subsídium. Per Dóminum.

Deinde fit com. SS. Tiburtii et Susannæ, ut in Breviário.

Ad Matutínum, Hymnus ut supra. 61.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Chronico Cameracensi Balderici Synchroni, Actis Elevat. apud Boll. t. 2 Junii et monumentis ecclesiæ S. Servatii.

ANNO, a Nativitáte Dómini millésimo trigésimo nono, mense Augústo, cum Henrico, rege Romanórum, Trajéctum venit Gerárdus, Camerácénsis Antístes, qui a Nithárdo Leodiénsi Epíscopo rogátus, cum ipso sanctórum Pontíficum Gondúlphi et Monúlphi córpora levávit, accéptis sibi inde Reliquiis. Quæ sacra córpora ab ipsis, cum sanctórum Valentíni et Cándidi Reliquiis, in ecclésia sancti Servátii ad aram cryptæ exaltáta, et in uno eodémque lóculo plúmbeo, intérius quadrifáriam partíto, recóndita et sigíllis munita, dénuo sæculi décimi sé-

ptimi anno vigésimo tértio, mensis Aprilis die vigésima secúnda, a Clero, spectántibus Ordinum religiosórum superióribus et præcipuis civitátis viris, recógnita et decéntius ornáta fuérunt. Tandem anno millésimo septingentésimo nonagésimo séptimo, die octáva Novémbris, ne ab ímpiis invasóribus profanarétur, ex antiquíssimo lapídeo monuménto, præséntibus plúribus dictæ ecclésiæ Canónicis, edúcta et religióse asseváta, modo in nova cápsula públicæ fidélium veneratióni quotánnis exhibéntur. Cum autem in natálem sancti Lauréntii célebris illa prior Elevátio incíderet, festívitas ejus in sequéntem diem póstea fuit translàta.

℟. Invéni David.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Lectio v.

Laud. Mart. Ægypt.

SANCTORUM córpora quovis adamántino et inexpugnábili muro tútius urbem múniunt, et tanquam excélsi quidam scópuli úndique prominéntes, non horum, qui sub sensus cadunt et óculis cernúntur, hóstium ímpetus propúlsant tantum, sed étiam invisibílium dæmonum insídias, omnésque diáboli fraudes subvértunt ac dissipant, non minus fácile, quam si fortis vir áliquis lúdicra puerórum subvérteret ac prostérneret. Ac cætera quidem quæ ab hominibus fiunt machinaménta, ab hóstibus possunt plúribus áliis multóque majóribus máchinis ipsórum repélli; cum vero Sanctórum corpóribus fúerit cívitas communita, licet innúmeras illi pecúnias expéndant úrbibus, quæ ipsos possideant, mínime póterunt æquále quoddam machinaméntum oppónere.

℟. Fósui adjutórium.

Lectio vj.

NEQUE vero tantum advérsus hóminum insídias aut advérsus fallácias dæmonum útilis no-

bis est hæc possessio, sed etsi nobis communis Dóminus ob peccatórum multitúdinem irascitur, his objéctis corpóribus continuo potérimus eum propítium réddere civitáti. Etenim si qui multa præclàre gésserant, majórum nostrórum ætáte sanctórum virórum nómina prætendéntes, atque ad Abraham, Isaac et Jacob appellatiónem confugiéntes, nonnihil solátii sunt assecúti, ac magnam ex horum nóminum commemoratióne utilitátem decerpsérunt; multo magis nos non tantum nómina, sed ipsa quæ decertárunt córpora prætendéntes, Deum propítium et benígnum habére potérimus ac pacátum.

℟. Iste est qui ante.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte, quia nescítis, de Communi ij. loco.

Lectio ix SS. Martyrum, ut in Breviario, et com. post com. S. Laurentii, in Laudibus.

DIE XVI. AUGUSTI.

In Festo S. Rochi, Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pontificis præter sequentia.

Oratio.

POPULUM tuum, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi: et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum nostrum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ROCHUS, in Monte Pesulàno natus, quanta in próximum charitáte flagráret, tum máxime osténdit, cum sævíssima peste longe latéque per Itáliam grassánte, pátria relícta, Itálicam peregrinatiónem suscépit, urbésque, et óppida péragrans, seipsum in ægrotántium obséquium impéndere, animámque suam pro frátribus pónere non dubitávit. Quod beáti viri

stúdium, quam gratum Deo fuerit, miris sanatiónibus declarátum est. Complúres enim pestiléntia infectos e mortis períeulo signo crucis erípuit, et íntegræ sanitáti restítuit. In pátriam revérsus, virtútibus et méritis dives sanctíssime óbiit, ejúsque óbitum statim subsecúta est veneratio fidélium, quæ in Constantiénsi deínde Concílio magnum recepísse dicitur increméntum, cum, ad propulsándam ingruéntem luem, Rochi imágo solémni pompa, omni comitánte pópulo per eámdem civitátem, Epíscopis approbántibus, est delata. Itaque ejus cultus mirífice propagátus est in univérso terrárum orbe, qui eúmdem sibi apud Deum advérsus contagiósam luem patrónum religióso stúdio adoptávit. Quibus accuráte perpénsis, Urbánus Octávus Póntifex Máximus, ut ejus dies festus iis in locis, in quibus forent ecclésiæ nomine Deo dicátæ, officio ecclesiástico celebrarétur, indúlsit; idémque indúltum post Urbánum Octávum benígna Sanctæ Sedis concessióne étiam ad plura ália loca exténsum fuit.

℣. Honéstum fecit.

Ex Tractátu S. Augustíni Epíscopi in Epístola Joánnis.

Lectio v.

Tract. 5. *in Cap.* 3.

PERFECTA ista chárítas est, ut parátus sis mori pro fratre. Hanc ipse Dóminus in se exhíbuit mórtuus pro ómnibus, orans pro eis, a quibus crucifigebátur, et dicens: Pater ignósce illis, quia nésciunt quid fáciunt: sed si solus hoc fecit, non erat Magíster, si discípulos non habébat. Si quis tantam habúerit charitátem, ut parátus sit pro fratribus étiam mori, perfécta est in illo charitas. Sed numquid mox, ut náscitur, jam prorsus perfécta est? Ut perficiátur, náscitur, cum fúerit nata nutrítur, cum fuerit nutríta corroborátur,

cum fúerit roboráta perfícitur, cum ad perfectiónem vénerit, quid dícit? Mihi vívere Christus est, et mori lucrum: optábam dissólvi, et esse cum Christo. Multo enim magis óptimum, manére in carne necessárium propter vos. Propter eos volébat vívere, pro quibus parátus erat mori.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Hæc est perféctio charitátis, major omnino non potest invéniri, sed quia non in ómnibus perfécta est, et desperáre non debet. in quo perfécta non est, si jam nata est, quæ perficiátur, et útique si nata est, nutriénda est, et quibúsdam suis nutriméntis ad perfectiónem própriam perducénda. Quæsívimus inchoatiónem charitátis unde incípit, et ibi contínuo invénimus: Si quis habet facultátes mundi, et víderit fratrem suum egéntem, et cláuserit víscera sua advérsus eum, quómodo diléctio Patris manet in illo? Ergo hic incípit ista cháritas, fratres, ut de suis supérfluis tríbuat egénti in angústiis alíquibus constitúto, ex eo quod sibi abúndat; secúndum tempus a tribulatióne temporáli líberet fratrem: hinc exórdium est charitátis. Hanc ita cœptam, si verbo Dei, et spe futúræ vitæ nutríeris, pervénies ad illam perfectiónem ut parátus sis ánimam tuam pónere pro frátribus tuis.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Nolite timére, de Communi ij. loco. In Laudibus com. Oct. Assumpt. et S. Laurentii.

DIE XXV. AUGUSTI.

In Festo S. Gregorii, Epist. et Conf. Duplex. Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia. Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam Sanctórum illúminas méritis et doctrínis, fac nos, intercedénte beáto Gregório, Confes-

sóre tuo atque Pontífice, et devótam tibi gérere voluntátem, et Majestáti tuæ sincéro corde servíre. Per Dominum.

In j. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente. In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex vita per S. Ludgerum Episc., ejus discip., et Actis apud Bolland.

GREGORIUS, ex nóbili Francórum stirpe oriúndus, cum Adulæ abbatissæ, in monastério supra Moséllam juxta Tréviros, sacram lectiónem légeret, et eámdem a sancto Bonifácio, ibídem hospítio excépto, explicári audivísset, tantum fídei et pietátis ardórem, quantúmvis quíndecim annórum puer, concépit, ut relíctis ómnibus, eúmdem ad Hassórum et Thuringiæ conversiónem pergéntem, contínuo secútus fúerit; atque exínde ómnium ejus labórum, periculórum et itínerum individuus comes, tantum eo doctóre profécit, ut brevi sacrárum litterárum sciéntia et virtútum ómnium splendóre præ áliis eminéret. ℟. Invéni David.

Lectio v.

QUAPROPTER beátus Bonifácius post áliquot annos in episcopátu Ultrajecténsi exáctos, ad gentem Frisonum converténdam et in fide confirmándam transitúrus, Gregórium in eádem sede sibi successórem designávit. Pastoráli ónere suscépto, Gregórius paupertátem, sobrietátem, misericórdiam et liberalitátem erga páuperes præcípue cóluit. Divítias dulce venénum et præparatiónem ad intéritum appellábat. Vini usum, nisi módice et aqua semper temperátum, non admittébat. Ebrietátem, tanquam inférni fóveam, discípulis suis fugiéndam prædicábat; et ad omnem vitiórum extirpatiónem et virtútum acquisitiónem eósdem júgiter instruébat. ℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

PRO pastoráli quoque sua sollicitúdine sanctos Marcellínum, Lebuínum et Willibáldum, ad converténdas et excoléndas Transisalániæ partes diréxit. Mores quoque ac ánimum Ludgéri, tunc púeri, ita efformávit, ut propter sanctitátem vitæ et litterárum peritiam póstmodum Monasteriénsi episcopátu dignus hábitus fúerit. His aliísque vírtútibus mirabiliter excúltus, Deo et homínibus carus, extréma senectúte in parálysim incídit, quam trium annórum spátio patientíssime tulit; ac tandem víribus córporis destitútus, inter discípulórum manus vix seháerens, prophético spíritu Albrícum, tunc témporis in Itália regáli servítio occupátum, ante diem óbitus sui adfutúrum, et in episcopátu sibi successúrum prædixit. Postrémo, clero valedícens, et sacra Communióne recreátus, octávo Kaléndas Septémbris sanctam Deo ánimam réddidit. Sacræ ejus Reliquiæ religióse asservántur in eccléśia quondam collegiáta Sanctíssimi Salvatóris, in Sústeren, ubi vivens frequens fúerat, et a plúribus sæculis Patróni secundárii venerationem habet. Ibidem et ejus mater, beáta Vastrádis, sepultúram acpéperat.

℟. Iste est qui ante. In iij. Nocturno Homília in Evang. Vigiláte, de Comm. ij loco.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE III. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Remacli, Epísc. et Conf. Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio.

DEUS, mundi auctor et creátor, qui hodiérnam festivitátem beáti Remácli, Confessóris tui atque Pontificis, migratióne in cœlos consecrásti: præsta quæsumus; ut cujus ánnua celebritáte devótis exultámus obsé-

quiis, ejus suffrágiis tuæ pietátis consequámur auxílium. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex vita per Monachum Stabulensem anon., et Notgerum apud Boll. et Mabillon.

REMACLUS in Aquitánia natus est, patre Albútio, matre Matrínia, géneris nobilitáte et divitiárum cópia claris, a quibus beáto Sulpítio, episcopo Bituricénsi, religióse instituéndus tráditus est. Crescénte cum ætáte divínæ charitátis fervóre, ad monastérium trànsiit, quod beátus Eligius, vir ea tempestáte in aula Dagobérti, Francórum regis, non solum rebus geréndis sed et sanctimónia celebérrimus, Solemniaci prope Lemovícum nuper fundáverat, in quo centum quinquaginta mónachis sub regulári observántia vivéntibus, Remáclum, jam tum sapiéntiæ et sanctæ conversatiónis títulis máxime commendátum, præfécit. Quò magístro, christiánæ perfectiónis tanta ibi víguit sollicitúdo, ut præ cæteris Gálliæ monastériis florére vidérétur.

℟. Invéni David.

Lectio v.

POST hæc Sigebértus, píssimus rex Austrasiórum, munificéntiam régiam in condéndis cœnóbiis exhíbuit. Primum ex iis Casæcongildúni, Chínium inter et Bullónium, ad diœcésis Trajecténsis fines constrúxit, accíto Remáclo, qui servos Dei in sanctióris vitæ norma instrúeret, eísque præésset. Hic ínterim ibi in cœléstium contemplatióne aliquándiu consédit, sed cum sanctitátis ejus fama in omnem regiónem penetrásset, ut Amándus Trajecténsis ecclésiæ Præsulátum abdicáverat, Clerus et pópulus Trajecténsis, suffragánte étiam Rege effecérunt ut Remáclus, quantúmvis

renítens, ipsi substitueretur, médio circiter sæculo séptimo. Quam sancte vero et juste in hoc suo múnere conversátus fúerit, vix quis enarráre sufficiet : erat quippe páuperum et orphanórum pater, viduárum pius adjútor, infirmórum benignissimus consolátor, créditam sibi plebem in timóre Dei et amóre confírmans. Discipulórum multórum pater fuit et institútor, e quorum número beáti Theodárdus, Hadelinus et Trudo extitérunt.

℣. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

QUANTUM apud Sigebértum regem grátia valébat, sanctus Præsul eo referébat, ut ejus ópera ædes sacras et monastéria extrúeret, in quibus Deo cultus stábilis quin et regno firmíssimum præsídium collocarétur. In iis éminent duo celebérrima cœnóbia, quæ ad sancti Remácli preces Sigebértus in recónditis Arduénnæ sáltibus ædificávit, et insignibus ópiribus auxit, Malmundárium et Stabulétum, quæ beátus Episcopus solémni ceremónia dedicávit, ac suo nómine regénda Theodárdo discípulo commendávit. Porro Remáclus, jam dudum monásticæ quiétis amans, post multas et importúnas preces a Rege tandem obtínuit, ut abdicáto episcopátu, optátam quam áliis paráverat quiétem sibi líceret amplécti. Mox Theodárdum sibi successórem canónice subrogándum curávit, et utrúsque Abbátiæ régimen ipsemet assúmens, sanctimóniæ fructus adhuc in plures diffúdit. Ætáte confectus, suos ad oratiónis stúdium aliásque virtútes, præsértim ad pacem et concórdiam, peramánter et fórtiter cohortátur, ac sumpto sanctíssimo Viático, opéribus bonis plenus, Stabuléti in Christo obdormivit, tértio Nonas Septémbris. Corpus in sancti Martíni templo, ab ipso cóndito, sepeli-

tur; quod, miráculis clarum, póstea e terra edúctum, ac decéntius in sancti Petri basílicam illátum, modo, Abbátia templóque destrúctis, in ejúsdem óppidi parochiáli eccléśia sancto Sebastiáno sacra, máxima veneratióne cólitur.

℟. Iste est qui ante.

In iij. Nocturno Homília in Evang. Designávit Dóminus, de Communi Evang. cum ℟℟. de Communi Conf. Pont.

Mechliniæ, H. Dessain. — mdccclxvi.